
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
7 L
13

Y. 2.




14-22-D-23

Digitized by Google

Digitized by Google




BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

# LEXICON MATHEMATICVM

## ASTRONOMICVM GEOMETRICVM,


*Hoc eſt*

Rerum omnium ad utramque immò & ad omnem ferè Matheſim quomodocumque ſpectantium, Collectio, & explicatio.

*Adjecta breui nouorum Theorematum expenſione, verborumque exoticorum dilucidatione vt non injuriâ*

Diſciplinarum omnium Mathematicarum ſumma, & Promptuarium dici poſſit.

*Auctore* HIERONYMO VITALI *Capuano Clerico Regulari vulgò Theatino.*



PARISIIS,

Ex Officina LUDOVIC. BILLAINE, in Palatio Regio.

M. DC. LXVIII.

*Cum Licentijs.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

# D. GVIDOBALDO

## S.R.E. CARDINALI DE THVN

ARCHIEPISCOPO ET PRINCIPI
SALISBVRGENSI, AC RATISPONENSI
GERMANIÆ PRIMATI.
*AC S. R. SEDIS LEGATO PERPETVO*
*S. R. Imperij Principi, &c.*

Hieronymus Vitalis æternam felicitatem.

E*RVBESCEREM ad infularum purpuram, Cardinalis ampliſsime, niſi animorum conciliatrix humanitas promicantem ab ea fulgorem blandiſsimè temperaret. Auerſaris enim peſsimam optimatum indolem, qui quoad ſublimius gloriæ apogæum euehuntur, hoc magis eripiunt ſe populorum aſpectui, id vnum commune cum ſideribus habentes, quod ſubiecta ſibi capita deſpiciant mortalium oculis imperuij (quaſi verò in gloria fiat; & abiecta, quæ ſub oculos cadit celſitudo.)*



Digitized by Google

*Quin potius regiam æmularis Iouis alitem, quæ ita ſe Cœlo permittit, vt terris interdũ illabi non dedignetur; Imò ſic te præſtas omnibus æqualem, nulla vt re ſupra hominum vulgus eminere videaris, quam meritis. Accedit quod libertatem non relinquis ſpectatoribus tuis, quos in te ſemel intenderint, torquere oculos aliò poſſint, adeò ſunt in tui vnius admiratione defixi: ea propter vitio dare non potes, ſi te importunus adeam, cum totus cuilibet te intuenti pateas, teque adeunti, facias ſine faſtidio copiam tui. Atque hîc ego non committam, vt latiùs excurrat oratio indagatura quænam ex tot quibus præfulges virtutibus, te ad tantum honoris faſtigium promouerit; an probitas morum ſingularis? an rerum Ciuilium, & Eccleſiaſticarum peritia? an maximarum rerum ponderi, non impar animus? an denique ſtudium pietatis, & in tuendâ bellantis Eccleſiæ gloria inuictâ ſtrennitas? conſtat enim omnes vnà conſpiraſſe virtutes, vt te ad tantam dignitatem certatim proueherent, cum quid quid in hierophantis, & præſidibus Religionis effuſum eſt, in te vno ad inuidiam expreſſum miretur orbis, adeò vt tibi vni plauſiſſe vates videatur cum cecinit.*

Sparguntur in omnes
In te mixta fluunt, & quæ diuiſa, beatos
Efficiunt, collecta tenes. CLAVD.

Gregor. Nyſſ. de

*Qua propter ſi* virtus eſt vera animarum

illuſtrium purpura; *antequam de te Roma cogitaret, iam totus purpuratus eras, & priuſquam in humeris oſtrum igneum diradiaret, iam rutilabas præclarè geſtorum fama conſpicuus. Quæ res incertum animi tenet, pluſne tibi quam Germaniæ, vel Eccleſiæ potius vniuerſæ applaudendum ſit, tibi, qui quod virtus tua merebatur diuinâ (vt aiunt) virgulâ conſecutus es, Germaniæ, quæ ſuas inter Aquilas Phœnicem adnumerat, Eccleſiæ quæ ſuo diademati nouum florem intexuit. Quinetiam noſtro potiſſimum Ordini gratulandum arbitror, qui ſe iam expertus eſt ingenitâ ad benefaciendum voluntate adeò procliuem, vt latè patentem munificentiam in anguſtum cogere non dubitaueris.* opif. hom. cap. 4

*Ad id autem officij quod mihi cum cæteris commune eſt, accedit priuata ratio, tuum quod votis omnibus ambio patrocinium quò noſtræ lucubrationes tanto inſignitæ nomine ſecurius prodeant in lucem, & grauius apud omnes, cum te vindicem nactæ fuerint, authoritatis pondus obtineant. Huius honoris ambitu ſupplices, tuos ad pedes deuoluuntur, tua requirunt veſtibula è quibus pendent tot doctiſſimorum anathemata ingeniorum; nec repulſam (vt ſpero) patientur, cum oceanus non reijciat ad ſe concurrentia minora flumina, nec terra locum neget ponderibus, nec Cælum deprimat fauillas ad ſe liberiùs euolantes. Quæſtum ambierint veteres, aut ambitum quæſierint, cum ſua Principibus opera*

*conſecrauerunt ; Antonini gratiam aucupetur ſuâ Oppianus Ichtyologiâ, Vitruuius Auguſtum Architecturâ ſibi conciliet, Commodi fauores expetat Pollucis Onomatologia, dignitates à Veſpaſiano ſuâ Plinius Phyſicâ emendicet : ego ſane poſt habitis quibuſcumque emolumentis perituro operi, Mecænatis immortalitate conſulo. Futurum enim ſperaui vt quâ olim induſtriâ, Phydias dum elegantem illam Mineruam effingeret, proprium in ægide cælauit, celauitque vultum, vt æternum ſibi nomen compararet, ſic me tibi dicatitiâ hacce epiſtolâ inſinuarem, vibrantiſque illius gloriæ, qua circunfuſus coruſcas, quoſdam operi meo radios inſpirares. Hac ergo ratione abundè mihi ſatisfactum putabo, ſi tuis ſub auſpicijs prodeat Lexicòn hoc Mathematicum, neque enim timebit Stoïca cenſorum ſupercilia, nec temporis omnia deprædantis reformidabit ingluuiem. Quapropter tuos affuſus ad pedes illud depono, vt ſin minus purpuræ tuæ inuoluatur ambitu, extremam ſaltem laciniam delibans, tutiſſimum nanciſcatur inter tot debachantis inuidiæ morſus præſidium.* Vale.

# PRÆFATIO
## AD LECTOREM

*In qua operis Idea, Auctoris mens, ac dicendorum ratio explicatur.*

MAthematicas diſciplinas, quò cæteris præſtantiores, eò hominibus huius ſæculi deſpectiores, atque odioſiores, inter nouiſſimas curas à paucis admodum cœli à plurimis eleuati, ab omnibus vniuerſim, ceu ſtudiorum retrimenta, & quiſquilias cæteris artibus poſt haberi, Amice Lector, amariſſimè ſemper indolui. Quippe cum eæ ſint, quæ animum noſtrum virtutibus imbuunt, ad nobiliſſimâ erigunt, ad Dei formam efformant, ac diuinæ illius ſapientiæ vniuerſa belliſſimè ordinantis ſemitas calcare edocent, mirum eſt, quàm malè apud quoſdam audiant; vt inter euanidas ſcientias, otioſas inutiles, ac pœnè dixerim pernicioſas connumerentur. Diogenes ille

*conſecrauerunt : Antonini gratiam aucupetur ſuâ Oppianus Ichtyologiâ, Vitruuius Auguſtum Architecturâ ſibi conciliet, Commodi fauores expetat Pollucis Onomatologia, dignitates à Veſpaſiano ſuâ Plinius Phyſicâ emendicet : ego ſane poſt habitis quibuſcumque emolumentis perituro operi, Mecanatis immortalitate conſulo. Futurum enim ſperaui vt quâ olim induſtriâ, Phydias dum elegantem illam Mineruam effingeret, proprium in ægide cælauit, celauitque vultum, vt æternum ſibi nomen compararet, ſic me tibi dicatitiâ hacce epiſtolâ inſinuarem, vibrantiſque illius gloriæ, qua circunfuſus coruſcas, quoſdam operi meo radios inſpirares. Hac ergo ratione abundè mihi ſatisfactum putabo, ſi tuis ſub auſpicijs prodeat Lexicòn hoc Mathematicum, neque enim timebit Stoïca cenſorum ſupercilia, nec temporis omnia deprædantis reformidabit ingluuiem. Quapropter tuos affuſus ad pedes illud depono, vt ſin minus purpuræ tuæ inuoluatur ambitu, extremam ſaltem laciniam delibans, tutiſsimum nanciſcatur inter tot debachantis inuidiæ morſus præſidium.* Vale.

# PRÆFATIO
## AD LECTOREM

*In qua operis Idea, Auctoris mens, ac dicendorum ratio explicatur.*

MAthematicas diſciplinas, quò cæteris præſtantiores, eò hominibus huius ſæculi deſpectiores, atque odioſiores, inter nouiſſimas curas à paucis admodum cœli à plurimis eleuati, ab omnibus vniuerſim, ceu ſtudiorum retrimenta, & quiſquilias cæteris artibus poſt haberi, Amice Lector, amariſſimè ſemper indolui. Quippe cum eæ ſint, quæ animum noſtrum virtutibus imbuunt, ad nobiliſſimâ erigunt, ad Dei formam efformant, ac divinæ illius ſapientiæ vniuerſa belliſſimè ordinantis ſemitas calcare edocent, mirum eſt, quàm malè apud quoſdam audiant; vt inter euanidas ſcientias, otioſas inutiles, ac pœnè dixerim pernicioſas connumerentur. Diogenes ille

Cynicus , homo , inquam , ad hominum irriſionem factus , qui ſua Philoſophia tumidus cæteros aſpernabatur , cuidam Horoſcopon oſtendenti *Bellum*, inquit, *hercle inſtrumentum! Verum tamen ne fruſtremur cæna*: invidè carpens ac ſugillans geometricas artes , quaſi earum ope cœnam quidem ſibi quiſque parare queat. At enim ſi Allæ ſunt facultates ad humanæ vitæ rationem ineundam conducentes , ſi vllæ Reipublicę neceſſariæ , ciuibus opportunæ, eæ ſunt Mathematicæ , & quæ in Mathematica fundantur artes , hoc eſt mechanicæ. Quandoquidem ipſa olim ſcientiarum rudimenta , ipſa naturalis Philoſophia , vt auctor eſt Gellius à Matheſis ruderibus incipiebant. Etenim refert Philoſophiæ nomen vti ex Pythagora effluxiſſe ita & Mathematicæ appellationem à τῦ Μάθημα. hoc eſt diſciplina , ſeu à Μανθάνω , quod eſt diſco , & doceo deriuatam. Mathemata enim dicuntur artes , quæ firmis demonſtrationibus conſtant : quæ quidem idcircò ad diſciplinam animo inſerendam aptiſſimæ inveniuntur. Namque ita Natura facti ſumus , vt nihil tenere mente poſſimus , ni aliquo modo ſub ſenſu cadat , ac ſpeciem aliquam præſe ferant entis extenſi. Cum igitur Mathematicæ diſciplinæ totæ ſint in rebus quantis , vt quantis exhibendis , ac

proponendis,in eiſque menſurandis,& cõparandis inter ſe, iure ipſarum notitia antonomaſticè diſciplinæ nomen promeruit, quandoquidem ipſæ ſolæ ſunt, quæ mentis noſtrę duritiam ſuperare, ignorantiæ tenebras diſcutere, ac ſcientiis omnibus aditum aperire valent, atque ad id factæ ſunt. Hinc teſtatur idem Gellius, triplicem fuiſſe ordinem eorum,qui ſub Pythagora proficiebant.Quidam enim dicebantur Ἀκουστικοί, hoc eſt, auditores, qui ab ingreſſu ſilere, atque audire tantum iubebantur ad certum tempus, quo durante nihil eis percontari licebat, quamvis non rectè quę ab aliis docebantur perciperent, neque etiam commentari, quæ audierant, conceſſum erat: Veruntamen, vbi tacere & audire didicerant, jamque cœpiſſent eſſe ſilentio eruditi, mox verba facere, & quæritare de iiſque, quę audierant ſcribere, ac difficultates expromere, dabatur illis aditus, atque hi Μαθηματικοί appellabantur ab iis artibus quas iam dicere, & meditari cæperant. Poſteà his ſcientiarum ſuppetiis inſtructi, ad percipienda mundi opera; Naturæque principia procedebant, quo tempore φυσικοί audiebant, quod iam exinde ob Mathematicas diſciplinas, ſuperiores ſcientias ſublimioraque ſtudia capeſſenda apti inveniebantur. Proindeque pueris



Digitized by Google

Geometriæ, Muſices, & Arithmetica rudimenta tanquam certa, fundataque ſcientiarum principia primò in ſcholis exhibebantur, vt iis demum exerciti ad majora Philoſophiæ ſtudia inienda redderentur idonei. Vnde eſt quod id perperam aſſumens Picus *lib. 12. aduerſus Aſtrologos cap. 2.* exinde mathematicas facultates elevare nititur, & graphicè contra eas inuehitur, inquiens: *Mathematica ſapientes non facit, quare veteribus puerorum ſtudium fuit imò qui ei ſoli totum ſe tradit, occaſiones errorum in Philoſophia maximas parit.* At enim verò tantum abeſt quod Matheſis Philoſophiam deſtruat atque in errores abducat, ut eam ſolam Philoſophię ſtudiis adeò neceſſariam cenſuerit Plato, teſte Io. Grammatjco *in p. Phyſ.* c.45. vt in Gymnaſij limine inſcriptum vellet ὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω hoc eſt Geometrię ignarus huc non adueniat: & Xenocrates Platonis auditor cuidam Matheſis ignaro ſcholam ſuam frequentare expoſtulanti dixiſſe fertur. *Abi, cares enim anſis, & adminiculis Philoſophiæ.* Quod autem pueris olim addiſcenda traderetur, id potiùs eius neceſſitatem, atque vtilitatem arguit, quam, quod quicquam contra illam evincat.

Porrò Mathematicarum diſciplinarum dignitatem, commoda, atque vtilitates quis

explicare poterit? eę in ſummo certitudinis gradu poſitæ ſunt, vt Philoſophus ipſe teſtatur. eædem ad ciuium pacem, ad gentium communicationem, ad bellorum ordinem factæ ſunt: per eas militarem diſciplinam, vrbium ſtabilimenta, ædificiorum ordinem, locorum interualla, męnium commoda, negotiantium fidem, totius orbis commercium, cæleſtium notitiam, & cum terrenis hiſce communicationem habemus: Has Ægyptiorum Sacerdotes, cum liberos ſuos liberalibus artibus inſtruendos traderent, curabant inprimis eos ediſcere, vt metari agros noſſent, vbi Nili excurſu confuſi forent: ſicque poſſet ciuium concordia cuſtodiri, quod & Strabo, & Herodotus, aç de Perſis etiam ſcribit Alexander ab Alexandro *lib. 2. dier. genial. cap. 25.* Has leges ſumme commendant & præcipiunt *in C. Artem Geometriæ.* ad has addiſcendas cogi homines poſſe vult Penna *in lib. 2. c. de ex curſ. art. lib.* 10. Bartholus quoque in ſua Tiberina figuris Geometricis vtens, has facultates Iuriſperitis vtiles eſſe oſtendit, & Ariſt. in rebus Philoſophiæ difficillimis explicandis mathematicis demonſtrationibus vſus eſt. Medicina nonne ſine Aſtronomiæ directione ægris eſſet incommoda atque exitialis? quæ enim ſub certo ſtellarum poſitu exhi-

bita prodeſſe compertum eſt, hæc incongruo tempore data euocant mortem;quod & Ouidius obſeruauit cum cecinit.

*Temporibus medicina valet: data tempore proſunt.*
*Et data non apto tempore vina nocent.*

Theologia etiam & Sacrarum Scripturarum notitia, & explanatio multum à Matheſi adjuvatur vt probat D. Auguſtinus *lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 16 & ſeqq.* ac teſtatur etiam D, Hieromymus *to. 1. ep. 5.* Vnde & ſacræ paginæ Deum ipſum ſæpius introducunt omnia inpondere & menſura, & numero diſponentem; & Eccleſia ſecundum Aſtronomiæ regulas ritus ſuos inſtituit, ac nouillunia, & temporum rationes ordinat, fidelibuſque exhibet obſeruandas. Tandem nulla eſt ſcientia quæ nos adeò in Deum erigit, ac ſupernæ Patriæ deſiderium in nobis excitat,quàm cæleſtium rerum notitia. Siquidem, vt ait, Pſaltes *Cœli enarrant gloriam Dei.* Per eam enim tenetur quodammodo in manibus cœlum ac fit vt cæteris omnibus ſpretis, ad idem ſeriò poſſidendum animum applicemus.

*Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primis,*
*Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit,*
*Credibile eſt illos pariter vitiiſque, iociſque*
*Altius humanis exercuiſſe caput.*

*Nam Venus, & vinum ſublimia pectora fregit,*
*Officiumque fori, militiaue labor.*
*Nec levis ambitio, perfuſaque gloria fuco:*
*Magna neque fames ſollicitauit opum.*
*Admouere oculis diſtantia ſidera noſtris,*
*Ætheraque ingenio ſuppoſuiſſe ſuo.*
*Sic petitur cœlũ, non vt ferat Oſſam Olympus;*
*Summaque Peliacus ſidera tangat apex.*

Sic fatus verè Ovidius Faſtorum I.

Cùm igitur tantæ ſint Mathematicæ diſciplinæ præſtat hîc cauſam tantæ contrarietatis auertere, & invidiam, quam apud homines contraxerint aperire: quî factum ſit, vt quæ ex ſe ipſis tam bonæ, tam vtiles, tam innocentes ſunt, tam malè poſtea olere cæperint: vt ex iis quædam tanquam inutiles cenſeantur, quædam etiam vti pernicioſæ ac Reipublicæ peſtis abolitæ, atque in diſciplinæ dedecus Imperatorum lege profeſſores, ac Mathematici vniuerſim Vrbe proſcriberentur.

Equidem nil eſt in rerum natura tam bonum, quod non Dæmonis aſtu, ſuorumque fraudibus corrumpi queat: Et quia ea eſt bonitatis conditio, vt præteruerſa monſtroſa fiat, ac deformiſſima (corruptio namque optimi peſſima) inde fit, vt quæ maximè bona ſunt, ea ſi tricis & ſordidis adulterentur, nil illis pernicioſius ſit,

nil euadat inſenſius. Videmus id paſſim in alimẽtis, quæ quo ſalubriora, ſi poſtea corrumpantur, aut venenis inficiantur, eò ſunt humanæ vitæ exitialiora. Cùm igitur diabolus ab initio Dei ſimilitudinem ex arrogantia appetierit, poſtmodum ſuperna patria pulſus, nil magis affectet, quam Dei ſimiam facere, & perfectiſſima quæque in Dei contemptum corrumpere, atque hominibus exhibere. Quod & D. Petrus Chryſologus aliò reſpiciens adnotauit ſerm. 155. ſic inquiens. *Vbi Chriſtus piè noſtram natus eſt ad ſalutem mox diabolus diuinæ bonitati numeroſa genuit, & pernicioſa portenta, vt ridiculum de religione componeret in ſacrilegium verteret ſanctitatem, de honore Dei Deo pararet injuriam.* Nonne Theologia ſcientia eſt omnium nobiliſſima, & diuina, quæ nos in Dei cognitionem ducit, quæ mores inſtruit, quæque altiſſima rimatur myſteria, atque illius beatificæ viſionis, quæ æternæ gloriæ ſumma eſt, ſpeculum eſſe, æmulam & primum gradum non inani gloriatione ſe jactat? At quid ea corrupta execrabilius? Quid ſceleſtius? Quid Eccleſiæ pernicioſius? Nonne ex ea tot hæreſes pullularunt? Nonne tot infandæ dogmatum aborſiones? Religio nonne virtutum omnium Princeps eſt, ac Regina? At enim hanc in ſuperſtitionem transformare

ſtudet nequiſſimus hoſtis, vt de honore Dei, Deo parare poſſit iniuriam. Naturæ dona, & maxima adjumenta ſuis tricis ſæpe maculat, & corrumpit inuidus, vt ijs vel religione adducti non vtamur in noſtrum commodum tamquam ſuſpectis, vel ſanè tanquam ab eo exhibitis, ac deprauatis. Hoc ipſum plane efficit in ſublimioribus Matheſis diſciplinis: etenim nil ipſis ab initio innocentius, nil vtilius; nil humano generi conducentius fuit: At enim vel inde, quia nobis proficue, quia earum legitimus vſus homines ad vitæ optimè inſtituendi rationem conducit, ideò eas potiſſimũ ſuperſtitionibus ſatagit conſpurcare, & cum ex alia parte futura præſciendi à noſtræ conditionis exordio naturalis nobis inſit affectus, ex hoc genio ad naturæ limites tranſigendos nos ſtudet impellere, ac non modò quæ à naturalibus cauſis neceſſario pendent, prænoſcere, verum etiam, quæ vltrà captum ſunt, quæ à libera voluntate pendent, tanquam ex aſtris ortum ducant, perſcutari curioſos quoſque minuſque cautos extimulat, adigitque. Hinc Aſtronomiæ Aſtrologia ſucceſſit, & quia hæc notitia experimentalis tantum erat, & curioſa nimis, quæ mire animos hominum titillabat, Chaldæi ſuper omnes ſuperſtitioſiores in eam toti incubuerunt:

vnde omnes Philoſophiæ limites prætergreſſi ad diuinatoriam ſimpliciter, ſiue ambitione ducti, ſiue ſpe quæſtus illecti ſe conuerterunt. Vnde iam omnis Matheſis cōſpurcata, omnis Mathematica diſciplina iam malè audire cæpit, proindeque & Mathematici Vrbe pulſi, & omnis eorũ ſcientia tanquam infamis, & Reipublicæ exitialis eſt habita.

Eapropter operæ pretium me facturum exiſtimaui, ſi laruam tandem nobililiſſimis his facultatibus tollerem, ac zizania à tritico ſegregarem: eas ſuo nitori ſuæ innocentiæ reſtituendo, quod vt aſſequerer, in hoc opere id mihi præfixi, vt non tam Matheſis principia veræ Philoſophiæ innixa, quam etiam vanitates, quibus conſpurcata fuit, oſtenderem, vt ijs perſpectis Matheſis ſtudioſus eam tutò capeſſeret, bonam doctrinam teneret, falſam reijceret, atque à ſe toto animo ablegaret. Opus equidem magni laboris, & quod Atlanthæos humeros expoſtulaſſet, ni bonorum amicorum, ac præcipuè eruditiſſimi conciuis mei *Angeli Duratij*, (qui & opera, & libris iugiter mihi aſtitit) in eo exornando auxilium acceſſiſſet, ac plurima ſuppeditaſſet. *Lexicon* ergò *Mathematicum*, ex omnibus Matheſis ſcriptoribus compilaui, in id præcipuè incumbens

vt & abſtruſiora vocabula, vt plurimum Araba, Aegyptiaca, Barbara (quandoquidem apud has nationes Mathematicæ diſciplinæ potiſſimum floruerunt) explicarem, & vniuerſæ Matheſis Principia, Canones, Pronuntiata, Demonſtrationes, Problemata, ordinatiſſima methodo dilucido ſcribendi genere, atque abſoluta verborum deſcriptione traderem, ac penè ad viuum delineata oculis exhiberem. Vt propterea facile ſit cuiuis haud rudis ingenij, ſuo Marte plenam harum ſcientiarum notitiam comparare, aut ſaltem quemvis Authorem expedite percurrere. Quod adeò difficile Anatolius æſtimauit, vt vel ob id Mathematicas ſcientias, diſciplinas dixerit appellatas, quod cum cæteræ facultates librorũ lectione, ac ſolo diſcurſu percipi poſſint; hæ nonniſi Magiſtro docente ac demonſtrante: quandoquidem vt rectè monebat M. Tullius, *Mathematici in magna rerum obſcuritate, recondita arte multiplici ac ſubtili verſantur*: vt proptereà non ab re nec ſine magno conſilio cenſendum ſit, veteres illos, ac prudentes viros conſtituiſſe, vt à teneris annis pueri in eiuſmodi artibus erudirentur. Sed enim hac in re, ni fallor, palmam proripuiſſe me arbitror, clauumque nodo fixiſſe. Etenim cum rerum intelligentia magna ex parte ex terminorum

notitia pendeat, hæque potiſſimum facultates vocabulorum multitudine, diuerſitate, ac barbarie opprimantur, vt vel hæc vna conſideratio me olim ab his ſtudiis absterruerit; profecto de litteraria republica me optime meriturum credidi, ſi quam ipſe prouinciam duram, & ceſpitoſam offendi, hanc aliis complanarem: in qua ſanè re, ſi ſcopum attigi, Lectoris eſto iudicium. Nec tamen Novitiis ſolum ſcribo: habebunt ipſi, quæ ad probam ſcientiarum notitiam neceſſaria ſunt, atque emeritis Profeſſoribus obuia, habebunt & doctiores, quibus non tædio afficiantur, ſed nouarum rerum pabulo animum nutriant; varietate recreent, ſoliditate ſtabiliant. Equidem plus fortè in ipſa operis excurſione inveniet Lector, quàm ſimplex titulus præſe fert: videbit enim me ibi non purum compilatorem agere, ſed vbi res poſtulauerit, nouas eaſque grauiſſimas ſpeculationes ſubnectere, examinare, deducere; è meique tenuis licet ingenij pœna merces adhuc inviſas depromere, quibus totam fere Naturam expendo, atque arcanorum eius conuenientiſſimam rationem afferre, vt probum decet Philoſophum nitor. Quod ideò vt lectoribus morem gererem, placuit peculiarem ſillabum centum plus quæſtionum, quæ in hoc opere non perfunctoriè

examinantur, attexere, atque ipſi præfigere, quò quivis quidquid non ita vulgare, non ita obuium quæritate præſto ſit inuenire; ſicque doctiores haberet, quæ non multo labore, atque vnico ictu oculi in multis poſſent ingenij auiditatem explere. Alia verò non vulgaria, quæ incidenter quidem non tamen minus obſeruatione digna ſparſim in opere dicta ſunt, huius ſigni ad margine appinxionem indigitauimus.

Cæterum quæ hic puriora, atque innocentiora præcepta ex Aſtrologicis allegauero, ea non niſi ex Ptolemæo, aut ab Eccleſia probatis ſcriptoribus ſumpti, vt in operis excurſione prudens lector videre poterit. Quod ſi quid adhuc ex Pontano, aut Firmio nimis audenter, præſertim de ſtellis fixis, dictum inuenerit, id vel vbi opus fuerit explico moderor, caſtigo aut Philoſophicis rationibus comprobo; aut ſanè ad purum ornatum appono: cum aliàs hi auctores magni nominis ſint non tam doctrinæ veritate quam ſtili elegantia, vnde & eorum opera ab Eccleſia permiſſa ſunt in Pontano quidem ob poëtis excellentiam, quæ cum primoribus poëſis pugnat; in Firmicò autem ob Sermonis amænitatem: quod ideo ab Latinæ linguæ Profeſſoribus præſertim Ambroſio

Calepino ex eo ſæpiſſime teſtimonia deſumuntur. Quæ verò à me minus cautè, minus fundatè in hoc opere dicta ſunt non modò S. R. E. cenſuræ ſed & tuæ humaniſſime lector caſtigationi lubens ſubiicio.

Digitized by Google

*Cenſura Patrum Reuiſorum.*

ADMODVM REVERENDE PATER.

LExicon Mathematicum à Patre D. Hieronymo Vitali noſtrę Congregationis Theologo elaboratum, de mandato Admodum R.P veſtrę perlegimus; nihilque in eo datum eſt offendere, quod Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur. Perutile profectò opus, & quod vel terminorum elucidando proprietates, vel identidem varias exoticaſque dirimendo quæſtiones, vberem Mathemathicarum ſcientiarum ſtudioſis offerat ſegetem. Typis proinde dignum exiſtimavimus Neapoli prid. Kal. Auguſti 1663.

D. ANTONIVS CARAFA Cler. Reg. S. Theol. Prof. electus Epiſcopus Vgentinus.

D. CAROLVS PIGNATELLVS Cler. Reg. Sac. Theol. Profeſſ.

*Approbatio. D. Angelus Piſtachius Prepoſitus Generalis Clericorum Regularium.*

HOc opus inſcriptum, *Lexicon Mathematicum*, à P. D. Hieronymo Vi-

Digitized by Google

tali noſtræ Congregationis Theologo compoſitum, & iuxta præfixam aſſertionem P.P. Theologorum, quibus id commiſimus, approbatum, vt Typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem pręſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro ſigillo firmauimus. Romę Kalendis Februarij 1664.

D. ANGELVS PISTACHIVS Prępoſitus Generalis Cleric. Regul.

Locus † ſigilli.

D. CAROLVS LOBELLVS C. R. Secret.

---

OPvs attitulatum de vulnerum, aliorumque morborum curatione magnetica quæſtiones tres Auctore Admod. Reu. Patre Hieronimo Vitali Clerico Regulari à me reuiſum, poteſt ad publicam vtilitatem typis mandari, cum nihil contineat contra Orthodoxam & Catholicam doctrinam & bonos mores. In quorum fidem has propria manu ſubſignaui in Conuentu S. Auguſtini de Padua Ordinis Prędicatorum tertio nonas Februarij 1659.

Ego F. CYPRIANVS PHILIPPINVS Ordin. Prędicatorum Sac. Theol. Magiſter & in vniuerſitate Patauina eiuſdem facultatis publicus Profeſſor.

# HIERONYMI VITALIS

## CLERICI REGVLARIS

# LEXICON MATHEMATICVM

## ALPHABETICO ORDINE digeſtum, & compilatum.

### A

A, FIGVRA celebris eſt, ac familiaris omnibus Ma- 1.
thematicis:non quidem quà prima litterarũ nota,
atque Alphabeti vtriuſque tam Græci, quàm Lati-
ni maximum, primumque in ordine Elementum;
ſed quà Matheſis janua, præcipuumque Mechani-
corum omnium, quæ à Matheſi prodeunt, inſtrumẽtum: in quo
velut in compendio, omnia ferè Geometrica Elementa, omnis
Triangulorum proportio, omnis quantitatis menſura, omnis
Sinuum, Secantium, & Tangentium praxis, & omnia denique
*inſtrumenta* ad Matheſin quouis modo ſpectantia reſtricta
*ſunt*. Quadram vulgus Italorum vocat: Latini Normam, ſeu
*Amuſſim*, conſtantem duabus regulis planis in rectum angu-
*lum* coëuntibus, atque aliâ in media diſtantia vtrique tranſuer-
*sâ*, quæ eas inuicem nectat, ac Triangulum æquilaterum cum
*illis* conſtituat, efformetque. Hanc Suem humi roſtro deli- 2.
neaſſe non ſine cœleſti conſilio ſcribit Cicero *lib. 1. de Diui-
natione*: Hanc è Phœnice in Græciam à Cadmo allatam teſta-
tur Plinius *lib. 7. c. p. 56.* de rerum inuentoribus agens. Egre-
gium ſanè inuentum, ac propè dixerim ſ diuinum. Nec, quia
vulgare, & vel ipſis Cæmentarijs obuium, à ſublimiorum diſ-
ciplinarum Profeſſoribus aſpernandum; vt propterea eius lau-
des hic accenſere, munia explicare, noſtro inſtituto æſtime-
mus indignum. Etenim & in hoc inſtrumento, Circini non ob-
ſcuram ſpeciem, & in eo Regulam ſpectare eſt. Duo, inquam,

tentiſſima Geometrarum ſubſidia, quibus omnes ferè Mathematicæ operationes cõplentur, & circa quos veluti Polos, omnis doctrina recti & curui, plani & ſphærici, laterum ac angulorum voluitur, & verſatur. Summus apex denotat punctum omnis dimenſionis expers: latera, lineas. Si vno pede, præſertim acuminato in plana ſuperficie fixo, alter circumducatur, Circulus deſcribetur; cuius centrum referet ſimiliter punctum. Si eius figuram directè intuearis, Triangulũ æquilaterum, vt ſuprà innui, tibi in promptu erit: Si perpendiculum ad tranſuerſi quaſcumque partes figas, iam omnem Acutangulorum, Obtuſangulorum ſpeciem exhibebit. Si demum extrema latera arcu compleas, vel ſanè, vt in aliquibus fieri aſſolet, ea non rectus, ſed curuus connectat axis nonaginta gradibus interſtinctus, profectò Circuli quadraturam explicare poterit, & Quadrantis Geometrici ſubire vices; eius, inquam, inſtrumenti, quo regula proportionum traditur, ſidera ſpeculamur, horas diſtinguimus, diſtantias venamur, ac ferè omnes geometricas operationes perficimus, cuius laudes, atque officia
3. in loco, vbi de eo recurret ſermo proſequemur. Refert quidem pro miraculo Ariſtoteles *lib. 5. Mor. Eud.* apud Leſbum inuentum neſcio quod inſtrumentum è plumbo tàm benè compactum, vt ſi menſurandis ſolidis, duriſque lapidibus aptaretur, ſuam formam ad illorum formam redigeret; itaut modò triangulare, modò quadrangulare, modò etiam circulare, pro eorum ſe varietate præberet: Verùm ſi mollibus applicaretur, eadem repensâ vice in ſui ſimilitudinem efformabat; vt proinde non vnius regulæ ſolùm, ſed & quam plurium inſtrumentorum ſæpè onus ſubiret. At enim hæc & longè digniora miracula in noſtro inſtrumento videmus. Quæ qui per partes ediſcere, ac demirari volet, adeat Celeberrimi illius noſtri ſæculi Galilæi Circinum, eiuſque vſum non ab ſe, ſed à Balthaſſare Capra peculiari libello deſcriptum, vbi ſanè inueniet quidquid ſtudioſiſſimum harum diſciplinarum animum poſſit complere. Interim fauſto omine aggrediatur benignus Lector noſtri Operis excurſionem: cuius ſpecimen vel in ipſo eius veſtibulo exhibet fortuita nobis occurrens, A, figuræ conſideratio: quando ex vulgari, ac noto inſtrumento, quod oculis corporeis obiicit, totius Matheſis ſummam, atque ideam exhibet oculis mentis inſpiciendam; proindeque animum addit ad eius ſtudia feliciter capeſſenda.

## A B

4. Abacvli vocabantur olim, teſte Plinio *lib. 36. cap. 26.* Calculi numerales, quibus rudis Antiquitas Arithmeticæ adhuc ignara in ſupputationibus computationibuſque vtebatur: vnde

ortum crediderim vulgare nomen, *Abacum*, quo nos Itali Arithmeticas notas promiſcuè explicamus: eas inquam, quæ certo ordine ac methodo inter ſe diſpoſitæ, quemuis numerum vel innumerabilem comprehendunt. Vt mirum ſit totam Arithmeticam, hoc eſt ampliſſimam facultatem omnium Mathematicarnm potiſſimam, ſine qua nec vlla comparari poteſt, nec (pœnè dixerim) diu Orbis conſiſtere, in paruo, decem videlicet numeralium Elementorum ambitu contineri. Ea ſunt 1.2.3.4.5.6.7.8.9.0. Quæ ab vnitate vſque ad nouem progrediendo, ſingulorum numerorum per ordinem notæ ſunt & characteres: numerus autem denarius per o. cifram, talis *Zero* dictam exprimitur, non quidem ſe ſola, ſed alterius notæ additione quam in decuplum auget, totque denarios indicat, quot vnitates, numerus, ſeu nota illi præpoſita ſignificare habet: itaut ſi hæc fuerit 1. cùm fulcimento illius cifræ o. (ſe ſola nihil ſignificantis) exprimat decem, hoc eſt vnum denarium: ſi 2. eidem præponatur, indicet viginti, hoc eſt duos denarios: ſi tres, triginta, hoc eſt tres denarios, & ſic deinceps vſque ad nonaginta. Hinc præpoſitâ, & ſuperadditâ aliâ figurâ, explicatur numerus centenarius, eodem ordine progrediendo. Quòd ſi quarta nota addatur, ea erit numeri millenarij; ſi quinta, tot vnitates millenarij, hoc eſt tot millenorum numerum, quot ea nota quæ cæteris anteponitur, ſe ſola vnitates ſignificaret. Si ſexta, tot centenorũ millium index eſt: demum ſeptima, per eam habetur numerus millenorum millium: itaut ſemper nota ſuperaddita numerum poſteriorem pro ſui qualitate multiplicet ad caput ſemper reuertendo vſque in infinitum. Itaque (vt id compendio repetam) vltima nota (ſi alioqui eſt ſignificatiua) ſe ſola, ſeu aliis comitata, indicat numerum ſimplicium vnitatum: penultima denarij: antepenultima centenarij: quæ his omnibus anteponitur, tot indicat denarios millenarij: quæ adhuc ſuperadditur, centenos millenarios, & ſic deinceps proſequendo in infinitum, atque ad caput ſemper regrediendo. Ex hac numerorum connexione, proportione, colliſione, ac reſpondentia tot miracula exantlantur, vt meritò Libellus non ità pridem in lucem editus, quo per varios numerorum ordines arcana multa operari, perſcrutarique docemur, *Thaumaturgus Mathematicus* ſit appellatus. Eum videat curioſus lector, & non pigebit.

5. BALANTICA ſiue *Alantica*, Arabicè Armillam ſonat ſuſpenſiam in ſummitate Aſtrolabij, Planiſphærij, aut aliûs conſimilis inſtrumenti ſitam ad illud perpendiculariter ſtatuentem; quo ſiderum diſtantias, poſitûs, altitudines, aliaque multa exquiſitè contemplari poſſimus.

6. Aben Ras, vel *Ras Eltanin*, latinè *Caput Draconis*: dicitur apud Arabes ſtella fixa pellucida in Capite Draconis ſideris ad polum Arcticum, quod ipſum polum Zodiaci ambit & circumplectitur. Ipſa autem ſtella diſtat nunc à polo Arctico 15. ferè gr. eſtque tertiæ magnitudinis de natura mixta ex Ioue, Saturno, & Marte, Vide fuſius in Verbo *Draco*.

7. Abrachaleus Chaldaicè, ſeù, vt paſſim corrupto nomine circumfertur, *Garacles*: Caput Herculis, ſeù Pollucis alterius Geminorum, & ſubſequentis: ſtella videlicet rufa, & ſubflaua de natura Martis ſecundæ magnitudinis, inter Regias quidem computata, ſed tamen eſt etiam vna ex violentis De qua proinde nugantur Aſtrologi, quod ſi cum Luminari Conditionario reperta fuerit, altero in ſigno violento exiſtente, mortem portendat itidem violentam. Exiſtit nunc in gradu ferè 19. Cancri cum gr. 6. latitudinis borealis.

8. Abscissio lvminis, Arab. *Almanà*, eſt deterioratio Planetæ, quæ contingit quoties tres Planetæ fuerint intrà fines ſuorum Orbium, itaut medius ſit ponderoſus; alius leuior in pauciotibus gradibus ſigni eidem ponderoſo applicans, ac tertius, qui ſit in pluribus gradibus, defluatque à ponderoſo poſt partilem cum eo coniunctionem; verum antequam primus directè gradiens corpore iungatur ponderoſo illi, tertius interim factus retrogradus eidem denuò retrocedens iungatur: tunc iſte tertius dicetur lumen prioris abſcindere. Poteſt id etiam accidere alio modo: is eſt, cum ex tribus medius applicat ad coniunctionem poſterioris, ſed alius leuior, qui eſt in paucioribus partibus, curſu illum anteuenit, eoque relicto, prius corpore iungatur tertio, quam ſecundus id prius affectans. Quod ſæpiſſimè præſtat Luna omnium velociſſima. In eo igitur caſu dicetur abſciſſum lumen eius, qui prior alteri applicabat ab eo qui poſtremò eidem applicans, ociùs tamen ad illum pertingit.

9. Absis, ſeu *Apſis*, Græcè, Suida teſte, propriè ſignificat fornicis curuaturam. Hinc apud Aſtronomos transferri ſolet ad ſignificãdam tum ſummam, & ſuperiorem Circuli partem, in qua planeta exiſtens maximè à terra elongatur; tum infimam, in qua ſit terræ proximior, quam fieri poſſit. Et illud quidem punctum in quo maximè elongatur, dicitur *Apogæum*, ab Arabibus verò *Aux*: hoc autem Perigæum, & Oppoſitum Auſis in quo manens Planeta à Græcis appellatur *Hypaugus*, hoc eſt terræ vicinus. Porrò huiuſmodi puncta conſiderantur tàm in Eccentricis, quâm in Epicyclis: quæ quidem (licet lentiſſimo motu) cientur, & locum permutant in Zodiaco; ac ſinguli planetæ proprias Abſides habent in certis Zodiaci gradibus, vt

ſuo loco dicemus. Ex hac mutatione Abſidum, ac tranſitu de
vno in aliud ſignum, Aſtrologi Iudiciarij ſua ſolita vanitate ma- *
gnas in mundo mutationes fieri contendunt, Regnorumque
viciſſitudines deriuari. Quod & in magnis coniunctionibus,
atque in mutationibus obliquitatis Eccliptica, quippequæ non
niſi rarò eueniunt idipſum aſſerunt. Hinc Cardanus in Com- 10.
mentar. ad Centiloquium Ptolemæi *propoſ. 37.* hæc habet.
*Mutationes Abſidum regna, regiones, & religiones mutant.* Et
*lib. 5. Aphor. 129.* diſſerens de mutatione Auſis Solis, hæc au-
det tanquam ex Cathedra pronunciare. *Abſis*, inquit, *Solis ab
Ariete in Cancrum proficiſcens inhabitabilem reddit Auſtrinam par-
tem, Borealem autem habitabilem facit: à Cancro ad Libram benè
habitabilem Borealem, & Auſtrali dominantem: à Libra ad Ca-
pricornum Auſtrinam habitabilem, ſed Boreali parti minimè im-
perantem: à Capricorno ad Arietem, Auſtralem imperantem Bo-
reali deſolata efficit.* Hæc Cardanus. At quo tandem fundamento
id profert? Ratione forſitan ductus, vt bonus Philoſophus; an
verò experimento pluries repetito, vt Aſtrologus? Rationem
vllam non affert, ſed nec apparens elucet: Experimentum hac
in ſe nullum habere potuit: Nam vt benè aduertit Ricciolus in
Almageſto nouo, *lib. 7. ſect. 5. in Scholiis*, ab initio Mundi
Apogæum Solis vix primum quadrantem confecit, cum nunc
temporis ſit in primis partibus Cancri, atque adeò in initio ſe-
cundi quadrantis, nec tertium, nec quartum vnquam confecit,
nec forte vnquam conficiet, cum ſimus iam in Mundi ſenecta.
Quomodò igitur ſcire potuit Cardanus quæ poſteris ſæculis
futura ſunt, & fortaſſe non erunt? Benè quidem ex hac muta- * 11.
tione Abſidum coniectari poterit habitabilitas regionum ra-
tione Climatum, qua ex acceſſu Solis ad Apogæum, vel Peri-
gæum variari debeant, ac proinde alicubi habitatio euadat
moderatior, aut immoderatior, idque ratione maioris pro-
pinquitatis, & radiorum vel rectiorum, vel obliquiorum
traiectione. Sic Sole nunc Apogæo in Cancro, & Perigæo in
Capricorno, quia in æſtate remotior, atque in hyeme proxi-
mior fit telluri in noſtris Borealibus regionibus, ideò modera-
tior eſt, ac magis magiſque fit in æſtate calor, & frigus in
hyeme, quam ſi foret Apogæus in Capricorno & Perigæus in
Cancro, vt ſane ex hiſtorijs, & collatione priſcorum tempo-
rum cum noſtris præſentibus liquet. Econtra in regionibus
trans Æquatorem, ac maximè Auſtralioribus, quia in æſtate
Sol Perigæus in Capricorno terræ fit proximus, eamque di-
rectioribus radijs verberat; atque in hyeme conſtitutus in
Apogæo in Cancro ab ea maximè elongatur, & inſuper obli-
quis valdè radiis illuſtrat, ideò immoderatior ſemper fit vtra-

que anni tempeſtas, quoaduſque Apogæo Solis ad Libram perueniente, par ſit earum regionum cum noſtris conditio. Cæterum hæc obiter dicta ſint, ex occaſione incidentis de Abſidum mutatione ſermonis. De earum motus proportione, ac legibus vide apud citatum Ricciol. *lib. 3 cap. 24. & 25.*

12. ABTERRANEI dicuntur venti quidam impetuoſi altè è terra ſpirantes (vnde & Altani audiunt) & in Mare progredientes illud ſubitis motibus quatiendo, ac terribiles tempeſtares ciendo. Vocantur autem græcè Apogæi quaſi è terra ſpirantes. De his multa Plinius *lib. 2. cap. 43.*

## AC

13. ACARNAR, ſiue *Acharnahàr*, aut *Acharnàharim*, Arab. dicitur extrema fluuij, fixa primæ magnitudinis de natura Iouis, & Veneris in extremitate Eridani poſita atque in lõgitudine ſub gr. 21. Arietis cum latit. auſtrali gr. fere 60. Hæc in Horoſcopo inuenta magnam fortunam pollicetur, vt author eſt Ptolemeus; idque præſertim ſi Iouis, aut Veneris benigno radio fulciatur. Eadem in Tabulis Perſicis vocatur *Aulax*, ideſt *ſaluus*.

14. ACENTACER in ſphæra barbarica dicitur tertius Decanus Arietis, cuius diſpoſitio ſpectat ad Venerem; proindeque habet iudicium ſoletiæ, manſuetudinis, ludorum, munditiarum, iocorum, &c.

15. ACTINOBOLIVM vocat ſæpiſſimè Ptolemeus motum directionis rectum, quo ſcilicet dirigatur ſignificator in cõſequentia ſigna: ſicut econtra *Horinaum* appellat motum directionis conuerſum, qui fiat in præcedentia loca: ea inquam, quæ ſucceſſiuè acquirantur per motum diurnum, cuiuſmodi eſt directio Aphætæ conſtituti inter decimam domum, & ſeptimam, ad cardinem Occidentis. Qua de re plura vide in V. *Directio*.

16. ACHRONICVS, ſeu *Achronichius*, idem ſonat Græcè ac Latinè temporalis: eoque nomine ſignificatur certus ortus, & occaſus ſiderum, ad differentiam ortus, & occaſus Coſmici, necnon Heliaci, de quibus in ſuis locis. Eſt autem propriè ortus & occaſus Achronicus, cùm ſtella, aut quodlibet cœli punctum veſpere, ſole ad occaſum vergente ſuprà horizontem ad orientem emergit; vel cum ipſo ſole infrà horizontem deſcendit. Verùm adhuc licet impropriè, achronicè oriri dicitur quælibet ſtella, quæ noctis tempore, ſole ſub inferiori hemiſpherio deliteſcente, ipſa interim quauis hora ſuprà horizontem aſcendit, ac noſtrum hemiſphærium luſtrat: ſicut & occidere achronicè ſemper, cum de nocte vergit ad occaſum, & infrà horiſontem deprimitur. Hinc ſequitur, ſemper ſignum illud in quo ſol reperitur, veſpere occidere achronicè, cum tamen manè non achronicè, ſed coſmicè oriatur. Econtrà ſi-

gnum oppoſitum ei in quo ſol reperitur, veſpere oriri achronicè, & manè coſmicè occidere. Plura exempla huius ortus, & occaſus ſtellarum exhibent nobis Poëtæ: qui volet, videat apud Iunctinum *in Commentarijs ad ſphæram Io. de Sacro-Boſco.*

ACTISAL, ſeu etiam *Alittiſal* arab. idem ſonat ac coniunctio, 17. ſeu potiùs applicatio ad coniunctionem: hoc eſt, cum planeta leuior exiſtens intra fines orbis, quantùm ſe extendit lux planetæ ponderoſi, pergit ad eius coniunctionem partilem, hoc eſt in minuto. Huius dictionis frequentem vſum inuenies in Quadripartito Ptolemæi, necnon in Centiloquio ex verſione Arabica Hali Rodoan.

ACONTIÆ grecè cometes ſunt, ſeù potiùs aëreæ impreſſiones 18. inſtar iaculi (vnde & nomen hauſerunt) quia *iaculi modo*, inquit Plinius *lib. 2. cap. 25. vibrantur ociſsimo ſignificatu.* Ex ijs quædam breuiores ſunt, inſtar mucronis, omnium pallidiſſimæ, & quodam fulgore gladij renitentes, verum ſine radijs quas Xyphias vocauere. Vide ſub hac dictione.

ACVTVS dicitur angulus apud Geometras, qui minor eſt recto, 19. magiſque acuminatus, qua de re vide in *V. Angulus.*

## AD

ADALOR Arabicè dicitur ventus ab occidente ſpirans, quem 20. nos Fauonium appellamus. Sumitur etiam à quibuſdam genericè pro quolibet vento occidentali, qui lateraliter ipſi cardinali Fauonio aduiuat.

ADIGEGE corrupto nomine, Arab. dicitur Cignus, Gallina, 21. Olor, ſidus videlicet in octaua ſphæra ad borealem plagam conſtans ſtellis 17. inter quas præcipua eſt quæ Vulgò dicitur Cauda Caigni, Arabice Deneb. Adigege, ſecundæ magnitudinis. Notat autem Kircherus in *Oedipo* ſe in emendatis codicibus reperiſſe ſcriptum *Eldegiegi. b.* Schiſcardus autem *Addigàgato.*

ADOF apud Ptolemæum in textu arabico idem ſonat, ac debi- 22. litas planetæ, cum videlicet fuerit in locis cadentibus, aut in suo caſu, vel detrimento: ſiue etiam quacumque fuerit debilitate affectus ex ijs quæ in proprijs locis connumerantur.

ADORINGEN, ſeu vt habetur in textu Alcabitij, *Adorogen*, 23. idem ſonat, ac dominus Decanorum: Diuidebant enim antiqui profeſſores Aſtronomiæ tam Arabes quàm Iudæi vnumquodque ſignum in tres partes æquales, dando ſingulis planetis partem, hoc eſt decem gradus illius ſigni, qui proinde dicebatur dominus illius Decani. Cuius rei inquiſitio ſic traditur ab eodem Alkabitio, & illuſtratur ab eius Commentatore Io. de Saxonia. Diuide, inquit Aſcendens in tres partes æquales, ita ut quælibet pars conſtet ex decem gradibus, & ſi quidem aſcendat prima pars, ſeu facies ſigni, erit Adoringen, ſeu

dominator Decani ipſe dominus ſigni : ſi verò aſcendat ſecunda facies ſigni, dominus Decani erit ſecundus dominus triplicitatis, hoc eſt dominus ſigni eiuſdem triplicitatis cum Aſcendente, quod per ſucceſſionem ſignorum conſequitur, eritque neceſſariò in quinta Domo, vel circà. Si demum aſcendat tertia facies ſigni; tunc pro domino Decani accipiendus eſt tertius dominus triplicitatis, quod neceſſario cadere debet eſt in nonam Domum. Sic pro exemplo : Aſcendant in alicuius Natiuitate, duo, tres, &c. vſque ad decem gradus Arietis. Eius Decanus eſt Mars, quia ipſe etiam eſt dominus eiuſdem ſigni: Si verò aſcendant vndecim gradus, aut alia quæuis pars ſecundæ faciei Arietis; tunc eius Decanus eſt Sol, quia ipſe eſt dominus ſigni Leonis, quod eſt ſecundum ſignum immediatè ſequens in ea triplicitate. At ſi aſcendat tertia facies Arietis; tunc dominus Decani erit Iupiter, qui eſt dominus tertij ſigni eiuſdem triplicitatis, nempè Sagittarij: Similiter, ſi aſcendat prima facies Tauri, dominus eius Decani erit Venus: ſi ſecunda, Mercurius dominus Virginis ſecundi ſigni, eiuſdem cum Tauro triplicitatis : ſi tertia, Saturnus dominus Capricorni tertij ſigni eiuſdem triplicitatis. Et hæc eſt doctrina Decanorum, quam ſolum ad ornatum, & operis complementum explicare volui, ne curioſo Lectori quid deſit; cum aliàs, res ſit euanida, ſuperſtitioſa, & mera Arabum nugamenta.

24. Adoncado idem eſt, ac ſeparatus à natura gubernante corpus. Vide Ptolem. *in cap. 14. lib. 3.* ex verſione Arabica, & eius Commentatorem Hali ſuper eum.

Æ

25. Ægipan hoc eſt *Hircus æquoris*, dicitur Perſis, Capricorni ſignum, ſeu ſidus, eoquod habeat figuram hirci-marini, ſeù potiùs, quia ſit æquori maximè infenſus, & procelloſus. Hinc etiam aliquibus dicitur pelagi procella, imbrifer, &c. Arabicè *Egedi* vel *Alcantarus*.

26. Æquoceros item Græcè dicitur Capricornus apud Hyginū. Qua de re vide expoſit. Hermann. Cæſaris in Arab. Phænom.

27. Æquator græcè *Iſimerinos* eſt Circulus maximus Sphæram æqualiter diuidens in duas partes, quarum vna ad polum Arcticum, altera ad Antarcticum vergit, ipſo interim in medio conſiſtente, & partes omnes æquante, vnde & nomen ſortitus eſt : à priſcis Aſtronomis dictus etiam *Cingulum Mundi*. Dicitur adhuc

28. Æquinoctialis, eoquod diem nocti æqualem faciat. Qui enim ipſum verticalem habent, ſemper quouis anni tēpore dies noctibus æquales experiuntur : & nos, Sole eundem circulum tenente, quod bis in anno ſit, cū primas Arietis, & Libræ partes

ingreditur, in quauis mundi plaga vniuerſale æquinoctium experimur. Dicitur etiam Circulus rectus, non quia rectè ſemper aſcendat, ſed quia rectè, & æqualiter ex eiſdem punctis Horizontis ad differentiam Zodiaci, qui vbiuis inæqualiter & obliquè ſemper aſcendit, vt propterea circulus obliquus & iſte antonomaſticè ſit appellatus.

Porro plura ſunt Æquatoris officia, quæ fusè nimis recenſet 29.
Iunctinus *in ſphæram Io. de Sacro-Boſco.* Nos breuiter ea hic epilogabimus. Primò igitur habet ſecare quemuis Meridianum, ad angulos rectos, & inſuper in Sphæra recta ipſum Horizontem, qui incidit in ipſos mundi polos. Secundò eſt menſura motus diurni, ſeù primi Mobilis, qui eſt communis cunctis ſideribus: atque adeò qualibet hora aſcendunt quindecim gradus Æquatoris, & Parallelorum ipſius. Tertiò eſt cauſa diuerſitatis dierum ac noctium artificialium, & vniformitatis integræ diei naturalis ex die ac nocte artificiali conflatæ. Quartò deſignat duo puncta cardinalia ortûs, & occaſus in Horizonte, vnde noſcuntur qualitates ventorum. Quintò eſt menſura, imò & ſubiectum Aſcenſionum, & Deſcenſionum. Sextò eſt menſura longitudinis Geographicæ, quæ tanta eſt, quanta pars, ſeu arcus Æquatoris interceptus inter Meridianum omnium primum conſtitutum in inſulis Canarijs, & Meridianum loci, cuius longitudinem quærimus. Septimò tandem concurrit cum Ecliptica ad reliquos anni dies determinandos, qui tam longi ſunt, quam plures, & plures Æquatoris gradus aſcendunt ſupra Horizontem eo tempore, quo ſol ab ortu ad occaſum fertur. Hæc & alia munia habet Æquator; quæ qui exactius volet, adeat Iunctinum citatum.

ÆQVICRVRIA *figura* apud Aſtronomos eſt conſtitutio luminarium cum Maleficis in cœleſti Themate tam dira, & infauſta, ut qui ſub ea in lucem edi comperiantur, enutriri non poſſint, sed mox extinguantur. Quippè cum in ea ambo luminaria, à quibus hominum vita pendet, vel ſanè alterutrum, quod ſit conditionatum, plurimum à Maleficis infeſtetur; inde fit, vt vitæ vſuram diù naro communicare non poſſint, ſed ob nimiam ſiccitatem humidum radicale protinùs abſumatur, extinguaturque calor naturalis; vnde editus natus tantam influxus ſæuitiem ſuſtinere non poſſit, ſicque demum vitam cum morte commutet. De hac re fusè agit Ptolemæus *lib. 3. Quadrip. cap. 9.* innumeraque affert experimenta Iunctinus. Eſt itur figura Æquicruria conſtitutio angulorum & luminarium cum Maleficarum altera, vel vtraque, ità vt exactè efforment triangulum æquilaterum, vt explicat ipſemet Ptolemæus. Quodcumque igitur luminare, vel alterum, vel vtrumque, 30.

vna, vel ambæ Maleficæ, & angulorum aliquis præſertim Aſcendens, aut medium cœli ità inter ſe diſponuntur, vt efficiant perfectùm Triangulum Orchogonium; tunc id quod naſcetur ſub tali conſtitutione cœli, aut mortuum ex vtero extrahetur, aut viuere deſinat (iuxtà naturæ curſum loquor) neceſſe eſt. Sed iam rem clariùs explicemus, atque omnem modum huius perniciosiſſimæ conſtitutionis declaremus. Omnium peſſima eſt, cum ambo luminaria ex angulis affliguntur à Maleficis, aut præſentia, aut oppoſitione, vel ſane altera, præſertim Mars, in medio cœli, altera in Occidentis cardine ſit conſtituta: ita tamen, vt coniunctio vel oppoſitio ſit ad vnguem tam in longum, quam in latum. Tunc equidem, cum ambæ Maleficæ concurrant, & ambo luminaria affligantur, fœtus vel mortuus, vel ſemiuiuus extrahetur. Secunda conſtitutio huic in malignitate proxima eſt, ſi alterum tantum luminare ſit in angulo, & Maleficus fuerit illi iunctus, aut oppoſitus, aut ſuprà, partiliter; aut ſi non partiliter, concurrant tamen ambo Malefici ad affligendum dictum luminare conſtitutum in angulo, vel vnus eorum vtrumque luminare ex angulis infeſtet, tunc enim id quod naſcetur diù ali non poterit. Et hæ quidem numerantur à Ptolemæo ſpecies figuræ Æquicruriæ: in quibus profectò ſemper, poſito luminari in angulo, videre eſt Triangulum Æquilaterum, ſiue æqualium crurium, quorum vnum ſit à luminari poſſeſſum, alterum à Malefica illi diametraliter oppoſita, vel ambo per coniunctionem efficiant vnum angulum; reliquos duos cardines ſummi, & imi cœli, ſi ij reperiantur in Oriente, vel Occidente, aut duo puncta ortus, & occaſus, ſi luminare à Malefica infeſtatum fuerit in Meridiano
31. conſtitutum, vt conſideranti patet. Cæterum, quia Antiſcia, ſiue intuentia, ſiue imperantia, & obedientia æquiparantur coniunctioni, & oppoſitioni, vt aliàs dicetur; fortaſſe etiam hanc figuram Æquicruriam efformabunt luminaria à Maleficis per Antiſcium infeſtata, etiamſi in angulo minimè reperiantur. Nam vt benè aduertit Iunctinus *in Commentar. ad hoc Ptolemai caput*, per æquam diſtātiam à punctis Tropicis, vel Æquinoctialibus, formatur perfectum Trigonum Æquilaterum. Si enim, inquit, ponatur Sol in gr. 12. Geminorum, & Mars in 18. Cancri, Solis Antiſcium eſt in loco Martis, & econtra Antiſcium Martis eſt in loco Solis, quia æquè diſtant à Tropico: vnde arcus Arietis ad locum Solis æqualis eſt arcui à 18. gradu Cancri ad Libram: & arcus Æquatoris correſpondentes illis ſunt æquales: Deinde cum declinationes eclipticæ ſint æquales, figura illa erit æquicruria & ſic ſunt duo latera æqualia. Huc vſque Iunctinus, rem medullitus conſpicatus: & ideò

Timæos, Parallelos declinationis vocauit, qua notione melius explicatur hæc æquipotentia. Qui profectò eadem ratione parallelos in mundo adinuenit, qui ſunt æquidiſtantiæ duorum ſiderum à Meridiano, vt eſſet, ſi v. g. alterum eorum conſiſteret in cuſpide vndecimæ, alterum in octauæ: inde enim efformaretur perfectum Triangulum ex punctis in quibus ipſa conſiſtunt, & angulo medij cœli. Vnde etiam in hac conſtitutione luminaris cum Malefica natus fortè non ſuperuiuet, (vt ego ſæpiùs obſeruaui) quia Maleficus luminare affligit ab angulo, atque in figura æquicruria, ac perinde eſt, ac ſi foret illi partiliter iunctus, aut oppoſitus ex diametro, vt conſideranti patet. Verum id benè intelliget Lector, cum probè nouerit naturam, atque efficaciam horum parallelorum, quam nos fusè in loco explicabimus.

ÆQVIDIVM, & *Æquidiale* dicebatur ab antiquis id ipſum quod nos dicimus Æquinoctium, & Æquinoctiale: forſan potiori iure, eoquod nox diei potiùs ſubſternitur, ac famulari debet, quam dies nocti (vt obſeruat etiam Auguſt. in Pſal. 70.) eò quòd Gen. 1. dicatur: Factum eſt veſpere & manè dies vnus. Sed enim cedat nunc Antiquitas poſteritati; quæque olim omnium magiſtra ſingulis quibuſque rebus conuenientia indidit nomina, iam modo ſe recentioribus conformare, atque eorum placitis morem gerere neceſſe eſt. Igitur 32.

ÆQVINOCTIVM dicitur tempus illud, quo ſol initio Veris, & Autumni prima puncta Arietis, & Libræ tangens toto terrarum orbe dies noctibus æquales facit: tunc enim exquiſitè eſt in medio Sphæræ in ipſo circulo Æquatoris, non magis ad Boream, quam ad Auſtrum declinans: quî fit, vt motu ſuo diurno non magis ſuprà quam infrà horizontem degat, moreturque, cum Æquator æqualiter ſemper procedat, ſitque pars eius media, hoc eſt gr. 180. ſemper ſupra Horizontem, altera infra conſiſtat, opus eſt Hinc circulus ille, vt ſuprà notauimus ab æqualitate quam facit dierum ac noctium, Æquinoctialis etiam dictus fuit. Porrò Æquinoctium ſemper, & vbique fieri Sole in Æquatore exiſtente, nulli dubium eſt: At verò ſemper id fieri ſole attingente initia Arietis, & Libræ non ſatis conſtat, ob motum irregularem octauæ ſphæræ. Qua in re colligenda maximè inſudarunt præclariſſimi Aſtronomi Georgius Peurbachius, Ioannes Regiomontanus, Nicolaus Copernicus, ac Tycho Brahe, qui in cæleſtium motuum obſeruatione quinquaginta amplius annos conſumpſit, ac tandem comperuit, non ſemper, cum Sol fuerit in principio Arietis, & Libræ accidere æquinoctia, ſicut nec etiam cùm fuerit in initijs Cancri, & Capricorni, ſolſtitia; ſed aliquando ante, aliquando poſt, ali- 33. 34.

quando etiam, ſed rariſſimè, in eiſdem punctis, eoquod ob deuiationem Eclipticæ octauæ ſphæræ ab Eclipríca primi Mobilis, non ſemper Ecliptica octauæ ſphæræ rangit Æquinoctialem primi Mobilis, in principijs Arietis & Libræ, ſed aliquando ante, aliquando poſt. Si quis autem viam obſeruandi momentum Æquinoctij ſcire deſideret, videat apud Blancanum pag. 103. & erit voti compos. Cæterum in Æquinoctijs, pituita in hominibus creſcere ſolet vſque ad Virgiliarum exortum in Vere, aut earundem occaſum in Autumno. Eoque potiſſimum tempore ſuccoſa, acriaque aſſumi debent, & corpus exerceri.

35. Æqvilatervm dicitur corpus, aut figura geometrica Triangularis, Quadrangularis, &c. quæ æqualia habeat latera: Vnde & anguli quos efformant æquales quoque eſſe conuenit: vt *ex quinta propoſitione lib. 1. Elementorum* Euclidis manifeſtè colligitur.

36. Aer propriè dicitur tota illa regio quæ eſt inter ſphærã ignis, & terram: Elementum quidem craſſius igne, ſed longè inferioribus leuius; cuius deſcriptionem pulchre tradit Seneca *in quæſtionibus naturalibus lib. 2. cap. 4. Qui cælum*, inquit, *terramque connectit, ima, & ſumma ſic ſeparat, vt tamen iungat; ſeparat, quia medius interuenit; iungit, quia vtrique per hoc conſenſus eſt. Suprà ſe dat quidquid accepit a terris; rurſus v.m ſiderum in terrena transfundit.* In tres diuiditur regiones ab Ariſt. *1.*
37. *Meteor. text. 4.* & reliquis Philoſophis, ſupremam, mediam, & infimam. Hæc eſt quam nos reſpiramus, & extenditur vſque ad eam partem, quæ ex reflexione ſolarium radiorum non amplius incaleſcit, & in ea generantur ros, pruina, rrabes, &c. Media, vbi Meteora omnia efformantur, vt imbres, niues grandines, &c. & frigidiſſima eſt, vt ſæpiùs teſtatur Ariſtoteles præſertim *2. Meteor. textu 9.* cuius rei ratio eſt antiperiſtaſis, eo quod vndique calore obſideatur; tum quia cum illuc vapores peruenerint reducuntur ad priſtinam frigiditatem, adeoque aërem circumfuſum infrigidant: tum denique quia ibi nec reflexio ſolarium radiorum, vt inferiora, nec feruor ignis
38. elementaris pertingit. Dicitur hæc regio ab aliquibus obſcura, ac tenebroſa, non quia fortè ſit talis, ſed quia à dæmonibus inhabitetur, qui ſæpiſſimè inibi coruſcationes, imbres, & tonitrua faciunt, de quibus ait Apoſtolus. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, & poteſtates, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, mundi rectores tenebrarum harum.* Cur autem huic aëris regioni deſtinari fuerint huiuſmodi Angeli reprobi, explicat Auguſtinus his verbis. *Nunquam Deus quos præſciebat futuros malos feciſſet, niſi pariter*

*neſſet quibus vſibus eos accommodaret. Aer enim caliginoſus propter caliginem conuenit tenebroſitati culpa, ſed propter nobilitatem & ſubtilitatem, conuenit velocitati Angelicæ.* Tertia demum regio, & ſuprema calidiſſima eſt ob ignis vicinitatem atque exhalationes calidas è terra illuc attractas, atque ab igne, vel certe à ſolaribus radiis accenſas: quæ etiam ab aliquibus vocatur Æther.

Credibile eſt aërem motu vniuerſitatis moueri raptū à primo Mobili, præſertim ſub zona torrida, licet non tanta velocitate, vt ſuperiores ſphæræ vt multis probat Io. Baptiſta Porta *de aëris transmut.* & colligitur præcipuè ex motu cometarum inibi conſiſtentium. Cæterum aëris figura rotunda eſt, quemadmodum reliquorum elementorum; quod vel inde patet, quia cum natura ſua ſit tenuis, & fluidus, facile ſe diſpoſitioni elementorum ſibi contiguorum accommodat, vnde cum terra, & aqua ſit rotunda, eius extima ſuperficies concaua eſt: ſuperna verò quæ infrà concauum ignis, aut Lunæ clauditur, conuexa. 39.

Ex eo quod eſt omninò purus, & diaphanus, ſequitur ipſum non eſſe lucis capacem, ſed eam totam in nos trāſfundere: licet qua parte terris vicinior eſt ex craſſitate humorum, qui è terra proſiliunt aliquantulum lucis accipiat à ſolaribus radijs ex inferiori hæmiſphærio ibi reflexis. Hinc lux illa crepera & ſubobſcura manè ante ſolis ortum, & veſpere poſt illius occaſum, quam nos crepuſculinam vocamus, qua de re vide Blazanum *in ſphæra mundi cap. 4. & 5.* 40.

AEREA SIGNA dicūtur quæ à qualitatibus aëris quibus pollent denominantur, nempe calore & humiditate, conſtituuntque Trigonum aëreum ex Geminis, Libra, & Aquario. Et quia ſigna maſculina ſunt, in iiſque potiſſimas dignitates obtinent Mercurius, & Saturnus, ideo excluſo Marte ij conſtituti ſunt huius Trigoni moderatores: ac Saturnus quidem de die propter ſuam conſtitutionem, Mercurius verò de nocte. Quæ autem regiones & ciuitates ſubſint huic Trigono aëreo, vide in Ptolem. *lib. 2. cap. 2.* 41.

ÆROBO Caldaice dicitur ſignum Scorpij octauum ab Ariete, teſte Kirchero in Oedipo Ægyptiaco. 42.

ÆSCVLAPIVS. Vide *Ophiucus* apud Hebræos autem *Akrāb.* 43.

ÆSTAS ea olim anni pars dicebatur, quæ ab Æquinoctio verno vſque ab autumnale protēditur; ſicque ſex integros menſes, ſeu anni dimidium includebat: Nunc verò, anno in quatuor quadrantes diuiſo, accipitur pro ea parte in qua ſol à ſolſtitio æſtiuo, hoc eſt à primo puncto Cancri, in quo eſt in maxima altitudine, propiuſque accedit ad noſtrum verticem, pergit ad æquinoctium autumnale, ac primum gradum Libræ, trium menſium ſpatio. Hinc æſtatis nomen ad tempus maximè feruj- 44.

dum acceſſumque Solis ad noſtrum verticem ſignificandum translatum eſt. Vnde ijs qui ſub Æquatore degunt, quia bis in anno Sol accedit ad eorum verticem, in æquinoctijs nempe atque initijs Arietis, & Libræ, ideo binas æſtates experiri contingit, binas etiam hyemes, ſeu potius calores remiſſiores in eiuſdem receſſu ad puncta ſolſtitialia. Quod & Plinius tradidit *lib. 6. cap. 17.* & nos alibi obſeruauimus. Cæterum Æſtatis conditiones, ac vices, vide apud Plinium eumdem *lib. 2. cap. 38.*

45. ÆTHER propriè audit apud Græcos ſphæra ignis. Ariſtoteles verò in libris de Mundo hoc nomine intellexit cœli ſiderumque ſubſtantiam. Vnde hodie Philoſophi Aſtronomique omnes, Ætherem pro omni eo quod ſupra aërem elementaremque regionem conſiſtit, accipiunt: proindeque vniuerſum mundum in elementarem & æthereum diſpeſcunt; atque in elementari collocant elementa ipſa, terram, aquam aërem, & ſphæram ignis (ſi ea detur) in ætherea verò corpora cæleſtia, ſiue ea vnum cœlum ſint ſiue plures, ſidera, planetas, aliaque phænomena, quæ de nouo in cœlo generantur. Qua de re vide Argolum in *Aſtronomicis lib. 1. cap. 4. & cap. 17.*

AF

46. AFETA Heleg. Vitæ dator. Vide *Apheta.*

47. AFLALEN Græcè pes, alter Geminorum Latine dicitur Stella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Martis, & Mercurij in capite Geminorum præcedentis conſiſtens: Arabicè *Auellar*. Vnde neſcio qua ratione pes latinè interpretetur ab Hali in Commentar. ad Quadrip. Ptolemæi, cum alias extremus pes de natura Mercurij, & quartæ magnitudinis proprio nomine *Propus* appelletur, vt videre eſt apud Iunctinum in Catalogo ſtellarum fixarum, qui eſt in fine Commentarij ejuſdem in Sphæram Io. de Sacro-Boſco.

48. AFRICVS ventus occidentalis lateralis Fauonio ſpirans immediatè à brumali occaſu, oppoſitus directè Cæciæ, ſic dictus, ab Africa, vnde exſufflat. Dicitur etiam Lybicus à Lybia. Natura ſua frigidus eſt, & humidus, pluuioſus, & tempeſtatis index: de quo ſic cecinit Manilius.

*Africus eſt nimbis creber, creberque procellis.*

Flatu ſuo fœminas concipere facit, vt author eſt Plinius *lib. 18. cap. 34.* Ex eo cognominati ſunt Meſafricus, & Ypafricus collaterales venti de quibus ſuo loco.

AG

49. AGATICHI Græcè, hoc eſt bona fortuna, appellatur quinta Domus ab Horoſcopo ſuccedens angulo imi cœli; eoquia ex ea ſumatur ſignificatio de voluptatibus, gaudijs, conuiuijs, liberis, &c. reſpicit de trino Aſcendens. Conſignificator eius eſt

ercurius, qui etiam inibi gaudet ſimiliter.
Agothodæmon ideſt *Bonus genius*, Græcè audit vndecima 50.
nus proximè ſuccedens culmini, ac modò memoratæ op-
ita. Ex ea ſumitur ſignificatio amicorum, felicitatis, rerum-
ſperatarum. Gaudet in ea Iupiter.
Agglvtinatio, ſeù contactus, teſte Valla, dicitur quando- 51.
apud Aſtronomos coniunctio, & conuenientia duarum vel
imum ſtellarum in eadem parte ſigniferi: ſed præſertim
ipitur agglutinatio pro agglomeratione plurium fixarum in
m, cuiuſmodi ſunt Nubeculæ duæ ad polum Antarcticum;
iades, nec non omnes ſtellæ obſcuræ, ac nebuloſæ, quæ
aliud ſunt, vt obſeruauit nouiſſimè Galilæus in ſuo *Nuntio*
*reo* quam congeries plurium ſtellarum in vnum conue-
ntium, quæ ob nimiam diſtantiam diſcerni ſingillatim non
lunt, ſed perinde, ac ſi vna eſſet ſe noſtris obtutibus ex-
ent.
Agitator idem quod Ericthonius, vel Auriga, ſidus ad Bo- 52.
lem plagam exiſtens in longitudine ſub ſigno Geminorum.
ntinet ſtellas quatuordecim ſecundum Ptolomæum, at Ke-
rus in eo ponit ſtellas 27. & Baierus 31. omnes ferè de natu-
Martis, ac Mercurij, inter quas vna eſt inſignior primæ
gnitudinis in ſiniſtro humero fulgens nomine Hircus. Duæ
n obſcuræ ſeù potiùs quartæ magnitudinis in vola manus
iſtræ, quæ hœdi vulgo audiunt, valdè procelloſæ, quippe-
æ pluuias in ortu ſuo generant, ventos excitant, & tem-
ſtates faciunt, ſicut & Hircus. De quo multa Plinius *lib. 18.*
*ap. 26.* vſque ad *29.* Ideoque inimicum Nautis canit Germa-
us. Alia eius ſignificata, vide in V. *Auriga.*

AH

Aharph Saturni dicitur in ſphæra barbarica tertius Deca- 53.
s Tauri cõpetens Saturno, vnde extrahuntur ſignificatio-
s ſeruitutis, miſeriæ, feritatis, neceſſitatis.

AI

Aichard. Arab. Latinè, redditus luminis, & eſt cum vnus 54.
plures planetæ tranſmittunt ſuum lumen vni tertio, qui ta-
n exiſtat valdè debilis, vt puta retrogradus, vel combuſtus:
ic enim ob imbecillitatem ſuam retinere non valens tranſ-
ſſum lumen, reddit ipſis planetis immittentibus, ſeu potiùs
illos recidit lumen, quod alteri tranſmittebant.
Aiz, ſeu vt alij ſcribunt *Alaiz*, eſt conformitas planetæ cum 55.
no, in ſexu, & conditione temporis vt quando maſculinus &
rnus, de die eſt in ſigno maſculino, & ſuprà terram, &
ontrà fœmininus, ſit in ſigno fœminino, & ſi nocturnus, de
cte ſit ſuprà terram. Alij rectius ſcribunt *Hayz*.

56. Alaazel *Azimech*, corrupto vocabulo apud Nubianos Aſtrologos vocatur ſpica Virginis, ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij, nunc temporis exiſtens in gr. 19. Libræ cum grad. 2. latitudinis Auſtralis. Eſtque ſtella regia beningniſſima, honores, diuitias adducens, atque ad pietatem naturali quadam propenſione inclinans, ſi in præcipuis figuræ locis reperiatur, aut cum beneficis ac luminaribus iuncta. Arabicè dicitur *Sombalet Lleadari*, vt teſtatur Kircherus in *ſuo Oedipo*.

57. Alacaf ſeù *Alazaph* Arabice dicitur ſtella fixa ſecundæ magnitudinis in ala ſeptentrionali Virginis conſiſtens de natura Saturni, & Mercurij. Noſtris *Vindemiator*, quia Vindemiæ tempore oritur.

58. Alacha idem quod Nubiloſus. Ptolemæus in Quadripartito ex verſione Arabica Hali.

59. Alacanthabvt Arabice dicitur Rete Aſtrolabij, Sphæram cum ſuis circulis, ac ſtellis fixis inſignioribus in plano repræſentans.

60. Alagobal audit Sol apud Salmaſium in lib. de annis Climactericis.

61. Alahore Arab. Latinè Fidicula, ſicut etiam *Albegala* dè qua mox infrà.

62. Alaim Arab. idem quod Hayr.

63. Alaliceh Arab. ſtella in extremo caudæ Vrſæ maioris. Vide in *V. Bennenax*.

64. Alamac Arab. pes dexter Andromedæ.

65. Alanga Arab. Latine ſagitta, ſidus.

66. Alangvi idem quod ſerpentarius. Vide *Ophiucus*.

67. Alanthica. Vide in *V. Abalantica*.

68. Alaraph, vel *Alcalf* Arabice etiam dicitur ſpicitur ſpica Virg. *Alaſaph*, Vide in *V. Alacaf*.

69. Alascha Arab. vocatur aculeus ſcorpij, quaſi *morſus ſcorpionis*.

70. Alacha Arab. idem quod Nubes. Eo nomine appellantur apud Ptolem. in textu arabico omnes ſtellæ nebuloſæ.

71. Alatrab, vt teſtatur Baier, dicitur arab. Cor ſcorpij: Verum Kircherus in Oedipo legit *Aacrab* vel cum articulo *Elaakrab*.

72. Alayoth, ſeu *Alioth* Arab. ſtella fixa primæ magnitudinis in Auriga de natura Martis, & Mercurij, Latine Capella.

73. Albahvrim dicitur Arabice figura ſexdecim laterum peragrationis Lunæ ab initio morbi vſque ad finem, quã obſeruare debent Medici ad eius mutationes ſiue in bonum ſiue in malum auſpicandum. Hoc verbo vtitur Ptolemæus ſiue quicumque tandem

tandem ſit author Centiloquij in V. 60. ſecundum verſionem Hali, ſic inquiens : *Super ægrotis criticos dies inſpice ac Lunæ peragrationem in angulis Albahurim. Vbi enim eos angulos bene affectos inueneris, bene erit languenti* : *contrà malè, ſi afflictos inueneris.* Cuius autem ponderis ſit hæc figura, & quomodò inſtituenda ſit, dicemus in V. *Figura ſexdecim laterum*

Albegala ſiue etiam *Alahore* dicitur Arabicè ſidus, quod nos vulgò *Vulturem cadentem* ſeù Lyram vocamus à decem ſtellis quibus tanquam fidibus conſtat. 74.

Albemeniæ item in Centiloquio *Arab. in V. 36* audiunt ſtellæ fixæ de natura Iouis, & Veneris, quas, vt aduertit Hali, vult author præfici in aſcendente Vrbis condendæ. 75.

Albetatran Arab. Græcè *Anepatros* dicitur Genitura trium maſculorum, in quam conueniant Saturnus, Iupiter, & Mars. 76.

Albireo Arabicè dicitur ſtella fixa, conſiſtens in roſtro Cygni. 77.

Alboaran, dicitur item in textu Arab. Centiloquij in V. 62. ex verſione Hali, Dominator Anguli figuræ, vnde docet author, ſumendam eſſe iudicium de mutatione äeris in illo menſe : *Erit enim*, inquit, *iuxtà dominatorem anguli figuræ cuiuſque facta etiam conſideratione de præſentis temporis qualitate.* 78.

Albvzic, ſiue (vt habet Io. de Saxonia in Commentar. Alkabitij) *Albutem.* Eſt ratio quædam dominij Planetarum ſuper ſingulas duodenas horas à Luminarium coitione ad nouam ſynodum, quam maximè ſeruabant Indi, neſcio ſuperſtitiosè ne magis, an fatuè. Dicam tamen, vt innoteſcat eorum deliramentum, & dignis cachinnis excipiatur. Itaque Indorum vanitas numerabat duodecim horas immediatè ſequentes coniunctionem Solis cum Luna, quas & Soli tribuebant : inde, diuiſis illis in tres partes, diiudicabant ſecundum qualitatem Domini triplicitatis loci Solis. Poſtea dabant item Veneri duodecim horas ſequentes diuidendo ſimiliter eas in tres partes, quarum primam diiudicabant ſecundum naturam primi Domini triplicitatis loci Veneris hora coniunctionis : ſecundam, ſecundum iudicium ſecundi Domini triplicitatis : tertiam, ſecundum tertium. Idipſum de Mercurio faciebant ; ac de reliquis Planetis, donec reuerteretur orbis ad Solem poſt octoginta quatuor horas, eodem modo proſequendo vſque ad nouam ſynodum. Addebant autem (quod magis, ac magis ridendum) primas duodecim horas à Luminarium coniunctione eſſe infortunatas, in quibus non liceret, nec bonum eſſet aggredi vllum opus, adeoque eas vocabant combuſtas : & poſt has aliæ horæ ſequebantur ſeptuaginta duæ fortunatæ 79.

omnes, & incombuſtæ, in quibus vtilis foret inceptio cuiuſcumque operis: inde iterum ſequebantur aliæ duodecim horæ infortunatæ, combuſtæ; & poſt has aliæ 72. incombuſtæ ac bonæ vſque ad coniunctionem ſequentem. Ratio autem diuiſionis eſt, quod omnes horæ duodecim, quæ dantur ſoli ſecundum ordinem planetarum ſunt combuſtæ, & infortunatæ, quæ verò reliquis planetis aſcendentes ad ſummam 72. horarum ſunt bonæ, & incombuſtæ. Et hoc eſt arcanum inanitatis quod includitur ſub hoc Verbo *Albuzic*, ſiuè *Albutem*. Qui plura volet videat Alkabitium.

80. Alcantarvs promiſcuè ac *Alſedi* apud Arabes dicitur Capricorni ſidus; de quo vide in V. Capricornus.

81. Alcalfe, vel *Alatraph*, & *Almuredin* apud Nubianos dicitur Spica Virginis.

82. Alchatis Arabicè, Græcè *Iencos* apud Ptolem. in Quadring. lib. 3. c. 3. ex verſione Arabica audit Genitura trium fœminarum in vno partu, in quam conueniant Venus, Luna & Mercurius?

83. Alchinib dicitur dextrum latus planetæ.

84. Alchetib Arab. idem ſonat, ac virtus, & fortitudo planetæ.

85. Alchia Dapha. Vide in V. *Alkia*.

86. Alchinira Arab. eſt idem quod *Haye*: hoc eſt, quod Planeta maſculinus, & diurnus, de die ſit ſuprà terram, & in ſigno maſculino, ac diurno: de nocte verò ſub terra. Similiter, quod Planeta fœmininus, & nocturnus de nocte ſit ſupra terram, de die ſub terra, atque in ſigno fœmino, & nocturno.

87. Alchitot Arab. Latinè *Clauus*, ſeù vectis teres in medio Aſtrolabij nectens rete, ac tabulas intra matrem medio alio clauunculo omnia in vnum premente, qui ob formam equi, quam vt plurimum præ ſe fert, Latinè Caballus dicitur, Arabicè verò *Alpharatz* Stoflerin.

88. Alcobol. Arab. Latinè idem ſonat, ac receptio: fitque cùm Planeta ponderoſus, ac tardi motus recipit intrà ſuum orbem alium leuem ad ſe aduentantem, vt cum eo corpore iungatur.

89. Alcocoden ſiue *Alcochoden* Arab. dicitur planeta diſpoſitor loci hylegij, ad quem ſpectat in genituris vitæ prorogatio: itavt qui plures prærogatiuas obtinuerit in dicto loco, is gaudeat Alchocodea virtute, quæ in eo conſiſtit, vt pro ſui conſtitutione valida aut debili in cœleſti figura, definiri poſſit numerus annorum nati. Proindeque ſi fortis ſit in Angulo, in ſuis dignitatibus, non retrogradus, non combuſtus, is addat ad vitam nati (quam in genere ſignificat vitæ dator)

ſuos annos maiores: ſi mediocriter fortis, medios: ac tandem, ſi debilis minores; aut ſanè, ſi nimium debilis, & afflictus, pro annis det menſes, aut dies. Ad quamrem circumfertur quædam tabella, quam nos, quia gratis efficta m exiſtimamus, imò, ſi verum dicere liceat, totam hanc Alchocoden doctrinam, ideò miſſam facimus. Qui eius fuerit curioſus, alios conſulat.

Alcor Arab. dicitur ſtellula quædam minima quæ eſt pro- 90.
pe mediam è tribus quæ ſunt in cauda Vrſæ maioris ab Agricolis Equitator dicta: eſtque adeò exilis, vt non niſi ab acutiſſimis oculis diſcerni poſſit. Ex quo ortum vulgare illud Adagium apud Arabes de homine, qui maxima non videt ac negligit, & minutiſſima quæque perſpicit, aut perſpexiſſe ſe iactat. *Vidiſti Alcor, ſed non Lunam plenam.*

Alcyonii dies vocantur ſeptem, qui proximè præcedunt 91.
brumam, aut ſubſequuntur, qui maximè ſereni ſunt ac mitiores; vnde vulgò *Aeſtas ſancti Martini* indigitantur. Quod adeò verum eſt, vt eo tempore Alcyones aues, vt inquit Plinius paſſeribus paulò grandiores in maris littore ob ſecuritatem nidificare ſoleant, quod ſanè non auderent, niſi natura dictante pernoſcerent maximam tunc temporis inſtare aëris tranquillitatem; vt profectò ex eorum nidificatione his diebus ſit nomen inditum. Oritur autem hæc ſerenitas, vt habet Nyphus, eò quia, nimia ſolis abſentia vapores pluuiatiles ſurſum non eleuantur, atque adeò nec pluuiis nec ventis locum turbandi aërem dare queunt.

Aldebaran Latinè *Lampas*, ſeu *Oculus Tauri*, ſtella fixa 92.
primæ magnitudinis ad inſtar lampadis ardens in oculo auſtrali Tauri octauæ ſphæræ, tunc temporis exiſtens in grad. 4. Geminorum, cum latitudine meridiana gr. ferè 5. Vna eſt ex ijs quæ regiæ dicuntur: verum etiam eſt ex violentis, cum ſit de natura Martis, adeoque volunt Aſtrologi eam cum Luminaribus aut Maleficis præſertim in aſcendente violentam mortem minari. Dicitur etiam Romanis hæc ſtella Palilitium eoquod olim Romæ eo tempore oriebatur, quo feſta Palilia celebrabantur. Qua de re vide Plinium, *lib. 18. cap. 26.*

Alderaimin Arab. *Dexter humerus Caphei*: ſtella fixa ter- 93.
tiæ magnitudinis de natura Saturni, & Iouis, in gradu ferè 8. Arietis tunc temporis ſita cum maxima latitudine boreali; ideoque in noſtro hæmiſphærio nunquam occidens.

Aldhafera Arab. Latinè *Iuba Leonis*, ſtella fixa tertiæ 94.
magnitudinis de natura Saturni, & Mercurij; tunc temporis exiſtens in gradu fere 23. Leonis.

Alfantia Vide *Alphantia*. 95.

Alfazin Arab. idem ſonat, ac *fruſtratio*: eſtque cum pla- 96.

neta alteri applicans coniunctione, manenſque intrà ſphæram lucis illius, interim fit retrogradus, & ſine ſuo fruſtratur: eſt genus quoddam debilitatis, quod in maleficis ſemper in bonum cedit.

97. Alfecca ſiue *Alphetal* dicitur Arabicè Lucida in Corona Gnoſſia hoc eſt *apertio*, ea enim exoriente tellus aperitur, & flores germinat. In tabulis Perſicis dicitur *Piramis*, vel *Pinacis* hoc eſt pupilla, & fertum pupillæ. Eſt ſtella ſplendidiſſima ſecundi honoris de natura Veneris & Mercurij. De qua vide plura in V. *Corona Gnoſsia.*

98. Alfelta item ſtella fixa in Dracone ad polum arcticum de natura Veneris & Mercurij: alio nomine *Foca.*

99. Alfridarie, ſeu *Fridaria*, vel *Ferdaria* apud Arabes eſt quædam temporaria poteſtas, quam ſibi arrogant Planetæ ſuper vitam Nati, quæ à decenniorum diſpoſitione parum differre videtur. Quandoquidem quilibet Planeta habet quandam determinatam, ac definitam temporis periodum, ſuper quam diſponit; vtpote Sol in natiuitate diurna gubernat vitam nati cum aliorum planetarum participatione, ſpatio annorum decem, ſed ipſe primus ſibi vendicat ſeptimam partem ſuorum annorum, nempe annum vnum ſolarem, menſes quinque & dies circiter quatuor: Deinde intrant in eius dominij participationem cæteri planetæ per ordinem ſequentes, ſinguli per ſeptimam partem. Quod, quia vanum eſt, atque à bonis omnibus deridetur, lubens omitto.

100. Algebar fixa in ſiniſtro Orionis pede. Vide Rigel.

101. Algebra Arab. eſt certa regula de occulta numerorum parte, tam abſolutorum, quam reſpectiuorum cognoſcenda; qua de re erudite ſcripſerunt Clauius, & Nicolaus Tartalea

102. Algebvbatar Arab. Latinè *Diuiſor*, ſeu *Dominus terminorum*, in quibus incidit Directio, aut Profectio annua; apud Perſas *Zamoctar dictus*. Eſtque is cui competit dominium finium, intrà quos comprehenduntur certi quidam gradus ſingulorum ſignorum Zodiaci ſiue ad mentem Ptolemæi ſiue Ægyptiorum, quorum diuiſio magis probatur à Profeſſoribus, atque à Titis in ſua *Cæleſti Philoſophia* eorum ratio elucidatur. Eius inueſtigatio ex Arabum ſchola talis eſt: Aſcenſionibus obliquis Horoſcopi adjice annos fluentes, dando ſingulis annis gradum ferè vnum (eo modo quo explicabimus ſub V. *Directio*) & aggregatum, reiecto ſi opus fuerit integro circulo, repetiatur in tabulis primi mobilis ſub eleuatione poli tuæ regionis; nam gradus Zodiaci illi reſpondens erit terminus, in quem incidit Directio; & Planeta Dominus illius termini

erit Diuiſor, atque Algebubatar, ad quem ſpectabit definire qualitatem directionis.

Algedi Deneb. Cauda Capricorni, ſtella fixa tertiæ magnitudinis, de natura Saturni, & Iouis exiſtens in gr. ferè 17. Aquarij. 103.

Algenmee idem ſonat, ac *collectio luminis*, ſicut *Almane* idem quod *vetatio*. 104.

Algense, ſiue *Algenſis*, Caſtor, alter Geminorum. Vide *Apollo*. 105.

Algenibi Arab. fixa ſecundæ magnitudinis de natura Iouis & Saturni fulgens in dextro Perſei latere; tunc temporis exiſtens in gr. ferè 27. Tauri ad plagam borealem, ideoque in noſtro hæmiſphærio numquam occidens. 106.

Algeti, ſiuè *Algheti* Arab. vocatur *Hercules*, hoc eſt Geniculator alio nomine *Elathi* vel *Elzegiale*. 107.

Algol Ras, Gorgonis caput, ſeu Meduſæ, ſtella fixa violentiſſima ſecundæ magnitudinis de natura Saturni, & Iouis in conſtellatione Perſei ad plagam borealem poſita in gradu fere 22. Tauri. Hæc verticalis, aut cum Luminaribus conſtituta maximas adducit calamitates: ideoque aduertit Argolus *in Pandoſio ſpharico* Græciam elapſis annis, maximis cladibus, bellis, euerſionibuſque vexatam fuiſſe, eoquia Caput Meduſæ habuit verticalem, ob eandemque cauſam in poſterum Neapolitano Regno, ad cuius verticem paulatim accedit, eaſdem clades imminere præfatus eſt: quas vtinam hiſce diebus experti non fuiſſemus. Sed faxit Deus hic ſiſtant, & amplius non progrediantur. Huius ſtellæ malignitatem agnouit etiam D. Th. *in opuſc. 24. art. 4.* dicens eam maximè funeream eſſe: vt nos etiam alibi memorauimus. 108.

Algomeysa, Græci *Procyon*; Canis minor, ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Mercurij, & Martis, tunc temporis ſita in grad. ferè 21. Cancri cum latitud. auſtrali gr. 16. Alio nomine *Antecanis* dicta, eoquia ante Canem maiorem exoriatur. Quo tempore notat Hippocrates in Aphor. morbos eſſe difficilis curationis. 109.

Algorab Arabicè dicitur *ala dextra Corui*; fixa tertiæ magnitudinis de natura Veneris & Saturni. Vide ſub V. *Coruus*. 110.

Alhabor Arabicè audit *Canis Maior*, *Sirius*, fixa fulgentiſſima in ore canis exiſtens, primæ magnitudinis, imò omnium aſtrorum maximum, & vt aliqui volunt ipſum Solem magnitudine ſuperans. Stella eſt magni roboris, & potentiæ de natura Iouis & Martis, eos qui ſub hoc ardentiſſimo ſidere oriuntur numquam aqua interituros teſtatur Cicero *in lib. de fato*. 111.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Prætereà ipſo cum Sole exoriente, vt notat Plinius, tota Natura repatitur, canes aguntur in rabiem, fluctuant in dolijs vina, febres ardentes graſſantur, & maximos calores experimur, vt propterea ſolemne omnibus obſeruare ſit *dies* ab eo dictos *Caniculares*. Eſt nunc in gradu 9. Cancri cum latitudine auſtrali gr. ferè 40. Otitur tamen Romæ cum gr. 8. Leonis circa Kalendas Auguſti.

112. ALHABOR item vocatur teſte Stoflœtino, clauus Aſtrolabij, timpana, & rete in vnum intra Matrem nectens.

113. ALHAISETH, teſte Baiero vocatur ab Hermete ſpica Virginis, ſtella fixa, primæ magnitudinis: Arabicè *Azimech*.

114. ALHANTICA ſine *Alphantia* dicitur Arab. *armilla ſuſpenſoria Aſtrolabij*. Sicut &

115. ALHADIDA appellatur *Oſtenſor* ſeu, quam vulgo vocant *linea fiducia*, Græcis *Dioptra* in medio Aſtrolabij ſita, & ad limbum vſque protracta ad venandas ſtellarum altitudines, & cuiuſcunque loci aſcenſiones rectas, aut deſcenſiones.

116. ALHIRTO Arab. dicitur *roſtrum Gallinæ*, ſtella fixa tertiæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij, exiſtens in gr. 26. Capricotni cum maxima latitudine boreali. Non longè ab hac ſtella, anno 1600. apparuit aliud nouum Phænomenon, quod durauit vſque ad annum 1621. quo euanuit linquens tamen loco ſuo quendam hiatum, qui vt teſtatur Argolus, ad hæc vſque tempora cernitur.

117. ALIBD Arab. idem ſonat, ac Latinè *deterioratio*, & eſt cùm Planeta in cæleſti themate reperitur in domibus cadentibus, quales ſunt tertia, ſexta, nona, & duodecima, in quibus multum deteriotatur. Sicut econtrà

118. ALICHEL, hoc eſt, *profectus Planeta*, dicitur quando eſt in Angulo, vel ſuccedentibus, vbi mirum in modum proficit, & eius vis duplicatur. Qua de re vide quæ diximus ſuo loco.

119. ALICORAB, ſeu *Alichorad* idem eſt, ac Latinè *contrarietas*. Quod euenit, cùm aliquis Planeta leuis fuerit multorum graduum in ſigno, & alter illo ponderoſior in paucioribus: tertius quoque leuior vadens ad coniunctionem ponderoſi: ſed antequam corpore iungantur, ille, qui primus in pluribus gradibus exiſtens potius à ponderoſo videbatur parare diſceſſum, fit retrogradus, ac per ponderoſum tranſiens, poſt coniunctionem cum eo iungitur etiam tertio leuiori, & ſic deſtruitur coniunctio, quam ille, vt ita dicam, moliebatur cum pōderoſo.

120. ALICTISAL, ſeu *Ictiſal* Arab. idem ſonat, ac Latinè *applicatio*, & eſt cum planeta leuis exiſtens in coniunctione platica alterius ponderoſi, vadit ad eius coniunctionem partilem. Econtrà

ALINCIRAF idem eſt, ac *ſeparatio*: cum videlicet planeta 111.
leuis ſeparatur à coniunctione partili alterius ponderoſi; ſed
tamen adhuc eſt in platica, hoc eſt intrà quantitatem orbis
illius.

ALIOT, Latinè *equus*. Eo nomine appellant promiſcuè 112.
Arabes ſingulas trium ſtellarum quæ ſunt in cauda Vrſæ Ma-
ioris, eo quia præſeferunt quaſi tres equos ex ordine diſpoſitos
ad trahendum Plauſtrum.

ALKAIR, ſiue *Alkir*, *Aquila*, *Vultur volans*, ſtella fixa ſe- 113.
cundæ magnitudinis de natura Iouis, & Martis exiſtens in
gr. ferè 27. Capricorni cum gr 30. latitudinis borealis.

ALKIA DAFHA Latinè idem ſonat, ac *pulſatio virtutis*: & 114.
eſt cùm Planeta exiſtens in ſuis dignitatibus reſpicit tardio-
rem, qui nullam dignitatem habeat in loco alterius: tunc enim
iſte velocior pulſat, & mittit propriam virtutem ad tardio-
rem. Vide in V. Pulſatio.

ALKINDVS, ſeu *Dominus Aſcone*, eſt Cometæ ſpecies ad 115.
inſtar Cornu (vnde & nomen hauſit) de natura Mercurij,
cum cauda oblonga coloris cerulei.

ALKINIRA, Vide *Alchimira*. 116.

ALKIREM Arabicè dicitur locus præcedentis luminarium 117.
coniunctionis ad inueſtigandum quis totius illius lunationis
dominium ſortiatur. Sicut etiam

ALLVRE dicitur cardo ipſe interluniorum. Eo potiſſimum 118.
verbo vtitur Author Centiloquij ſecundum verſionem Ara-
bicam Hali Rodoan præſertim propoſ. 46. ſicut & præceden-
tis meminit in propoſitione 58.

ALMAGISTVM. Sic intitulatur Liber magnæ conſtructio- 119.
nis Ptolemæi ex Arab. *al* quod ſignificat ordo, & Græco
*Megiſton*, vel Ægyptio *Megaſite* quod maximum, atque per-
fectum ſonat. Opus planè diuinum, ac ſingulare in quo tota
ſphæricorum doctrina traditur, & explicatur.

ALMANACH apud Arabes idem ſonat, ac Latinè *numeratio*, 130.
vel *diſtributio*: ab radice Hebræa *Mach*, quod diſtribuit, ſeu
numerauit, ſignificat. Hinc apud Aſtronomos annotationes,
& computationes cæleſtium motuum in dies ſingulos, quas
Græce *Ephemerides* dixere, *Almanach* trito iam vel apud ipſum
vulgus vocabulo audiunt. Eoque potiſſimum titulo Aſtrolo-
gorum libri, in quibus aſtrorum motus, eclipſes, aſpectus
planetarum, & alia huiuſmodi oculis exhibentur, gaudent.

ALMANAR Arab. idem ſonat, ac *ſupereminentia*, & præ- 131.
ponderatio vnius Planetæ ſuper alium: Nos eleuationem, ſeù
Altitudinem dicimus Arabes tunc dicunt alicui planetæ com-
petere ius *Almanar* ſuper alium, quando is fuerit ſitu emi-

nentior in ſuo circulo breui, ſeù Epicyclo: & de hoc eleuationis modo loquutum fuiſſe contendunt Ptolomæum *in propoſ. 63 ſui Centiloquij*, vbi dixit. *Cum Saturnus Iupiterque coniunguntur, vter eorum ſublimior ſit, vide; ac ſecundum naturam illius pronunciato.* Aliter id explicat Alkabitius in expoſitione huius verbi. In quo autem verè conſiſtat hæc prærogatiua & ſupereminentia, vide in Verbo *eleuatio.*

132. Almanem Arab. idem ſonat ac *refrenatio*: eſtque, ait Alkabitius, quando Planeta motu ſuo vadit ad coniunctionem alterius, ſed antequam iungantur, accidit retrogradatio; & ſic tollitur, ſeù refrenatur, quam moliebatur, coniunctio. Argolus verò ait tunc fieri, cum tres Planetæ fuerint intrà fines ſuorum orbium.

133. Almaverich apud Alkabitium hæreditates indicat mortuorum, ſignificatas per tertium dominum triplicitatis Domus octauæ.

134. Almegrameth Arab. Latinè dicitur *Ara*, ſidus ad auſtrales plagam conſtans ſtellis ſeptem, vel ſanè octo, vt placet Keplero, & Baiero.

135. Almicancharath apud Arabes ſunt circuli paralleli ad horizontem in ſuperiori hæmiſpherio computati, donec perueniatur ad Zenith capitis noſtri. Dicuntur etiam *Coronæ* quia efformant quaſdam veluti coronas ad Zenith; vti videre eſt in tabulis Aſtrolabij: Item & circuli altitudinum quia eorum ope ſtellarum altitudines dimetimur.

136. Almogiza Latinè dicitur *Limbus* in Aſtrolobio.: Eſtque circulus latus, ac prominens in matre Aſtrolabij intra ſe habens tabulas, ac rete incluſa, quæ ipſi poſteà correſpondent: in eo enim deſcriptæ ſunt horæ æquinoctiales poſt meridiem vna cum gradibus æquatoris, ſingulis horis in ſingulos quindenos gradus tributis, quoadvſque perficiatur numerus horarum 24. & graduum 360.

137. Almvcedeme *Alacaf*, ſeù *Almucedic Alaraf* Chaldaicè, dicitur ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Saturni, & Mercurij in ala Septemtrionali Virginis, Latinè *Vindemiator.*

138. Almvdhebir apud Arabes eſt dignitas, & præeminentia planetæ in aliquo loco vel per diſpoſitionem, vel per aſpectum beneficum. Eo verbo vtitur Ptolemæus in Verſione Arab. propoſ. 17. Centiloquij, vbi ait, quòd ſi fortunæ fuerint in *Almudhebir* ad locum timendum nempe octauum, hoc eſt, ſi fuerint in trino vel ſextili octauæ domus, annullabunt damnum, quod alioqui inferrent, ſi ei loco ſimpliciter præfuerint.

ALMVGEA Chaldaicum nomen, Latinè idem ſonat, ac *viſio, & reſpondentia ad inuicem*: & eſt configuratio reliquorum quinque planetarum ad Luminaria, talis, qualis eſt domorum ipſorum ad domos Luminarium, ſintque proinde orientales à Sole, atque occidentales à Luna. Sic Saturnus v. g. erit in Almugea Solis, quando fuerit ab eo diſtans per quinque ſigna ſecundum eorum ſucceſſionem: in Almugea verò Lunæ, quando tantumdem ab eadem ſe elongauerit; verum contrà ſucceſſionem ſignorum: quia profectò eius domus, quæ ſunt Aquarius, & Capricornus tantumdem diſtant à Leone & Cancro, domibus videlicet Luminarium, progrediendo, & ſecundum, & contrà ſucceſſionem ſignorum. Similiter Iupiter eſt in Almugea Solis quando eſt in eius trino ſiniſtro, in Almugea Lunæ cum in dextro, quia ſagittarius eius domus eſt in trino ſiniſtro Leonis, Piſces verò in dextro Cancri domicilij Lunæ. Sic Mars quando eſt in quadrato; Venus, cum in ſextili; & ſic de ſingulis. Et hoc modo planetas ad Luminaria ſe habere, vocant Aſtrologi, ſuas perſonas gerere, quia videlicet eandem participationem à Luminaribus habent, quam eorum domicilia à domicilijs Luminarium. 139.

Cuius rei rationem affert Hali Rodoan *ſuper Cap. 23. libri primi Quadrip. Quia*, inquit, *quilibet quinque erraticorum habet duas domos propter participationem quam habet de natura ipſorum luminarium, & propter hoc quod habeant vim maiorem, quando ſcilicet erit inter eorum aliquem, & aliquod Luminarium tanta longitudo quanta eſt inter domum ſuam, & domum Luminarium, in medietate cuius eſt domus ipſa. Vnde æquum eſt, vt per talem habitudinem planeta vires tantas acquirat, ac ſi eſſet in domicilio ſuo*. Hæc Hali. 140.

ALMVRI Arab. Latine *Oſtenſor*. Linea fiduciæ, ſeu index in Aſtrolabio alio nomine *Albidada*. 141.

ALMVSECHELET *Luna cum ſtellis configuratio* interpretatur. Eo vtitur verbo Ptolemæus *in Centiloq. propoſ. 23.* dicens, *Almuſecheleţ* Lunæ ad ſtellas facere natos mobiles, vel inertes. 142.

ALMVSTEVLI, idem quod *Almuthen*, de quo mox infrà.

ALMVTHEN Arab. dicitur Planeta diſpoſitor alicuius loci, hoc eſt vincens reliquos in numero, & efficacia dignitatum facto ſcrutinio ex quinque eſſentialibus, domicilio nempe exaltatione, Trigono, Terminis, & Facie; licèt hanc poſtremam vt ſatis imbecillem, vel ſanè euanidam recentiores communiter non admittant, & eius loco accipiant configurationem, ſeù aſpectum quemlibet ad dictum locum. Eligat quiſque quod ſibi magis arridet: Nobis ſat eſt inſinuaſſe. 143.

ALNISIGREF Arab. Latinè dicitur *ſeparatio*: & eſt iuxtà 144.

expoſitionem Hali,cum Planeta leuis exiſtens in coniunctione partili alterius qui ſit eo ponderoſior, per motum ſuum ſeparatur ab eo; reperitur tamen adhuc platicè configuratus,hoc eſt intra quantitatem lucis illius orbis.

146. Alosaith Arab. idem ac *Vindemiator*, ſtella ſecundæ magnitudinis in Ala ſeptemtrionali Virginis, teſte Argolo in *Pandoſio Spherico*.

147. Alphantia *Albantica* Latinè Armilla ſuſpenſoria in Aſtrolabio.

148. Alphard ſeu *Alpharad*, dicitur item Arab. Cor Hydræ, ſtella fixa primæ magnitudinis Ptolemeo, at ſecundum alios ſecundæ, de natura Saturni & Veneris in medio Hydræ exiſtens in longitudine gr. ferè 23. Leonis. Hæc vna eſt ex illis ſtellis, quas D. Thomas *opuſc. 28. art. 4. funereas* dixit, *ac monſtruoſam in icare vita terminationem*, quippequæ cum ſit naturæ mixtæ ex contrarijs qualitatibus, ſaturninis tamen prædominantibus, affert ſecum humorum corruptionem, ſi in horoſcopo reperiatur, præſertim cum malo radio Veneris, aut Saturni, & ſi fuerit cum Anæreta ſtatim eius qualitatibus imbuitur, & portendit ſæpè venenum, vt volunt Aſtrologi. Propterea antiqui illi obſeruatores, ad eius naturam poſteris explicandam, Hydræ, venenoſi ſcilicet monſtri, nomen, ac figuram illi dederunt.

149. Alphecca, ſiue *Alphelta*. Vide *Alfecca*.

150. Alpheratz, ſiuè *Alpharatz* Arab. Latinè dicitur *Muſcida equi*. Stella fixa tertiæ magnitudinis de natura complicata Martis, Iouis, & Veneris,exiſtens in gr. 27 Aquatij cum latitudine maxima boreali. Item & *Enſ Alpharatz*, & *Marchab Alpharatz* aliæ duæ ſtellæ ſecundæ magnitudinis de natura Martis, & Mercurij in ſcapulis, ac dextro humero Pegaſi exiſtentes, & circa grad. 20. Piſcium. De ea in alicuius ortu occidente cum malefica,aut malo eius radio,ſic cecinit Pontanus in Vrania.

*Excutit, aut curru lacerum, aut è calce cruentum,*
*Aut dorſo eiectum ſtygias deturbat ad vndas.*

151. Alpheta Arab. dicitur lucida Coronæ Gnoſſiæ ſtella fixa ſplendidiſſima ſecundæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij exiſtens nunc in gr. 7. Scorpij cum grad. 44. latitudinis borealis. Hæc ob ſui venuſtatem, ac pulchritudinem dicitur Cæli pupilla, ſertum, flos, neque in Genethliacis ab hac ſignificatione aberrat;facit enim natum delicijs deditum, mollem, flores, & vnguenta tractantem, vt propterea de ea in alicuius horoſcopo reperta ſic venuſtè cecinerit Pontanus in Vrania.

*Stella ſub hac natis ſtudium manet dulcium odorum:*
*Conficiunt vnguenta, & florea ſerta coronant.*
*Mundicies indigna viro, comptuſque puellæ*
*Perſimilis: quæque & Veneris molle imperat Aſtrum.*
*Inde etiam occultus ſub pectore paſcitur ignis,*
*In vetitumque ruunt, & amor noua vincula nectit.*
*Quocirca Nate ardentes compeſce furores,*
*Et leges meditare, & honeſti concipe formam.*

De ea verò in occaſu reperta cum Saturno, aut malo eius radio, mox ſubdit.

*Exponit Natum feris damnante ſenatu,*
*Pro tumulo fauces canum, aut rabida ora leonum*
*Accipient, tumulo Saturnus condet vbi ipſe*
*Inſedit loca, primo ſub flore iuuenta.*

Præterea ſidus hoc, vt author eſt Plinius, eſt valde tem- 152.
peſtuoſum, quo cum Sole occidente Venti excitantur, pluuiæ ingruunt, & tonitrua; ſimiliter oriens cum eodem Sole facit aerem frigidum, turbidum ac ventoſum, cum Saturno autem adducit adhuc niues, pro temporis qualitate, aut ad minus tempus frigidum, ac nebuloſum. Oritur autem Romæ cum gradu 16. Libræ, occiditque cum decimo nono gradu Capricorni.

153.
ALRAMECH, ſiue *Alkameluz* Arab. *Arcturus*, hoc eſt gladius & pugio Bootis, ſtella fixa informis primæ magnitudinis prope clunes Bootis exiſtens, atque in longitudine in gr. 19. Libræ cum gr. 31. latitudinis borealis: naturam habet mixtam Iouis, & Martis. Plinius vocat hoc ſidus horridum, eoquia cum Sole occidens tempeſtates facit, & ventos auſtrales ſuſcitat. At verò in Generhliacis, inquit Pontanus in Vrania, quod addicit natos infami ſupplicio, vel etiam parat infelici carcere mortem, ſi occidat cum prauo radio Saturni, vel Martis. At verò in exortu facit fidelem, veri amatorem, cui credentur opes, & pretioſa regum ſupellex, vel etiam erit cuſtos forium, intimuſque cubicularius. Addit Stadius, quod cum Ioue dat diuitiarum affluentiam, at cum Saturno earundem profligationem minatur.

ALRVKABA Arab. Latinè ſtella polaris *Cynoſura* in extremo 154.
caudæ Vrſæ minoris ſita, ſecundæ magnitudinis de natura Veneris, & Saturni, exiſtens nunc temporis in gr. 24. Geminorum cum latitudine boreali gr. 66. adeoque omnium viciniſſima polo Arctico, cum ab eo non diſtet niſi tres gradus. Obidque & *Phœnice* quoque appellata eſt, eoquod à Phœnicibus nautis plurimum obſeruabatur: cum enim non adhuc comperta eſſet virtus acus magneticæ, ideo ipſi ex hac ſtella noſce-

bant, vbi conſiſterent, quò iter inſtituere deberent, quantumve à loco remoti eſſent. Eius influxus ab Aſtronomis minimè obſeruantur, quippe qui ſi quos habeat, ſemper iidem ſunt, cum ſemper eodem fere loco conſiſtat, & nullius penè ſit motus, vnde pro loci, & ſitus qualitate in influendo varietatem
155 aliquam ſubire poſſit. Hæc ſtella, inquit Ioannes Chriſtmannus in obſeruationibus ſolaribus, aliquando in ipſum polum recidet cum ſingulis annis accedat ad polum arcticum, & declinationem acquirat ſecundorũ viginti: vnde cum tempore Hipparchi, hoc eſt annis abhinc retrò 1700. abfuerit à polo gr. 12. & min. 24. & nunc currente anno à partu Virginis 1660. non diſter niſi gr. 2. & min. 31. manifeſtum ſit ipſam tandem anno ab incarnatione Domini 2125. debere in ipſum polum incidere. Ricciolus tamen *tomo primo Almageſti noui lib. 6. cap. 19. probl 5.* in ea eſt ſententia, vt nunquam, neque ipſa ſtella polaris, neque vlla alia aſſequutura ſit adamuſſim Mundi polum. Quia, inquit, vt hoc aſſequeretur, deberet habere tantum latitudinis, quantum eſt complementum diſtantiæ polorum ab initio Cancri, ratione obliquitatis Eclipticæ, quæ in ſententia ipſius deberet eſſe gr. *66.* min. 30 oporteret ergo ſtellam iſtam non habere latitudinem maiorem gr. *66* min. 32. nec minorem gr. *66.* min. 8. Sed quandonam, ſubdit, hæ conditiones concurrent ſimul, vt ſtella hæc ſit in principio Cancri, in ipſo tempore, quo ob variationem obliquitatis Eclipticæ, latitudo ſtellæ ſit æqualis præciſè complemento obliquitatis, ſeù diſtantiæ? Latitudo autem ſtellæ polaris nunc eſt gr. *66.* min. 2. Numquam ergo fuit, vel erit in ipſo Mundi polo, etiamſi maximè ſit ad illum acceſſura, & peruentura ad Cancri initium iuxtà Tychonicum calculum anno 2092. & tunc diſtabit à mundi polo ſecundis ſeptem: poſteà ab illo recedere incipiet. Hæc Ricciolus, dicens ſe olim deceptum authoritate Regiomontani; putaſſe hanc ſtellam aſſecuturam ipſum Mundi polum, ſed poſteà re melius conſiderata, ſententiam in melius commutaſſe.

156. Altalisim Arab. ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Iouis & Saturni poſita in ipſa effuſione aquæ Aquarij proximè Fomahand ſtellæ inſigniori primæ magnitudinis, cui contermina eſt alia ſtellula eiuſdem naturæ & qualitatis ab Arabibus dicta *Calbez*.

157. Altani dicuntur Venti ſubterranei altè à terra ſpirantes, qui ſi in mare (è cuius regione ſemper exſufflant) progrediantur, Apogæi; ſi verò è mari ad terram reuertantur, Tropæi appellantur; de quibus vide Plinium, *lib. 2. cap. 43.*

158. Altitudo apud Aſtronomos idem ſignificat, ac *Exaltatio*

e accipitur pro vna ex quinque dignitatibus eſſentialibus, quas obtinent planetæ in ſignis, eſtque ſecunda in ordine poſt Domicilij prærogatiuam. Etenim in Zodiaco ſunt quædam loca, in quibus conſtituti planetæ peculiares effectus, eoſque potentiores, atque efficaciores in inferioribus hiſce producunt. Huiuſmodi autem præcipuè ſunt Domus, & Altitudines: Cuius rei rationem rationabilemque diſtributionem ingenioſè affert Ptolemæus *in primo Quadrip. cap. 17.* Sol, inquit, quia in Ariete incipit ad verticem noſtrum accedere, atque altior fieri, calor eius augeſcit, dies noctibus incipiunt præualere; ideo in Ariete exaltari oportet, atque aliquam dignitatem, quam altitudinem dicimus, obtinere. Luna cùm Sol eſt in Ariete ipſi coniuncta, incipit è radijs eius emergere, atque aliquatenus apparere cum eſt in Tauro; vnde in Tauro conuenit exaltari. Similiter diſcurrendum in alijs Planetis: Niſi quod Ptolemæus ponit Planetam exaltari in toto ſigno, Arabes verò in certo gradu ſigni, vt verbi gratia Sol in gradu 19. Arietis, Saturnus in gr. 21. Libræ, Iupiter in gr. 15. Cancri, & ſic de ſingulis. Cuius quidem placiti, neque vllam afferunt rationem, neque experimentum. Nihilominùs id obſeruare, ſuperuacaneum forte non erit. Porrò in quo ſigno potiſſimum quiſque Planeta exaltetur, & ſignatè in quo gradu iuxtà Arabum placita dicemus in V *Exaltatio.*

ALVEHEZIT Arab. idem ſonat, ac *ſtellæ cadentes*: ſunt enim ſpecies quædam accenſionum metheorologicarum in aere factæ, quæ ſignificant ſiccos vapores. Hali Rodoan in Comment. ad Quadrip. Ptolemæi. 159.

ALYNTHIÆ *ſignum*, teſte Hali in Commentar. ad propoſ. 51. Centiloquij eſt ſignum reuolutionis anni, in quod videlicet cadunt Aſcendens, aliique ſignificatores in puncto annuæ Reuolutionis. 160.

ALZIMON, quod interpretatur *fuſus* corrupto apud Nubianos, & Feczanos, vocabulo, dicitur *ſpica Virginis*, ſtella, de qua ſæpè incidit ſermo. 161.

## A M

AMBLYGONIVM apud Geometras eſt figura triangularis, quæ habeat angulum vnum obtuſum; in quo differt ab *Oxygonio*, quod habere debet omnes tres angulos acutos. Differt etiam ab *Aequilatere*, quia cum iſtud habere debeat omnes angulos æquales, neceſſario deberet eſſe omni ex parte obtuſangulum; quod ex Euclide *propoſ. 17. & 32. primi libri*, fieri non poteſt. Benè tamen *Amblygonium* poteſt eſſe vel *Iſoſceles*, vel *ſcalenum*; ſi aut duo æqualia habeat latera, modò tertium vtrouis æqualium maius ſit; aut omnia latera inæqualia ſint, 162.

modò angulorum inæqualium, quos efformare neceſſariò debet, vnus ſit obtuſus, & reliquis omnibus maior. Sed de hac re vide ſub Verbis *Angulus*, & *Triangulus*.

163. Amfrockaciator Græcè, ſiue *Arfocarazieutu* Arabicè, apud Ptolem. *lib. 3. Quadrip. cap. 8.* ex verſione Arab. Hali, ſignificat hominem occulta penetrantem, hoc eſt, qui ex certa cælorum poſitione fatidicum ſpiritum ſortiatur, atque arcana patefaciat, & vera pronuntiet.

164. Amnimodar apud Aſtronomos eſt Planeta rectificator Genituræ, ſeù potiùs eſt via quædam rectificandi natalitium Thema, & inueniendi artificiosè gradum præcisè Horoſcopantem tempore editi fœtus, à Ptolemæo inuenta, per conſtitutionem Planetæ obtinentis dominium in proximè præcedenti Luminarium coniunctione, vel oppoſitione. Cùm enim principale fundamentum in Genethliaca facultate, (quod artis ſuſtentaculum iure nominat Ptolemæus) ſit indagare quiſnam gradus Zodiaci adamuſſim incidat in lineam orientalem in puncto, quo editur infans; idque difficile admodum ſit obtinere ſiue ab horologijs ob eorum varietatem, ſiue ab alijs inſtrumentis ob multas, quas inuoluunt difficultates, ita vt vel minima variatio notabilem temporis differentiam importet, hæcque etiam multum iudicium Natiuitatis, quod totum ab gradu horoſcopante pendet variare poſſit; ob id neceſſarium erat viam quandam certam, ſtabilem, ac naturæ principijs, rationi, atque experimentis conſentaneam inuenire; qua ex Aſcenſionū doctrina ad datam proximè horam auſpicari poſſimus, quiſnam gradus reuera aſcendat in Horoſcopo cum fœtus in lucem editur. Quam viam approbat etiam D. Thomas *opuſc. 28. art. 4 in reſponſione ad ſecundam*, dum de hora natiuitatis ſermonem iniens ſic loquitur. *Quia hora talis difficulter cognoſcitur, ideò inuentum eſt remedium, vt accipiatur gradus aſcendens circuli, hoc eſt hora coniunctionis Luminarium, cui adaquatur circulus; quia ille habet influentiam ad communem neceſſitatem quæ proximè ſequitur, vel accipiatur aſcendens ad natiuitatem ex vtero.* Hæc autem Ptolemæo alijſque antiquis Aſtronomis melior non eluxit, quam conſiderando habitudinem Planetæ prædominantis ad præcipuos cœli cardines: ſiquidem iugi obſeruatione compertum eſt, ſidera quæ præſunt nouilunijs, ac plenilunijs, maximas ſemper vires obtinuiſſe in tota illa lunatione, ac potiſſimè in generationibus rerum, vt non complementum habeant niſi cum Planeta totius lunationis diſpoſitor inuenitur in ſitu mundi fortis & efficax ad dandum rebus edendis impulſum.

165. Hic enimuerò definire cuinam Planetæ competat rectifi-

di-ius, ſicut etiam quomodo inſtituenda ſit huiuſmodi
tificatio, non eſt res parui negotij, nec ſtrictim præte-
nda, quippe quæ non æquè à Profeſſoribus traditur. Ali-
enim volunt ab hac prærogatiua excludenda eſſe lumina-
vt pote ea, quæ ſunt generales rerum ſignificatores, ac
inde in hac re paſſiuè ſe habeant, & ſubeſſe alijs debeant
ùs, quam præeſſe. Excludunt etiam Planetas combuſtos,
ogrados, aut quouis modo debiles, & impeditos. Alij
c limitationem non admittunt; ſed vt in alijs rebus, ita in
negotio eum abſolutè præficiunt; qui repertus ſit in loco
dicto plures prærogatiuas habere, aut ſanè potiorem ex
ique eſſentialibus dignitatibus, Trigono, videlicet, Do-
ilio, Exaltatione, Terminis, & Facie, ſeu configurationes,
eam ob rationem quod Ptolemæus huius rectificationis in-
tor, illimitatè loquitur, & neminem protſus excludit.
ræſtat tamen hic apponere ingenioſiſſimam ratiocinatio- *166
ı præſtantiſſimi cuiuſdam Aſtronomi in re genethliaca
ſatiſſimi; qui rem altiùs examinando, duodecim ſigna ſe-
dum triplicitatum rationem diſpeſcit, vnicuique triplici-
ſuos dominos cum vniuerſa Aſtronomorum turba præfi-
is. Verùm quia Luminaria, vt ſuprà dictum eſt, ſunt po-
ſubiectum in hac re, proindeque diſponi magis ab alijs
nt, quam diſponere: & ex alia parte Mercurius vt pote
pitis naturæ, ſibique non conſtans neque alienum locum
are poſſe videatur; iure ab hac prærogatiua excluduntur,
vt iam ſoli quatuor planetæ ſuperſint, quorum ſinguli
ulis triplicitatibus ex integro dominantes hoc rectificandi
ere potiantur: ſicque ſi præcedens luminarium ſynodus,
ppoſitio celebrata fuerit in ſignis triplicitatis igneæ, Ioui
ummodo competat rectificatio: ſi in triplicitate terrea,
eri: ſi in Aerea, Saturno: ſi demum in Aquea, ſoli Marti;
irrendo in reliquis doctrinam Ptolemæi, vt ſi præceſſerit
ſitio, accipiatur illud ſignum, quod tempore oppoſitio-
ictæ exiſtebat ſupra terram. Quodſi ambo fuerint ſupra
m, vnum videlicet in cardine orientali, alterum in occi-
iure id accipiendum erit, quod lineam orientalem vt-
potiorem poſſidet. Quod etiam expreſsè monent alij,
æſertim Cardanus in Commentarijs.
ircà modum etiam inſtituendæ huiuſmodi rectificationis, 167.
ita conueniunt Profeſſores: Vulgus enim Aſtronomorum
r gradum Aſcendentis, aut medij Cœli figuræ æſtimatiuæ
gendum eſſe per gradum Planetæ rectificantis, quem ob,
in tali figura pro vicinitate graduum: V. ſi Aſcendens,
opli gratia, ſit pars 28. Libræ, medij verò Cœli 3. Leo-

nis; Planeta autem rectificans ſit Venus, quæ in Natiuitate reperiatur in gr. 10 Geminorum; tunc, quia 10. ſunt propinquiores tribus, quam 28. corrigitur gradus medij Cœli, locando in eo 10. gr. Leonis, ſicque ad rationem eius conſtructa ſit more ſolito cæleſtis figura locando in Aſcedente 29. gr. Libræ &c. Quodſi Venus habeat 24. Geminorum totidem gradus Libræ conſtituantur in Aſcendente, & ſic reliquæ domorum cuſpides per ſigna & gradus his gradibus per aſcenſionum doctrinam reſpondentes. Addunt alij, quod quando Planeta rectificans in ſuis gradibus eſt nimium diſtans à gradibus medij Cœli, vel Aſcendentis, tunc rectificatio inſtituenda eſt per gradum Antiſcij ſui intuentis, vel imperantis, aut obedientis, prodireque etiam exactam, atque accidentibus congruam rectificationem.

168. Verum hic rectificandi modus, niſi meliùs inſtituatur, nec rationi, neque experimentis accommodari poteſt. Nam primò ſequeretur, vt quando Planeta rectificator eſt nimium ponderoſus, (quales ferè ſemper ſunt Saturnus, & Iupiter) aut fuerit ſtationarius, vel retrogradus, in quo ſtatu inſenſibiliter mouetur in Zodiaco, ij omnes, qui in vna eademque lunatione naſcerentur, deberent eundum gradum aſcendentem habere, aut cælum culminans, ſi non in ſigno, ſaltem in numero graduum, quod eſt ridiculum. Deinde quæ proportio, quæ habitudo Planetæ rectificantis ad cardines, per hoc quod in numero tantùm concordent, ſi non adſit alia congruentia, aut reſpectus? Quodſi dicas adeſſe in Antiſcio, vel in aſpectu in debita diſtantia, qui à numero ad numerum eſt partilis: ergò vbi ſaltem non erit familiaritas, & aſpectus, (vt in ſignis inconjunctis) inanis prorſus euadet hæc ſola numerorum proportio. Præterquamquod radij ad Cardines accepti in partibus Zodiaci inanes reperiuntur, vt eruditè probat Titus in Cæleſti Philoſophia.

169. Quapropter ex Ptolemæi mente (vt ipſemet Titus obſeruat in Breuiarijs ad Quadripart.) accipienda eſt proportio ſideris rectificantis ad cardines per aſpectus in mundo in partibus proportionalibus domorum; ita vt ſidus rectificans conſtituatur in cæleſti figura in tanta diſtantia à cardinibus mundi accepta in partibus proportionalibus ſui arcus, vt eorum aliquem, præcipuè verò Aſcendentem reſpiciat aliquo radio, aut etiam ſit in eius centro. Tali enim modo conſideratus fortis inuenitur, & efficax ad dandum impulſum fœtui, vt emergat ex vtero, ſibique arroget partum. Quæ proinde rectificatio multis experimentis probata inuenitur exacta, atque accidentibus apprimè congrua: Sic enim in exemplo dato, ſi Venus planeta

aneta rectificans reperiatur in octaua domo cum 10. gradibus
:eminorum, debet ita conſtitui, vt vel ſit in media diſtantia
ter Octauam, & Nonam, vnde emittat radium ſeſqui qua-
atum ad Aſcendens, vel in cuſpide nonæ domus, vnde
iittit trinum, vel ſanè in cuſpide Octauæ, vnde emittit ſex-
:m ad Culmen; idque pro maiori vicinitate, aut congruen-
cum accidentibus Nati, corrigendo videlicet gradum do-
is, vnde emittitur radius per gradum & præſentiam parti-
n ipſius Planetæ rectificantis; ſicque ad rationem eius nouam
uram erigendo.

Quod ſi hac in re, vnde ars tota dependet meam quoque 170.
ntentiam proferre non ſit inuerecundum, eam ſubmiſsè pro-
am aliorum judicio examinandam, corrigendamque. Ita-
e in hoc negotio rectificationis formam, non per gradum
inetæ rectificantis (niſi fortè is angulum poſſideat) ſed per
)portionalem eius diſtantiam à cardinibus Mundi vnde
iittat radium ad eorum aliquem inſtituerem. Deinde à mu-
re rectificandi nullum Planetam excluderem, niſi fortè com-
ſtum, aut ita ſub Solis radiis exiſtentem, vt jure cenſeatur
ptus. Siquidem eius tunc vires à Sole ſua potentia abſumun-
, qui proinde in eius locum ſubintrat, vt omnes communi-
aſſerunt, in Planetarum combuſtione: in quo tantum caſu
em ipſum eius loco ſufficerem, ſecundariò tamen, & per
idens, per hoc quod gerit vices Planetæ prędominantis, eiuſ-
: veluti ſubſtitutus conſideraretur. Cæterùm Luminaria ipſa
ſe primò, & principaliter ad hoc munus aſſumere non pro-
em ex communi ratione ſuperiùs tacta, quòd ea ſint gene-
:s rerum ſignificatores. At verò quod aliàs Planeta rectifi-
is ſit dejectus, aut retrogradus, non videtur officere, quo
nus in hanc rectificandi Prouinciam aſſumi poſſit. Nam,
n hæc rectificatio, vt dictum eſt, per aſpectum ad cardines
:ituenda ſit retrogradatio Planetæ, eſſe in ſuo detrimento,
caſu, impertinens eſt ad hoc negotium: ſiquidem ea eſt
io proprij motus in Zodiaco; aſpectus autem ad cardines
fit à partibus Zodiaci, ſed à domibus per proportionalem
antiam ab ipſis cardinibus acquiſitam motu primi mobilis,
er partes ſui arcus diurni, aut nocturni. Siue igitur ſit velox
:odiaco, ſiue tardus, retrogradus, aut directus parum re-
, cùm ad cardines Mundi æquè ſe habeat, vt poſſit probè
orum aliquem ſuos radios proijcere.

imiliter, quod ſit in ſuo detrimento, vel caſu, aut etiam 171.
nico radio ab aliis infeſtatus, facit ſolùm quòd is naturam
m peruertat, ac malignetur; Minimè verò, quòd non
dem efficientiam æquè benè habere poſſit ad cardines, &

eos exquiſitè reſpiciat vnde, & det generationibus rerum impulſum. Quod ſanè experimento liquet in aëris mutationibus, quæ à Planeta diſpoſitore præcedentis Lunationis (niſi fortè, vt dictum eſt, fuerit combuſtus) omninò pendent, atque ab eius bona, vel mala conſtitutione ſumitur ſignificatio.

172. Stet igitur, Geneſis rectificationem inſtituendam eſſe per aſpectum Planetæ diſpoſitoris præcedentis Luminarium conjunctionis, aut oppoſitionis ad cardines; præcipuè verò ad Aſcendens. Atque ex concurrentibus eum præferendum eſſe, qui, ni ſit combuſtus, aut ſub radiis propè nimium conſtitutus, fuerit poriſſimum diviſor terminorum, in quibus celebrata fuit conjunctio; vel oppoſitio; Aut ſanè plures prærogatiuas ex quinque eſſentialibus ſupra dictum locum haberet. Quod ſi plures concurrant, & alter habeat v. g. Domicilium, alter Exaltationem, alius Trigonum, meritò videtur præferendus eſſe qui Trigoni prærogatiuam obtinebit, cùm in hac re Ptolemæus in dignitatum enumeratione primò Trigonum, deinde Domicilium, poſteà Exaltationem, mox Terminorum diſpoſitionem, tandem faciem, ſeu configurationem commemoret.

173. Amphicyrtos Græcè propriè ſignificat aliquid decliue, & gibboſum: Hinc ab Aſtronomis abſolutè vſurpatur pro Luna adhuc gibboſa, & nondum perfecta ad Plenilunium, cùm videlicet eſt in Trino, aut Seſquiquadrato Solis, circà decimum, aut duodecimum à conjunctione diem: Tunc enim quoddam decliue, & gibboſum noſtris oculis exhibet, vt propterea jure Amphicyrtos appelletur.

174. Amphiscii Græcè audiunt habitatores regionum, quæ ſubſunt perpendiculariter Æquatori; ſic dicti ab Vmbra, eò quod vmbram ſuam ad omnem plagam, Orientalem nempe, Occidentalem, Borealem, atque Auſtralem, pro temporum varietate conſpiciant. Hi perpetuum experiuntur æquinoctium: duas Æſtates, tempore vniuerſalis æquinoctij, quo Sol exiſtens in principio Arietis, & Libræ, tranſit per eorum verticem; duas etiam Hyemes, quando Sol in tropicis exiſtens maximam declinationem habet atque adeò maximè ab eorum vertice recedit: quæ profectò potius dicendæ ſunt remiſſiones caloris, quæ Hyemes; cùm aliàs perpetuam experiantur æſtatem, ni potius Ver appellare velimus. Siquidem

175. cum Sol non plus ſupra terram conſiſtat, quam infrà; hinc eſt, vt aëream regionem, ac ſuperius hæmiſpherium non nimium inflammare poſſit; & ſi, qui ſunt diei feruores, mox noctis longitudine, ac temperie infringantur; itaut aſſeuerent habitatores, quique huc inde veneiunt, iucundiſſimam ibi eſſe

ommorationem, ac longè ſuauiorem, quam in toto Italiæ
ractu: tantum abeſt vt vera ſint, quæ de ijs locis dixere Poëtæ
is oras eſſe ex nimio æſtu prorſus inhabitabiles. Huiuſmodi
nt Incolæ aureæ Cherſoneſi, Inſula S.Thomæ medium In-
læ S. Laurentij, Sumatra, Maldiuiæ, aliæque regiones, pro-
videre eſt in mappis Mundi. Et hi cum Polos habeant hori-
onti adjacentes, nec vnum altero elatiorem, inde eſt, vt
nnes ſtellas conſpiciant, atque iſtæ æqualiter ſemper orian-
t, & occidant.

AMPHORA dicitur vndecimum ab Ariete ſignum. Vide *quarium*. 176.

AMPLITVDO Ortiua apud Aſtronomos (idem dic de occi-
ua) eſt latitudo, ſeu differentia ortus, & occaſus ſtellæ, aut 177.
iuſlibet partis cœli à Græcis ortus, & occaſus æquatoris in
orizonte, & vnde Sol oritur, & occidit initio Veris, &
utumni. Quæ quidem ſemper æqualis eſt cum occidua, &
uò maior fuerit hæc differentia ortus, & occaſus, eò maior
icitur Amplitudo, maiorque aut minor arcus diurnus.

AMPOTIM Græcè vocat Ambroſius miram illam Maris 178.
undationem reciprocationemque motus, quam integro die
r quatuor momenta variat, fluctuatque quod ideò hunc mo-
m nos vulgò fluxum, & refluxum maris vocamus. Contin-
t enim præſertim in Oceano Athlantico atque in Mari ſupe-
, ſeu Adriatiao, vt per ferè ſex horas aquæ intumeſcant, ad
tus decurrant, & augeantur: mox viciſſim per ſex alias horas
creſcant, retrocedant, ac minuantur. Huius motus recipro-
tio vt omnium oculis obuia eſt, ita intellectus omnis aciem
æſtringit adeò, vt eius cauſam nemo adhuc Philoſophorum
nuerit: Quinimò conſtans de eorum Principe fama eſt, quod
am diu in huius abditiſſimi arcani ſpeculatione fatigatus ma-
is ac magis intricaretur, in morbum inciderit; ac tandem
ſperatione adactus in Euripum ſe præcipitem dederit altiùs
oc inclamans O Mare cum te capere non poſſim, tu me exci-
. Poſſidonius cum Trabone, Solino, Mela, & communiori
hiloſophantium ſchola eam in Lunæ motum refundit. *Quo
im tempore* (inquit Poſſidonius apud Sctabonem) *Luna Hori-
ntem aſcenderit, Mare ad terram aſcendere incipit, quouſque
l Cæli medium ipſa conſcenderit: vbi verò declinare ſidus ipſum
perit, ſenſim rurſus à terra pelagus ad medium mare delabitur,
nec ad Occidentis punctum Luna deſcenderit: poſteà mane rurſus
ſcendit quouſque ſub tellurem in medio, & imò cæli fit Luna:
inde Mare à litore ad medium maris regreditur, quoad iterum
una ad Orientem procedat, & eleuetur rurſuſque mare terras
fluat.* Hucuſque Poſſidonius. Quod vel inde confirmari po-

teſt, quia tota iſta reciprocario in quatuor, vt dixi momenti parres tribura, horarum quinque ſuprà viginti ſpatio abſoluitur; vnà videlicer hora ſuprà integrum diem naruralem; quanta eſt Luna periodus, & circumuolutio, donec ad eam cœli poſitionem, in qua pridiè erat, reuertatur: ſiquidem ipſa motu proprio ex Occidente in Orientem quindecim circiter gradus contra motum primi mobilis nititur, & rerrocedit in vno die: quæ retroceſſio facit, vt ferè per horam circuitum ſuum retardet, donec idem punctum teneat, quod Sol ſua reuolutione facit ſpatio 24. horarum. Plinius, alijque, præſertim recentiores nòn modo ad Lunam, ſed & ad Solem hunc motum referunt. Obſeruatunt enim in eorum aſpectibus quadratis, aquas penè immobiles permanere: at verò in coniunctionibus, & oppoſitionibus maximos fieri, & citiſſimos fluxus refluxuſque. Cuius rei cauſam affert Molerus *lib. 2. Iſag g. ad Ephemer. Quia*, inquit, *quando Luminaria fuerint coniuncta dum mouentur motu primi mobilis per quartam fluxus, mare velociſsimè fluit, dum mouentur per quartam refluxus mare citiſsimè refluit, dum Luminaria ſunt oppoſita; eo quia dum vnum mouetur per quartam fluxus, alterum etiam per quartam oppoſitam huic fertur, ideò velociſsimè aqua fluit, vel refluit. Dum Luminaria quadrata radiatione ſe conſpiciunt, quia dum alterum eſt in Oriente, reliquum in Meridie, vel ſub, vel ſuprà terram, & hæc duo puncta ſunt fluxus, & refluxus, quia ab æqualibus potentiis aqua ad contrarias partes fertur, ideò immobilis permanet, hac de cauſa in quadraturis Luminarium nullo ferè mouetur motu.* Hæc ille, docens ſubinde quartas Orientalem diurnam, quæ eſt à puncto Orientis ad punctum Meridiei, & illi oppoſitam Occidentalem, quæ eſt à puncto occaſus ad Lineam imi cœli eſſe quartas fluxus, eò quia Luminaria elōgantur à terra & properanr ad Lineam Meridianam: ſicur etiam reliquas duas eſſe refluxus, quia à Meridiano elonganrur, & terræ approximanrur ad circulum horizontis. Verùm & hic motus pro locorum diuerſitate ac Marium poſitu ad Lunam, adhuc varius eſt in ipſis Luminarium quadraturis, aut coniunctionibus, vel oppoſitionibus; cum Mediterraneum, quod Italiam alluit, aut nullum, aut tam exiguum habeat fluxum, & refluxum, vt minimè obſeruari queat. Similiter Oceanus Auſtralis, qui eſt proximus Mexico, Cubæ Inſulæ, & aliis partibus Americæ nullum patitur æſtum. E contrà magnus deprehenditur in Mari Siculo: adhuc maior verſus Septentrionem, vt in Anglia, Hollandia, & Noruegia, & maximus in fræto Magellanico, aliiſque regionibus Occidentalioribus: vt proinde difficile admodum ſit huius diuerſitatis ra-
379. tionem reddere. Cæterum ex triplici capite euenire poteſt hæc

iaris viciſſitudo, vt optimè obſeruat Titus *in Cœleſti Philoſo-phia lib. 1. cap. 20.* Primò per motum localem aquarum con-irrentium a locis vbi minuuntur ad loca, in quibus augentur: hoc modo contingeret, vt Luminaria atttaherent aquas aris ſuis radiis tanquam bibulis; dum inſtar ſpongiæ mira-li ſuctu eas ſecum attrahunt quouſque ad lineam Meridianam rgunt: deficere verò cum ab ea elongantut, & ad hotizon-m properant. Secundò, quod fiat in Mari vera augmentatio uarum, vel diminutio per veram productionem, & conſum-ionem, quod nequit intelligi quomodo tam breui temporis atio in tanta aquarum copia fieri poſſit. Tertiò, quod im-aratâ ſubſtantia aquæ fiat rarefactio in acceſſu, & condenſa-› ex receſſu luminarium ad Meridiem, ſiue ex calore, ſiue alia occulta qualitate: quemadmodum videmus in Ther-oſcopiis inſtrumentis non ita pridem inuentis ad venandum locus, vel dies ſit altero calidior, vel frigidior: poſita enim ua in ampulla vitrea collo valde oblongo,& in ſuperiori par-orificij bene obturato, ſi locus fuerit calidior, aqua magis cendit in collo vaſis, eò quia calor ambiens illam rarefacit: ſi rò fuerit frigidior, aqua deſcendit, eò quia frigus ambiens am condenſat. Et hoc modo exiſtimauit ipſe Titus accidere nc Maris fluxum, atque refluxum. Tandem Arabes quos 180.
am ſequuntur multi ex recentioribus Aſtronomis. hunc flu-m, & refluxum Maris aliud non eſſe putant, quam ſimpli-n motum aquæ ad motum vniuerſitatis, vt nos dicemus in *Aqua*, quo vniuerſa ſupra ipſam motu primi mobilis rapiun-: ab ortu ad occaſum: qui tamen motus in aqua vtpote mo-lium omnium craſſiore atque à primo mobili remotiſſima diſſimus eſt, quippe q rarione diſtantiæ, & propriæ graui-is magis reſiſtit dato impulſui, quàm aër; hic magis, quàm hæra ignis; hæc inſuper magis quàm orbis Lunæ, & ſic de iquis: Vnde maior eſt, & velocior aquæ motus ſub æqua-e, quàm extrà, quia etiam ipſe æquator vtpote magis à lis diſtans plus itineris facit, quàm reliquæ partes Cæli: ſed hac re iterum recurret ſermo. Interim hic prætetite nolo od ex Ariſt. tradit Plinius; nullum nempe Animal, niſi in ris refluxu expirare: idque obſeruatum ait in Oceano Gal-›, & ſolùm in homine. Quod tamen falſum arbitratur Bo-us. Verum Leuinus Lemnius *de miraculis Naturæ lib. 4. c. 1.* nij dictum improbare non audet, atque ſolùm ſe obſeruaſſe quos in Oceani acceſſu obiiſſe: & præſertim notat in mari-io Belgij tractu obæſos æſtu accedente periclitari: contrà les, & macilentos in maris receſſu faciliùs emori. Cuius rei ſam aliam eſſe non arbitror, niſi quia cum Luna per acceſ-



Digitized by Google

ſum ad Meridianum humores augeat, & æſtum faciat, per receſſum minuat, conſequenter vt in Mari, ita & in humano corpore idipſum præſtat: quî fit, vt obæſi & pingues in acceſſu humoribus aucti deficiant, & ſuffocentur: exiles verò periclitentur, quia humidum radicale in iis alioqui valdè debile, ex Lunæ receſſu minuitur; adeò vt ſæpè etiam extinguantur. Qua ratione etiam alibi adnotauimus, in occaſu Solis qui eſt vitalis potentiæ fons, & caloris innati fotor, ægros vt plurimum ex defectu caloris naturalis extingui.

181. Amvsivm Inſtrumentum eſt Mathematicum colligendis ventis, diſcernendiſque idoneum, cuius præcipuè mentionem facit Vitruvius. *lib. 1. cap. 6.*

182. Amvssis Perpendiculum, Libella, Norma, ſeu Regula ad quam Mathematici aliquid adæquant.

AN

183. Anabibazon, teſte Valla in Aſtronom. idem ſonat apud aliquos, ac nodus auſtrinus, ſeu Cauda Draconis Lunæ: ſicut è contra *Catabibazon* nodus boreus, & caput Draconis. *Vide ſuis locis.*

184. Anacamptica pars eſt Opticæ, ac ſcientia, qua per radios objecti alicuius luminoſi reflexos in ſuperficie quadam plana partim obſcura, partim diaphna, eius formam, affectiones, magnitudinem, diſtantiam, aliaque id genus conſiderat: dicitur etiam *Catoprica.*

185. Anaclatica pars item eſt Opticæ, et ſcientia, qua per lineas ſiderum aliorumque obiectorum viſualium refractas in medio diuerſæ denſitatis eorum figuras, magnitudines, diſtantias, aliaque demetimur. Vide in V. *Optica.*

186. Anæreta Græcè, Arabicè *Ata*[illegible]; Latinè idem ſonat, ac Abſciſſor: directè oppoſitus Aphetæ. Eſtque locus in Cælo, ad quem directione pertingens Apheta vitæ periculum in Nato adducit. Inter Anæretas communiter computantur corpora Maleficarum Saturni & Martis, eorum radij hoſtiles, Antiſcia ſeu Paralelli quicumque tam in Mundo conſiderati, quàm in Zodiaco, Termini, nec non & ſtellæ fixæ participantes maleficarum naturam; præſertim, quæ cum Planetis aliquando congrediuntur, vt ſunt Cor Leonis, Cor Scorpij, Hercules, Pallilitium, Lanx auſtralis, &c. Cardo Occidentalis, quando Vitæ dator conſtituitur inter ipſum, & Calmen: ſicut etiam Angulus imi Cœli, qui propterea ab aliquibus dicitur Fouea Planetarum; ac demùm proprius quadrarus Aphetæ, qui ferè ſemper eſt vltimus vitæ terminus. Alij etiam admittunt inter Anæretas Dominum octauæ, vtpotè domus mortis, etiamſi fuerit ex beneficis; ſed ſanè perperam: cum benefi-

orum non ſit vitam abſcindere, ſed potiùs protogare: Vnde
us ad ſummum erit qualitatem Mortis decernere. Poſitâ
unâ viæ Moderatrice Solis corpus dicitur interimere: ſed id
on facile admitterem, niſi forte eſſet nimium natura & quali-
tibus maleficorum imbutus: ſic nec Mercurium, cùm ſit val-
: debilis ex eadem ratione qua Apheta eſſe non poteſt. Plura
ud Argolum *de diebus criticis*.

ANALEMMA apud Aſtronomos Inſtrumentum Gnonomi- 187.
m eſt ad Solis vmbras venandas accommodatum inſtar ſphæ-
:, quod potiſſimùm inſeruit ad horologia Solaria deſcriben-
1. Bernard. Baldus.

ANAPHORA Græcè audit ſecunda Domus, quaſi *Porta In-* 188.
*rni*, quæ proximè ſuccedit Primæ infra terram; eò quod
ertis veluti foribus Solem, aliaque ſidera ad lineam Orienta-
m detrudat ac peruehat. Ex ea ſumunt Aſtrologi iudicium de
bſtantia, ac bonis, quæ propria induſtria, non ex hæredita-
: proueniunt: adeoque judicatur felix; eſtque qualitatis fri-
idæ, & humidæ.

ANAPHORÆ item vocantur ab aliquibus promiſcuè domus 189.
ccedenies, videlicet ſecunda, Quinta, Octaua, & Vndeci-
a; ſicut è contra *Cataphora* cadentes ab angulis, quales ſunt
ertia, Sexta, Nona, & Duodecima.

ANAPHORÆ etiam appellantur Aſcenſiones obliquæ ſigno- 190.
m per analogiam ad prædicta: ſicut è contrario.

ANAPHYSEMATA ex Apuleio in lib. de Mundo vocant 191.
ræci eos ſpiritus, qui de fundo vel hiatibus terræ expelli ad
perna Maris ſolent. Nos communiori vocabulo ſed ex Græ-
is ſimiliter deriuato Apogæos vocitamus.

ANATOLAS dicitur Cardo ipſe Orientis, quaſi ſuperata 192.
:nebrarum denſitate, lucem tandem aperiat. De eo vide plura
1 V. *Horoſcopus*.

ANAVBARACH apud Arabes eſt inanis quædam ipſorum ob- 193.
ruatio ſuper Nouenarias Planetarum, de qua multa habent
lchabitius, & eius Commentator Ioannes de Saxonia. Itaque
ſpiciendum docent quantum inambulauerit Planeta ex gra-
ibus, & minutis in ſigno, vel domo cuius inquiritur Noue-
aria: deinde diuidendum præcipiunt totum ſignum in nouem
artes, dando cuilibet parti tres gradus, & minuta viginti, &
idendum in quamnam partem ex iſtis ceciderit gradus Plane-
:, aut Domus, cuius ediſcere voles Nouenariam. Quo pæ-
ito, volunt dandam eſſe primam diuiſionis partem Domino
gni mobilis eiuſdem triplicitatis, & ſecundam partem Do-
ino ſequentis ſigni; & ſic per ordinem procedendo, quouſ-
ue perueniatur ad illam partem, in qua eſt Planeta, cuius



Digitized by Google

quæris Dominum Nouenariæ. Sic ponamus, quod Sol, exempli gratiâ, ſit in gr. 24. Aquarij: ad ſciendum, quiſnam ſit dominus Nouenariæ Solis, dandi ſunt tres primi gradus, & 20. minuta Aquarij Domino ſigni Mobilis triplicitatis eiuſdem quod eſt Libra, & Dominus eius eſt Venus (eſt enim Libra, Aquarius, Gemini Triplicitas aërea) ergo Venus eſt Domina primæ Nouenariæ: inde ſecundæ erit Mars, qui Scorpioni dominatur, proximè ſuccedenti Libræ: & ſic de ſingulis, quouſque perueniatur ad gradum Solis, qui incidit in Nouenariam Veneris Dominæ Tauri. Proindeque ipſa erit Domina Nouenariæ Solis. Quando igitur in libris Arabum fit ſermo de Domino *Anaubarach* Luminarium, ſi fuerit in die intelligitur de Domino Nouenariæ Solis, ſi de nocte, de Domino Nouenariæ gradus Lunæ.

194. Androcometes eſt ſpecies noui cuiuſdam Phænomeni, ſeu Cometes habentis figuram quaſi hominis, de quo plura vide in Plin. lib. 2. cap. 25. & alibi ſæpè.

195. Andromeda Arab. *Marat Muſaſeleth* hoc eſt Mulier catenata, ſidus ad Borealem plagam propè Cæpheum conſtans ſtellis 23. ſecundùm Ptolem. at ſecundùm Baierum 27. omnibus ferè de natura Veneris, & Mercurij, quarum tres inſigniores ſunt ſecundæ magnitudinis, vna in capite dicta etiam vmbilicus Pegaſi, quoniam in ſidus illud tranſit; altera in Cingulo Arabice *Mirach*, ſeu *Mizar*; tertia in pede auſtrali dicta *Allamach.* omnes in longitudine ſub ſigno Arietis. Eſt ſidus infauſtum, vt ipſamet figura præſefert deſtinans ad carceres, captiuitates, ſupplicia. De eo in alicuius horoſcopo inuenta hæc venuſtè magis quàm verè habet Pontanus in Vrania.

*At contrà trux Andromeda noua funera, & atram*
*Molitur mortem, ac ſæuis cruciatibus inſtans*
*Supplicia exquirit: neque enim aut lamenta parentum,*
*Coniugis aut moueant lachryma, aut data munera flectant;*
*Mors illi pretium: & tormenta immania curæ:*
*Vinclaque, Carcerque, & nodoſo ex ære cathena.*
*Vindictam Dea pro ſcopulis, quibus ipſa pependit*
*Depoſcens, ſtudia hæc naſcentibus improba monſtrat.*
*Carnificeſque manus, & acutam in colla ſecurim;*
*Diuellitque artus truncos, & viſcera mandit*
*Sæua impaſta fame; vel cum minus improba ſæuit*
*Præficit effoſſis granida & tellure metallis.*

Hæc de hoc ſidere horoſcopante ludit Pontanus; ſed & de eodem Occidente peiora pronunciat: ſic enim ſubdit,

*Sæuior obijcietque feris & corpora truncis*
*Affigens, animam extremis cruciatibus aufert.*

*Perpetuis etiam vinclis, & carcere tetro*
*Damnabit: ſi forte minax hinc inde benignum*
*Stet ſidus, dubio certans vtrinque fauore.*

Vtcumque ſit, hoc vnum moneo hucuſque dicta ſeu vera ſint, u Poëtarum ſomnia à noſtro hemiſphetio ob ſideris maxi- am altitudinem longè fieri neque enim vnquam aut oritur, t occidit niſi fortè quoad paucas admodum ſtellas infimæ tæ: quare & effectus etiam ſi quos habet infauſtos in nihi- m cedunt. 196.

ANEPATROS apud Ptolem. *lib. 3. cap. 7.* iuxta verſionem rab ſignificat genituram trium Maſculorum, in quam con- niant, Saturnus, Iupiter, & Mars.

ANGETENAR Arab. dicitur fixa in corpore Ceti quartæ ma- 197. itudinis de natura Saturni: de qua in V. Cetus.

ANGVLVS dicitur id quod conſtat ex duabus lineis in vnum 198. unctum deſinentibus: definitur enim ab Euclide quod ſit *dua- um linearum mutuus contactus.* Vnde in ædificiis, vbi duo pa- ietes in vnum coëunt, anguli appellantur. Hinc apud Aſtro- omos quatuor Cœli puncta, ſeu Cardines, vnde Ortus, & Occaſus, Culmen & Imum incipiunt Anguli appellari ſolent. t angulus quidem Medij Cæli dicitur Meridianus ſuperior, ulmen, Cor cœli, & decima domus, in qua Sol conſtitutus fficit Meridiem. Angulus Imi cœli Meridianus inferior, ſeu uarta domus. Angulus Orientis pars ſupra terram emergens ſcendens, Horoſc. & Prima domus, ad quam cùm Sol per- enerit incipit diem: Angulus denique Occidentis dicitur pars la quæ à ſuperiori ad inferius hemiſphærium deprimitur, & unctum Occaſus in qua Sol incipit noctem.

Porrò Angulus genericè ſumptus apud Geometras diuiditur 199. n rectum, acutum, & obtuſum. Angulus rectus eſt cum inea recta perpendiculariter cadit ſuper aliam rectam in plano onſiſtentem, ita ut vtrinque æquale ſpatium liquat: vbi enim lteram lineam tangit duos angulos rectos efformat. Acutus ninor eſt Recto, hoc eſt minus ſpatium inter vtrumque latus elinquit, eſtque magis acuminatus: obtuſus verò eſt recto naior, minuſque acuminatus. Item omnes iſti anguli ſubdi- idi poſſunt in rectilineos, curuilineos & mixtos. Rectilinei unt qui ſub rectis lineis continentur: curuilinei, quorum traque linea curua eſt, & circularis: mixti denique quorum na linea curua eſt, altera recta. Ex tribus verò lineis ſe mutuo angentibus efficitur triangulum, quod diuiditur in Rectan- gulum, Æquilaterum, Iſoſceles, Scalenum, Amblygonium, Oxygonium. Similiter ex quatuor lineis coëuntibus efforma- tur quadrangulum conſtans ex quatuor angulis: quod etiam di-

uiditur in perfectum quadratum, Rhombum, Rhomboidem, & Parallelogramma: Quorum ſingula, ſicut & trianguli ſpecies ſuo loco ſub propriis nominibus explicantur.

200. Annael Arab. teſte Hali, idem ſonat, ac translatio luminis quod contingit quandocumque fuerint tres Planetæ platicè coniuncti, quorum Medius ſuperet alios in motu, & leuitate; qui profectò ab vno ad alium tranſiens, dicitur transferre lumen anterioris ad poſteriorem.

201. Annulus *Aſtronomicus* Inſtrumentum eſt Mathematicum pluribus annulis, ſeu circulis conſtans, ad ſiderum poſitus, altitudines, declinationes metiendas aptiſſimum: quippe quod totam Sphæram, deſcriptoſque in ea circulos, & præcipuas fixas, non ſecus ac Planiſphærium, proindeque totam cœleſtem doctrinam velut in ſpeculo coarctatam, exquiſitiſſimè continet. De eo ſcripſerunt abundè Gemma Friſius, Ioan. Turſner, Bonerus, Io. Dryan. & alij.

202. Annus communiter dicitur circuitus quidam temporis, quo expleto reditur ad idem punctum. Vnde Seruius ab Annulo dictum putat, alij à Græco verbo Ἐ'νος alij aliunde deriuatum contendunt. Antonomaſticè & abſque vllo adiuncto accipitur pro integra Solis reuolutione in Zodiaco, incipiendo ab initio Arietis vſque ad finem Piſcium quæ perficitur ſpatio 365. dierum, & fere ſex horarum. Hinc Aſtronomi annum computant ab æquinoctio verno, & eam ob rem Mundum eò potiſſimum tempore creatum tenent.

203. Datur etiam annus Lunaris conſtans duodecim Lunationibus, quarum ſingulæ continent dies 29. hor. 12. & min. 44. itaut totus annus includat dies 354. hor. 8. min. 48. ſitque 11. fere diebus minor anno ſolari. Vnde exorta ratio Epactæ, Periodus Callipica & aliæ æquationes de quibus infrà.

204. Porrò Annus ſolaris diuiditur in Tropicum, & Sidereum: Tropicus eſt ſpatium temporis, quo Sol recurrit ad punctum æquinoctium, vel ſolſtitium, vnde initio anni diſceſſerat, & eius magnitudo eſt ſemper æqualis dierum 365. hor. 5 min. 55. circiter, & ſolum variatio eſt in aliquibus ſecundis, & terriis. Diciturautem Tropicus à Græco verbo τρόπος, quod conuerſio interpretatur. Sidereus ad ſidera, hoc eſt fixas refertur, & eſt ſpatium illud temporis, quo Sol, integro Zodiaco peragrato reuertitur ad ſtellam fixam in cornu Arietis, ſeu aliam quamlibet, in octauo orbe conſiſtentem; vnde ſemper maior Tropico eſt annus ſidereus, & continet ſecundùm Thebit (qui primus huius anni ſiderei inuentor fuiſſe creditur) dies 365. hor. 6. min 9. De qua re vide Ptolemæum *lib. 3. ſuæ magnæ conſtructionis.*

Annvs *Magnus* ſimpliciter ab aliquibus dicitur reditus om-
ium Stellarum ad idem punctum vnde diſceſſerant ab initio
Iundi, cum primùm moueri cœperunt: quod fit ex Cicerone
atio 12954. annorum ſolarium. Aſtronomi verò rectiùs ap-
llant integram reuolutionem octauæ Sphæræ ſeu Firmamen-
, quam Ptolemæus, alijque antiquiores ſtatuebant in annis
000. Recenſiores autem in annis 4900 quo etiam tempore
ſeruatum eſt, omnes orbes cæleſtes redire ad idem punctum
i erant initio Mundi, cum primum creari ſunt. Vnde (vt id
iter dicam) non omninò inanis eſt opinatio illorum, qui
lunt, totidem annis Mundum ipſum duraturum: eò quia
*t perfecta ſunt opera*, & dum tantum temporis ſpatium ſin-
lis orbibus ad ſuum curſum perficiendum Diuina conſtituit
ouidentia, æquum non eſſe, nec credibile, vt nolit poſteà
rum motus abſolui, atque ad idem punctum, vnde moueri
perant, non redire. Sed hæc imperſcrutabilia ſunt, quæ Deus
ſua poſuit poteſtate: vnde circa ea ludere quidem poteſt
mana ſapientia, collineare non poteſt.

Annvs *Ægyptius*, qui etiam *Perſicus* dicebatur, conſtabat 206.
uolutione dierum 360. quot videlicet ſunt gradus in Zodia-
, itaut ſinguli menſes 30. dierum ſpatio conſtituerentur.
uoniam autem hac reuolutione Sol non perueniebat ad lo-
m ſuum, vnde diſceſſerat; ſed adhuc quinque dies deſidera-
ntur; hos quaſi adiectitios & ſupernumerarios extra men-
s ipſos, antequam nouum exordirentur annum computa-
nt; neglecta intercalatione horarum ſex, quæ ſingulis qua-
iennis vnum diem conſtituunt: ideò abſolutè hic annus erat
ntum dierum 365. vt paſſim tradit Ptolemæus in Almageſto.
At quia, vt modò diximus ſingulis annis prætermittebantur 207.
ræ ſex, quæ requirebantur, ad hoc vt Sol ad idem punctum
diret, vnde diſceſſerat; inde fiebat, vt quarto quoque anno,
nus Ægyptius integro die ante ſolſtitij priſtini diem abſol-
retur, & in annis 40. anteuerteret per decem dies, & in
nis 1460. per dies 365. hoc eſt per vnum annum. Quare
olutis annis cæleſtibus 1460. tranſierant iam anni Ægyptij
61 & initium anni Ægyptij, ſeu prima dies primi menſis,
i dicebatur *Thoth* redibat ad eandem diem, tempuſque cœlo
ngruens. Hæc verò periodus annorum Iulianorum, ac ferè
eleſtium 1460. ſed Ægyptiorum 1461. dicta eſt.

Annvs magnvs *Canicularis*, & Periodus Cynica, ſeu So- 208.
iaca, à Canicula, quæ Græcè dicitur Cynos, & Sothis, eò
od hæc periodus inuenta fuerit à coniunctione, & ortu ma-
tino Solis cum Canicula.

Anni magni *Luni-ſolares* ſunt quibus peractis Lunæ, Soliſ- 209.

que ſyzigiæ ad idem diei momentum reuertebantur: inde

109. Annvs magnvs *Metonicus* dictus eſt à Metone Athenienſi eius inuentore. Cùm enim, vt ſuprà dictum eſt, quilibet annus Solaris ſuperet annum Lunarem (conſtantem duodecim perfectis Lunationibus, quarum ſingulæ complentur diebus 29. hor. 12. min. 44.) vndecim ferè diebus; hinc eſt, vt ſingulis annis, Nouilunia totidem diebus anticipent, donec in annis 19. numerus compleatur, & Nouilunia redeant vt erant prius. Sicque annus iſte Metonicus conſtat diebus 6939. cum horis 16. & dimidia, quot ferè diebus, & horis conſtant omninò vndeuiginti anni Solares, comprehendunt enim iſti ad amuſſim dies 6939. & horas 18. itaut hæc periodus vna hora & ſemiſſe Lunarem ſuperet, quam communem, & congruentem Luminarium periodum primus omnium inuenit Meton, vt diximus, à quo ei nomen eſt inditum: Et hic decemnouennalis recurſus, Aureus numerus appellatus eſt, de quo ſuo loco. Porò quoniam Luna, vt modò dicebamus, horâ vnâ, & ſemiſſe à Solis decemnouennali curſu, diſcrepat, ac præcedit, inde fit, vt in quatuor annis magnis Metonicis, hoc eſt in annis communibus 76. ipſa anticipet per horas 6. & in annis 312. & ſex menſibus, integrum diem præcedat, & ſucceſſiuè ſemper magis ac magis exereſcat hæc deuiatio, quæ tandem tum ob Lunæ Emboliſmicam Lunationem quæ aliquando anno Lunari ſuperadditur, (qui proinde *Annus Emboliſmicus* hoc eſt inſititius dicitur conſtans ex re, decim Lunationibus) tum ob Solis inæqualem motum, in Zodiaco poteſt in ordinem reduci, atque exquiſitiſſimè compleri; ita ut Annus lunaris ad amuſſim cum Solari conueniat. Qua de re conſule librum nouæ rationis Kalendarij Romani reſtituendi juſſu & authoritate Gregorij XIII editum. Cæterum hæc periodus communiter appellatur Callippica ab eius repertore Callippo, vt in loco dicemus.

110. Annvs *Periodicus* apud Chronologos ſignificat durationes & fata Imperiorum. Teſtantur enim Hiſtoriæ omnium temporum, ſi à prima ſua origine repetantur Regna, & Reſpublicas potentiores quingentis tantummodo annis floruiſſe; Plurima verò hunc terminum non attigiſſe; nulla aut pauca ſuperaſſe. Annus ergò quingenteſimus Imperiorum *Periodicus* dicitur, eò quia circa eius finem Imperia, & Monarchiæ, aut in totum cedere, aut mutationem aliquam conſiderabilem ſubire ſoleant. Id paſſim obſeruare eſt in Imperio Græcorum, Medorum, Aſſyriorum, ac denique in Romano. Et mirum eſt, quomodo hebdomades ſeptuaginta Danielis ad hanc etiam periodum apprimi reſpondeant, cum de aduentu Chriſti, & in-

:nti rerum mutatione ſequuta poſt annum 490. quo hæc præ-
xerat Gabriel Danieli, vt explicant paſſim Expoſitores ſuper
ıc Danielis caput. Cuius rei cauſam, alij in Cœlorum mo-
s, atque in aliquam fixam, quæ regionibus fiat Verticalis
ferunt, alij in tranſitum Superiorum Planetarum ex vno in
um Trigonum; alij, vt Plato in miram quandam numeri
rmoniam, quia, inquit, ſexquitertia radix juncta quinario
as efficiat harmonias, vltrà quas, cum Natura poſteà dete-
ores gignat, circumactam periodum neceſſe eſt finire Impe-
ı. Alij rectiùs in hominum, Principumque nequitiam vt
pè diuina teſtantur eloquia, cauſam mutationum regnorum
ijciendam cenſent: ſæpè etenim propter populi peccata
incipes, & Reſpublicæ puniuntur; Vnde cùm ad certam
etam peruenerint, quæ diuinam concitat iram in eorum pœ-
m Reſpublicæ, quò nil triſtius euertuntur.

ANOMALIA Græcè, Latinè dicitur irregularitas motus ali- 211.
ius Planetæ: aliquando etiam ſumitur pro ipſo argumento
regularitatis, & æquationis adhibendæ; quod argumentum
t arcus inter lineam abſidum, & lineam motus medij, ſeu eſt
ſtantia loci medij Planetæ ab Apogæo. Atque id potiſſimùm
:enditur in Luna, vt vera eius cum Sole conjunctio dignoſci
ıeat. Cum enim compertum ſit, Solem non vniformiter
oueri in Zodiaco; quandoquidem in ſemicirculo Boreali
oratur octo ferè diebus cum dimidio magis, quàm in Auſtra-
, hinc deductum eſt, ipſum inæqualiter moueri in quadran-
ous Zodiaci: Nam tempore Hipparchi, & Ptolemæi plures 212.
es inſumebat in primo quadrante, hoc eſt ab æquinoctio
erno ad ſolſtitium Æſtiuale, quam in ſecundo: noſtro autem
mpore ſegnior eſt in ſecundo, quàm in primo; tardiſſimus
tem circà gradum ſextum Cancri. Cuius irregularitatis cau-
m ſaluat Blancanus in ſphæra Mundi... Idipſum videre etiam
t in Luna: Propterea inquiritur eorum Anomalia, vt per
m habeatur æquatio, & verus motus, ſicque punctum præci-
m eorum veræ ſynodi haberi poſſit.

ANSER, Olor, Gallina, ſidus in Cœlo ad Borealem pla- 213.
m de quo vide in Verbo Cignus. Item.

ANSER *Americanus* nouum item ſidus ad polum Antarcti- 214.
m non ita pridem ab Americæ repertoribus detectum, atque
Aue quadam propria illarum regionum, vernaculo earum
cabulo dicta *Toucan*, nominatum. Quare vide in V. *To-
can*.

ANTARCTICVS hoc eſt oppoſitus Arctico dicuntur tam Polus 215.
uſtralis nobis inuiſus, quàm circulus circà eum formatus à
olo Zodiaci item auſtrali nobis etiam in conſpicuo.

Digitized by Google

216. Antares Græcè dicitur Cor Scorpij, ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Martis, & Iouis vna ex ſtellis regiis, ſed etiam ex violentis. Vnde cum Luminaribus reperta maximas dignitates pollicetur, ſed non ſine vitæ diſcrimine, ac violentia: Cum Venere inclinat ad Muſicam, & Poëſin: Cum Luna in bono aſpectu beneficatum gratiam Principum comparat, facitque eorum intimum familiarem. Vide in V. *Cor Scorpij.*

217. Antascones, quaſi ſub contrario axe vocantur populi habitantes in locis diametraliter oppoſitis, à quorum videlicet plaga ad alteram correſpondentem Linea imaginariè porrecta, neceſſariò tranſire debet per centrum Mundi, vnde etiam appellantur.

218. Antigenæ ab Alberto Magno, quaſi contrarios omninò effectus experientes: & à Græcis.

219. Antichtones. Siquidem locorum diametraliter oppoſitorum incolæ ijſdem anni temporibus contrarios aliis effectus habent. Sic dum Sol in vna parte Meridiem facit, in altera Medium noctis inducit: dum vni diem longiſſimum, ac noctem breuiſſimam, alteri è contra noctem breuiſſimam, diem longiſſimum procreat: dum vni æſtum, alteri frigus, dum vni Ver, alteri Autumnum parat, iis demptis, qui ſub æquatore verſantur, nam iſtis ſolum in diei noctiſque alternatione eſt cum prædictis communicatio, cæterùm ibi vt alibi dictum eſt, ſemper & vbique æquinoctium: tam hic quàm illic eodem tempore hyems aut æſtas: eadem caloris intenſio, idem hominum color. Hi à noſtris communiter ſumpto à Græcis vocabulo appellantur.

220. Antipodes quaſi obuerſis pedibus incedentes, ambo enim, vt ait Plinius *aduerſa ſuis oppoſitis premunt veſtigia*; itaut vulgus exiſtimet, noſtros Antipodas, capite deorſum verſo incedere. Hos deridet D. Auguſtinus *lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 9.* Imò ex teſtimoniis ſacræ Scripturæ contendit probare nulla ratione credendum eſſe Antipodas inueniri, proindeque eſſe hæreticum illos aſtruere: *Quia*, inquit, *cùm diuina Scriptura teſtetur homines ex vno Adam in hoc noſtro hemiſphario progenitos, nimis abſurdum eſt dicere, aliquos homines ex hoc in aliud hemiſpharium, impertranſibilis Oceani immenſitate traiecta, nauigare potuiſſe, vt etiam illic humanum genus propagarent.* Id ipſum ſenſere etiam Lactantius Firmianus *lib. 3. Diuin. Inſtit. c. 24.* Beda *de ratione temporum cap. 32.* Procopius Gazæus, alijque Patres, adeò vt olim malè audirent qui eos ex congruentiis ac Mundi ſitu admittere compellebantur, ſuamque ſententiam proferre minimè auderent. Cæterum noſtris temporibus vſq;

221. adeò certum eſt dari Antipodas atque in regionibus noſtris ter-

oppoſitis, homines ex Adam vtique propagatos, vt illos gare modò, perinde ac delirare ſit: Nauigant enim quo-ue ad eos Mercatores noſtri, ac Religioſi homines ad Euan-lium prædicandum, indeque illi ad noſtras Regiones, ac ui temporis ſpatio toto penè emenſo, ac remenſo Oceano, nos cum mercibus, & inuiſi vultus hominibus reuertuntur: ide magna Catholico Regi, cuius auſpiciis & impenſis riſtophorus Columbus eas oras detexit non tam regnorum, àm opum acceſſio facta eſt. Excuſandi ſunt tamen prædicti tres, ex zelo fidei, ſi aliter tam conſtanti animo cenſuere, , ſi eos fortè ex Solis congruentijs admiſiſſent, cogerentur eri, tales homines ex Adam non pr[illegible]eatos, quandoqui-m conſtans omnium ſcriptorum fama eſſet, vel ab Clementis npore, quod inter hanc Borealem & illam Auſtralem pla-m immenſus interfunderetur Oceanus, quem nullus homi-m permeaſſet vnquam ſed nec permeare potuiſſet. Nondum im prætergreſſæ erant Herculeæ illæ Columnæ in quibus alis inſcriptio *Non plus vltrà* omnes ab vlterioris nauigatio-s ſtudio arcebat, abſterrebatque. Porrò ſi quis vnius loci An-podas exſpicari velit, eius longitudini Geographicæ addat . 180. additamenti poſtremo numero ſiſtatur index, qui di-o Antipodarum Meridianum demonſtret, in quo tot gra-s latitudinis enumerantur verſus plagam vnam, quot lati-linis habet in plaga altera data Ciuitas, & voti compos erit. : Malaca in Hiſpania diametraliter oppoſita eſt Capiti Corſo Blanco in America non procul à Braſilia: ſic Inſulæ Borneo Taprobana Antigena eſt regioni Amazonum, & Lacui Pa-næ item in Americæ: ſic Riuus argenteus dictus *Rio de La ata* extremis finibus Chinenſium, vbi ad ſe tutandum ab in-rſionibus Tartarorum murum 400. leucarum extruxerunt, ſic de ſingulis: Et hæc de Antipodis ſeu Antichthonibus di-i ſint, qui etiam.

ANTAZONES dicuntur teſte Ioſepho Laurentio in Amalthea, 222.
quia ſub contraria Zona vitam degunt.

ANTICHTONES etiam vocat Macrobius habitatores quos 223.
git in Luna, quaſi in oppoſita terra habitantes, qua de re de in Verbo Luna.

ANTECANIS vocatur ab Hippocrate, ac Tullio Canis minor 224.
ocyon, eò quia ſit Canis maioris Prodromus, & paulò antè ſum oriatur, hoc eſt circa octauum Kalendas Auguſti, cum ta-en Canis maior oriatur Romæ circa ipſas Kalendas; quo mpore inquit Hippocrates, *Potiones mala.*

ANTICA Arabicè dicitur interior, & caua pars Aſtrolabij 225.
mprehendens tabulas ac retè, quod limbo intrà quem ob-

uoluitur, circumſcribitur. Dicitur etiam *Mater*, ſeu etiam *Matrix* quia perinde ſe habet, ac ſi tabulas quaſi filios in vtero gerat.

216. Antinovs ſidus in cœlo propè æquatorem ad Auſtralem plagam ſub Capricorno ſitum formatum ex aliquibus ſtellis informibus; cum Ptolemæus ipſum inter 48. imagines non connumerauerit. Keplerus ei aſſignat ſtellas ſeptem, at verò Baierus vndecim: dicitur etiam ab aliquibus Ganimedes.

217. Antiscia hoc eſt intuentia ſunt partes ſignorum æquè diſtantes à Tropicis, aut ab Æquatore, quæ quidem ſi ſint eiuſdem potentiæ & eandem habeant declinationem tam numero quam regione dicun[illegible] abſolutè intuentia, & primaria; ſi verò ſint eiuſdem quidem declinationis, ſed denominationis diuerſæ, vocantur communiter contrantiſcia ſeu Imperantia & obedientia, atque Antiſcia ſecundaria: & ſanè quod ad partem Borealem declinat, dicitur imperare ei, quod flectit ad Auſtrum. Porrò Vulgus Aſtrologorum computat planetarum Antiſcia in Ecliptica ad numeros reſpondentes, etiamſi illi aliquam habeant latitudinem: quò fit vt ſæpenumerò ea pro Antiſciis accipiantur, quæ verè ex Ptolemæi mente Antiſcia non ſunt; cum non eoſdem cum Planetis inueniantur deſcribere parallelos, aut in eodem parallelo conſiſtere. Notum quippe eſt variata ſæpè latitudine variari etiam declinationem, variari, & parallelos. Vnde ſi Planeta latitudine præditus eſt, ſicut in eius declinatione accipienda, latitudinis ratio habenda eſt, ita & in eorum Antiſcijs ſupputandis, quæ profectò nihil aliud ſunt, quàm iidem vel æquales paralleli ſeu æquidiſtantia à Tropicis, aut ab æquatore. Quapropter meritò Placidus de Titis *in ſua Caleſti Philoſophia* relicto nomine antiquo propriore vocabulo, ea parallelos declinationis appellat.

218. Ad extrahenda igitur vera Planetarum Antiſcia, accipienda eſt eorum declinatio, atque eadem prorſus in ſignis Antiſcijs ſiue Intuentibus, ſiue Imperantibus & Obedientibus, ſiue in Ecliptica, ſiue extrà, inuenienda, & hic locus erit verum Planetæ illius Antiſcium; ad quem poſteà deductus ſignificator completur directio, perinde ac ſi pertingeret ad aliquem eius aſpectum, & Intuentia æquiparantur coniunctioni, Imperantia vero, & Obedientia oppoſitioni.

Ponamus caſum, quod Sol verbi gratiâ, qui ſemper incedit per Eclipticam reperiatur in gr. 10. min 20. Leonis, eius Antiſcium benè erit in gr. 19. min.... Tauri in Ecliptica item computatum (vt aliàs fieri ſolet) eo quia ambo iſta loca conueniunt in eadem declinatione Boreali gr. 17. min. 43. At enim demus Lunam reperiri in alicuius Natiuitate in gr. 25. Cnacri, cum

m latitudine meridiana gr. 5. verum eius Antiſcium non erit gr. 5. Geminorum qui correſpondet gradui 25. Cancri, vt ſgaria tradunt præcepta, eò quia de iis minimè verificatur olemæi dictum, quod *æquales temporis ſpatio oriuntur & æquatio diſtent ab eodem vel ab vtroque punctorum æquinoctialium;* id indagandum ſiue in Ecliptica, ſiue extra in eodem paral-o declinationis Lunæ, quæ cum data latitudine erit gr. 16. n. 18. Igitur eius verum Antiſcium erit grad. 14. min. 40. uri in Ecliptica; quia hic gradus tali præditus eſt declinaae, atque incidit in eundem parallelum cùm Luna: ad quem leà gradum directus Sol, iure dicitur ad Lunæ Antiſcium iolutus.

Accidit etiam, vt Planeta tanta ſit præditus latitudine, vt indoque eius Antiſcium extra Eclipticam prorſus, imò im extra viam realem alicuius Planetæ ſignificatoris cadat; proinde eius Antiſcium planè vacuum effectu remaneat, ppe quod nunquam ab aliquo ſignificatore per viam ſuam lem incedentem per directionem attingi poteſt: & ideò in caſu eius ratio habenda non eſt. Sic ponamus Martem repe- in eodem gradu 25. Cancri, ſed cum latitudine boreali, m ſanè habere poteſt graduum nouem: tunc eius Antiſ-n extra Zodiacum cadit, cùm eius declinatio ſit grad. 30. m neque Sol neque vllus ſignificator vnquam attingit, cùm ummum ea in Sole excedere non poſſit gr. 23. min. 31. & in a quacumque latitudine prædita maior eſſe nequeat, quam 26. min. 7. Vnde cùm nunquam poſſint pertingere incedo per viam ſuam realem, ad parallelum declinationis rtis; nunquam etiam directione poſſunt ad eius Antiſcium uci, benè verò ad eius Contrantiſcium, ſeu parallelum diſæ declinationis, quod ſecat Eclipticam, aut orbitam Lunæ quam realiter incedit; ita vt motu ſuo pergens, ad illud dem perueniat. 229.

adem ratione qua in Zodiaco per æquidiſtantiam à punctis dinalibus conſiderantur Antiſciæ, quæ ſunt eiuſdem poiæ, & eiuſdem penè actiuitatis, ac corpora ipſa Planeta-s eadem inquam ratione ſulia plurimis experimentis inioſè admodum adinuenit P. de Titis *in Cæleſti Philoſophia,* iſcia in mundo per æquidiſtantiam videlicet à Cardinimundi: quos, ſicut illos parallelos declinationis, ita & in ſenti parallelos coſmicos placuit appellare, qui planè dem virtutis & efficaciæ atque Antiſcia in Zodiaco, eſſe iperiuntur: ſed de his iterum redibit ſermo in V *Paralleli.* 230.

NTISCII apud Geographos appellantur populi habitantes in s Antiſcijs, ſic dicti eò quod obuerſas inuicem vmbras 231.

habeant; ſicut & *Amphiſcij*, qui quadruplici vmbra verberantur; & Periſcij, qui eandem habent verſatilem, & circularem. Similiter.

832. Antipathia Græcè dicitur naturalis ille rerum diſſenſus, & contrarietas, quam paſſim videmus, & admiramur, ad aliam cauſam id refundere non valentes, quam in dependentiam, & ſubordinationem quam habent inferiora iſta ad ſuas cauſas ſuperiores vniuocas, vel diuerſas. Qua de re vide in V. *Sympathia.*

833. Antoeci dicuntur: quaſi contrahabitabiles, populi in æqualibus, ſed oppoſitis parallelis, hinc inde ad æquatorem conſtituti, ita vt habeant eandem latitudinem locorum, eamdem numero Poli eleuationem, ſed non eiuſdem, quantum enim attollitur his Polus boreus, tantum illis auſtrinus, vnde conſequenter habent æquales, ſed in oppoſitis ſignis aſcenſiones, æquales arcus diurnos, pariterque nocturnos; æquales demum temporum diſpoſitiones, locorumque temperies, ſed non æquè, hoc eſt non in eiſdem menſibus, ſed in oppoſitis: dum enim iſtis ſolſtitium æſtiuum accidit, & vndique æſtu torrentur, illos è contrario hyemis rigor corripit, & inſolens frigus: quando iſtis floridum Ver arridet, illi Autumnale tempus experiuntur, & magnam fructuum copiam colligunt. Tales ſunt accolæ capitis bonæ ſpei, & habitatores Moteæ, Zacynthi, &c. Extremum inſulæ ſancti Laurentij dictæ vulgò Madagaſcar, & Mare rubrum: ſicut è contra Periœci vocantur qui habitant ſub vno Meridiano, eodemque parallelo, ſed in locis eiuſdem paralleli oppoſitis, vt dicemus in ſuo loco.

AP

834. Aparctias Græcè dicitur ventus Septentrionalis vnus ex quatuor Cardinalibus, ſic dictus ab Arcto, ſeu Polo Arctico, vnde exſufflat. Eſt generaliter frigidus, & ſiccus, niuoſus, ſerenitatis author, corruptionis vindex, & omnium ſaluberrimus, licet ob nimiam frigiditatem ſit floribus, & germinibus nouis infenſus: ab Italis audit *Tramontana.*

835. Apeliotes, Græcè Eurus, Latinè dicitur, ac Subſolanus, Ventus ſpirans ab ortu æquinoctiali: ſic dictus ab oriente Sole. Eſt item vnus ex quatuor Cardinalibus, calidus, & ſiccus, ſed tamen cum inſigni temperie; ideoque à Ptolemæo ſanguineus dictus. Noctu plerumque ſilet, & incipit ſpirare oriente Sole. Hyeme producit gelu: æſtate verò ſerenitatem adducit. Conſeruat corpora, ac ſalubritatis eſt parens. In Italia vocatur *Leuante.*

836. Aperitio *Portarum* apud Aſtrologos audiunt maximæ quædam atque euidentiſſimæ aëris, ac temporum mutationes quæ

Digitized by Google

ınquam ferè fallunt, experientia teſte, ſed certiſſimum ſem-
er ſortiuntur effectum; idque ſit in certis Planetarum con-
reſſibus, aut irradiationibus. Et potiſſimum hoc obſeruatur
ı Planetis dominis oppoſitarum domorum, vt Saturni, & So-
s (Aquarius enim Saturni domicilium opponitur Leoni, cu-
ıs dominator eſt Sol, & ſic de reliquis.) Saturni, & Lunæ,
ouis & Mercurij; Martis, & Veneris. Quandocumque igitur
ti Planetæ, vel corpore iunguntur, vel de quadrato, aut de
ppoſito ſe reſpiciunt, magni quidam effectus expectandi ſunt
rca aëris mutationem; præſertim ſi Luna ſeſe immiſceat,
que ab vno ad alterum defluat. Et Saturni quidem cum Sole
ongreſſus adducit aëris turbulentiam, frigus maximum, ſi
mporis ratio id petat, in ſignis terreis nebulas: in aqueis plu-
ias, & congruenti tempore, niues; præſertim ſi Saturnus
ierit diſpoſitor præcedentis luminarium conjunctionis, aut
ppoſitionis. Iouis, & Mercurij congreſſus, quadratus, aut
ppoſitio adducit ventos magnos, terræ motus, eradicationes ar-
orum, ædificiorum, & ſimilium. Tandem Martis & Veneris
onuenientia gignit imbres, grandines, coruſcationes, toni-
rua cum fructuum pernicie. Hæc, inquam, tria genera aperi-
onis portarum ſemper ſortiuntur ſuum effectum, minorem
uidem quando inuicem conjunguntur, maiorem, quando
pponuntur, & maximum, quando intercedit Luna, Venus,
ıt Mercurius, ita vt eorum aliquis defluat à leui ad pondero-
ım; vt ſi Luna deflueret à Sole ad Saturnum (aut Mercurius,
ui ex ſe ſignificator eſt pluuiæ) tunc enim magna imbrium
opia expectanda erit, præſertim ſi eorum aliquis ſit retrogra-
us, aut ſi planeta retrogradus alteri portas aperientium cor-
ore jungeretur.

Aphæŕetæ Græcè dicuntur ſtellæ abſconditæ ſynodicè ob 237.
olem vicinum, cuius radijs earum fulgor extinguitur.

Aphéta, hoc eſt dimiſſor dicitur apud Græcos Vitæ dator 238.
ırabibus *Hileg*, ſeu *Hylech*; eſtque apud Aſtrologos luminare,
lanera, aut alius locus in Cœlo, qui in geniturís vitæ domi-
ium ſortiatur. Et benè quidem affectus, robuſtus, in bono-
ım aſpectu, vitam robuſtam, diuturnam, validam, pau-
iſque ægritudinibus obnoxiam pollicetur: malè conſtitutus,
ebilis, in malorum dignitatibus, ſeu eorum hoſtili radio in-
ſtatus, mala affert in vita, & quandoque interitum, ſi dire-
tione perueniat ad locum Anæreticum, hoc eſt abſciſſorem.
Quæ autem ſint loca Anæretica, dictum eſt in V. *Anæreta*. Por-
ò quinque tantum ſignificatores ponit Ptolemæus, qui ſortiri
oſſint virtutem Aphæticam: luminare conditionarium; So-
em nempè de die, Lunam de nocte: Planetam, qui plures

prærogatiuas obtinet in locis luminarium, Aſcendentis, partis fortunæ, & præcedentis luminarium conjunctionis, aut oppoſitionis, & ipſam partem fortunæ, ſeu horoſcopum lunarem de nocte: ſi modò repeiiantur in locis idoneis, hoc eſt in Aſcendente, decima, vndecima, nona & ſeptima domibus videlicet, quæ aut ſint ipſe horoſcopus, aut cum eo aliquam habent familiaritem, & aſpectum. Hinc duodecima, & octaua, quia nullam cum horoſcopo connexionem habent, & adhuc vaporibus è terra emergentibus ſunt implicatæ, ideò ab hoc negotio excluduntur: vnde ſi in iis reperiatur aliquis ſignificator, ad quem aliàs de iure vitæ prorogatio pertineret, is prætermittitur, & ſumitur alius ex ordine ſuccedens; modò is etiam in locis aphæticis reperiatur: alioquin, ſi nullus ex quatuor ſupradictis idoneus fuerit repertus, aſſumendus eſt ipſe horoſcopus, & Linea orientalis in vitæ prorogationem; qui nihilominus ſemper, & vtcumque ſit generalem habet vitæ, & valetudinis ſignificationem. Quoad planetam potiores dignitates obtinentem in locis principalibus Geniture modo enumeratis, aduertunt aliqui ipſum, præter idoneum cæli ſitum, debere eſſe inſignitum optimis prærogatiuis, adhoc vt vice luminarium aphætica dignitate gaudere poſſit, nimirum vt ſit in Angulis, plenus lumine, curſu velox, atque in ſuis dignitatibus eſſentialibus. Alij ab hac prærogatiua excludunt maleficos ob ſuam malignitatem, & Mercurium ob natnram eius verſatilem, ac luminis imbecillitatem, & ſolos beneficos admittunt, eoſque non abſolutè, ſed Iouem in Genituris virorum, Venerem autem in fœminarum, nec quidem frequenter, ſed rarò admodum & cum ſunt in genitura nimium potentes, luminaribus vice verſa debilibus, & afflictis: Alioquin ſemper aut pars fortunæ de nocte, aut horoſcopus de die ſumendum præcipientes.

239. Aphelium Græcè dicitur punctum illud in quo tellus, aut ſidus aliquod maximè diſtat à Sole: ſicut *Perihelium* punctum, in quo à Sole quam minimè diſtat.

240. Aphæretæ appellantur à Græcis planetæ minuti numero, quando videlicet efficiuntur tardiores, & eorum motus diurnus eſt minor motu medio: de qua re vide Maginum, alioſque in Iſagog.

241. Aphetes, teſte Valla, dicitur planeta retrogradus, cum mouetur ſuo motu, proprio ab ortu ad occaſum, hoc eſt à conſequentibus in antecedentia ſigna. *Poſthetes* autem, cùm eſt directus, & mouetur ab occaſu in ortum ſemper ad conſequentia ſigna.

242. Aphrvimis Græcobarbar. dicitur in Sphæra barbarica pri-

ius Decanus Leonis exiſtens ſub diſpoſitione Saturni, atque
deò habet ſignificationem crudelitatis, violentiæ laboris,
udaciæ, libidinis, &c.

Aphut in Sphæra barbarica dicitur tertius Decanus Virgi- 243.
is ſub dominio Mercurij ſenectutis, pigritiæ, debilitatis
iembrorum ex morbo, arbores vellendi, ciuitates deuaſtandi. 244.

Apis, ſeu Muſca ſidus in cælo ad polum Antarcticum non
a pridem detectum habens quatuor ſtellas ſub ſigno Sagitta-
j. Item.

Apus dicitur aliud ſidus nouum ad polum item Antarcticum, 245.
onſtans ſtellis 12. infimæ notæ, alio nomine Manucodiata, &
ud nos Paradiſi auis.

Aplanes Græcè idem ſonat ac non diſcurrens, & eo nomi- 246.
: ſignificantur ſtellæ fixæ ob contrariam planetis conditio-
:m, quaſi minimè errones, & diſcurrentes ſimiliter ab iis.

Aplanes dicitur Firmamentum, & Orbis in quo ſtellæ hu- 247.
ſmodi fixæ ſunt.

Apocastasis apud Græcos idem ſonat ac reuolutio integra 248.
leris, quà toto circulo confecto redit ad idem punctum vnde
oueri cœpit, quæ & periodus à noſtris dicitur. At ſi poſt
nfectum circulum vlterius reuoluatur donec conjungatur al-
ri aſtro, dicitur *ſynodus*: tranſitus autem ab arcu, aut puncto
iquo inſigni ad aliud dicitur *Parados*.

Apodeate. Hoc vocabulo vtitur Ptolemæus *cap. de Monſt.* 249.
verſione Arab. dicens, quod quando fortunæ fuerint apo-
ate de luminatibus, & ipſa cadentia, vel aſcendens non aſ-
cientia, natus erit permutatæ figuræ.

Apogæum Græcè dicitur pars ſumma Eccentrici, aut Epi- 250.
cli Planetarum, Arabicè *Aux* in qua conſtituti, eleuatiores,
.riores, validioreſque fiunt: vt Sol hoc tempore eſt in ſuo
pogæo circa ſextum gradum Cancri, in quo diſtat à terra
lliariis 4588,60. cum tamen in Perigæo, hoc eſt in oppoſi-
Augis (in quo reperitur cùm eſt in Capricorno) non diſtet
entro telluris, niſi milliar. 4272480. ita vt tota quantitas
ngationis Apogæi à Perigæo, ſicque regionis circà quam
itiatur Sol cùm ab vno in aliud tranſit, per lineam rectam
milliar. 316480. Porrò Apogæa, & Perigæa planetarum
n ſunt ſemper fixa in eodem loco, ſed ſucceſſu temporis
:iantur, cùm obſeruatum ſit ea ſecundùm ordinem ſignorum,
iduo ſed tamen lentiſſimo, & penè inſenſibili motu cieri,
æ omnia irregularitatem pariunt in plurimis, ac præcipuè in
o motu planetarum, qui in Apogæis euadunt tardiores, ve-
:iores in perigæis, & maximè Sol: qua de re vide Maginum
*Tabulis ſecundarum mobilium*, & alibi ſæpe.

251. Apogæi dicti ſunt venti ſubterranei, ſeu è terra ſpirantes atque in mare præcipiti curſu ruentes, qui propterea impetuoſi ſunt, & tempeſtatum auctores: de his vide Plin. *lib. 2. cap. 43.*

252. Apollo dicitur prior Geminorum, alio nomine Caſtor: ſidus in cælo olim in Geminis in primo mobili, nunc autem in Cancro conſtitutum. Cuius præcipua ſtella in capite Arabic. *Ras Algenſe* dicta ſecundi honoris de natura Martis & Mercurij, ac patum Saturni, eſt nimium procelloſa, ventos ſuſcitat, & aërem turbat.

253. Aporrhæa dicitur Luna cum à planetæ, vel ſtellæ alicuius conjunctione recedit, nullique alteri applicat: à Latinis dicitur curſu vacua, & feralis.

254. Aporrogas Græcè audiunt coruſcationes quædam, ſeu potius aërij quidam defluxus, atque accenſi vapores, qui ad terram labentes ſtellarum caſus imitari videntur, vnde & vulgo ſtellæ cadentes vocitantur.

255. Apotelesma Græcè idem ſonat, ac effectus horoſcopi, hoc eſt quicquid ex Aſtrorum conuenientia, & mutuo reſpectu in natali cuiuſque efficitur boni, vel mali, ac cœli ipſius conſtitutio indicant. Hac de re extant Apoteleſmatum Ptolemæi libri.

256. Apotome apud Geometras vocatur ea pars figuræ rationalis, à qua altera rationalis auferatur à potentia tantum commenſurabilis exiſtens ipſi toti, quæ proinde irrationalis erit vt docat Euclides lib. 10. Propoſ. 74. Hinc

257. Apotome etiam dicitur in Muſica ſemitonium maius, quod opponitur Dieſis, & eſt toni reliqua pars, qua ipſe tonus Dieſis, & ſemitonium minus ſuperat.

258. Apparentiæ vulgò audiunt apud Aſtronomos, quæ apud Græcos *Phænomena*, appellantur oſtenta videlicet, & inſolita quæ in ſublimi generantur ex accenſis vaporibus, idque ſiue ſubſtantiam & corpus habeant, vt crinitæ, trabes, iacula, ſidera, diſcutentia &c. ſiue nullam prorſus, ſed ex colliſione viſus fiant, vt Iris, areæ, halones, virgæ: de quibus omnibus ſuis in locis.

259. Applicatio apud Aſtronomos appellatur progreſſio planetæ leuioris, exiſtentis tamen intra quantitatem orbis alterius ponderoſi, quouſque eidem corpore iungatur; ad differentiam defluxus, qui eſt ſeparatio eiuſdem à coniunctione partili cum planeta ponderoſo, atque elongatio ab illo; ita tamen, vt adhuc maneat intra eius orbem: & in has ſpecies diuiditur aſpectus Platicus.

260. Quatuor autem modis contingere poteſt huiuſmodi applica-

cio. Primò, cùm vterque planeta eſt directus, ſed tamen eorum leuior, cùm ſit motus velocioris exiſtens in paucioribus gradibus vadit, & pertingit ad gradum, in quo eſt planeta ponderoſior. Secundò cùm vterque eſt retrogradus, & leuior, qui eſt in pluribus partibus, retrocedendo pertingit ad tardiorem. Tertio, quando planeta anterior motu directo applicat ſubſequenti retrogrado. Quarto tandem cum planeta leuior retrogradus exiſtens in pluribus gradibus retrogradiendo occurrit alteri tardiori, item retrogrado exiſtenti in paucioribus. Totidem modis etiam contingere poteſt defluxus: de quo ſuo loco.

Apsis Antiquis audiebat ima pars Eccentrici, ſeu Epicycli oppoſita Augi. Vide in V. *Abſis.*

Apvllin ex corrupto vocabulo Græco dicitur ab aliquibus caput præcedentis Geminorum Apollo. Arabicè *Ras Algenze*, vel potiùs *Elgeauze*. 261.

AQ

Aqva Elementum omnibus ( ſi vnam Terram excipias) ponderoſius, ac vilius, natura ſua frigida, & humida, ſed, vt aër ob ſuam fluxibilitatem facilè alterabilis: ſic dicta, quaſi *Æqua* æquat enim Terræ rotunditatem; & cum ea vnum globum, qui eſt totius Mundi centrum conſtituit: Vel ſanè quaſi *à qua* ſubintelligitur, *viuimus*. Quandoquidem ex eius receſſu in locum vnum apparuit arida, & tellus habitationi, & vitæ animantium idonea facta eſt. Nam eius locus naturalis deberet eſſe ſupra terram, proindeque totam circumdare, at circumplecti, eo modo, quo nunc aër totum terræ, aquarumque ambitum circumplectitur; ſicque ab initio, rerum id ordine poſtulante à ſummo Opifice factum eſt; ſed poſteà ad diuinum illud imperium: *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida.* Mox ſciſſa terra ſinus dedit ampliſſimos in quos aquæ prolaberentur, ac terreæ partes, quæ ſinus illos implebant, in vnum congeſtæ atque in montes elatæ, opportunam animantibus habitationem dedere Quod vel inde manifeſtum fit, quia communis Nautarum ſenſus eſt plurimis experimentis probatus, alicubi tantam eſſe Maris profunditatem, quanta Montium altitudo, quæ ſibi inuicem correſpondeant. Hoc tamen non officit, quin duo hæc elementa vnum corpus ſphæricum, & ſi rude, ſcabrumque conſtituant; nam perinde ſunt in eo montium prominentiæ, ac tuberculi illi qui obſeruantur in Aurantij pomo, qui profectò eius rotunditati minimè officiunt, vt alias obſeruauimus. 262.

Eſt autem aqua natura ſua dulciſſima ſeu potius inſipida, verùm in mari continuo motu, & Solis radiis exurentibus, fit ſalſa, & amara, quandoquidem ſalſedo, vt docet Ariſtoteles, 264.

fit per calorem, quo mediante in humoribus *pars dulcis*, & inſipida ſeparatur, & pars terreſtris, quæ remanet aduritur & permiſcetur cum humoribus aquoſis, & quamuis mare continuo aquarum acceſſu ex imbribus, ac fluuiis dulciſſimis renouetur, ſemper tamen eadem ſalſedine gaudet ob Solis radios perpetuo exurentes, qui proinde ſucceſſu temporis mare totum abſumerent, ni perpetui fontes, & flumina in mare continuo reſtagnantes, hanc aquarum diminutionem compenſarent. Et hinc eſt etiam, cur ex tanto aquarum acceſſu nunquam mare redundet.

265. Verùm hic magna exurgit dubitatio, quamobrem etiam lacus etiam Solis radiis expoſiti, non ſint ſalſi? ad quod reſpondemus, quod lacus non ità apricantur, neque tot motibus in proprio âlueo agitantur, ac mare: quamuis etenim multi inueniantur lacus ampliſſimi, ſolaribus radiis perpetuò expoſiti & maximè agitati, ac turbibi, quia tamen agitatio illa non eſt perpetua, vt in mari, ideò partes illæ terreſtres aquis admixtæ illicò petunt fundum, & radij ſolij idcircò eas adurere, & per conſequens ſalſas reddere pauco temporis interuallo non poſſunt. Non negauerim tamen vbi Solis radij maximè feruidi ſunt, ac lacus ampliſſimi, vt ſub Zona torrida, ibi eos etiam aliqua ſalſedine prædito eſſe, vt Hiſtorici paſſim teſtantur, verùm non tanta, vt mare, quippe non tot motibus quatiuntur.

266. Hinc in mari, ſeu Oceano, ſex ſunt motus omninò diuerſi. Primus alterationis qui fit à radijs ſolaribus: ſecundus ventorum vi concitatus: tertius motus deorſum, & hi tres conueniunt etiam ſuo modo lacubus, & fluminibus: quartus Oceani proprius vniuerſitatis ab Oriente in Occidentem, qui dicitur longitudinis: quintus in latitudine à Polis ad æquatorem: ſextus tandem altitudinis, ſeu intumeſcentiæ, qui vocatur æſtus, & eſt cæteris inſignior, & euidentior, maximè in Oceano ubi, vt inquit Keplerus, ſpatioſa eſt reciprocationis libertas.

267. Porrò de motu vniuerſitatis teſtantur omnes ferè Naucleri qui ex Hiſpania ad Americam, vicinaſque inſulas ſoluunt, vel inde in Palæſtinam, aut ex Anglia in Hyberniam aliaſque oras, ſiue Orientaliores, ſiue Occidentaliores pergunt. Conſtat enim illis etiam ceſſante quocumque vento, aut æquali vi impellente, citiùs ad Occidentales partes, ſeriùs ad Orientales nauigari: ita vt ex Hiſpania in Mexicum nauigantes rectâ, perficiant iter vna, vel ad ſummum duobus circiter menſibus; remeantes verò inſumant quatuor, modò quinque, modò etiam ſex menſes; quin vt impetum aquarum eos ad Occidentem impellentium deuitent, opus eſt illi obliquè iter inſtituere verſus Septentrionem, indeque ventorum exſufflan-

ium auxilium adipiſci : Idipſum experiuntur Luſitani tenden-
:sad Indias Orientales etiamſi ſecundis alioqui ventis fruan-
ır. Cuius rei plurima afferunt experimenta Trimarchus *lib.*
*Meteor. diſp. 1. ſect. 6.* Adrianus, Metius, & Furnerius *lib.*
*Hydrographia cap. 23.* Cauſam autem huius motus aſcribit
lem Turnerius Solis ardori ; humores, atque halitus ad ſe
erpetuò trahentis: vt etiam quintum, quem diximus mo-
ım, à polis ad æquatorem ; & eo maximè intra tropicos,
ıb via ſcilicet Solis, vbi violentior apparet vterque motus
.eplerus eum refundit in Lunam, aquas, & humores omnes
d ſe magnetica vi proleĉtantem. Sed Arabes, & cum illis
/icomercatus longè veroſimilius id tribuunt motui primi mo-
ɔilis rapientis ſecum omnes inferiores ſphæras : atque adeò
ıon modò cœlos inferiores, ſed & Aërem, & Oceanum ; li-
et hic quia cæteris ſphæris remotior, ſua vi, & aquarum
:raſſitie aliquantò magis reſiſtat, quàm aër : hic magis, quàm
:œli ſuperiores, vt aliàs adnotauimus. Cui opinioni nec refra-
;atur Reſta *de Meteoris lib. 3. tr. 1. cap. 16.* nec Maſtrius *ibid.*
*quaſt. 4. num. 148.*

Quoad quintum verò motum, qui dicitur latitudinis à polis 268.
d æquatorem, cum jamptidem agnouit Ariſt. *2. Meteor. cap.*
*. text. 6.* & ſequuti ſunt Alexander Aphrodiſæus D. Thomas,
/icomercaius, Nyphus, & alij. Cuius cauſa alia ſanè non eſt,
/t benè diſcurrit Turnerius, quàm Solis calor, qui dum ſem-
ɔet intrà tropicos mouetur, aquas ad ſe allicit, & quæ ſub
llis ſunt, paulatim abſumit : quî fit, vt ad earum libramentum
:xæquandum, aquæ hincinde à Septentrione, & Auſtro verſus
ɛquatorem ruant ; præſertim, ſi verum eſt quod ait idem
Turnerius, Sole in Capricorno exiſtenre, aquas, quæ intrà
:ropicos ſunt, tranſire æquatorem, & naturali impetu ver-
ſus tropicum fluere ; quod ipſum experiri eſt Sole exiſtente
in Cancro, nam illuc aquæ omnes accurrunt. Ariſtoteles ta-
men, loco citato, hunc motum tribuit fluminum multitudi-
ıi, & magnitudini, in Mæotin, & in Euxinum mare ſeſe
:xonerantium.

Sextus denique motus Oceani eſt qui dicitur fluxus & reflu-
xus ſpatio vigintiquinque circiter horarum omninò in Lunam
:efundendus : de quo vide in Verbo *Ampotim.*

Ex aquæ continuo motu Plotinus Philoſophus, alijque 269.
:am animatam dixêre. Quod fortaſsè non omninò incredi-
bile exiſtimauerim, ſi non de anima rationali, neque de ſen-
ſibili, aut vegetabili, ſed de alia quadam alterius ſpeciei,
ſermo ſit, quam jure dixeris locomotricem, & ea forſan cor-
pora cæleſtia informantur, quæ illis intrinſecam vim ſeſe

mouendi tribuat; quemadmodum de ſpongia aliiſque rebus in natura tertij ordinis multi ſenſerunt. Vel ſanè dictum referri poteſt ad animam quandam vniuerſalem ſpeciei item diuerſæ vniuerſum hoc informantem quod multi Philoſophorum tum ex antiquis, tum ex recenſioribus opinati ſunt, comparatione facta Macrocoſmi ad Microcoſmum, in quo aqua perinde ſe habet ac ſanguis in homine; qui proinde vt hanc cum aqua analogiam ſeruet, & ipſe ad Lunæ motum augetur, vt obſeruauit inter cæteros Plinius, & mouetur circulariter circa cor, vt tradunt Anatomiæ peritiores. Quamquam id ne hoc quidem euincit in ſententia eorum qui ſanguinem minimè animatum volunt, ſed aiunt, contineri in venis tanquam in vaſis. Vtcumque ſit (quod parum refert) certum eſt aquas ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeca vi continenter moueri, motuque hoc ſuo terram, quæ in mundi centro quieſcit paulatim corrodere, & complanare. Ita vt, poſtquam ad perfectam rotunditatem perduxerit ſit ipſam vndique vallatura, ex quo demum ſæculo huic finis paretur: vt notat Blancanus, vel ex hoc probans Mundum neque æternum fuiſſe, neque in æuum duraturum: Quod tamen non placet Ricciolo.

70. Cæterum aquam terra eſſe minorem multi Recenſiores exiſtimarunt. Inter hos Clauius, Fernelius, Contarenus, Piccolomineus, & Auerſa, aiuntque eandem proportionem habere ad terram, quam habet 1. ad 2290. additque Piccolomineus, ſe diligentiſſimè conſideraſſe ſphæras, quæ fideliores reperiri potuerunt in repræſentando terram & aquam, & comperiſſe, ſuperficiem terræ diſcoopertæ longè maiorem eſſe ſuperficie aquæ. Antiqui tamen majorem aſtruebant, quibus ego ex proportione tantum ſphærarum motus, libenter adſtipularer.

271. Aqvarivs ſignum vndecimum in Zodiaco, domicilium Saturni, ſic dictum ab Aquario ſidere quod ei ſuberat tempore Ptolemæi, ſed nunc ob motum proprium octauæ ſphæræ præceſſit, ſicut & cæteri Aſteriſmi, eſtque intra gr. 22. Aquarij primi mobilis, & gr. 15. Piſcium. Eſt natura ſua calidum, & humidum, triplicitatis aëreæ, quoad effectus autem frigidum, ventoſum, aquoſum maximè in eius parte Auſtrali, quæ humores, & niues facit.

272. Aqvea *ſigna* ſunt Cancer, Scorpio, Piſces, quæ conſtituunt trigonum aqueum frigidum, & humidum, cuius Trigonocratores ſunt Mars, Venus, & Luna, quia ſigna fœminina ſunt (Mars enim vt alibi obſeruatum eſt fœmineſcit) &

hi tres planetæ in eis dignitates obtinent ; & Mars quidem, & Luna de nocte, Venus autem interdiu ; adeoque dicitur trigonus Occidentalis propter Martis, & Lunæ dominatum. Quæ autem regiones, & oppida huic triplicitati ſubſint : vide in Ptolemæo *lib 2. cap 2.*

AQVILA, vultur volans ſidus in cælo ad Borealem plagam 273.
intra Galaxiam ſtellas habens iuxtà Ptolemæum & antiquiores 9. At Keplero teſte 11. licet Baierus ei tribuat ſtellas omninò 31. ſed confundit cum eo Antinoum. Omnes autem hæ ſtellæ ſunt de natura Martis, & Iouis, inter quas ſplendida in ſcapulis ſecundæ magnitudinis Arabicè *Alkair*. Hæc in Horoſcopo dicit Pontanus quod facit feros, magnanimos, raptores, belligeros, mortis contemptores, ſic enim canit; *quibus*

*Bella placent, & præda ſubacto ex hoſte petita,*
*Et ſpolijs vitam, & violenta agitare rapina:*
*Nec dubitent etiam armatos incurrere in hoſtes,*
*Nudi armis, mortemque velint pro laude paciſci.*

Quod ſi adhuc acceſſerit benignus radius Iouis, ſubdit, quod erunt victores, & patriam decorabunt, ac defendent armis ac victorijs. At ſi Saturnus, aut Mars quouis modo aſtiterint, tunc facient quidem bellicoſos, ſed ſub aliorum imperio. Idipſum confirmat Stadius. Oritur autem Romæ cum gradu ferè 24. Sagittarij.

AQVILO Boreas ventus Septentrionalis lateralis Septentrioni 274.
inclinans ad Ortum ; ſic dictus à vehementiſſimo, ac celerrimo flatu, quaſi aquilæ volatum imitari velit. Eſt de natura ſua frigidus, & ſiccus, ſalubris, aërem purgans, & pro ratione temporis grandinoſus, ac niuoſus. Accipitur ſæpenumero pro ipſo vento Septentrionali vno, ex quatuor Cardinalibus ob vicinitatem, atque effectuum ſimilitudinem : de eo vide Plin. *lib. 2. cap. 47.*

## AR

ARA Sacrarium, Thutibulum, Lar, ſidus in cælo ad Au- 275.
ſtralem plagam nobis inconſpicuum : de quo Cicero de Natura deorum.

*Deinde Nepa cernes propter fulgentis acumen*
*Aram, quam flatu permulcet ſpiritus Auſtri.*

Continet ſtellas ſeptem omnes de natura Veneris, & parum Mercurij, inter quas præcipua tertiæ magnitudinis in medio flammæ ſita ; quæ ſi in Horoſcopo reperiatur (inquit Stadius) inclinat ad pietatem, ad ſacerdotia capeſſenda, atque ad ſtudia ſacrarum literarum, præſertim ſi bonum teſtimonium acceſſerit beneficarum : Ac verò in occaſu cum malo radio

Martis, aut Saturni, affert periculum combuſtionis.

276. Aranea Rete, Voluellum in Aſtrolabio repreſentans in plano omnem rationem primi mobilis ſeſe in orbem rotando ſpatio quatuor, & viginti horarum. In ea videre eſt deſcriptos nedum polos, & omnes circulos, qui concipiuntur in primo mobili, ſed etiam præcipuas ſtellas fixas ſuo loco ſecundùm longitudinem, & latitudinem, aſcenſionem rectam atque declinationem, quam habent, additis etiam ad earum plenam notitiam ſingularum nominibus. Eius inuentorem ferunt fuiſſe Eudoxum quemdam Samium, qui etiam nomen indidit ſumptum à reticula Araneæ cui eſt valdè perſimilis: Arabicè dicitur *Albacantabut*.

277. Aratea *ſphæra* dicitur globus Aſtronomicus vulgò Cæleſtis, in quo omnes ſtellæ fixæ ſuis quæque Aſteriſmis incluſæ atque interſtinctæ conſpiciuntur vnà cum poſitu ad æquatorem atque habitudine ad Zodiacum tam in longum, quam in latum: ita vt facili iure, huius inſtrumenti ope, poſſit quis ſtellam quamuis addiſcere, locum in Zodiaco inueſtigare, ortum & occaſum noſcere, aſcenſiones eruere, atque ad eam ſignificatorum quemlibet per motum directionis deducere. Dicitur *Aratea* ab Arato antiquiſſimo poëta Græco eius inuentore, qui etiam Græcè elegantiſſimo carmine deſcripſit & explicauit, appellauitque librum *Phænomena* hoc eſt Apparentia. Quem poſteà Germanicus Cæſar Auguſti filius, Sextus Auienus Ruffus, & Marcus Tull. Cicero adhuc adoleſcens in latinum ſermonem tranſtulerunt.

278. Archatapias ex Græcobarb. dicitur in ſphæra barbarica primus Decanus Piſcium exiſtens ſub diſpoſitione, ac dominatu Saturni, qui proinde dat ei ſignificatum anxietatis, cogitationum profundarum, migrationis de loco ad locum, quærendi, & cumulandi opes &c.

279. Architectura ars eſt ex præceptis Geometricis comparata, qua traditur ratio extruendorum ritè quorumcunque ædificiorum humanæ vitæ commodis congruentium, ac penè ad vniuerſi iſtius diſpoſitionis idæam: Eius genera tria ſunt ædificatio, Gnonomica, & Machinatio: Vide Vitruuium l.1.c.3.

280. Arcitenens dictus eſt Sagittarius ab arcu, quem manibus geſtat, vnde Sagittam eiaculare velle videtur, alio nomine Chyron, Centaurus &c.

281. Arctophilax Græcè hoc eſt *Vrſa cuſtos* appellatur ſidus in Cælo propè Vrſam conſtitutum, quaſi ad eam conſtituendam alio nomine Vociferator, Bubulcus, Bootes. Stellas habet iuxta Ptolemæum 23. at ſecundùm Keplerum 28. & Baierum 34. qui tamen inter eas annumerat etiam informes circa conſi-

ſtentes: inter quas inſignior eſt quæ inter crura primæ magnitudinis dicta *Arcturus* de qua mox infrà. Plura vide in Verbo *Bootes*.

Arctos Græcè, Latinè Vrſa, apud Aſtronomos accipitur ad ſignificandum promiſcuè duo ſidera in Cælo, quorum alterum Vrſa maior Græcis *Elicen* altera *Cynoſura* nobis Vrſa minor dicitur. Vtrumque ad polum arcticum ita intra circulum arcticum clauſæ, & complicatæ, vt vna reſupinata alterius contegat caput, at quæ ſupina maior, quæ recta minor, ore alterius caudam arripere velle demonſtrat: de vtraque ſic cecinit Ouid. 282.

*Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura vocatur.*

*Sidonijs: Eſicen graia carina notat.*

Verum, etſi olim Arctos nomine vtraque veniebat Vrſæ; modò tamen vſus obtinuit, vt ſolùm ſignetur minor, & Cynoſura: Quinimò ſæpiſſimè pro ipſo Polo, qui ei proximè adjacet, & ab ea, denominationem ſumit, accipitur; Vnde & polus Arcticus, qui ſuprà nos attollitur, & circulus eum ambiens dictus: ſicut etiam Septentrionalis à Septentrionibus, hoc eſt, ſtellis minorem Vrſam efformantibus; nec non Borealis à Borea vento inde exſufflante.

Arctvrvs ex Græco quaſi Cauda Vrſæ dictus Iſidoro *Arbuzona*, Arabicè *Alramec*, vel *Alkameluz*, & *Colanza*, hoc eſt gladius, & pugio Bootis dicitur ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Iouis, & Martis in Boote extrà formam exiſtens inter eius crura. Eius ortus certiſſimas tempeſtates facit vt ait Plin. lib. 2. cap. 39. *Arcturi ſidus*, inquit, *non ferme ſine procelloſa grandine emergit*. occaſus cum Sole excitat ventos Auſtrales: Reliqua vide in Verbo *Alramech*. 283.

Arcvs apud Aſtronomos eſt pars circuli intercepta ab vno ad aliud punctum, qua videlicet vel totius circuli quantitatem, vel aliud quid Geometricè, & proportionaliter auſpicamur. Hinc arcum directionis dicimus quantitatem æquatoris interceptam inter duo puncta in cælo, quorum alterum ſter loco ſignificatoris, alterum promiſſoris, quam per certum tempus explere debet vnus quouſque ad alterum deuoluatur: Sed de hac re dicetur in V. *Directio*. 284.

Area apud Geometras audit ſpatium vacuum, ſeu ſuperficies plana intra latera alicuius figuræ, ſeu planæ, ſeu circularis comprehenſa: quæ quidem in figuris planis menſuratur per quadrata earum linearum per quas latera, ſeu ambitus earumdem figurarum menſurari ſolent; in figuris verò circularibus per ſemidiametrum circuli multiplicatam in dimidiam partem circumferentiæ: vt ſi circumferentia alicuius circuli ſit 132. 285.

Sagittario conſtituit Trigonum igneum, cuius dominatores ſunt Sol, & Iupiter. Tempore Ptolemæi ſub hoc ſigno erat ſidus, & conſtellatio Arietis in octaua ſphæra continens ſtellas tredecim (exceptis quinque informibus circa ipſam) omnes ferè de natura Saturni, aut Martis, quarum prima in cornu boreali conſiſtens immediatè incidebat in æquatorem; at nunc ob motum proprium octauæ ſphæræ præceſſit gr. ferè 28 Primæ eius partes ventos & imbres faciunt, mitiùs tamen quàm tempore Ptolemæi: mediæ ſunt temperatæ: extremæ tandem calidæ; cumque Zodiacus prædit us ſit latitudine, pars eius borealis eſt calidior, & nocua ob plures ſtellas ibi conſiſtentes de natura Martis & Mercurij: Auſtralis verò frigida ob ſtellas de natura Saturni.

299. Ario, teſte Kirchero, Chaldaicè dicitur Leo, quintum ab Ariete ſignum: apud Hebræos autem *Arich*.

300. Ariſia, & Spica promiſcuè appellatur fixa inſignis in manu Virginis, quæ triticeam ſpicam in manu geſtare imagine præſefert: De ea ſatis dictum in Verbo *Azimech*, & alibi ſæpè.

301. Arithmetica vna eſt ex principalioribus Matheſis diſciplinis, quæ verſatur circa quantitatem diſcretam, ſeu mauis dicam, numeros (per quod contradiſtinguitur à Geometria, quæ conſiderat quantitatem continuam) tradens methodum ſupputandi, multiplicandi, & partiendi: proindeque omnes numerorum paſſiones, proportiones, & habitudines, quas adinuicem habent, conſiderat, atque aliis applicat, vt ex his tandem ad ignota deueniat. Sic poſitis tribus numeris notis, quartum numerum ignotum per proportionum regulam, quæ aliàs dicitur Aurea, præcipit inuenire: ſi videlicet ſecundus, & tertius multiplicentur ad inuicem, ac numerus ex multiplicatione productus diuidatur per primum: Nam numerus quotiens erit quartus quæſitus, hoc eſt cui tertius numerus correſpondet, & ad quem eandem ſeruat proportionem, quam primus ad ſecundum. Hinc conſiderat in numeris *additionem* vnius ad alterum, quæ eſt duorum vel plurium numerorum in vnum collectio: *ſubſtractionem*, quæ eſt numeri minoris ab altero maiore ſubductio: *multiplicationem*, quæ eſt ductio vnius numeri in alium; fitque cum alter ipſorum augetur toties, quoties in altero continetur vnitas: ac tandem *diuiſionem* quæ eſt partitio propoſiti alicuius numeri in partes ab altero numero denominatas. Ex ipſis autem numeris aliquem appellat *partitorem*, ſeu *diuidentem*, & eſt is qui denominat partes, in quas numerus diuidendus tribuitur; qui ob eam etiam cauſam *denominator* audit, quatenus denominat, & indicat partes, in quas vnum totum intelligitur eſſe diuiſum: *numeratorem*

*numeratorem*, & eſt numerus, qui enumerat minutias, ſeu partes quas continet propoſita fractio ex illis, in quas totum, cuius eſt fractio diuiſum eſt; & *quotientem*, qui eſt numerus partium, in quas numerus diuidendus tribuitur, quique eo quotiens denominatur, quia indicat quoties diuiſor in numero diuidendo continetur. Similiter in numeris conſiderat æqualitatem, vel inæqualitatem; primos, ſeu ſimplices, qui ſunt quos ſola vnitas metitur, quales ſunt 2. 3. 5. 7. 11. 13. 17. 19. 23. 29. 31. &c. & compoſitos, quos non vnitas, ſed numerus aliquis metitur, vt 4. 6. 8. 9. 10. 12. 14. 15. &c. vel enim eos metitur, & in partes æquales diſpeſcit numerus binarius, vel ternarius, vel quartenarius, &c. de quibus fusè agit Euclides à lib. 7. vſque ad 9. incluſiuè, & luculenter explicat Clauius in Arithmetica practica, nec non in commentar. ſuper eiuſdem Euclidis elementa.

Porrò non ita opponuntur inter ſe iſtæ duæ præcipuæ Matheſis diuiſiones, Geometria, inquam, & Arithmetica, vt non pari paſſu incedant, manus complicent, ac ſibi mutuò opitulentur. Et quidem, vt benè obſeruat Alexander de Ales, in primo Meteor. ea eſt Geometriæ ad Arithmeticam proportio, quæ eſt puncti ad vnitatem, lineæ ad numerum ſimplicem, corporis quanti ad numerum compoſitum. Hinc eſt, vt Geometria ad quantum ſuum continuum artificiosè dimetiendum, Arithmeticis fractionibus opus habet, & ipſa viciſſim Arithmeticæ, vt munus ſuum rectiùs, & expeditiùs exequatur è promptuario ſuo auxiliares confert ſuppetias. Quapropter ei & planos & cubos, & quadratos, & ſolidos, & angulos, & latera mutuat (vt habet Proclus in Euclid.) datque vt iiſdem præceptis in numeris dimetiendis vtatur, quibus ipſa in figuris Geometricis, ſeu planis, ſeu ſolidis vſa eſt, eandemque illa proportionem inueniat in quantitate diſcreta, quam ipſa in ſuo quanto continuo. Sic anguli, ſeu termini, & radices proportionis dicuntur duo numeri, quibus minores in eadem proportione aſſumi nequeunt: latera appellantur duo numeri ſeſe mutuò complicantes, aut multiplicantes ad faciendum vnum tertium numerum ſeu aggregatum, ſeu multiplicatum: qui verò ab ipſis prosilit, ſi è duobus tantum lateribus, dicetur planum, ſi è pluribus, ſolidum. Similiter *quadratus numerus* is eſt, qui æqualiter æqualis eſt, ſiue qui ſub duobus æqualibus numeris continetur; vt eſt 16. exiſtens ex multiplicatione mutua 4. & 4. *Cubus* qui ſub tribus æqualibus numeris continetur; vt eſt numerus 27. ex multiplicatione 3.3.3 quippe ex 3. in 3. deducto fit 9. & ex 9. in 3. producto fit 27. & alia huiuſmodi quæ fuſiùs videre eſt in Euclide integro lib. 7.

Denique ea eſt Arithmeticæ facultatis dignitas, vt quemadmodum obſeruauit Philoſophus in primo Phyſicorum, ipſa neceſſariò omnes Mathematicas ſcientias præcedat, ad earumque notitiam nos manducat, atque vt Platonis verbis vtar. Arithmeticam ſi quis aufert, omnes artes auferuntur & nullæ manent, & omnes in totum peribunt. Verum ſi quis diuinam, & mortalem originem inſpexerit, in qua pietas erga deos, & numerus cognoſcitur, cognoſcit, quantum numero opus ſit: nam & tota Muſica numeris opus habet in motibus, & ſonis: & quod maximum eſt, numeri omnium bonorum cauſa ſunt, ex quo cognoſci poſſit, quod omne malum, & omnis motus rationis expers, & indecorus ſine rythmo eſt, & inconcinnus: & omnia quæ cum malo communionem habent eſſe abſque numero oportet tandem ſtatuere eum qui felix futurus eſt, & qui juſtum, & bonum, & pulchrum, & omnia huiuſcemodi ignorat. A Plato: De Arithmeticæ inuentione vide Polydor. Virgil. *lib 1. c. 18* & Rhodigin. *lib 18 c. 34*

302. ARMILLA olim dicebatur ornamentum militare, ad modum circuli, quo milites ex bello victores honoris cauſa ab Imperatoribus munerabantur, vt eo armum (ſic enim audiebat antiquis ſiniſtrum brachium) ad fortitudinis indicium decorarent. Inde ad omne circulorum genus ſignificandum hoc nomen tranſlatum eſt: præcipuè verò apud Aſtronomos, apud quos circuli materiales ſphæræ, ſed potiſſimum ſuſpenſorium Aſtrolabij, vel alterius conſimilis inſtrumenti poſitum ad illud perpendiculariter ſtatuendum, quod Arabes Abalantica vocauere, Armilla antonomaſticè dicta eſt: Inde etiam.

303. ARMILLARIS *ſphæra* appellatur quæ pluribus circulis ex ſolidiori aliqua materia factis interſtincta totam primi mobilis doctrinam continet, atque oculis exhibet ad differentiam Arataææ non ita pridem memoratæ, quæ vndequaque ſolida eſt, atque in ea circuli, & ſidera fixa tantum delineata propriis quæque locis apparent.

304. ARNIG. Arab. Muſicale dicitur inſtrumentum, quod ideò apud Aſtronomos Arabes ſumitur pro Fidicula, Lyra, ſeu Vulture cadente, cæleſti ſidere, de quo alibi ſermo.

205. AROLABVM inſtrumentum Mathematicum ad venandas ſiderum affectiones.

206. ARPEEN Græcobarbar. dicitur tertius Decanus Libræ in ſphæra barbatica ſub dominatu Iouis, habens ſignificationem guloſitatis, hilaritatis, carminum malorum ſaporum, &c.

207. ARTVRVS. *Vide* Arcturus.

AS

208. ASANGES Chaldaicè, vel potius *Meſanguo* dicitur aſtrum

decem ſtellis (quot videlicet chordæ ſunt in Pſalterio decachordo, quod per id nominis ſignificatur) conſtans; apud nos Lyra, ſeu Fidicula. Keplerus autem in eo ſidere conſiderat ſtellas vndecim, & Baierus in ſua Vranometria tredecim.

ASBIA Græcè, Latinè dicitur Hydra. Vide ſuo loco. 309.

ASCENDENS, horoſcopus, horizon, finitor Orientalis eſt 310.
linea illa in Oriente, vnde emergunt ſidera, quæque diuidit hemiſphærium ſuperius nobis conſpicuum ab inferiori, quod latet ſub terra. Dicitur etiam angulus Orientis, & prima domus in cæleſti figura. Eſtque apud Aſtrologos ſignificator vitæ, & corporis affectionum, morum itinerum &c. Significat etiam initia rerum, eo quod eſt domus initatiua cæleſtis motus.

ASCENDENS etiam appellatur illa pars cæli, quæ incipit à li- 311.
nea Meridiana Imi cæli, & per viam Orientis incedens, vſq; ad Meridianum ſuperius extenditur (ſicque includit tertiam, ſecundam, primam, duodecimam, vndecimam, ac decimam domum) vel inde dicta, quod per eam incedentes planetæ & partes primi mobilis ſemper aſcendunt: ſicut è contra deſcendens vocatur pars oppoſita, à linea Meridiana ſupra terram ad lineam Imi cæli per Occidentem gradiens, quia per eam planetæ ſemper deſcendunt. Hinc,

ASCENSIONES, *& deſcenſiones ſignorum* ſunt partes æquato- 312.
ris, quæ cum tali ſigno, aut Zodiaci parte coaſcendunt, & ſimul deſcendunt; adeoque etiam planetarum, quos in eiſdem partibus reperiri contingit. Porrò aſcenſiones ac deſcenſiones, aliæ rectæ, aliæ obliquæ. Aſcenſiones rectæ ſunt partes æquatoris, quæ aſcendunt per lineam rectam, adeoque comprehendunt omnes illas cæli partes, quæ ſub linea recta ducta per polos mundi, & partes æquatoris oppoſitas continentur, quod accidit in ſphæra recta, atque in ſphæra obliqua tantum in circulo recto, ſeu Meridiano. Aſcenſiones, & deſcenſiones obliquæ ſunt partes æquatoris, quæ obliquè aſcendunt, aut deſcendunt in ſphæra obliqua vbi alter polorum attollitur: quoque obliquior erit ſphæra, eò obliquior erit aſcenſio æquatoris, ſicque minor portio eius aſcendit cum ſignis Zodiaci borealibus, maior cum Auſtralibus. E contrà maior arcus deſcendit in borealibus, quàm in auſtralibus. Arcus verò differentiæ aſcenſionum, aut deſcenſionum, qui intercipitur inter aſcenſionem rectam, & obliquam, vocatur

DIFFERENTIA *Aſcenſionalis*, cuius ope extrahuntur aſcenſio- 313.
nes, ac deſcenſiones obliquæ ad omnem poli eleuationem. Data enim eleuatione poli alicuius regionis, ac declinatione ſideris, ſtatim apparet differentia aſcenſionalis, quæ pro ratione declinationis borealis, aut auſtralis, addenda, vel ſubtrahenda

eſt ab aſcenſione recta eiuſdem ſideris; ſtatimque proſilit aſcenſio, aut deſcenſio obliqua ad datam poli eleuationem dictæ regionis; quibus mediis poſteà directiones perficiuntur. Atque aſcenſionibus rectis vtimur in ſphæra recta, & in circulo recto; obliquis in ſphæra obliqua à primo gradu eleuationis poli vſq; ad grad. 90. Extant ad hoc Tabulæ differentiæ aſcenſionalis, aſcenſionum rectarum, necnon obliquarum ad quamcumque poli eleuationem: Qui volet videat apud Maginum, & Argolum.

314. Ascheri *Aiſmini* Arab. alio nomine *Alhabor* dicitur ſtella fixa fulgentiſſima micans in ore canis Maioris: de qua abundè dictum in V. *Alhabor*.

315. Ascones, ſiue *dominus Aſcone* dicitur ſpecies quædam Cometæ de natura Mercurij parui quidem corpore, & coloris cærulei, ſed cum cauda oblonga, qui apparens portendit bella, & mortes Principum virorum, necnon etiam morbos acutos, tyrannides, & ſimilia.

316. Aselli à Manilio dicti etiam *Iugula* (quamuis hæc communiter pro cingulo Orionis accipiantur, vt ſuo loco dicemus) ſunt ſtellæ paruæ quidem quippequæ quartæ magnitudinis, ſed magnæ potentiæ, & pluſquam credi poſſit, inſenſiſſimæ in pectore Cancri vna cum Præſepi ſtella nebuloſa conſiſtentes, de natura Martis, & Solis in gradu 2. Leonis, ferè in ipſa Ecliptica, ideoque tantæ actiuitatis. Hæ cum Sole exorientes turbant aërem, impetuoſis imbribus ingruunt, fulgure, & tonitruis. Natum faciunt agreſtem, irreligioſum, terricum, ad ſtudia venationis applicitum: ſi verò in occaſu fuerint cum Martis iniquo radio, acerbam mortem, ait Firmicus, dum adhuc dormiet minitantur.

317. Asicath Græcobarbar. ſignificat in ſphæra barbarica primum Decanum Tauri, cuius diſpoſitio eſt penes Mercurium, & eſt indicium arationis, ſationis, ſtructuræ, deductionis coloniarum, ſcientiarum ciuilium, Geometriæ &c. Item

318. Asiccan ibidem dicitur Primus decanus Arietis competens Marti, proindeque eſt ſignum audaciæ, fortitudinis, elationis, inuerecundiæ &c.

319. Asida Arab. Latinè Lupus aſtrum: de quo ſuo loco.

320. Aspectus eſt mutua quædam habitudo, ſeu familiaritas duorum ſiderum ſeſe aliquo radio harmonicè conſiderato, intuentium, quo eorum virtus augeſcit, aut deprauatur, per mutuam efficientiam, prout fuerint in actiuis, paſſiuiſve qualitatibus natura conformia, aut difformia. Hoc autem fit, vel per circuli medietatem, cum planetæ ſunt in locis diametraliter oppoſitis, & vocatur Oppoſitio: vel per tertiam circuli

partem, & appellatur Trinus: vel per quartam partem, & dicitur Quadratus: vel denique per ſextam partem, & audit Sextillis. Conjunctio verò, qua duo planetæ conueniunt in eodem ſigno, eodemque gradu, licet impropriè dicatur aſpectus, nihilominus inter aſpectus computatur, cum ſit vera familiaritas, eaque omnium potentiſſima. Addunt alij ex Keplero, ſumpta proportione ad modos muſicos, alios aſpectus minores, & ſunt ſeſquiquadratus qui eſt diſtantia per quartam partem circuli & inſuper per alterius quartæ dimidium hoc eſt per grad. 135. Quintilem, qui eſt diſtantia per quintam partem, & Biquintilem, qui eſt diſtantia duarum ex quinque partibus. Atque huiuſmodi radios computant nedum in Zodiaco, ſed etiam in mundo à domibus, per partes proportionales arcus diurni, aut nocturni cuiuſcunque ſideris. Porrò aſpectus alius platicus, alius partilis. Partilis eſt, cum præciſè, aut in eodem gradu conſiſtunt duo planetæ (& eſt in conjunctione) aut tot partibus ad vnguem diſtant, ad inuicem, quot requiruntur ad talem aſpectum efformandum: hicque platico eſt longè perfectior, qui ſolùm eſt ad orbem, hoc eſt, cum non quidem ad amuſſim, diſtant, neque radius proijcitur ad corpus planetæ, ſed ſolum incidit in orbem, ſeu ſphæram lucis ipſius: De quo, ſicut & de eius diuiſione in applicationem, & defluxum plura vide in V. Platicus, nec non ſub propriis nominibus ſingulorum aſpectuum.

ASSABE Arab. Latinè Eurus. Ventus ſubſolanus vnus ex quatuor cardinalibus, ſpirans ab ortu æquinoctiali: Vide in V. Græco Apeliotes.

ASSANGE *Armg.* Arab. ſeu potiùs Chaldaicè, Latinè Fidicula vultur cadens, ſidus in cælo: de quo vide alibi.

ASSVB apud Metheorologicos eſt genus quoddam aërearum impreſſionum, quod eſt in duplici differentia, aliud aſcendens, conflatum ex partibus exhalationis accenſæ in ſuprema aëris regione, & videtur aſcendere, ſicut ſi euolarent ſcintillæ de fornace: aliud verò deſcendens, & eſt ignis retentus in nube, qui tamen expellitur obuiante nube frigida, & cadit continuè, propter quod videtur quod ſtella cadens ſit longa, quia relinquit veſtigia caſus poſt ſe. Io. de Combis in compend. Theologicæ veritatis lib. 2. l. 9. Vide in V. *idera diſcurrentia*.

ASTACVS, Nepa, Cammarus Vide Cancer.

ASTER nomen genericum ſtellæ ſingularis, prout præſcindit à fixa, vel erratica. Verum *Aſteriſmus*, & *Aſtrum* ſignificant multitudinem, & congregationem plurium ſtellarum inerrantium; quæ conueniunt ad formandum vnum integrum ſidus, aut figuram, vt eſt Vrſa, Leo, Lyra, &c.

326. Astiro, ex Græcobarbaro dicitur ſecundus decanus Aquarij, ſub dominatu Mercurij in ſphæra barbarica, ſignificator bonorum morum, formæ, intellectus, manſuetudinis cum modeſtia, liberalitatis, &c.

327. Astrabister dictum eſt inſtrumentum quoddam Geometricum ad menſurandas altitudines, & profunditates, inſtar radij Latini.

328. Astræa dicta eſt ab Arato Virgo, cæleſte ſidus inter Leonem & Libram, mutuato ex fabulis nomine, fingunt enim Poëtæ ipſam iuſtitiæ antiſtitem aureo illo ſæculo è cælo in terras migraſſe, ſed mortalium ſceleribus offenſam cælos repetiiſſe, vbi in cæleſte illud ſidus conuerſa eorum facta de longè perpendit, & æqua lance diiudicat: hinc illi lances applicitæ: alio nomine dicitur *trigone*, *Auteno*, *Iſis*; eius ſideris qualitatem, numerum ſtellarum, quibus conſtat, naturam & alia: Vide in V. *Virgo*

329. Astrocynos, & *Aſtrocyon* Græcè appellatur Canis ſidereus maior, alio nomine *Sirius* qui inter multas ſtellas quibus integratur duas peculiari conſideratione dignas habet, alteram in capite quæ vocatur *Iſis*, alteram in ore ſeu lingua apud Arabes *Alhabor*: de vtriſque ſuo loco.

330. Astrolabium inſtrumentum Mathematicum, totam ferè cæleſtem doctrinam in plano repræſentans, vnde & *planiſphærium* dictum eſt quaſi ſphęram in plano demonſtret, ex eo enim perquam bellè aſtrorum motus colliguntur, diſtantiæ menſurantur, aſcenſiones, deſcenſiones, declinationes, & alia id genus intuitiue noſcuntur. Fertur à primo parente Adam inuentum, vel ſane ab Abraham: licet poſteà ſucceſſu temporis perfectiùs ſemper, & perfectiùs elaboratum prodierit. De eius fabrica, & vſu multi ſcripsêre, imprimiſque Egnatius Dantes, & Ioannes Stoflerinus egregiis voluminibus.

331. Astrologia Græcè, Latinè Aſtrorum ſermo ſeu ſcientia interpretatur, quæ & *Aſtronomia* promiſcuè dicta eſt: Niſi quod vſus poſtea obtinuit, vt Aſtrologia vſurparetur pro notitia quadam coniecturali ex aſtrorum poſitu comparata, qua de rerum mutationibus, aliiſque effectibus qui à cælorum poſitu ortum habent, pronunciatur. Aſtronomia verò pro ipſa aſtrorum ſcientia ſumitur, quæ in eorum præciſa conſideratione ſiſtit, ſtellarum motus, naturas, magnitudines, affectiones ſcrutatur, ac dimetitur: vnde Aſtrologia ſupponit Aſtronomiam, atque in ea fundatur. Hæc enim pars eſt nobilior Geometriæ, quantitatem continuam, ſed ſolùm altioris ordinis, & cæleſtem conſiderans; illa ſcientia experimentalis longo vſu a poſteriori, & ex effectibus comparata, quæ nec ſcien-

tiæ quidem nomen meretur, quandoquidem neque rem per cauſam ſcrutatur, neque certitudinem habet, quæ ſcientiæ anima eſt, ſed per conjecturas, & experimenta procedit. Hæc propriiſſimè, ac ſtrictiſſimè ſcientia in ſummo certitudinis apicè ſita. Quamobrem, etſi in nomine, ſeu potius nominis notione conueniant, in re tamen longiſſimè differunt.

Porrò Aſtrologiæ objectum ſunt naturales effectus à cauſis 332.
cæleſtibus producibiles, quatenus perſpectâ rerum naturâ, corporumque cæleſtium inter ſe habitudine, ex iis, quæ alias experientia duce pluries eueniſſe Aſtrologus noſcit, prudens colligit ſimiles effectus ex ſimili cauſarum congreſſu etiam prodituros. Verum, quia inter naturales effectus alij ſunt, qui merè à natura proueniunt, & quidem neceſſariò (poſito diuino, & vniuerſali concurſu, & cauſarum ſecundarum connexione) qualis eſt calor, qui ab igne naturaliter prouenit, nutritio Animalis naturaliter præſtita per alimenta &c. alij, qui etſi naturaliter prodeant, originatiè tamen ſunt à cauſa libera, liberè media, proportionata, & cauſas ſubordinatas ad talium effectuum productionem applicante; qualis eſt occiſio hominis abs ſe, vel ab alio præſtita, domus ædificatio, liberorum procreatio &c. alij, qui à cauſa libera liberè etiam ſecundùm ſubſtantiam proueniunt, vt ſtudium, pietas, amor, odium, virtutes denique & vitia, quæ à natura non niſi valdè remotè ex qualitate temperamenti dependent; alij demum qui mixti ordinis ſunt, pendent enim ex natura ſimul, & libera hominis voluntate, ita vt fiat ex iis quædam cauſarum confuſio, atque mixtio, in qua effectus naturales ſæpè humano artificio peruertuntur, ſæpè etiam adjuuantur, quales ſunt plantarum inſitio, terræ quantumuis rudis, & aſperæ (idem, pro ſui ratione, dic de ingenio) excolatio &c. idcircò varia eſt aſtrorum circa huiuſmodi effectus actiuitas, varia etiam Aſtrologiæ de eorum productione diuinatio. Cum profectò quæ à natura purè, & abſque vllo vel ſanè paruo hominis artificio proueniunt, neceſſariò etiam producantur, atque adeò certò per Aſtrologiæ præcepta prædici poſſint; quæ purè à libertate humana pendent, ſiue ſecundùm ſe tota, ſiue originatiuè, aut per ſui magnam partem omninò liberè prodeant, ſicque etiam ab Aſtrologo vel nullo modo, vel poſita conditione, vel ſanè valdè remotè ex debili quadam conjectura deſumpta ex temperamento poſſint prædici; Quæ verò mixta ſunt, poſſunt quidem ex parte præuideri, quà videlicet ex naturali cauſarum connexione pendent, cum ea certitudine, aut probabilitate, quam cauſæ liberæ cum natura ſimul concurrentis maior, aut minor actiuitas, diligentia, obſiſtentia dat poſſe fieri. Hinc fallaces,

Martis, aut Saturni, affert periculum combuſtionis.

276. ARANEA Rete, Voluellum in Aſtrolabio repreſentans in plano omnem rationem primi mobilis ſeſe in orbem rotando ſpatio quatuor, & viginti horarum. In ea videre eſt deſcriptos nedum polos, & omnes circulos, qui concipiuntur in primo mobili, ſed etiam præcipuas ſtellas fixas ſuo loco ſecundùm longitudinem, & latitudinem, aſcenſionem rectam atque declinationem, quam habent, additis etiam ad earum plenam notitiam ſingularum nominibus. Eius inuentorem ferunt fuiſſe Eudoxum quemdam Samium, qui etiam nomen indidit ſumptum à reticula Araneæ cui eſt valdè perſimilis: Arabicè dicitur *Albacantabut.*

277. ARATEA *ſphæra* dicitur globus Aſtronomicus vulgò Cæleſtis, in quo omnes ſtellæ fixæ ſuis quæque Aſteriſmis incluſæ atque interſtinctæ conſpiciuntur vnà cum poſitu ad æquatorem atque habitudine ad Zodiacum tam in longum, quam in latum: ita vt facili iure, huius inſtrumenti ope, poſſit quis ſtellam quamuis addiſcere, locum in Zodiaco inueſtigare, ortum & occaſum noſcere, aſcenſiones eruere, atque ad eam ſignificatorum quemlibet per motum directionis deducere. Dicitur *Aratæa* ab Arato antiquiſſimo poëta Græco eius inuentore, qui etiam Græcè elegantiſſimo carmine deſcripſit & explicauit, appellauitque librum *Phænomena* hoc eſt Apparentia. Quem poſteà Germanicus Cæſar Auguſti filius, Sextus Auienus Ruffus, & Marcus Tull. Cicero adhuc adoleſcens in latinum ſermonem tranſtulerunt.

278. ARCHATAPIAS ex Græcobarb. dicitur in ſphæra barbatica primus Decanus Piſcium exiſtens ſub diſpoſitione, ac dominatu Saturni, qui proinde dat ei ſignificatum anxietatis, cogitationum profundarum, migrationis de loco ad locum, quærendi, & cumulandi opes &c.

279. ARCHITECTVRA ars eſt ex præceptis Geometricis comparata, qua traditur ratio extruendorum ritè quorumcunque ædificiorum humanæ vitæ commodis congruentium, ac penè ad vniuerſi iſtius diſpoſitionis idæam: Eius genera tria ſunt ædificatio, Gnonomica, & Machinatio: Vide Vitruuium l.1.c.3.

280. ARCITENENS dictus eſt Sagittarius ab arcu, quem manibus geſtat, vnde Sagittam eiaculare velle videtur, alio nomine Chyron, Centaurus &c.

281. ARCTOPHILAX Græcè hoc eſt *Vrſæ cuſtos* appellatur ſidus in Cælo propè Vrſam conſtitutum, quaſi ad eam conſtituendam alio nomine Vociferator, Bubulcus, Bootes. Stellas habet iuxta Ptolemæum 23. at ſecundùm Keplerum 28. & Baierum 34. qui tamen inter eas annumerat etiam informes circa conſi-

ſtentes: inter quas inſignior eſt quæ inter cruta primæ magnitudinis dicta *Arcturus* de qua mox infrà. Pluta vide in Veibo *Bootes*.

ARCTOS Græcè, Latinè Vrſa, apud Aſtronomos accipitur ad ſignificandum promiſcuè duo ſidera in Cælo, quorum alterum Vrſa maior Græcis *Elicen* altera *Cynoſura* nobis Vrſa minor dicitur. Vtrumque ad polum arcticum ita intra circulum arcticum clauſæ, & complicatæ, vt vna reſupinata alterius contegat caput, at quæ ſupina maior, quæ recta minor, ore alterius caudam arripere velle demonſtrat: de vtraque ſic cecinit Ouid. 282.

*Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura vocatur.*
*Sidonijs: Eſicen graia carina notat.*

Verum, etſi olim Arctos nomine vtraque veniebat Vrſæ; modò tamen vſus obtinuit, vt ſolùm ſignetur minor, & Cynoſura: Quinimò ſæpiſſimè pro ipſo Polo, qui ei proximè adjacet, & ab ea, denominationem ſumit, accipitur; Vnde & polus Arcticus, qui ſuprà nos attollitur, & circulus eum ambiens dictus: ſicut etiam Septentrionalis à Septentrionibus, hoc eſt, ſtellis minorem Vrſam efformantibus; nec non Borealis à Borea vento inde exſufflante.

ARCTVRVS ex Græco quaſi Cauda Vrſæ dictus Iſidoro *Arctuzona*, Arabicè *Alramec*, vel *Alkameluz*, & *Colanza*, hoc eſt gladius, & pugio Bootis dicitur ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Iouis, & Martis in Boote extrà formam exiſtens inter eius crura. Eius ortus certiſſimas tempeſtates facit vt ait Plin. lib. 2. cap. 39. *Arcturi ſidus*, inquit, *non ferme ſine procelloſa grandine emergit*. occaſus cum Sole excitat ventos Auſtrales: Reliqua vide in Verbo *Alramech*. 283.

ARCVS apud Aſtronomos eſt pars circuli intercepta ab vno ad aliud punctum, qua videlicet vel totius circuli quantitatem, vel aliud quid Geometricè, & proportionaliter auſpicamur. Hinc arcum directionis dicimus quantitatem æquatoris interceptam inter duo puncta in cælo, quorum alterum ſtet loco ſignificatoris, alterum promiſſoris, quam per certum tempus explere debet vnus quouſque ad alterum deuoluatur: Sed de hac re dicetur in V. *Directio*. 284.

AREA apud Geometras audit ſpatium vacuum, ſeu ſuperficies plana intra latera alicuius figuræ, ſeu planæ, ſeu circularis comprehenſa: quæ quidem in figuris planis menſuratur per quadrata earum linearum per quas latera, ſeu ambitus earumdem figurarum menſurari ſolent; in figuris verò circularibus per ſemidiametrum circuli multiplicatam in dimidiam partem circumferentiæ; vt ſi circumferentia alicuius circuli ſit 132. 285.

diameter verò 42. Si 21. quæ eſt quantitas ſemidiametri multiplicetur per 66. Dimidium circumferentiæ producetur numerus areæ circuli prædicti 1386. Rectangulum enim comprehenſum ſub ſemidiametro cuiuſuis circuli, & dimidiata parte circumferentiæ eiuſdem æquale eſt eidem circulo.

186. Area item appellari ſolet circulus ille qui ſub Sole, Luna alijſque aſtris efficitur ex haliruum copia ibi adunatorum, in quos eorum radij incidentes, quandam veluti coronam circa ipſum ſidus efformare videntur: Qua de re vide quæ dicentur in V. *Corona*, nec non in V. *Halones*.

187. Aredir Arab idem eſt ac pulſatio diſpoſitionis & naturæ alicuius planetæ; quod tunc fit, cum aliquis Planeta repertus in alterius dignitatibus illum reſpicit aliquo radio: nam tunc ille dicetur tranſmittere ſuam diſpoſitionem, & virtutem ei, in cuius dignitatibus reperitur. Et hæc tranſmiſſio à Latinis dicitur pulſatio. Aliter explicatum fuit in V. *Alkea Dapha* quod interpretatur pulſatio virtutis.

188. Argentum, ſeu *Argenticomus* dicitur apud Aſtronomos ſpecies quædam noui Phænomeni, ſeu comætes de natura Iouis, qui eſt adeò fulgidus vt vix in eum oculorum acies intendi poſſit, vt proinde argenti, vnde nomen hauſit, fulgorem & puritatem imitari videatur. Hic de nouo apparens Principibus indicat mutationem vitæ, ac regni, quæ, licet fiat in melius, non tamen erit abſque perturbationibus, & animi angore. Significat etiam in vniuerſum copiam frugum, bonamque aëris conſtitutionem, ac ſalubritatem. De hoc hæc habet Plin. *Fit etiam candidus cometes argenteo crine ita refulgens vt vix contueri liceat ſpecieque humana Dei effigiem in ſe oſtendens*. Quæ verba ſuſpicatur Fromendus ſpectare ad ſtellam Magorum, ac de ea voluiſſe Plinium loqui, quia fama percrebuerat in Iudea viſum Cometem fulgentiſſimum in cuius medio imago erat cuiuſdam puerili expreſſa.

189. Argestes Græcè dicitur ventus Occidentalis collateralis Fauonio ſpirans ab occaſu æſtiuali à noſtris dictus *Corus*, ab alijs *Sciron*, & *Olympias* eſt natura frigidus, & humidus; licet ab initio ſiccus, vnde & procellas adducit (vnde ei nomen à Græcis) & niues & grandines facit. Perflat potiſſimum in æquinoctio autumnali.

190. Argetenar Arab. dicitur ſtella fixa quartæ magnitudinis in flexu Eridani propè *Acarnar*.

191. Argion Græcè idem, quod Bootes: de quo ſuo loco. Hic in Horoſcopo repertus, inquit Firmicus, facit hominem ab omni venationis ſtudio alienum, ſed qui tamen venationis fructu gaudeat, canes ad hoc nutriat, arma, retia, ac ſagittas

ad feras inſectandas venatoribus tradat. In occaſu verò inuentus cum Martis iniquo radio, facit periculum moriendi ex bidi canis, aut ferarum dilaceratione.

Argonavis ſidus in cælo ad Auſtralem plagam ſtellas continens ſecundùm communem, numero 45. at ſecundùm Baier. 63 omnes ferè de natura Saturni, & parum Iouis, inter quas vna fulgentiſſima in Canopo exiſtens primæ magnitùdinis Arabicè *Rubail*. Hæc in horoſcopo, inquit Pontanus in Vrania, facit Nauclerum, & præſtat fortunam in nauigationibus, præſertim ſi Veneris benigno radio fulciatur: At in occaſu cum Saturno partiliter reperta, portendit mortem in aquis. 292.

Argvmentvm nil aliud audit apud Matheſeos profeſſores quàm arcus, per quem alium arcum quærimus, dicitur argumentum analogicè ad Logicam argumentationem. Nam ſicut argumentum apud Logicos ducit nos in cognitionem rei vſque adhuc ignotæ; ita arcus iſte habet nobis notificare alium arcum proportionalem ignotum. Duplex eſt, æquatum quod dicitur etiam verum, & medium. Medium eſt arcus Zodiaci incipiens à linea Augis planetæ, & terminans ad lineam medij motus eiuſdem. Æquatum verò eſt cui adjacet æquatio, proindeque terminatur ad lineam veri motus: De hac re fuſe in tabulis ſecundorum mobilium, præſertim apud Maginum. 293.

Argvmentvm *latitudinis Lunæ* dicitur diſtantia eiuſdem à capite vel cauda Draconis, vbi ſcilicet in duobus punctis diametraliter oppoſitis interſecatur orbita Lunæ ab Ecliptica, ſecundùm ſucceſſionem ſignorum progrediendo; cuius ope quantitatem realis obſcurationis tam corporis ſolaris, quàm diſci lunaris in eclipſibus venamur, hoc eſt, quot digiti ecliptici obſcurentur. 294.

Ariadnæ *corona*. Vide corona Gnoſſia. 295.

Ariamech, ſiue *Alramech* Arab. idem quod Arcturus, aut Bootes. 296.

Arided, vel *Hierezim*. Arab quaſi roſa, vel lilium redolens dicitur cauda Cygni ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij in extremo caudæ Cygni ſideris ad borealem plagam intra Galaxiam conſtituti, corrupto vocabulo *Adigege*: de qua ſatis alibi dictum. 297.

Aries ſignum cæleſte, & primum in ordine in Zodiaco, domicilium Martis, & exaltatio Solis, vnde incipit calores intendere; & vbi noctes anteà præualebant diebus, mox Sole primum eius gradum ingreſſo, vtpote in æquatore, illis æquantur, ac tandem cedere incipiunt, & fieri breuiores. Eſt ſignum mobile, igneum, calidum, & ſiccum, quod cum Leone & 298.

Sagittario conſtituit Trigonum igneum, cuius dominatores ſunt Sol, & Iupiter. Tempore Ptolemæi ſub hoc ſigno erat ſidus, & conſtellatio Arietis in octaua ſphæra continens ſtellas tredecim (exceptis quinque informibus circa ipſam) omnes ferè de natura Saturni, aut Martis, quarum prima in cornu boreali conſiſtens immediatè incidebat in æquatorem; at nunc ob motum proprium octauæ ſphæræ præceſſit gr. ferè 28 Primæ eius partes ventos & imbres faciunt, mitiùs tamen quàm tempore Ptolemæi: mediæ ſunt temperatæ: extremæ tandem calidæ; cumque Zodiacus prædítus ſit latitudine, pars eius borealis eſt calidior, & nocua ob plures ſtellas ibi conſiſtentes de natura Martis & Mercurij: Auſtralis verò frigida ob ſtellas de natura Saturni.

299. Ario, teſte Kirchero, Chaldaicè dicitur Leo, quintum ab Ariete ſignum: apud Hebræos autem *Arich*.

300. Arista, & Spica promiſcuè appellatur fixa inſignis in manu Virginis, quæ triticeam ſpicam in manu geſtare imagine præſefert: De ea ſatis dictum in Verbo *Azimech*, & alibi ſæpè.

301. Arithmetica vna eſt ex principalioribus Matheſis diſciplinis, quæ verſatur circa quantitatem diſcretam, ſeu mauis dicam, numeros (per quod contradiſtinguitur à Geometria, quæ conſiderat quantitatem continuam) tradens methodum ſupputandi, multiplicandi, & partiendi: proindeque omnes numerorum paſſiones, proportiones, & habitudines, quas adinuicem habent, conſiderat, atque aliis applicat, vt ex his tandem ad ignota deueniat. Sic poſitis tribus numeris notis, quartum numerum ignotum per proportionum regulam, quæ aliàs dicitur Aurea, præcipit inuenire: ſi videlicet ſecundus, & tertius multiplicentur ad inuicem, ac numerus ex multiplicatione productus diuidatur per primum: Nam numerus quotiens erit quartus quæſitus, hoc eſt cui tertius numerus correſpondet, & ad quem eandem ſeruat proportionem, quam primus ad ſecundum. Hinc conſiderat in numeris *additionem* vnius ad alterum, quæ eſt duorum vel plurium numerorum in vnum collectio: *ſubſtractionem*, quæ eſt numeri minoris ab altero maiore ſubductio: *multiplicationem*, quæ eſt ductio vnius numeri in alium; fitque cum alter ipſorum augetur toties, quoties in altero continetur vnitas: ac tandem *diuiſionem* quæ eſt partitio propoſiti alicuius numeri in partes ab altero numero denominatas. Ex ipſis autem numeris aliquem appellat *partitorem*, ſeu *diuidentem*, & eſt is qui denominat partes, in quas numerus diuidendus tribuitur; qui ob eam etiam cauſam *denominator* audit, quatenus denominat, & indicat partes, in quas vnum totum intelligitur eſſe diuiſum:

*numeratorem*

*numeratorem*, & eſt numerus, qui enumerat minutias, ſeu partes quas continet propoſita fractio ex illis, in quas totum, cuius eſt fractio diuiſum eſt; & *quotientem*, qui eſt numerus partium, in quas numerus diuidendus tribuitur, quique eo quotiens denominatur, quia indicat quoties diuiſor in numero diuidendo continetur. Similiter in numeris conſiderat æqualitatem, vel inæqualitatem; primos, ſeu ſimplices, qui ſunt quos ſola vnitas metitur, quales ſunt 2. 3. 5. 7. 11. 13. 17. 19. 23. 29. 31. &c. & compoſitos, quos non vnitas, ſed numerus aliquis metitur, vt 4. 6. 8. 9. 10. 12. 14. 15. &c. vel enim eos metitur, & in partes æquales diſpeſcit numerus binarius, vel ternarius, vel quartenarius, &c. de quibus fusè agit Euclides à lib. 7. vſque ad 9. incluſiuè, & luculenter explicat Clauius in Arithmetica practica, nec non in commentar. ſuper eiuſdem Euclidis elementa.

Porrò non ita opponuntur inter ſe iſtæ duæ præcipuæ Matheſis diuiſiones, Geometria, inquam, & Arithmetica, vt non pari paſſu incedant, manus complicent, ac ſibi mutuò opitulentur. Et quidem, vt benè obſeruat Alexander de Ales, in primo Meteor. ea eſt Geometriæ ad Arithmeticam proportio, quæ eſt puncti ad vnitatem, lineæ ad numerum ſimplicem, corporis quanti ad numerum compoſitum. Hinc eſt, vt Geometria ad quantum ſuum continuum artificiosè dimetiendum, Arithmeticis fractionibus opus habet, & ipſa viciſſim Arithmeticæ, vt munus ſuum rectiùs, & expeditiùs exequatur è promptuario ſuo auxiliares confert ſuppetias. Quapropter ei & planos & cubos, & quadratos, & ſolidos, & angulos, & latera mutuat (vt habet Proclus in Euclid.) datque vt iiſdem præceptis in numeris dimetiendis vtatur, quibus ipſa in figuris Geometricis, ſeu planis, ſeu ſolidis vſa eſt, eandemque illa proportionem inueniat in quantitate diſcreta, quam ipſa in ſuo quanto continuo. Sic anguli, ſeu termini, & radices proportionis dicuntur duo numeri, quibus minores in eadem proportione aſſumi nequeunt: latera appellantur duo numeri ſeſe mutuò complicantes, aut multiplicantes ad faciendum vnum tertium numerum ſeu aggregatum, ſeu multiplicatum: qui verò ab ipſis proſilit, ſi è duobus tantum lateribus, dicetur planum, ſi è pluribus, ſolidum. Similiter *quadratus numerus* is eſt, qui æqualiter æqualis eſt, ſiue qui ſub duobus æqualibus numeris continetur; vt eſt 16. exiſtens ex multiplicatione mutua 4. & 4. *Cubus* qui ſub tribus æqualibus numeris continetur; vt eſt numerus 27. ex multiplicatione 3. 3. 3 quippe ex 3. in 3. deducto fit 9. & ex 9. in 3. producto fit 27. & alia huiuſmodi quæ fuſiùs videre eſt in Euclide integro lib. 7.

Deníque ea eſt Arithmeticæ facultatis dignitas, vt quemadmodum obſeruauit Philoſophus in primo Phyſicorum, ipſa neceſſariò omnes Mathematicas ſcientias præcedat, ad earumque notitiam nos manducat, atque vt Platonis verbis vtar. Arithmeticam ſi quis aufert, omnes artes auferuntur & nullæ manent, & omnes in totum peribunt. Verum ſi quis diuinam, & mortalem originem inſpexerit, in qua pietas erga deos, & numerus cognoſcitur, cognoſcit, quantum numero opus ſit: nam & tota Muſica numeris opus habet in motibus, & ſonis: & quod maximum eſt, numeri omnium bonorum cauſa ſunt, ex quo cognoſci poſſit, quod omne malum, & omnis motus rationis expers, & indecorus ſine rythmo eſt, & inconcinnus: & omnia quæ cum malo communionem habent eſſe abſque numero oportet tandem ſtatuere eum qui fœlix futurus eſt, & qui juſtum, & bonum, & pulchrum, & omnia huiuſcemodi ignorat. A Plato: De Arithmeticæ inuentione vide Polydor. Virgil. *lib 1. c. 18* & Rhodigin. *lib 18 c. 34*

302. Armilla olim dicebatur ornamentum miliтаre, ad modum circuli, quo milites ex bello victores honoris cauſa ab Imperatoribus munerabantur, vt eo armum (ſic enim audiebat antiquis ſiniſtrum brachium) ad fortitudinis indicium decorarent. Inde ad omne circulorum genus ſignificandum hoc nomen tranſlatum eſt: præcipuè verò apud Aſtronomos, apud quos circuli materiales ſphæræ, ſed potiſſimum ſuſpenſorium Aſtrolabij, vel alterius conſimilis inſtrumenti poſitum ad illud perpendiculariter ſtatuendum, quod Arabes Abalantica vocauere, Armilla antonomaſticè dicta eſt: Inde etiam.

303. Armillaris *ſphæra* appellatur quæ pluribus circulis ex ſolidiori aliqua materia factis interſtincta totam primi mobilis doctrinam continet, atque oculis exhibet ad differentiam Aratææ non ita pridem memoratæ, quæ vndequaque ſolida eſt, atque in ea circuli, & ſidera fixa tantum delineata propriis quæque locis apparent.

304. Arnig. Arab. Muſicale dicitur inſtrumentum, quod ideò apud Aſtronomos Arabes ſumitur pro Fidicula, Lyra, ſeu Vulture cadente, cæleſti ſidere, de quo alibi ſermo.

205. Arolabvm inſtrumentum Mathematicum ad venandas ſiderum affectiones.

206. Arpeen Græcobarbar. dicitur tertius Decanus Libræ in ſphæra barbarica ſub dominatu Iouis, habens ſignificationem guloſitatis, hilaritatis, carminum malorum ſaporum, &c.

207. Artvrvs. *Vide* Arcturus.

AS

208. Asanges Chaldaicè, vel potius *Meſanguo* dicitur aſtrum

lecem ſtellis(quot videlicet chordæ ſunt in Pſalterio decachorlo, quod per id nominis ſignificatur) conſtans; apud nos Lyra, ſeu Fidicula. Keplerus autem in eo ſidere conſiderat ſtellas vndecim, & Baierus in ſua Vranometria tredecim.

ASBIA Græcè, Latinè dicitur Hydra. Vide ſuo loco. 309.

ASCENDENS, horoſcopus, horizon, finitor Orientalis eſt 310. linea illa in Oriente, vnde emergunt ſidera, quæque diuidit hemiſphærium ſuperius nobis conſpicuum ab inferiori, quod latet ſub terra. Dicitur etiam angulus Orientis, & prima domus in cæleſti figura. Eſtque apud Aſtrologos ſignificator vitæ, & corporis affectionum, morum itinerum &c. Significat etiam initia rerum, eo quod eſt domus initatiua cæleſtis motus.

ASCENDENS etiam appellatur illa pars cæli, quæ incipit à linea Meridiana Imi cæli, & per viam Orientis incedens, vſq; ad Meridianum ſuperius extenditur (ſicque includit tertiam, ſecundam, primam, duodecimam, vndecimam, ac decimam domum) vel inde dicta, quod per eam incedentes planetæ & partes primi mobilis ſemper aſcendunt: ſicut è contra deſcendens vocatur pars oppoſita, à linea Meridiana ſupra terram ad lineam Imi cæli per Occidentem gradiens, quia per eam planetæ ſemper deſcendunt. Hinc. 311.

ASCENSIONES, & *deſcenſiones ſignorum* ſunt partes æquatoris, quæ cum tali ſigno, aut Zodiaci parte coaſcendunt, & ſimul deſcendunt; adeoque etiam planetarum, quos in eiſdem partibus reperiri contingit. Porrò aſcenſiones ac deſcenſiones, aliæ rectæ, aliæ obliquæ. Aſcenſiones rectæ ſunt partes æquatoris, quæ aſcendunt per lineam rectam, adeoque comprehendunt omnes illas cæli partes, quæ ſub linea recta ducta per polos mundi, & partes æquatoris oppoſitas continentur, quod accidit in ſphæra recta, atque in ſphæra obliqua tantum in circulo recto, ſeu Meridiano. Aſcenſiones, & deſcenſiones obliquæ ſunt partes æquatoris, quæ obliquè aſcendunt, aut deſcendunt in ſphæra obliqua vbi alter polorum attollitur: quoque obliquior erit ſphæra, eò obliquior erit aſcenſio æquatoris, ſicque minor portio eius aſcendit cum ſignis Zodiaci borealibus, maior cum Auſtralibus. E contrà maior arcus deſcendit in borealibus, quàm in auſtralibus. Arcus verò differentiæ aſcenſionum, aut deſcenſionum, qui intercipitur inter aſcenſionem rectam, & obliquam, vocatur 312.

DIFFERENTIA *Aſcenſionalis*, cuius ope extrahuntur aſcenſiones, ac deſcenſiones obliquæ ad omnem poli eleuationem. Data enim eleuatione poli alicuius regionis, ac declinatione ſideris, ſtatim apparet differentia aſcenſionalis, quæ pro ratione declinationis borealis, aut auſtralis, addenda, vel ſubtrahenda 313.

eſt ab aſcenſione recta eiuſdem ſideris ; ſtatimque proſilit aſcenſio, aut deſcenſio obliqua ad datam poli eleuationem dictæ regionis ; quibus mediis poſteà directiones perficiuntur. Atque aſcenſionibus rectis vtimur in ſphæra recta, & in circulo recto ; obliquis in ſphæra obliqua à primo gradu eleuationis poli vſq, ad grad. 90. Extant ad hoc Tabulæ differentiæ aſcenſionalis, aſcenſionum rectarum, necnon obliquarum ad quamcumque poli eleuationem : Qui volet videat apud Maginum, & Argolum.

314. ASCHERE *Alimini* Arab. alio nomine *Alhabor* dicitur ſtella fixa fulgentiſſima micans in ore canis Maioris : de qua abundè dictum in V. *Alhabor*.

315. ASCONES, ſiue *dominus Ascone* dicitur ſpecies quædam Cometæ de natura Mercurij parui quidem corpore, & coloris cærulei, ſed cum cauda oblonga, qui apparens portendit bella, & mortes Principum virorum, necnon etiam morbos acutos, tyrannides, & ſimilia.

316. ASELLI à Manilio dicti etiam *Iugulæ* (quamuis hæ communiter pro cingulo Orionis accipiantur, vt ſuo loco dicemus) ſunt ſtellæ paruæ quidem quippequæ quartæ magnitudinis, ſed magnæ potentiæ, & pluſquam credi poſſit, inſenſiſſimæ in pectore Cancri vnà cum Præſepi ſtella nebuloſa conſiſtentes, de natura Martis, & Solis in gradu 2. Leonis, ferè in ipſa Ecliptica, ideoque ianiæ actiuitatis. Hæ cum Sole exorientes turbant aërem, impetuoſis imbribus ingruunt, fulgure, & tonitruis. Natum faciunt agreſtem, irreligioſum, tetricum, ad ſtudia venationis applicitum : ſi verò in occaſu fuerint cum Martis iniquo radio, acerbam mortem, ait Firmicus, dum adhuc dormiet minitantur.

317. ASICATH Græcobarbar. ſignificat in ſphæra barbarica primum Decanum Tauri, cuius diſpoſitio eſt penes Mercurium, & eſt indicium arationis, ſationis, ſtructuræ, deductionis coloniarum, ſcientiarum ciuilium, Geometriæ &c. Item

318. ASICCAN ibidem dicitur Primus decanus Arietis competens Marti, proindeque eſt ſignum audaciæ, fortitudinis, elationis, inuerecundiæ &c.

319. ASIDA Arab. Latinè Lupus aſtrum : de quo ſuo loco.

320. ASPECTVS eſt mutua quædam habitudo, ſeu familiaritas duorum ſiderum ſeſe aliquo radio harmonicè conſiderato, intuentium, quo eorum virtus augeſcit, aut deprauatur, per mutuam efficientiam, prout fuerint in actiuis, paſſiuiſve qualitatibus natura conformia, aut difformia. Hoc autem fit, vel per circuli medietatem, cum planetæ ſunt in locis diametraliter oppoſitis, & vocatur Oppoſitio : vel per tertiam circuli

partem, & appellatur Trinus: vel per quartam partem, & dicitur Quadratus: vel denique per ſextam partem, & audit Sextillis. Conjunctio verò, qua duo planetæ conueniunt in eodem ſigno, eodemque gradu, licet impropriè dicatur aſpectus, nihilominus inter aſpectus computatur, cum ſit vera familiaritas, eaque omnium potentiſſima. Addunt alij ex Keplero, ſumpta proportione ad modos muſicos, alios aſpectus minores, & ſunt ſeſquiquadratus qui eſt diſtantia per quartam partem circuli & inſuper per alterius quartæ dimidium hoc eſt per grad. 135. Quintilem, qui eſt diſtantia per quintam partem, & Biquintilem, qui eſt diſtantia duarum ex quinque partibus. Atque huiuſmodi radios computant nedum in Zodiaco, ſed etiam in mundo à domibus, per partes proportionales arcus diurni, aut nocturni cuiuſcunque ſideris. Porrò aſpectus alius platicus, alius partilis Partilis eſt, cum præcisè, aut in eodem gradu conſiſtunt duo planetæ (& eſt in conjunctione) aut tot partibus ad vnguem diſtant, ad inuicem, quot requiruntur ad talem aſpectum efformandum: hicque platico eſt longè perfectior, qui ſolùm eſt ad orbem, hoc eſt, cum non quidem ad amuſſim, diſtant, neque radius proijcitur ad corpus planetæ, ſed ſolum incidit in orbem, ſeu ſphæram lucis ipſius: De quo, ſicut & de eius diuiſione in applicationem, & defluxum plura vide in V. Platicus, nec non ſub propriiis nominibus ſingulorum aſpectuum.

Assabe Arab. Latinè Eurus. Ventus ſubſolanus vnus ex quatuor cardinalibus, ſpirans ab ortu æquinoctiali: Vide in V. Græco Apeliotes. 321.

Assangi *Armig.* Arab. ſeu potiùs Chaldaicè, Latinè Fidicula vultur cadens, ſidus in cælo: de quo vide alibi. 322.

Assub apud Metheorologicos eſt genus quoddam aëtearum impreſſionum, quod eſt in duplici differentia, aliud aſcendens, conflatum ex partibus exhalationis accenſæ in ſuprema aëris regione, & videtur aſcendere, ſicut ſi euolarent ſcintillæ de fornace: aliud verò deſcendens, & eſt ignis retentus in nube, qui tamen expellitur obuiante nube frigida, & cadit continuè, propter quod videtur quod ſtella cadens ſit longa, quia relinquit veſtigia caſus poſt ſe. Io. de Combis in compend. Theologicæ veritatis lib. 2. 1. 9. Vide in V. *ſidera diſcurrentia.* 323.

Astacus, Nepa, Cammarus Vide Cancer. 324.

Aster nomen genericum ſtellæ ſingularis, prout præſcindit à fixa, vel erratica. Verum *Aſteriſmus*, & *Aſtrum* ſignificant multitudinem, & congregationem plurium ſtellarum inerrantium; quæ conueniunt ad formandum vnum integrum ſidus, ut figuram, vt eſt Vrſa, Leo, Lyra, &c. 325.

326. Astiro, ex Græcobarbaro dicitur ſecundus decanus Aquarij, ſub dominatu Mercurij in ſphæra barbarica, ſignificator bonorum morum, formæ, intellectus, manſuetudinis cum modeſtia, liberalitatis, &c.

327. Astrabister dictum eſt inſtrumentum quoddam Geometricum ad menſurandas altitudines, & profunditates, inſtar radij Latini

328. Astræa dicta eſt ab Arato Virgo, cæleſte ſidus inter Leonem & Libram, mutuato ex fabulis nomine, fingunt enim Poëtæ ipſam juſtitiæ antiſtitem aureo illo ſæculo è cælo in terras migraſſe, ſed mortalium ſceleribus offenſam cælos repetiiſſe, vbi in cæleſte illud ſidus conuerſa eorum facta de longè perpendit, & æqua lance dijudicat: hinc illi lancees applicitæ: alio nomine dicitur *trigone*, *Auteno*, *Iſis*; eius ſideris qualitatem, numerum ſtellarum, quibus conſtat, naturam & alia: Vide in V. *Virgo*

329. Astrocynos, & *Aſtrocyon* Græcè appellatur Canis ſidereus maior, alio nomine *Sirius* qui inter multas ſtellas quibus integratur duas peculiari conſideratione dignas habet, alteram in capite quæ vocatur *Iſis*, alteram in ore ſeu lingua apud Arabes *Alhabor*: de vtriſque ſuo loco.

330. Astrolabium inſtrumentum Mathematicum, totam ferè cæleſtem doctrinam in plano repræſentans, vnde & *planiſphærium* dictum eſt quaſi ſphęram in plano demonſtret, ex eo enim perquam bellè aſtrorum motus colliguntur, diſtantiæ menſurantur, aſcenſiones, deſcenſiones, declinationes, & alia id genus intuitiue noſcuntur. Fertur à primo parente Adam inuentum, vel ſane ab Abraham: licet poſtea ſucceſſu temporis perfectiùs ſemper, & perfectiùs elaboratum prodierit. De eius fabrica, & vſu multi ſcripsêre, imprimiſque Egnatius Dantes, & Ioannes Stoflerinus egregiis voluminibus.

331. Astrologia Græcè, Latinè Aſtrorum ſermo ſeu ſcientia interpretatur, quæ & *Aſtronomia* promiſcuè dicta eſt: Niſi quod vſus poſteà obtinuit, vt Aſtrologia vſurparetur pro notitia quadam coniecturali ex aſtrorum ſitu comparata, qua de rerum mutationibus, aliiſque effectibus qui à cælorum poſitu ortum habent, pronunciatur. Aſtronomia verò pro ipſa aſtrorum ſcientia ſumitur, quæ in eorum præciſa conſideratione ſiſtit, ſtellarum motus, naturas, magnitudines, affectiones ſcrutatur, ac dimetitur: vnde Aſtrologia ſupponit Aſtronomiam, atque in ea fundatur. Hæc enim pars eſt nobilior Geometriæ, quantitatem continuam, ſed ſolùm altioris ordinis, & cæleſtem conſiderans; illa ſcientia experimentalis longo vſu a poſteriori, & ex effectibus comparata, quæ nec ſcien-

tiæ quidem nomen meretur, quandoquidem neque rem per cauſam ſcrutatur, neque certitudinem habet, quæ ſcientiæ anima eſt, ſed per conjecturas, & experimenta procedit. Hæc propriiſſimè, ac ſtrictiſſimè ſcientia in ſummo certitudinis apicè ſita. Quamobrem, etſi in nomine, ſeu potius nominis notione conueniant, in re tamen longiſſimè differunt.

Porrò Aſtrologiæ objectum ſunt naturales effectus à cauſis cæleſtibus producibiles, quatenus perſpectâ rerum naturâ, corporumque cæleſtium inter ſe habitudine, ex iis, quæ alias experientia duce pluries eueniſſe Aſtrologus noſcit, prudens colligit ſimiles effectus ex ſimili cauſarum congreſſu etiam prodituros. Verum, quia inter naturales effectus alij ſunt, qui merè à natura proueniunt, & quidem neceſſariò (poſito diuino, & vniuerſali concurſu, & cauſatum ſecundarum connexione) qualis eſt calor, qui ab igne naturaliter prouenit, nutritio Animalis naturaliter præſtita per alimenta &c. alij, qui etſi naturaliter prodeant, originariè tamen ſunt à cauſa libera, liberè media, proportionata, & cauſas ſubordinatas ad talium effectuum productionem applicante; qualis eſt occiſio hominis abs ſe, vel ab alio præſtita, domus ædificatio, liberorum procreatio &c. alij, qui à cauſa libera liberè etiam ſecundùm ſubſtantiam proueniunt, vt ſtudium, pietas, amor, odium, virtutes denique & vitia, quæ à natura non niſi valdè remotè ex qualitate temperamenti dependent; alij demum qui mixti ordinis ſunt, pendent enim ex natura ſimul, & libera hominis voluntate, ita vt fiat ex iis quædam cauſarum confuſio, atque mixtio, in qua effectus naturales ſæpè humano artificio peruertuntur, ſæpè etiam adjuuantur, quales ſunt plantarum initio, terræ quantumuis rudis, & aſperæ (idem, pro ſui ratione, dic de ingenio) excolatio &c. idcircò varia eſt aſtrorum circa huiuſmodi effectus actiuitas, varia etiam Aſtrologiæ de eorum productione diuinatio. Cum profectò quæ à natura purè, & abſque vllo vel ſanè paruo hominis artificio proueniunt, neceſſariò etiam producantur, atque adeò certò per Aſtrologiæ præcepta prædici poſſint; quæ purè à libertate humana pendent, ſiue ſecundùm ſe tota, ſiue originatiuè, aut per ſui magnam partem omninò liberè prodeant, ſicque etiam ab Aſtrologo vel nullo modo, vel poſita conditione, vel ſanè valdè remotè ex debili quadam conjectura deſumpta ex temperamento poſſint prædici; Quæ verò mixta ſunt, poſſunt quidem ex parte præuideri, quà videlicet ex naturali cauſarum connexione pendent, cum ea certitudine, aut probabilitate, quam cauſæ liberæ cum natura ſimul concurrentis maior, aut minor actiuitas, diligentia, obſiſtentia dat poſſe fieri. Hinc fallaces, 332.

hinc temerariæ ſæpè ſunt Aſtrologorum prædictiones, quæ non ad hanc ratam cauſarum amuſſim librantur. Hinc iure proſcripta fuit ab Eccleſia ea Aſtrologiæ pars, quæ de rebus vtcunque liberis, certò vel etiam probabiliter agit, atque dijudicat; cum enim huiuſmodi effectus, qua liberi ſunt, ſint etiam contingentes, & qua tales æquè incerti ſint; inde fit, vt nequeant certò pronunciari, ſed neque probabiliter, niſi ex debili quadam conjectura, & poſita conditione, vt ad eos quis ſe liberè determinauerit. Accedit quod, cum hæc actuum humanorum prædictio, etſi alias cum grano ſalis, & accuratè fiat, poſſit in Reipublicæ damnum vergere (neſcit enim indoctum vulgus diſcernere ea, quæ à natura ſunt ab iis quæ ab hominis voluntate; neſcit Aſtrologicis prædictionibus vti ad ſibi cauendum, aut conſulendum, ſed quæ dicta fuerint, tanquam ex tripode pronunciata auidè excipit, & inconſideratè exequitur) idcircò eius vſus meritò interdictus, vtpote Reipublicæ vniuerſim pernicioſus, & ſolùm in iis, quæ ſine noxa publico bono conſulere poſſunt, permiſſus. Talis eſt circa agricolationem, nauigatoriam, & rem medicam; qua quidem in re non, magis certæ ſunt Aſtrologorum prædictiones, quam quæ de hominis vita naturaliter producenda, perſpecta eius Geneſi pronuntiantur, ſed ideò illæ prohibentur, & iſtæ fieri permittuntur, quia hæ non adeò animum turbant, & hominem ſollicitum reddunt, vt illæ; proindeque euadunt innocuæ, & aliquando proficuæ. Cæterum ad hominis natiuitatis momentum erigere natalitium thema, cæleſtis ſiderum poſitus, ex eoque ritè confecto colligere temperamentum, naturales animi affectiones, corporis conſtitutionem, morbos naturaliter prouenientes, vitam debilem, vel robuſtam, aliaque huiuſmodi, non eſt extra veram Naturæ aleam, neque vlla lege prohibitum vt ex Theologis obſeruant Azor. lib. 9. cap. 13. Suar de Relig. 10. 1. lib. 2. cap. 11. Trullench. lib. 2. cap. 10. dub. 4. Tancredi de Relig. lib. 2. cap. 2. quæſt. 3. & alij paſſim. Quod etiam probant Principum figuræ, Eccleſiæ authoritate impreſſæ, & ab omnibus legi permiſſæ; quandoquidem iſti effectus naturales ſunt, à natura neceſſariò prouenientes, licet fortè quandoque educatione, ſtudio, & arte præuerti poſſint, & impediri, eo prorſus pacto, quo annonæ caritas, & abundantia, pecudum productio, pernicioſorum animalium ingruentia, & alia huiuſmodi quæ humano artificio præueniri poſſunt, & adjuuari. Qua de re vide Titum *in Quæſt. Phyſiomathemat. cap. vltimo.*

833. Astron Græcè dicitur genericè ſidus in cælo. Sed tamen aliquando Antonomaſticè accipitur pro cane Maiore Sirio, ſeu

ſtius lucida in eius ore, quæ eſt omnium ſtellarum maxima, ab aliquibus ipſo Sole grandior perhiberur.

Astrothemata ſtellarum poſitus in cæleſti figura; ſicut iam 334.

Astrothesia dicitur conſtellatio, & imago cæleſtis pluris ſtellis conſtans. Item &c. 335.

Astrvm Aſteriſmus, ſidus, congeries ſtellarum; Aſtrō vt alibi dictum eſt, vnicam tantùm ſtellam ſignificat. 336.

Asymetria apud Geometras accipitur pro chorda in circlo, quæ eum diuidit in duas partes, & eſt veluti Diameter, quæ tamen per eius centrum non tranſit. Vide in V. *Chorda*. 337.

AT.

Atabvlvs ventus eſt prouincialis Apuliæ, illique maximoperè infenſus, vnde & nomen ſumpſit ex Græco *Atinbalin*, quod noxam, & detrimentum ſignificat. Eſt enim frigidiſſimus, & valdè ſiccus, vt teſtatur Plin. *lib. 17. cap. 24.* etſi circa brumam exſufflat omnia areſacit, & adurit. De eo plura habet Seneca *in quæſt. natural. lib. 5. cap.* 17. 338.

Atazir Arab. Latinè interpretatur Directio: eſtque artifitioſa deductio promiſſoris in locum ſignificatoris. Sæpiſſimè accipitur pro ipſo loco Anæretico, ſeu directione peculiari vitæ Moderatoris ad locum interemptorium: Qua de re vide Hali *ſuper Quadrip. Ptolem, tra. 3 cap. 10. & ſuper Centiloquium ſæpiſſimè.* 339.

Atembvi ex Græcobarb. dicitur in ſphæra barbarica tertius decanus Piſcium, ſub dominatu Martis, ſignificans ſcortationes, amplexationes, oblectationes cum mulieribus, otium &c. item 340.

Aterechinis ibidem dicitur ſecundus decanus Libræ cuius diſpoſitio ſpectat ad Saturnum, ac ſignificare habet quietem, libertatem, vitam bonam, & ſecuram. 341.

Atin *Eltaur*, hoc eſt oculus Tauri dicitur Arabicè Palilium alio nomine *Aldebaran* ſtella fixa vna Hyadum, eaque inſignior primæ magnitudinis de natura Martis in oculo Auſtrali Tauri conſiſtens, quæ etiam vna cum ſociis promiſcuè 342.

Athlantides appellantur, & ſuculæ ſtellæ inquam pluuiosæ in capite Tauri: de quibus Virgilius Georg. 1. 343.

*Ante tibi Eoa Athlantides abſcondantur,*
*Debita quam ſulcis committas ſemina..*

De iis plura vide in V. V. Hyades & Suculæ.

Athalb apud Alkabitium idem ſonat, ac aſcendens. 344.

Athoraige Arab. (licet malè vt obſeruat Ricciol. ſed potius *Altorich*, vel etiam *Benat Elnaſch.*) dicuntur Pleiades Vergiliæ ſeptem videlicet ſtellæ de natura Martis, & Lunæ in 345.

Tauri pectore conſiſtentes, licet ſeptima, vt aliàs obſeruatum eſt, aliquando conſpicua ſit, aliquando non. Earum ortus cum Sole ſereno cœlo, hyemis aſperitatem, ſi nubilo, eandem pluuioſam præſignat: occaſus autem pluuias niueſque adducit: at ſi cum Saturno occiderint, aut Mercurio turbant aërem, nebulas & ventos producunt. Occidunt autem Romæ cum grad. ferè 27. Tauri: Plura ſub V. *Pleiades*.

346. Attestationes vocant quandoque Aſtrologi, teſte Valla, ſtellarum adinuicem irradiationes, quas vulgari nomine appellamus aſpectus, nempe trinos, ſextiles, quadratos, oppoſitiones; licet atteſtatio, vt ex etymo nominis patet, aliquid amplius vltrà irradiationem dicat, hoc eſt teſtimonium rei ſignificatæ, & effectum talis irradiationis.

347. Atmosphæra, hoc eſt halituum ſphæra dicitur pars illa aëris terræ vicinior, quæ ob terreſtres halitus, qui ei perpetuò admiſcentur, craſſior, & impurior eſt cæteris aëris regionibus; quò fit, vt per eius craſſitiem radij ſolares immiſſi ex parte retineantur, atque in eius opacitate reflectantur, qui ad terram vſque peruenerunt, vnde originem habuit lux illa crepera, & ſubobſcura, quam nos manè & ſerò in aëre propè horizontem tam ortiuum, quam occiduum videmus, & vulgari nomine crepuſculum vocitamus.

## A V

348. Avctvs *Lumine* dicitur planeta, cùm recedit à Sole, vel Sol ab eo à conjunctione ad oppoſitionem; quò enim magis à Sole diſcedit, eò magis lumine, quod à Sole mutuatur abundat, vt vel lippis oculis videre eſt in Luna, & in Venere. E contra minutus lumine dicitur, cum accedit ad Solem, vel Sol ad ipſum ab oppoſitione ad conjunctionem. Eſſe autem lumine plenum, vel auctum, computatur inter maximas dignitates accidentales, planetis, conuenientes: quippe cæleſtia corpora (vt eruditiſſimè probat Titus *in Cæleſti philoſophia*) lumine potiſſimum operentur.

348. Avctvs *numero* vocatur planeta, quando motu ſuo proprio ſuperat ſuum motum medium, & idem ſonat, ac motu velox. Quod item inter præcipuas planetarum fortitudines numeratur; tunc enim euadit viribus præualens, ac validior, eò quod motu ſuo proprio contrà motum primi mobilis gradiens, quò velocior eſt, eò magis ſupra noſtrum hemiſphærium moratur; non enim rapitur exquiſitè à primo mobili, vt eſſet ſi foret ſtationarius, aut retrogradus, ſed aliquantulum reſiſtit, & contrà nititur, adeoque plus temporis habet ad inferiora hæc alteranda. E contra minutus numero dicitur, cum tardi motus eſt, nec exæquat medium motum: vnde fit vt citiùs curſum ſuum

ırnum perficiat,ſicque minus agere poſſit in iſthæc inferiora.
ınc cum Luna motu ſuo proprio ſit omnium planetarum citiſ-
na pergit enim quandoque ſecundùm ſucceſſionem ſigno-
ıı quindecim gradus, adeóque procedendo ab Oriente in
:cidentem, totidem gradibus remaner retrò: conſequenter
ıs omnibus ſupra terram conſiſtit, plus temporis habet ad in-
iora hæc alteranda, quod ſæpè eſt horar. 20 & eò plus,
de etiam eſt vt iſta maximè ab ea repatiantur, vt vel ob id,
eius efficientia, ſublunarium nomen ſortita ſint.

Avellar Græcè, vel potius Chaldaicè dicitur ſtella fixa 349.
:undæ magnitudinis de natura mixta Martis, & Mercurij, &
turni in capite præcedentis Geminorum conſiſtens, qui Ca-
ɔr, ſeu Apollo dicitur. Arabicè *Ras Algeuze*.

Avgentes *fortunam* gradus vocantur apud antiquos Arabes 350.
tri quidam ſignorum gradus, in quibus repertæ fortunæ, aut
gulı plurimum augerur eorum virtus: qua de re vide in V.
ıadus.

Avis, Gallina Olor, Cignus, ſidus in Cælo ad borealem pla- 351.
ım, ad Galaxiam: de quo alibi ſatis dictum. Item

Avis *Paradiſiaca* dicitur aliud ſidus àd polum Antarcticum 352.
: nouo detectum à Nautis Hiſpanis ad Auſtrales plagas appul-
;. Vide in V. *Manucodiata*.

Avlax in tabulis Perſicis dicitur extrema Eridani, hoc eſt 353.
lcus, ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Iouis, & Ve-
:ris exiſtens in gr. 21. Arietis Arabicè *Acarnar*.

Avra lenis eſt ventus ſuauiter perflans, non omninò abſimi- 354.
s Zephiro, & aliquibus Apogæis.

Avrea *regula* Encomiaſticè nominatur apud Arithmeticos 355.
ıſignis quædam numerorum proportio, qua, datis tribus nu-
ıeris notis, quartus ignotus emergit: multiplicatur enim ter-
us numerus (cuius proportionalem partem volumus indagare)
er ſecundum numerum, & productum poſteà diuiditur per
rimum datum; nam quotiens eſt quartus numerus proportio-
alis, quem quærimus. Vſitatiſſima, & pernceſſaria regula
mnibus non tam Arithmeticis, quàm vniuerſæ Matheſis
roſeſſoribus.

Avrevs *numerus* ſic dictus, quod Athenis aureis literis ſcri- 356.
tus reperiebatur, eſt menſura motus capitis Draconis Lunæ,
uæ completur in annis ſolaribus 19. cuius ope omnis ferè inæ-
ualitas motus lunaris adæquatur, indeque eruitur Epacta cui-
ue anno conueniens, ac Lunæ ætas. Sic igitur definiri poteſt.
*Eſt artificioſa Cycli decennouennalis reuolutio per annos ſequentes
diſtributa ab vnitate ad numerum 19. quo expleto iterum redditur
ad vnitatem*. Eius inuentor fuit Meton quidam Athenienſis à

quo & Metonicus annus dictus is, in quem anni Luniſolares conueniunt, vt dictum eſt ſuo loco. Nunc ſi quis innenire voluerit aureum numerum currentem, addat anni milleſimi currentis vnitatem, & ſummam diuidat per 19. quod poſt diuiſionem remanet erit aureus numerus illius anni: Quod ſi integra prodeat diuiſio, ita vt nullus ſuperſit numerus minor 19. tunc aureus numerus erit 19. taliſque erit etiam Epacta; vnde Nouilunia redeunt vt erant priùs, & annus lunaris conuenit cum ſolari: ſic anno currenti 1660. addita vnitate fiunt 1661. quibus diuiſis per 19. remanent adhuc 8. talis igitur erit aureus numerus præſentis anni: De ea re vide fuſiùs Maurolycum, & Robertum Lyngonienſem in ſuo Computo Eccleſiaſtico.

357. AVRIGA, Eniochus, Ericthonius, Arabibus *Memeſciath*, hoc eſt mulus clitellatus, ſidus in cœlo ad Borealem plagam conſtans ſtellis quatuordecim ſecundùm antiquos, at ſecundùm Keplerum 27. & per Baierum 32. omnibus ferè de natura Martis & Mercurij; quarum præcipua primæ magnitudinis in ſiniſtro humero dicitur Capella, Hircus. Is in horoſcopo, inquit Stadius, facit Aurigas, Equites, Speculatores, Medicos, & qui mediis herbis aliis medeantur. In occaſu verò adducit periculum mortis violentæ. vel ob caſum è curru, vel calce equorum, vel ſanè artuum laceratione.

358. AVRORA vulgò dicitur Crepuſculum matutinum, ſeu prima diei lux ſubobſcura ad Orientem, ante Solis aduentum matutino tempore apparens: inde dicta, quod ante Solis ortum ab eius aureis ſpiculis illuſtratus aër quaſi aùreſcit, vel potius vt alij volunt, quaſi *aurora rorans* quia eo tempore lenis aura perflans rorem de cælo pluit: Vide in Verbo *Crepuſculum*.

359. AVRORA item, ſeu *Matutina* dicitur apud Aſtronomos ſpecies quædam cometæ matutino tempore, & in aurora apparentis, colore rufo cum longa cauda. Is participat naturam Martis, & cum apparuerit ex parte Orientali habens caput depreſſum inferiùs, portendit prælia, & combuſtiones ignis, æſtus, ariditates, famem, peſtilentiam, incendia &c. maximè in regionibus calidioribus.

360. AVSTER, Græcè notus ventus Meridionalis vnus ex quatuor cardinalibus, qui à puncto Meridiei exoritur: ab aquarum hauſtu, quem apud nos habet, ſic dictus, calidus, & humidus in noſtris hiſce regionibus Septentrionalibus, at in Auſtralibus trans Oceanum Athlanticum frigidus, & ſiccus, eiuſdem prorſus qualitatis, ac in noſtris Boreas & Septentrio: ſicut iſti in illis regionibus mutant qualitates, & inducunt naturam Auſtri, & Notapeliotis, vt præ cæteris teſtatur Alonſus de Ouaglie in *deſcriptione Regni Chilenſis*. Nec id ſanè

ratione vacat; cùm enim Auſter, quò ad noſtras regiones commigret, noſterque Boreas ad Auſtrales tranſire debeat tum per mare Oceanum, tum per Zonam torridam, nil mirum eſt, ſi & humores ab vno, calorem ab altera mutuetur, ſecumque ad loca quò perflans tendit aſportet. At verò & Auſter in regionibus Meridionalibus, & Septentrio in Borealibus ſpirant immediatè à Polis, tranſeuntque per Zonas vtrinque frigidas, nec per maria ſed per montes aſperrimos, vnde priuſquam ad mare pertingant, aut per æquatorem tranſeant, frigidas, & ſiccas qualitates locorum vnde originem trahunt retineant neceſſe eſt. Simili etiam ratione Notapeliotes vulgò Siroccus in Sicilia, atque in certo Italiæ tractu calidus, & ſiccus dignoſcitur, non vt alibi vniuerſim calidus, & humidus. E contrà Boreas ibi eſt quidem frigidus, non autem ſiccus, vt Romæ, ſed humidus, quia videlicet & hic à frigida regione ſpirans tranſit per mare vnde humores trahit, ille autem ab Auſtro exſufflans tranſit per Zonam torridam, & non quidem per mare, ſed per mediam Africam, quæ longo tractu interponitur; vnde eſſe quidem calidus poteſt, humidus autem, cum non habeat, vnde humores ebibat, eſſe non poteſt. Hæc ex occaſione ſint dicta. Cæterùm, cum de ventorum ſicut & de ſignorum natura, & qualitatibus loquimur, ſemper loquimur habito reſpectu ad plagam Borealem quam nos inhabitamus; cum certum ſit, ſi trans mare Athlanticum, vltraque æquatorem pergeremus, oppoſitum ex aſſe ijs, quæ hic dicimus experturos. Sed enim nobis loquimur, noſtriſque regionibus morem gerimus, quarum paſſiones experimur, affectiones patimur, aërem reſpiramus. Hinc de Auſtro ſcriptum reliquit Hippocrates quod viſum hebetat, caput humoribus replet, pigritiam adducit, membra diſſoluit, morbos generat, febres putridas, peſtilentias, pleuritides, aliaſque ægritudines contagioſas. Idem inſenſiſſimus hortis dicitur à Theophraſto lib. 2. cap. 4.

AVTOMATA inſtrumenta quædam mechanica ſunt, iuxtà Geometriæ præcepta tam ſubtiliter, & concinnè elaborata, vt ſponte ſua nullaque apparentè extrinſecus impellente vi, moueantur, atque in orbem ſtatis temporibus ordinatè notentur à τὸ αὐτόματον, quod Græcè vltroneum interpretatur. Inter hæc celeberrima illa Archimedis vitrea ſphæra, quæ omnes cæleſtes motus exquiſitiſſimè imitabatur: in quam lepidè luſit Claudianus. 361.

*Iupiter in paruo cùm cerneret Æthera vitro,*
*Riſit & ad ſuperos talia dicta dedit.*
*Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?*

temporis eſſe inueniuntur, Saturni initio Capricorni cum min. 35. Iouis in grad. 7. minut. 27. Libræ: Martis in grad. 29. min. 29. Leonis: Solis in grad. 11. min. 4. Cancri. Veneris in grad 16 minut. 50. Geminorum: Mercutij tandem (cum in Luna eam aſſignare non ſit) in grad. 1. min. 39 Sagittarij. Similiter oppoſitum Augis eſt in partibus ſignorum oppoſitis. Plura habes apud extructores Tabularum ſecundorum mobilium.

## AX

Axis apud Aſtronomos audit linea quædam imaginaria, quæ ab uno Mundi cardine, ſeu polo per centrum telluris tranſiens, in alterum terminatur; circa quam totam Cælorum machinam intelligimus circumuolui. Et quoniam plures polos, pro ratione motuum atque orbitarum ſecundorum mobilium, circa quos ſingula agitentur, conamur aſtruere, vt dicemus, cum fiet ſermo de polis; ideò plures axes ab vno in alterum, ex dictis polis protenſos concipi neceſſe eſt, qui omnes, per centrum telluris tranſire debeant, ſeque mutuò interſecare: ita vt nihil aliud axis ſit, quàm mundi diameter, circa quam ſphæræ voluantur. Antonomaſticè tamen accipitur pro inſigniore, hoc eſt axe mundi ad eiuſdem polos Arcticum, & Antarcticum terminante. 356.

## AZ

Azelfage Arab. dicitur cauda Cigni, ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij, exiſtens nunc temporis in primo gradu Piſcium cum latitudine boreali gr. ferè 60. intrà Galaxiam. Hæc in horoſcopo aut cum Luna maximè inclinare dicitur ad Venerea, quippe quæ habet natura ſua corpus humoribus replere, ac ſperma producere. Eſt nunc Verticalis Florentiæ, Bononiæ, Placentiæ, aliiſque Galliæ Ciſalpinæ vrbibus, quæ ſunt in eleuatione poli grad. 44. cum ipſa totidem ferè habeat declinationis borealis. Alio nomine, ſed corrupto, vt notat Ricciolus, dicitur *Deneb. Adigege*. 366.

Azemena Arab. idem ſonat, ac corporis debilitas: Vnde *pars Azemena* apud Arabes Generhliacos audit ea pars quæ dirigitur pro corporis infirmitatibus. Abſolutè autem ſumpta ſunt certi quidam gradus ſignorum, in quibus reperta Luna, aut maleficus, adducit morbum aliquem incurabilem, ſeu inſeparabilem, vt ſunt cæcitas, ſurditas, membri debilitas, & ſimilia; idque pro ratione ſignorum, & planetarum tam ibi exiſtentium, quam eundem locum reſpicientium, habito etiam reſpectu ad ſitum mundi, in quem incidit talis gradus. Porrò gradus Azemene quos Arabes omnes, & nonnulli ex 367.

antiquioribus admittunt, tales communiter circumferuntur. In Tauro gradus ſextus, ſeptimus, octauus, nonus, & decimus (in Ariete enim nullum eſt aſſignare, neque in Geminis, neque in Virgine, neque in Libra, neque in Piſcibus) In Cancro 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. In Leone grad. 18. 27. 28. In Scorpione grad. 19. & 29 In Sagittario grad 1. 7. 8. 18 & 19. In Capricorno grad. 26. 27. 28. 29. In Aquario tandem grad. 18. & 19. Qua autem ratione ij adinuenti ſint, vel potius efficti, non ſatis conſtant apud ipſos: ideoque communi ſuffragio à Recenſioribus omnibus vanitatis arguuntur. Hoc vnum tamen monuerim, quod ſi fortè iſti gradus ab antiquis huiuſmodi qualitatis eſſe comperti ſunt, id certè non aliunde, quàm ab ſtellis fixis, quæ in eoſdem gradus incidebant, credendum eſt, collegiſſe; cum nulla appareat ratio conuincens: quare hi potius gradus Eclipticæ (quæ ſanè imaginaria eſt) & non alij hanc infortunam ſortiri ſint At enim, etiam ſi fixis hanc qualitatem morbificam velimus appingere; jam nunc ob eorum præceſſionem, receſſit prædicta qualitas à ſignatis gradibus & tranſiuit ad alios, ſub quibus modo eædem ſtellæ reperiuntur.

369. * Hac occaſione placet hic nouam, atque ingenioſam Adriani Neguſantij viri eruditiſſimi, ac mihi cum paucis arctiſſima familiaritate conjuncti, obſeruationem attexere, dignam ſanè quæ opus iſthuc nobilitet. Ait enim gradus medios ſignorum fixorum, hoc eſt grad. 15. Tauri, Leonis, Scorpij, & Aquarij eſſe infortunatos, ac debiles: quippe qui ibi conſiſtunt, vbi contrariæ qualitates æqualibus viribus pugnant, ſuccedente mox victoria vnius ſuper aliam, à qua fit tranſitus: inde fit, vt hæc pugna, & contrarietas plurimum labefactet planetam ibi repertum Quapropter idem teſtatur, ſæpiſſimè ſe expertum fuiſſe, Aphætam conſtitutum intrà fines horum graduum intuliſſe naſo valdè debilem complexionem, nec non eiuſdem directiones ad Anæretas, etſi alioqui debiles ibi conſiſtentes, vitam etiam abſcidiſſe.

370. Azimech apud Arabes non vnam tantum fixam deſignat (vt malè aliqui opinantur) ſed modò vnam, modò aliam, de natura tamen Veneris, & Mercurij & non promiſcuè ſed tantum inſigniores: vnde ſemper ponitur cum adjuncto, quod ſignatam ſtellam diſcernat, vt in propriis locis dictum eſt. Non negauerim tamen hoc nomen abſolutè prolatum apud multos Antonomaſtice accipi pro ſpica Virginis ſtella omnium, quæ ſunt de natura Veneris, & Mercurij, nobiliſſima

ſima, quæ alias, & plures notiones habet, vt dicemus in locis, vbi ſermo recurret.

AZIMVTH. Arabicè appellantur circuli Verticales, ſeu Meridiani tranſeuntes per verticem locorum, atque ipſum verticalem primarium interſecantes in puncto Verticis, indeque ad Horizontis partes oppoſitas deſinentes, aut etiam vlterius vſque ad Nadir protenſi. Concipiuntur autem in cælo, ac circà tellurem deſcripti; iique propè infiniti, ſicut & infiniti poſſunt concipi Horizontes. Eorum ope venamur, tum ſtellarum poſitus, ac diſtantiam adinuicem, tam longitudinem, ac diſtantiam ab Inſulis Canariis ſitis in Occidente, à quibus placuit Ptolemæo, & antiquis Coſmographis hanc longitudinem computare. Eſt autem longitudo, vt in loco dicetur, arcus æquatoris interceptus inter duos Meridianos, primum ſcilicet dictarum Inſularum, & loci, cuius longitudinem quærimus; quot enim gradus æquatoris inter prædictos Meridianos intercipiuntur, tanta dicitur eſſe longitudo, ciuitatis, aut regionis: & quantus eſt arcus interceptus inter Meridianum duorum locorum, tanta eſt diſtantia eorumdem. Vt proinde Azimutha, ſeu circuli verticales per gradus æquatoris diſtribuantur, ſicque concipiantur tantum eſſe 180. Cum quilibet Meridianus comprehendat duos gradus oppoſitos. Id magis magiſque explicabitur in Verbo *Meridianus*, atque in Verbo *Longitudo quoad Geographos*. 371

AZONI, & *Azones* dicti ſunt populi extrà Zonam habitantes, qui, cùm reuerà dari non poſſint, omnis enim terræ tractus in quinque Zonas diuiditur, in quarum aliqua quicumque in orbe degit, degat neceſſe eſt, vt magis explicabitur in V. Zonæ Ideò cum Ioſepho Laurentio in *Amalthea Onomaſt.* eos crediderim Azones appellatos fuiſſe, qui extrà faſciam Zodiaci habitant, quos inter & nos comprehendimur, & quicumque extra Zonam, quam vocant torridam commorantur. Si quidem Zodiacus ab vno in alterum tropicum ſemel, & iterum tranſiens protenditur, nec extrà tropicos, qui ſunt eius limites diuagatur. Quapropter ijs tantùm, qui in Zona torrida degunt, Sol aliquando fit verticalis, ſecus autem iis qui extrà Zonam, hoc eſt Zodiaci amplitudinem ſunt, qui propterea Azones vocantur. 372

AZORVM *Inſula* in Occidente cum latitudine graduum 40. verſus polum Antarcticum celebres ſunt apud nouos noui orbis hoc eſt Indiarum Occidentalium detectores: quippe quæ, inquiunt, ſitæ ſunt ad verum Occidentis Meridianum; vnde ab illis computandam eſſe autumant longitudinem Ciuitatum, non ab Inſulis Canarijs ſeu fortunatis, vt olim voluit Ptole- 373

mæus, neque à Gadibus Inſula, vt placuit Straboni, Artemidoro, & Proclo: qui propterea ab iſtis locis numerare incipiebant longitudines Ciuitatum, quia ignorabant verum Occidens, quod præcedenti tantum ſæculo, tanto cum Chriſtianæ Reipublicæ bono, ac detegentium laude repertum eſt. Siquidem, vt benè aduertit Iunctinus in ſphæram Io. de Sacrobosco, cum verum Occidens conſtitui debeat in fine terræ habitabilis ex oppoſito Orientis, atque ad angulos rectos polorum Mundi; conſequenter ibi erit, vbi linea quædam concipiatur, diuidens æquatorem ad angulos rectos, & Colurum ſolſtitiorum interſecans, quæ à nauigantibus linea diametri, ſeu diameter Mundi appellatur. Porrò hæc linea comprehendit immediatè laudatas Inſulas, parum vltrà Promontorium Hieron, ad quinque gradus: vbi etiam acus nautica, ſeu ſagitta magnetica ſe rectè vertit ad polos mundi, diuidens æquatorem ad angulos rectos. Quod etiam oculatus teſtis probat à ſe expertum Gonzalus de Ouiedo *in ſummario de itineribus ad partes Indiæ Occidentalis cap. 84.* qui regiones illas quatuor vicibus peragrauit. Ait enim ſe, quotieſcumque peruenit ad iſtud Meridianum, ſemper vidiſſe magnetis ſagittam rectè ſe vertere diametraliter ad polos mundi. Et narrat lepidam hiſtoriam memoratu dignam, quod quotieſcunque ei contegit cum ſuis ſocijs per hanc lineam pertranſire, omnes pediculi, quos ipſi habebant in capitibus, in veſtimentis, aut vbiuis in nauibus, confeſtim tanquam mortui deueniebant, atque ipſi ab eorum moleſtia libertabantur: verum cùm poſteà diſcederent ab illis partibus Occidentalibus ac ſuo itinere Hiſpaniæ viam adorientes cum ſuis nauibus, redirent ad hanc lineam diametri, mox pediculi reuiuiſcebant, vt priùs, ac ſemper multiplicabantur quò magis partibus noſtris appropiabant. Ex quo portento atque ex rotatu recto acus magneticæ ad polos mundi comprehenderunt, ipſum eſſe verum Occidentis Meridianum; cum nullibi in alio Meridiano contingat id videre, quod in iſto, qui nunc vulgò appellatur *ſancta Maria.* Quapropter non abs re foret nouum catalogum Ciuitatum conſtruere, atque earum longitudinem non ab Canariis, vt olim, ſed ab Azorum Inſulis computare. Quem laude dignum laborem vtinam ſapiens quis aggrederetur.

374.

375. Azubene Arab. Latinè Cheles, ſeu Grafiæ Cancri ſtellæ fixæ ſunt quartæ magnitudinis de natura Saturni, & Martis, quæ reuera informes ſunt circà conſtellationem Cancri, at reperiuntur nunc temporis in grad. 11. & 12. Leonis cum grad. 3 & 6. latitudinis borealis: Sunt ſtellæ infenſæ præſertim oculis, nec quicquam boni, ſiue in cardinibus genituræ,

ſiue cum Luminaribus reperiantur adducunt. Item

Azvbene confuſè vocatur ab aliquibus Libræ ſidus à chelis Scorpij, proptereà quod Libra, & Scorpius olim vnicum ſignum erat: vnde Hyginus, *Scorpius*, inquit, *hic propter magnitudinem membrorum in duo ſigna diuiditur, quorum vnius effigiem noſtri Libram dixerunt*, & Martianus Capella *lib. 8. de nupt. philoſop. cap. de fixis ſignis. Zodiacus quidem*, ait, *æquales duodecim ſignorum integras portiones, ſed vndecim habet ſigna: Scorpius enim tam ſuum ſpatium occupat corpore, quam Chelis occupat Libra.* 376.

## BA

Bacvlvs *Aſtronomicus* vulgò dictus D. Iacobi, eſt inſtrumentum Mathematicum ad altitudinem, latitudinem, rerum diſtantias, aliaque dimetienda: qua de re vide Clauium in *Geometria practica.* 1.

Balana, cetus, Piſtrix Arabibus *Alkaitos*, vel *Elkaitos* ſidus in Cælo ad auſtralem plagam continens ſtellas 22. ſecundùm Ptolemæum, at ſecundùm Baierum 27. (cum tamen Keplerus ei aſſignat tantum 21) omnes ferè de natura Saturni, inter quas præcipua, quam vocant alij *Narem*, alij *Mandibulam ceti* Arabicè *Menchar* ſecundæ magnitudinis: proxima huic accedit quæ in Cauda, tertia quæ in corpore. Ferunt Fabulatores fuiſſe belluam illam, quæ deuoratura Andromedam, victa fuit, atque interempta à Perſeo. Caput habet ſub conſtellatione Arietis, & extendit caudam vſque ad effuſionem aquæ Aquarij. Eſt ſidus turbidum, procelloſum. Cum Sole exoriens inducit tempus turbidum, & humidum: Occidens, frigus, niues, & imbres, ſicut etiam cum Saturno. Alias eius ſignificationes vide in V. *Cetus.* 2.

Balthevs, cingulus Orionis conſtans tribus fulgentiſſimis ſtellis in linea recta ſecundæ magnitudinis de natura Iouis, & Saturni, quarum prima exiſtit ferè in æquatore; aliæ duæ ad gradus duos declinant ad Auſtrum; in longitudine ſub grad. 19 Geminorum. Porrò cui aſcendit Baltheus, inquit Cardanus, is erit ſtudioſiſſimus, ac doctiſſimus. Quoad temporis qualitatem obnunciat aërem turbidum ſpirante Fauonio: quandocumque cum Sole cong editur. 3.

Basiliscvs, Regulus, cor Leonis, ſtella fixa regia ſecundæ quidem magnitudinis, ſed ob ſui præſtantiam, miram efficientiam, atque in Ecliptica conſiſtentiam inter primæ magnitudinis computata. Eſt de natura Martis, & Iouis; adeoque etiam inter abſcindentes ſtellas ab aliquibus connumerata. Hanc ſolam obſeruauit Titus, vt habet in ſua 4

*Cæleſti Philoſophia*, ex ſtellis fixis proijcere radios ad planetas, eoſque eſſe non minoris efficaciæ, quam ipſos radios planetarum: idque ob ſitum ſuum in Ecliptica, vbi cum omnibus planetis aliquando congreditur. Eſt nunc in gradu 25. Leonis. Ea in horoſcopo, aut culmine Cæli, præſertim cum Ioue aut Venere, vel eorum benigno radio magnam tribuit felicitatem, gloriam, & honores, atque ab ſtatu humili ad eminentem, ac ſublimem euehit.

5. BATA-KAITOS Arab Venter ceti, ſtella fixa tertiæ magnitudinis de natura Saturni, exiſtens nunc in gradu 13 Arietis, cum latitudine auſtrali grad. 25. de qua vide in V. *Cetus*, *Balena*.

6. BED-ALGENSE ſeu etiam *Beldegenſis* Arab. dicitur dexter humerus Orionis, ſtella fixa ſub uſa primæ magnitudinis de natura Martis, & Mercurij: Vide etiam in V. *Orion*.

7. BELLATRIX altera ſtella item ſubruſa, & valde rutilans ſecundæ tamen magnitudinis in ſiniſtro humero eiuſdem Orionis. Nomen accepit à bello, ad quod mirè propellit, & ſi quidem fuerit in horoſcopo cum bono aſpectu Martis, aut Iouis, facit Duces ſtrenuos, magnanimos, periculorum contemptores. Obſeruatione cautum eſt, Lunæ directiones ad hanc ſtellam fixam aliquam ſemper inducere, aut iter repentinum. Porrò hæ duæ ſtellæ *Beldegenſis*, inquam & *Bellatrix* cum Marte exorientes maximè colores intendunt, vt notat Argolus *in Aſtronomicis lib. 2. cap. 10*

8: Beibeniæ ſunt ſtellæ fixæ principaliores, quæ in ſingulis imaginibus cæleſtibus conſiderantur; præcipue verò corda ipſarum, & quæ ſunt primæ magnitudinis: vt regulus in Leone, Antares in Scorpio, Spica in Virgine, Alpharad in Hydra, &c. Vſus tamen obtinuit, vt omnes ſtellæ primæ magnitudinis in ſingulis Aſteriſmis diſpoſitæ vocentur corda ipſorum, & conſequenter Beibeniæ: teſte Hali *ſuper propoſit. 29. Centiloquij*, licet ego inter ſtellas Beibenias alias etiam ſecundi ordinis, & minoris conditionis apud alios connumeratas inuenerim. De ſtellis Beibeniis extat inſignis tractatus Hermetis apud Iunctinum *in fine commentar. in ſpharam Ioannis de Sacroboſco.*

9. BENNENAX ELKERD, vel *Benenaim*, ideſt *Nocturnum* dicitur apud Arabes ſtella fixa ſecundæ magnitudinis poſita in extremo caudæ Vrſæ maioris, de natura Martis in longitud. grad. 22 Virginis cum latitudine grad. 54. boreali. Aliàs dicitur primus equus Plauſtri

BERENICES *Coma* dicta etiam *ſpicarum manipulus*, ſidus in Cælo prope caudam Leonis, & apud antiquos cum ea confu-

ſum, conſtat ſtellis ſeptem: at ſi Keplero credamus 11. plerumque obſcuris, aut nebuloſis de natura Lunæ, & Veneris, efformantibus fere triangulum incidens in ipſum colurum æquinoctiorum. A Ptolemæo dicitur *Triches* hoc eſt *Crines* ab aliis *Plocamos* id eſt *Cincin nus*. Hæc cum Sole, aut Luna in eodem circulo poſitionis mala adducit in oculis, ac potentiæ viſiuæ, quemadmodum reliquæ ſtellæ nebuloſæ.

BERTHAS fixa ſecundæ magnitudinis, de natura Iouis, & Mercurij, quæ tempore Hermetis (qui eius mentionem facit) erat in gr 27. Lib æ, nunc autem præceſſit, & repetitur in Scorpione Hæc in horoſcopo, aut culmine Cæli inclinat ad pietatem, iuſtitiam, beneficentiam: facit etiam Poetam, Rhetorem, ac Phyſicarum rerum ſtudioſum. 11.

BESTRA *Centauri* ſiue lupus apud Perſas *Bridemiſ*: ſidus in cœlo ad auſtralem plagam ſub ſigno Libræ conſtans 19 ſtellis Ptolemæo, & Keplero, at Baiero 20. omnibus fere de natura Saturni, & parum Martis, quarum duæ tantùm in noſtro hemiſpherio conſpiciuntur, in extremo pedis ſiniſtri poſitæ, cæteris perpetuò latentibus. Vide in V. *Fera*, *Lupus*. 12.

BICORPOREA *ſigna*, ſunt quæ, vt nominis etymon præfefert, bina corpora habent, binaſque figuras, Eiuſmodi ſunt ſigna communia, Gemini, quod per binos pueros ſeſe mutuò amplexantes repræſentatur: Virgo habens ſpicam in manu: Sagittarius non modò quia habet arcum, & ſagittam in manibus, verùm etiam quia componitur ex duplici corpore hominis videlicet, & equi: vnde & humanum dicitur quoad primam medietatem, ferinum quoad ſecundam: & Piſces duos repræſentans lino illigatos. His annumerari poſſunt Ophiucus habens ſerpentem in manibus, Perſeus cum Meduſa, Centaurus, &c. quæ in aſcendente conceptionis reperta duplicatum fœtum præſignant. 13.

BIOTHANATOS Græce proprie ſignificat eos, qui violenta morte tolluntur. Apud Aſtronomos verò preſſiùs accipitur pro iis tantùm, qui ſibi mortem conciſcunt. Frequens eius vſus eſt apud Ptolemæum *capite de Morte*, qui tamen rectiùs audirent *Authothanatos*. Vide authorem Theſauri linguæ Græcæ. 14.

BIQVINTILIS *radius*, eſt nouus aſpectus à Keplero, & aliis recenſioribus conſideratus conſtans duabus è quinque partibus circuli, hoc eſt grad. 140 vnde ſe mutuò reſpicientes planetæ contrahunt familiaritatem. Eſt natura ſua fauſtus, & benignus aſpectus, quemadmodum Quintilis, Sextilis, & Trinus: ſicut è contrà Quadratus, Seſquiquadratus, & Oppoſitio infauſti ſunt, & imperfectæ familiaritatis. Porrò 15.

Quintilis, Biquintilis, & Seſquiquadrati radij, vti dicebam apud antiquos ratio habita non eſt, ideò ab ipſis prætermiſſi. Verùm Keplerus rem altiùs refodiendo, ex conſonantiis harmonicis ſubtili ratione inuenit, atque experientia probauit non minus aliis eſſe efficaces. Cui ſubſcribit Tirus *in Cælesti Philoſophia*: Vide quæ dicta ſunt in Verb. *Aſpectus*.

16. Bissextus, & *Biſſextilis* dicitur Annus ille intercalaris conſtans diebus 366. quarto quoque anno adueniens, vnâ videlicet die ſuperaddita ad Februarium: ſic dictus ab ipſa die ſuperaddita, quæ cum præcedente pro vna integra die computabatur: atque adeò bis dicitur ſexto Kalend. Martij. Eius inuentio tribuitur Cæſari Dictatori: Cùm enim animaduertiſſet Solem curſum ſuum perficere in ſignifero ſpatio dierum 365 & ſex circiter horarum; ideò ſtatuit, quarto quoque anno adijciendum eſſe diem vnum, quantum ſcilicet conſtituunt ſex horæ quater ductæ. Verum enimuerò Anni tropici magnitudo (vt in loco admonuimus) reuerà non eſt dierum 365. & horarum ſex, ſed horarum quinque & minutorum ferè 49. ita vt quolibet anno vndecim minuta deficiant ad ſex integras horas: quî fit, vt ſingulis quadriennijs, addito etiam die intercalari, non reſpondeant ad amuſſim integræ Solis reuolutiones in Zodiaco: ita vt reuertatur ad idem punctum, vnde initio anni diſceſſerat, ſed inueniatur in integro quadriennio præceſſiſſe ad min. ferè 44 quæ longo temporis tractu ita excreuerunt, vt decem integros dies complecterint. Adeò vt æquinoctium vernum (vti Autumnale, & ſolſtitia) ſedem ſuam mutauerit, & jam non ampliùs recideret in 11. Kalendar. Aprilis, vt erat in principio, ſed in tertio Idus Martij; atque inſuper ſucceſſu temporis, eò res deuenire poterat, vt ſolſtitium Hyemale in Æſtatem recideret, æquinoctium Vernum in tempus ſolſtitij, cum maxima rerum, Eccleſiaſticorumque rituum perturbatione. Cui malo occurrere volens Gregorius XIII. non ſine cæleſti numine, detractis prius ab anno correctionis 1582. decem integris diebus, quibus præceſſerant æquinoctia, & ſolſtitia ea in momento in ſuas ſedes reſtituit. Et ne in poſterum ob eandem paucorum minutorum negligentiam à ſuis ſedibus mutarentur, ſtatuit, vt Biſſextus ſingulis quidem annis celebraretur, addito, vt priùs erat in vſu, die illo intercalari quarto quolibet anno, exceptis tamen Centenſimis, qui etſi Biſſextiles anteà ſemper fuerint, in poſterum tamen non omnes centeſimi Biſſextiles forent, ſed in quadringentis quibuſque annis, primi quique tres centeſimi ſine additione diei illius in-

tercalaris tranſigerentur ; quarius verò quique centeſimus eſſet Biſſextilis Ita vt annus 1600. ſit, vt antea Biſſextilis; anni verò 1700. 1800. 1900. Biſſextiles non eſſent, bene verò centeſimus ſequens hoc eſt 2000. Idque in perpetuum obſeruando, nunquam Æquinoctia, & Solſtitia à ſuis ſedibus deturbarentur : Qua de re plura apud Clauium *in Kalendario Gregoriano*.

BIVMBRES hoc eſt binas habentes vmbras dicuntur populi habitantes in Zona torrida citrà Tropicos ad æquatorem, vbi pro temporum varietate binam experiuntur vmbram, alteram ad Meridiem, alteram ad Septentrionem : Vide in V. *Amphiſcij*. 17.

BOLIDES apud Plinium, lib. 2. cap. 26. ſunt ſpecies Cometarum *Quale*, inquit, *Mutinenſibus malis viſum eſt*. Quæ diſtant à facibus per hoc, quod iſtæ veſtigia longa faciunt, priore ardente parte : Boles verò perpetua ardens longiorem trahit limitem : Hæc Plinius. 18.

BOOTES, Bubulcus, Arctophilax Plauſtri ductor dicitur ſidus in Cælo prope Elicen, ſeu Vrſam maiorem continens ſtellas 23. iuxta Ptolemæum, Keplerum autem 28. & ex Baiero 34. omnes ferè de natura Iouis, & Saturni, inter cuius femora adeſt vna informis clara, & rutilans primæ magnitudinis de natura Martis, & Iouis nomine *Arcturus* Arabicè *Alramech* quaſi Vociferator, vel *Thegurus*, hoc eſt plorans, de qua ſatis dictum ſuo loco. Ea cum Ioue, inquit Stadius, magnas diuitias cum dignitate pollicetur : ſicut è contrà cum Saturno earum profligationem protendit : Vide etiam in V. *Arctophilax*. 19.

BOREAS, ventus Septentrionali vicinus, ac lateralis ſpirans, ex parte ortus Solſtitialis, ſic dictus vel à nutrimento, quia ſementem, fructus, & animantia valdè nutrit, vel certè à boatu, quod flatus eius ſit violentus reboans, ac ſonorus. Eſt frigidus, & ſiccus, aërem purgans, & corruptioni reſiſtens, ſicut & reliqui Septentrionales venti. Aliquando accipitur etiam pro ipſo vento cardinali, qui immediatè à Septentrione exſufflat ; dicto à Græcis *Aparctia*, ob eius viciniratem, & ſimilitudinem naturæ. Quid Borea flante, aggrediendum, quidue cauendum ſit : Vide apud Plin *lib. 18. cap. 33*. Dictus eſt etiam *Aquilo* ab Aquilæ volatu, quem æmulari videtur, vt ſuo loco admonuimus. 20.

BORRHAPELIOTES, ventus vnus ex quatuor intermedijs medio loco exſufflans inter Septentrionem & Æquinoctialem ortum : à Noſtris dictus eſt *Græcus*, eò quod per mediam Græciam tranſeat ; Eſtque frigidus, & ſiccus, 21.

nubes generans, & aliquando niues

22. Borrholybcus, ventus eſt item principalis, vnus ex quatuor intermediis, qui à loco æquè inter Septentrionem & Occaſum interiecto perflat, à Noſtris dicitur *Magiſtralis* quaſi nauigationis Magiſter exiſtat in mari Mediterraneo, vbi primum obſeruatus fuit. Eſt natura ſua humidus, nimboſus, procelloſus, & in Æſtate tonitruoſus: in Autumno verò, aut vere violentus, repentinus, ac turbulentus.

23. Bridemif in tabulis Perſicis dicitur Lupus, Fera, Beſtia Centauri ſidus videlicet ad auſtralem plagam fere nobis inconſpicum: de quo paulò ante dictum in V. *Beſtia*.

24. Brinek, ſiue *Brinets* apud Hermetem dicitur ſtella lucida Lyræ, primi honoris, alio nomine *Vvega*.

25. Brvma ex Græco quaſi *breuis dies* appellatur tempus ſolſtitij hyemalis, quando dies ſunt breuiſſimi, & noctes è contrà longiſſimæ in introitu Solis ad primum gradum Capricorni: quod accidit poſt Gregorianam anni correctionem circà duodecimum kalendar. Ianuarij. Ipſo brumali tempore Origanum aridum, & ſuſpenſum domi repente effloreſcere, & murium jecora adaugeri teſtatur Cicero 2. *de Diuinat.* ac reipſa vel ruſtici experiuntur Democritus apud Plinium, talem futuram eſſe hyemem arbitratur, qualis fuerit Brumæ dies, & circa eum terni. Porrò Brumæ tempore quid Agricolis faciendum, vide apud ipſum Plinium *lib. 18. cap. 26.*

26. Btvltho, Chaldaicè dicitur Virgo, ſextum ab Ariete ſignum, Hebraicè autem *Betulah*, prout teſtatur kircherus in Oedipo Ægyptiaco. Vide in V. *Virgo*.

27. Bvbvlcvs vide Bootes.

## CA

1. Caballvs Barbarè dictus eſt vectis teres premens ac ligans rete, ac tympana in Aſtrolabio circà Clauum ex ſpecie quam vtcumque oculis exhibet. Arabicè *Alpheratz*.

2. Cacodæmon Græcè, Latinè malus genius dicta eſt duodecima domus ab horoſcopo cadens ab angulo Medij Cæli, ſic dicta à triſtium, & exitialium rerum ſignificatione: eſt enim ſignificatrix carcerum, hoſtium occultorum, aliarumque tribulationum, ac difficultatum. Conſignificatus eius eſt Venus, & in ea gaudet Saturnus: qua ratione vide in V. *Gaudium*

3. Cadens apud Aſtronomos appellatur planeta quotieſcunque in Cæleſti figura reperitur in domibus cadentibus ab Angulis, quales ſunt tertia, ſexta, nona, & duodecima, quas Iulius Firmicus *pigra*, *& abiecta figuræ loca* nominat, eò quod in illis conſtituti planetæ plurimum debilitentur: licet reuerà

nona, & tertiæ illis non officiant, immò potiùs proſint, cum nonæ communiter tribuantur duæ fortitudinis partes; tertiæ verò vna. Ratio autem quare in iſtis planetæ non infortunentur; hæc, meo iudicio eſſe poteſt, quia videlicet benigno aſpectu aſpiciunt horoſcopum: nona quidem de Trino, tertia de Sextili: & inſuper nona eſt in magna altitudine à terra proxima decimæ, vbi planetæ puriores ſunt, validiores ac liberi à terrenis vaporibus; & idcircò nona licet cadens euadit nihilominus fortunata; eſtque exceptis cardinibus potiſſimus locus vbi conſtituta Luminaria, aut pars fortunæ vim obtinent hilegialem, melius quam in vndecima, ob radij nempe fortitudinem, ac præcellentiam, quo horoſcopum intuetur. * 4

CADENS item dicitur planeta, quando in Zodiaco reperitur in ſigno oppoſito ſuæ exaltationis: qua de re vide in V. Caſus. 5.

CACIAS ventus Orientalis ſpirans ab exortu ſolſtitiali: ſic dictus à *Caci* flumine Helleſponti per quod tranſit vnde & *Helleſpontius* ab aliquibus appellatur. Eſt frigidior, & inconſtantior Subſolano ob participationem cum ventis Septentrionalibus, atque adeò flatu ſuo ſubinde moleſtus, nubifer ac pluuioſus. De eo notat Ariſtoteles, quod contrà naturam aliorum ventorum nubes non abs ſe propellit, ſed ad ſe attrahit: Plura apud Eraſinum in Adagijs. 6.

CÆNACVLVM, alijs *Tenaculum*, eſt ſpecies quædam Cometæ criniti, magni, oblongi, ac lati inſtar Cænaculi, ſeu menſæ quadrilateræ, vnde & nomen hauſit. Eſt de natura Lunæ, portenditque afflictionem populi ſine diſcrimine, ſeditiones, bella, legum innouationes, &c. ex morbis inducit catarrhos, paraliſes, hydropas, epylepſias, ſcabies, dolores colicos, obſtructiones, & alios huius generis morbos. 7.

CALBEZ Arab. eſt ſtella fixa ſecundæ magnitudinis in effuſione aquæ Aquarij proxima *Fomahand* de natura Iouis, & Saturni. Eius conterminа eſt altera ſtella nomine *Altaliſim* eiuſdem naturæ. 8.

CALCVLATOR dicitur Latinè Regula, Dioptra, Alhidada in medio Aſtrolabij collocata, ab officio, quo fungitur calculandi gradus altitudinis ſtellarum, quam per Aſtrolabium venamur: protenditur enim vſque ad limbum Aſtrabij in quo circulus deſcriptus eſt in 360. partes diſſectus. 9.

CALLIPICA *Periodus* dicta eſt Lunaris Anni magni cum Cyclo Solis decennouennali conuenientia, ab eius inuentore Callippo, qui floruit Olympiade 162. annis ferè 128. ante Chriſtum: In ea enim 940 Lunares menſes explentur, & dies 13878. ferè, quot ferè comprehendunt Cycli Solares decenno- 10.

uennales quatuor, ſeu quatuor anni Metonici, in quorum ſingulis contingunt quidem Nouilunia iiſdem diebus menſium, in quibus contingebant ante annos 19. Solares, at non iiſdem horis, ſed aliquantò priùs, nempè per horam, & ſemis, vt dictum eſt in V. *Annus Metonicus*. In annis verò 76. Luna anticipat eaſdem ſedes, quas ante illos obtinebat hor. 5. min. 50. ſecund. 10. tert. 44. ac tandem in annis 312. & ſex menſibus, die fermè toto, qui tandem per dies biſſextiles ſuperadddiros, & ſeptem Lunationes emboliſmicas exquiſitiſſimè compenſari poteſt, ita vt annus Lunaris ad amuſſim cum Solari conueniat: Qua de re vide quæ habet Io Lucidus Samotheus in libro quem Chronicon, ſeu de emendatione temporum inſcripſit in Epitome emendationis Calendarij ad finem adjecta, vbi ex Paulo Epiſcopo Foroſempronienſi, & Ioanne Stoffleri-no duplicem methodum tradit temporis ita inſtituendi, vt deinceps Lunationes ne in minuto quidem anticipent, ſed ad amuſſim conueniant cum recurſu Solis. Hæc igitur conuenientia in anno Luniſolari ab eius inuentore Callippo *Periodus Callipica* dicta eſt. Plura apud Clauium in *Reſtitut. Kalendarij*.

11. CAMMARVS corrupto vocabulo ab aliquibus dicitur ſignum cæleſte, & ſidus in Zodiaco quartum ab Ariete, dictum etiam *Nepa*, vel *Aſtacus*, Arabicè *Elſartan* à Latinis verò communiter.

12. CANCER domicilium Lunæ, & exaltatio Iouis ſignum mobile aqueum, frigidum, & humidum, ſic dictum a ſimilitudine Cancri piſcis, quia ſicut iſte ſuper pectus ſuum graditur retrocedendo; ita Sol in hoc ſigno incipit quaſi retrocedere à nobis, atque ad æquatorem accedere. Diſpoſitio quoque ſtellarum, quæ Cancri ſidus conſtituunt, videntur etiam non ineptè hoc ei nomen inferre: Quandoquidem in eo tres ſtellæ hinc inde ad latus diſpoſitæ, quaſi Cancri brachia repræſentant: & cum Cancer ſit veluti totum pectus, homineſque è contrà qui ſub hac conſtellatione naſcuntur, corpore breues, ſed ampli pectore prodire perhibeantur, vt teſtis eſt Iunctinus, ideò Cancri eſt ei nomen inditum: idcircò etiam ex membris humanis habet pectus, pulmonem, hepar, & co-
13. ſtas. Porrò Cancri ſidus in octaua ſphæra, vt alibi in aliis ſignis obſeruatum eſt, jam receſſit à Tropico, & ſigno Cancri in primo mobili: eſtque nunc totum in Leone. Conſtat ſtellis 13. iuxtà Ptolemæum, computantem inter eas quatuor etiam informes, at iuxtà Keplerum 17 & Baierum 35 ex quibus vna in chelis dicta ab Arabibus *Azubene* prætereà tres in pectore conſiſtentes, inſenſiſſimæ vna *Præſepe* dicta, Nebuloſa

de natura Martis & Lunæ, ſecunda & tertia Aſelli, quartæ magnitudinis, de natura Martis, & Iouis, de quibus alibi ſermo. Et ideò primæ huius ſideris partes vbi ſtellæ iſtæ conſiſtunt, ſicciſſimæ ſunt, mediæ, & vltimæ præditæ etiam magna caliditate, & ſiccitate: ſed Auſtraliores magis æſtuoſæ, ac noxiæ.

CANIS *Maior* Sirius, Canicula, ſidus in cælo ad auſtralem plagam ſub ſigno Cancri conſtans ſtellis decem & octo ſecundùm Ptolemæum, omnibus ferè de natura Iouis, & Veneris, quarum potiſſima Arabicè *Alhabor* in ore fulgens, ab aliquibus Sole ipſo grandior perhibetur. Nec dubium quin omnium ſaltem ſtellarum, tam errantium, quam inenarrantium ſit maxima, vt oculis ipſis conſpici poteſt, & ex effectuum magnitudine coniectari. Eius exorientis cum Sole patentes vires recitat Plin. *lib. 2. cap. 4.* cuius rei rationem reddit Alexander Aphrodiſæus *problem. 74.* Occaſus ipſius cum Sole commouet Auſtrum, inducit calorem ſerenum cum tonitruis, & fulmine. Cum Saturno addit & pluuias, cum Marte facit æſtum magnum, cum Mercurio ventos. De eo horoſcopante in Genituris hominum ſic cecinit Pontanus in *Vrania*. 14.

Exoriens: *Incendit flammis, & pectora concitat æſtu.*
*Ira ingens, dolor atque ingens ingentibus auſis,*
*Ingenteſque tument animi: imperioſa cupido*
*Nil æquum patitur: feruet ſitis arida habendi:*
*In facinuſque vocat, violentaque tela miniſtrat.*
*Non pietas mouet, aut amor, aut reuerentia Diuum,*
*Præſertim ſi Treicius ſeſe addidit Heros.*

At ſi in occaſu reperiatur, de eo mox ſubdit.
*Infelix nato exitium parat, vnde ferarum*
*Dente lacer cadat in ſiluis, vrſive, lupive*
*Præda, vel audaci pereat lantatus ab Vmbo*
*Si Mauors vaſtidam aſpiciens concuſſerit haſtam.*

Porrò circa Canem maiorem ſunt, & aliæ ſtellæ informes omninò vndecim, nondum in certum Aſteriſcum redactæ, quæ ſunt de natura Veneris, & omnes ferè quartæ magnitudinis; & eaſdem ſignificationes habent ac reliquæ ſtellæ Venereæ, & Iouiales.

CANIS *Minor*, Procyon, Antecanis Arabicè *Algomeyſa* ſidus in Cælo propè canem maiorem, ſed illo borealius: conſtat duabus tantùm ſtellis, alterâ in ceruice quartæ magnitudinis de natura Mercurij, alterâ in femore, cui ſignatè nomen *Procyon* primæ magnitudinis, de natura Martis. Et ipſum cum Sole, vel Marte exoriens vehementiſſimum inducit æſtum, atq; ab eo tempore incipiunt dies Caniculares. Plura in V. *Procyon*. 15.

16. **Canopvs** Arabicè *Rubayl* ſtella fixa fulgentiſſima primæ magnitudinis de natura Iouis & Saturni, in temone Nauis Argo conſiſtens ; Romæ nunquam exoriens , ſed tantùm Melitæ, vix horizontem radens, quippequæ exiſtit nunc in grad. 9. Cancri cum latitudine auſtrali grad. ferè 40 Cui nihilominus incidit in horoſcopum , is erit magni nominis , ac nauigarionibus intenius : Verùm in occaſu cum malo radio Saturni portendit naufragium.

17. **Capella**, ſeu *Capra*, alio nomine *Hircus* Arabicè *Alioth.* ſidus in cælo , ſeu potiùs ſtella vna primæ magnitudinis de natura Martis , & Mercurij, exiſtens in ſiniſtro humero Aurigæ quàm *Nautis inſenſam* canit Germanicus *in expoſitione Arati Phænomenon.* Hæc in horoſcopo , inquit Pontanus in Vrania facit timidum, curioſum nouarum rerum, amatorem &c. In occaſu verò irreligioſum , ſacrorum prophanatorem

18. **Caper** dicitur etiam *Capricornus* ſignum cæleſte decimum ab Ariete mobile , terreum , ſiccum , & frigidum, domus Saturni, & exaltatio Martis ; ſic dictus , quia ſicut illud animal ad frondes, & arbores ſe erigit , ita & Sol in eius introitu incipit eleuari, atque ad nos accedere, cùm priùs recederet : Vnde etiam dicitur Tropicum , & Solſtitiale. Quique ſub eo naſcuntur faciem habent oblongam , mento acuto, capillis aſperis, moribus denique ac voce Caprum imitari videntur. Eius conſtellatio in octauo orbe incipit à gradu 28. Capricorni primi
19. mobilis, atque extenditur vſque ad grad. 21 Aquarij Stellas habet 28 quarum præcipuæ duæ in Cauda tertiæ magnitudinis de natura Iouis & Saturni, Arab. *Elgedi*, vel *Alcantarus* reliquæ de natura Martis, & Mercurij. Primæ eius partes calidæ ſunt , atque noxiæ ; mediæ temperatæ ; vltimæ pluuioſæ.

20. **Capvt** *Draconis*, ſtella fixa tertiæ magnitudinis de natura mixta Iouis, Martis , & Saturni, Arabicè *Ras Aben* ſiue etiam *Eltanin* : de ea vide fuſiùs in V. *Draco*.

**Capvt**, & *Cauda Draconis* etiam audiunt apud Aſtronomos Nodi , ſeu interſectiones planetarum , præſertim verò Lunares : quæ ſunt puncta vbi orbita Lunæ ( idem dic de orbitis aliorum ) interſecat orbitam Solis, & eclipticam , quorum quidem alterum tendit ad Boream , inde incipiente Luna habere latitudinem borealem ; alterum ad Auſtrum, vbi Luna incipit gaudere latitudine auſtrali. Vbi autem obtinet maximam latitudinem, dicitur Venter , ſiue Auſtralis, ſiue Borealis, pro ratione latitudinis, quam habet : & iure quidem , nam ſicut Draco corpore magnus, ac latus eſt, prope caput verò, & caudam exilis, & ſubtilior, ita ſpatium interceptum inter

duos ſemicirculos, & deferentis Lunam, & æquantis, videtur quendam velut Draconem efformare, cuius pars lata Draconis ventrem repræſentat; interſectiones verò Caput, & Caudam. Porrò huiuſmodi interſectiones non ſemper loco 22.
conſiſtunt, ſed mouentur, & ipſæ motu proprio in Zodiaco, retrogradè tamen non directè: in ſuperioribus inſenſibiliter, ita vt nodus boreus Saturni nunc temporis ſit in grad. 3. min. 20. Cancri, Iouis ſimiliter in grad. 3. min 7. Cancri; Martis in grad. 1. min. 17. Tauri: Nodus verò Auſtrinus in locis oppoſitis: In reliquis autem tribus nodi ſunt perpetuò variabiles, ac præcipuè in Luna, cum ad dies ſingulos iſti ferè tribus minutis retrocedant.

Obſeruant Aſtronomi nodos planetarum, præſertim Luna- 23.
res, eorumque naturam conſiderant, & boreum quidem aiunt imitari naturam Iouis, & Veneris; Auſtrinum verò naturam Saturni, & Martis; ad eoſque dirigunt ſignificatores non ſecus ac ad ipſa corpora planetarum: quod tamen improbat Titus in *Cæleſti* Philoſophia. Ego re bene perpenſa, non negarem ipſis aliquam efficientiam ſaltem indirectam, vt cum Luna repetitur alicui maleficæ iuncta in nodis, atque in angulis, facit natum gibboſum, claudum, aut vtcunque contortum, vt habet Ptolemæus *lib. 3. cap. 17.* Sed id prouenit eò quia in Ecliptica radius, aut coniunctio eſt validior, proindeque Luna magis à malefica infeſtatur, quod & in Sole accidit, qui tamen ſemper eſt in Ecliptica. Et ideò caput dicitur eſſe de natura Mercurij, cum bonis bonum, cum malis malum, quia in Ecliptica planetæ fortiores ſunt, & dum relicta auſtrali parte, incipiunt accedere ad boream, boni bonitatem augeſcunt, mali malitiam: è contrà in nodo auſtrino planetæ deſcendunt à boreali plaga, atque accedunt ad Auſtrum, vbi debiliores euadunt; meritò igitur cauda Draconis cum bonis mala dicitur, cum malis bona, quia cum illis eorum bonitatem minuit, cum iſtis eorumdem labefactat malitiam. Caput perhibetur eſſe Maſculinum, Cauda fœminina: Hæc Arabicè appellatur *Anabibazon* illud autem *Catabibazon*, vt in loco diximus.

CAPVT *Apollo* fixa in capite præcedentis Geminorum Ara- 24.
bicè *Ras Algenſe*, vel etiam Elgieutze de natura Martis & Mercurij: de qua alijs in locis dictum.

CAPVT *Herculis* ſtella fixa in capite Herculis fulgens, non 25.
quidem eius, qui & Hercules dicitur, & eſt alter etiam Geminorum dictus etiam Pollux, ſed eius qui alio nomine *Engonaſis* appellatur propè Ophiucum: de qua vide in V. *Ras Algeti*.

26. Capvt ſeu *ſectio equi.* Vide in V. *Equiculus.*

27. Capvt *Meduſæ* vide *Algon*, *Gorgonis caput.*

28. Capvt *Ophiuci* Arab. *Ras Alangue* ſtella fixa ſecundæ magnitudinis, de natura Veneris, & Saturni, exiſtens nunc temporis in gr. 18. Sagittarij cum gr. 13. declinationis borealis. Vide in Verbo *Ophiucus.*

29. Carcinos apud poëtas Græcos dicitur Cancer ſidus, de quo paulò antè fuit ſermo.

30. Carpentvm, Solium, Thronus, eſt dignitas, ſeu prærogatiua planetæ conſiſtentis in loco, vbi plures obtinet dignitates: ſic Carpentum Saturni eſt Aquatius, quia in eo obtinet Domicilium, & Trigonum: Iouis ſolium eſt Sagittarius ob eandem rationem: ſimiliter Mars habet thronum in Scorpione, Sol in Leone, Venus in Tauro, Luna in Cancro: quia ibi habent domicilium, & trigonum: ac tandem Mercurius in Virgine, vbi obtinet dominium, & exaltationem. Hæc dignitas ab aliquibus dicitur gaudium: quia in iſtis locis planetæ videntur gaudere, & maximè extolli.

31. Casmon, & *Cozimon* apud Ægyptios appellantur nodi, ſeu interſectiones Orbitæ ſingulorum planetarum cum Ecliptica in duobus punctis oppoſitis: & primum quidem nodum auſtrinum, ſecundùm verò boreum, quos nos ex forma caudam, & caput Draconis vocamus, vt paulò antè dictum eſt.

32. Cassiopea Arab. *Dath Elkarſi* hoc eſt *Cathedra*, vel *ſedes regia* ſidus in cælo ad borealem plagam intrà Galaxiam conſtans ſtellis tredecim clarè conſpicuis, ſed longè plures obſeruauit in eo Tycho, nec non Baietus, & Galilæus. Et anno quidem 1572. ad Cathedram propè eam, quam vocant *Schedir* apparuit in hoc ſidere inſignis ſtella, quæ & ipſum Iouem, & Sirium, ſplendore, candore lucis, & corporis magnitudine ſuperans, ita omnium Aſtronomorum illius temporis, oculos animoſque præſtrinxit, atque in ſui contemplationem conuertit, vt nemo planè fuerit, qui de ea non ſcripſerit, diſceptarit, vt vel ob id dubium eſſe poſſit, nùm cælo, an terris potiùs illuſtrior fuerit, clariorque. De ea integrum volumen edidit Tycho Brahe verus Aſtronomiæ inſtaurator; multa Keplerus, Michael Mœſtlinus, Abbas Maurolycus, Fortunius Licetus, Theodorus Gramineus, alijque ſcripſere.

Sed & Theodorus Beza apud Tychonem pag. 327. non mi-
33. nus imperitè, quàm petulanter opinatus eſt hanc ſtellam fuiſſe de genere Cometarum, quinimò illum eundem, qui in ortu Chriſti Magos Hieroſolimam deſtinauit, atque perduxit; aitque quod ſicut tunc primi aduentus prodromus, ita & nunc finem mundi, & ſecundum Chriſti aduentum prænunciaret;

Quod tamen Tycho, illum ait non ſeriò affirmaſſe, ſed ex poëtica feſtiuitate luſiſſe: Etenim ſic Beza audacter, impudens Vaticinator cecinit.

*Iſte nouus, nullo furiali crine, cometes,*
*Et radians puro, cui nitet igne iubar,*
*Et quid portendat terris, Deus ille deorum*
*Nouit, & oſtendens tempore fata ſuo.*
*Quod ſi humana aliquid poſſunt preſciſcere mentes,*
*Talia ſcrutari, nec mihi ſigna nefas.*
*Hic ille eſt olim paruam Dauidis ad vrbem*
*Duxit ab Eoo, qui prius orbe Magos.*
*Et qui naſcenti præluxit, nunciat idem:*
*Ecce redux reducem rurſus adeſſe Deum.*
*Huic igitur felix ò turba applaude piorum.*
*Tu verò Herodes ſanguinolente time.*

Lantgrauius Haſſiæ Beza cautior, & minus audax eam cum ſtella Magorum comparat, ac dicit eſſe diuerſam: in hoc tamen vtramque conuenire ait, quod vtraque Chriſti aduentum ſignificare habent: ſic enim habet in epiſtola ad Peucerum relata à Tychone *tom 1. pag. 600. Cometam eſſe concludere non poſſumus propter magnam ipſius claritudinem, & quod motus ſit expers; in vno enim puncto octaua ſphæra hactenus perſiſtit; tum quod ità ſublimis extrà elementarem regionem ſit conſtituta. Neque facilè poſſumus aſſeuerare, condidiſſe Deum ſtellam aliquam recentem, cum tale aliquid à Mundo condito non ſit auditum.* Poſteà verò de fine, ad quem Deus ipſam præluxiſſe voluit ſic ait. *Quantum itaque nos iudicare valemus, cenſetur nobis inſigne quoddam miraculum, & quidem vnum eorum, quæ nouiſſimum diem præceſſura ſunt. Ex quo enim dominus Deus primum filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentum antè per ſtellam ſignificari, Magiſque annunciari voluit, ſperamus, illum per hanc quoque vltimum aduentum Domini noſtri Chriſti prænunciaturum.* Hæc ille. 34.

Andreas Roſa apud eundem Tychonem obſeruat ſingulis 55.
bis mille annis circiter miracula eiuſmodi cælitus edi, & cum ætatibus mundi ex dicto Eliæ Talmudiſtæ tripartito concludere; itaque ante diluuium tale quid apparuiſſe, vel ſaltem ante exitum Iſraëlitarum de Ægypto, columnam ſcilicet igneam: Tum poſt annos item bis mille apparuiſſe ſtellam Magorum in Oriente, hoc eſt iuxtà terræ initium, vt ſalutis exordium demonſtraret: Tandem anno 1572. apparuiſſe ſtellam hanc nouam propè polum arcticum, vt mundi finem oſtenderet, quaſi cælorum motus qui circà polos fiunt, non multo poſt ſint deſituri.

36. Denique Tycho ipſe poſtquam de huius ſtellæ ſitu, ſpecie, materia, productione multa diſſeruit, prædicit magnam per eam religionis alterationem portendi, cuius mutationis tempus ex directionum regulis vſque ad annum 1592. protendit, & tunc dicit initia mutationum, & ſemina jacienda; inde dirigendo ſtellam ad locum maximæ conjunctionis, quæ proximè preceſſit in grad. 21. Piſcium air directionem complendam in annis 48 à prima fulſione ſtellæ, hoc eſt anno 1632. Et quia ſtella hæc fuit verticalis Moſcouiæ, idcirco exiſtimat ex Moſcouia primas occaſiones turbarum, ac mutationum orituras, & affert neſcio quod vaticinium Sybillæ Tiburtinæ, quod refert etiam Cornelius Gemmæ *lib. de diuinis natura characteriſmis* in eius rei comprobationem Verùm jam ſumus ad ann. 1662. & ab termino directionis tranſacti ſunt adhuc triginta anni, nec quiquam huius mutationis comminatæ præſertimex Moſcouia vidimus: ſed nec viſuros ſperamus. Et hæc obiter dicta ſint de hac ſtella ex occaſione Caſſiopeæ in cuius Aſteriſmo apparuit: de eius tamen efformatione, loco, materia, aliiſque ad noſtrum inſtitutum ſpectantibus iterum redibit ſermo in V. *Phænomenon*.

37. CATABIBAZON, teſte Valla, apud Arabes, ſeu Ægyptios idem ſonat ac caput Draconis, ſeu nodus boreus Lunæ, ſicuti *Anabibazon* idem, ac Cauda.

38. CATAÆGIS ventus eſt ex genere procellarum, *quem* (inquit Apuleius in lib. de Mundo) *præfractum poſſumus dicere, qui de cæli parte ſubmiſſus inferiora repentinis impulſibus quatit* Per quod opponitur Vortici, qui ex infimo aridæ humi exiliens ad ſuprema erigitur.

39. CATAPHORÆ dicuntur Græcè in Cæleſti figura Domus cadentes ab Angulis, tertia, ſexta, nona & duodecima; quemadmodum *Anaphoræ* quæ proximè ſuccedunt Angulis, ſecunda, quinta, octaua, & vndecima.

40. CATHALZE Arabicè vocatur linea meridiana ſubterranea deſcripta in Planiſphærio, quæ conſtituit angulum Imi Cæli, qui etiam

41. CATOGÆUM, hoc eſt *domus ſubterranea* apud Græcos aliquando audit, ſumpta analogia ad Catogæum, quod propriè, & vniuerſaliter domicilium ſubterraneum ſignificat.

42. CATHETUS *incidentiæ* apud Aſtronomos dicitur linea recta ducta ex quouis puncto radij incidentis ad planum ſpeculum, ſeu reflexiuum perpendiculariter.

43. CATHETUS vero *reflexionis* eſt linea recta ducta ex quouis puncto radij reflexi perpendiculariter ad planum ſpeculum vſque ad occurſum cum radio incidente per imaginationem.

Eius

Eius explicationem fusè tradit Ricciolus in *Almageſto nouo lib. 10. ſect. 6. cap. 2.*

Catoptrice eſt pars Opticæ, reflexiones cæleſtium corporum deprehendens, atque exinde eorum magnitudinem, ac longinquitatem dimetiens : alio nomine dicitur *Anacamptica.* 44.

Casvs eſt genus quoddam deteriorationis planetæ ; quod accidit, quando reperitur in ſigno quod eſt oppoſitum alteri, in quo ipſe habet ſuam Exaltationem. Vt Libra eſt locus caſus Solis, quia iſte in Ariete exaltatur. Ptolemæus ponit totum ſignum pro caſu : Arabes verò certum quendam gradum, ſicut & in exaltatione, vt alibi obſeruatum eſt. Sic pro exemplo Sol deprimitur in Libra, ſed præcipuè in gr. 19. Qua de re vide in V. *Exaltatio.* 45.

Castor, alio nomine *Apollo* dicitur prior Geminorum, Arabicè *Bedalgenſe.* 46.

Cavda *Capricorni*, Arab. *Deneb Algedi* dicitur fixa tertiæ magnitudinis de natura Iouis, & Saturni exiſtens nunc temporis in gr. 17. Aquarij, cum gradu ferè 3. latitudinis meridionalis. Ea in Oriente dat morum grauitatem, fortunam in diuitiis, ſed amoris illecebras, ac zelotypiæ cruciatus. Oritur Romæ cum gradu 22. Aquarij, occidit cum 16. 47.

Cavda *Cygni*, Arab. *Deneb Adigege* ſeu potiùs *Eldegiagich*, ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij exiſtens nunc in gradu primo Piſcium, cum gradu ferè 60. latitudinis borealis. Oritur Romæ cum gr. 23. Scorpij : occidit cum gr. 6. Arietis. Eius naturam vide in V. *Adigege.* 48.

Cavda *Ceti*, Arab. *Deneb. Kaitos* ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Saturni exiſtens nunc in grad. 28. Piſcium, cum latitudine meridiana grad. 21. Ea in Horoſcopo facit multis ægritudinibus obnoxium : dat periculum ſubmerſionis, præſertim, ſi Saturnus, aut Luna adſtipuletur, vitam laborioſam, multiſque ærumnis oppreſſam : quod etiam præſtat. 49.

Cavda *Delphini* fixa, tertiæ magnitudinis de natura Saturni, & Martis exiſtens in gr. 9 Aquarij cum gr. ferè 30. latitudinis borealis quæ oritur Romæ cum gr. 2. Capricorni, & occidit cum 23. Aquarij. 50.

Cavda *Draconis* Sideris. Vide in V. *Draco.* 51.

Cavda *Draconis* Lunæ : Vide in V. *Caput Draconis.* 52.

Cavda *Leonis*, Arab. *Deneb. Eleced.* fixa primæ magnitudinis de natura Saturni, Mercurij, & parum Veneris, conſiſtens nunc temporis in grad. 17. Virginis cum latitudine boreali grad. ferè 12. Ea in horoſcopo optimum tribuit ingenium, 53.

lucra, honores, ac dignitates amplas, præſertim, ſi cum Luminari conditionatio fuerit, aut cum beneficis, vel horum radijs fulta. Oritur Romæ cum grad. 4. Virginis: Occidit cum 27. Scorpij.

54. Cavda *Vrſæ maioris* helicis, fixa ſecundæ magnitudinis de natura Martis, Arabicè *Alalioth*, ſeu *Benenath* quæ Romæ nunquam infrà horizontem deprimitur. Nihilominus, ſi circa lineam Orientalem in alicuius natiuitate deprehendatur, multa, inquit Stadius, infortunia, multas calamitates adducit: propellit ad libidinis vitia; quo fit, vt natus multas ignominiæ notas incurrat.

55. Cavda *Vrſæ minoris*, Arab. *Alrukabah* id eſt plauſtrum, eſt ſtella polaris in extremo caudæ Vrſæ minoris ſita, ſecundæ magnitudinis, ab ipſo polo nunc temporis minus tribus gradibus diſtans, & aliquando ferè ad ipſum polum acceſſura: de qua multa diximus ſuo loco.

56. Cavrvs ventus: Vide *Corus*.

57. Cazimi, Arab. idem importat, quam centrum Solis. Hinc apud Aſtronomos aliquem planetam eſſe in Cazimi, nihil aliud ſignificat, quàm eſſe in corde Solis, hoc eſt, vt non diſtet ab eo, ſiue in longitudine, ſiue in latitudine plus minutis 17. quanta videlicet eſt vtriuſque ſemidiameter, & diſci Solaris, & corporis ſingulorum planetarum.

58. Eſt dignitas, ac fortitudo planetæ perinde habita, ac ſi eſſet in domo ſua: cum aliàs conjunctio planetæ cum Sole ſit illi noxia, & inter eius detrimenta annumeretur. Et ſi quidem ea ſit minus medietate ſui orbis eſt illi peſſima, & vocatur *combuſtio* Sol enim ſua potentia totam illius virtutem abſorbet, remanente illo, vt ita dicam, combuſto, viribus ſpoliato, & arefacto: & quò maior erit cum Sole approximatio, eò vires illius debilitantur, & ad Solem redundant. Nihilominus vt dixi, eſſe in corde Solis reputatur inter fortunas, & incrementa planetæ; non quia verè ipſe acquirat quidquam virium; ſed quia exiſtens perfectè cum Sole coniunctus, iſte exquiſitè imbibitur eius qualitatibus, illo nullatenus reſiſtente; ac proinde Sole ipſius vices ſubintrante, ac potentiùs exercente dicitur planeta ipſe numeris, & viribus auctus vice ipſius, ſiue bonus ſit, ſiue malus potentiùs agat, ac dicatur in eius naturam mutatus. At verò combuſtus, aut ſub radiis exiſtens, etſi potentiâ Solis vires eius ad rationem vicinitatis aliquatenus infringantur, non ita tamen, vt omninò depereant, atque à Sole abſumantur; ſed magna pars apud ipſum remanet, quibus Soli magis, aut minus reſiſtit, & ſuam actiuitatem demonſtrat, quam non poteſt à Sole exquiſitè poſſeſ-

ſus, & cum eo vnumquid factus. Quî fit, vt in Cazimi exiſtens, fortis, & viribus auctus. combuſtus autem, aut ſub radiis, infirmus, ac debilis habeatur.

## CE

Ceginvs dicitur apud quoſdam ſiniſter humerus Bootis ſtella videlicet fixa tertiæ magnitudinis, de natura Martis, & Saturni exiſtens in grad. 14. Libræ cum maxima latitudine boreali: quæ nunc, cùm habeat declinationis grad. ferè 40. conſequenter fit verticalis Regno Neapolis, quod valdè obſeruandum. 59.

Ceginvs etiam audit apud quoſdam Cepheus, vt teſtis eſt Ricciolus in Almageſto: de quo mox infrà ſuo loco. 60.

Centavrvs, qui & *Typhon* ſidus in cælo ad auſtralem plagam nobis perpetuò latens; conſtans ſtellis 36 omnibus ferè de natura Martis, & Veneris: Ex quibus inſignior eſt fulgens in ſummitate prioris pedis dextri primæ magnitudinis de natura Iouis, & Veneris. Is in horoſcopo, inquit Maternus, facit aurigam equorum cultorem, nutritorem, vel etiam domitorem: & ſi Mars benigno radio affulgeat, faciet inter fortiſſimos equites militare. Si verò in occaſu repertus fuerit, & hunc locum maleuolæ ſtellæ irradiauerint, natus, aut ex alto projectus morietur, aut quadrupedis impetu, vel equi calce percuſſus, aut ab aliquo equo pojectus peribit: vel euerſo curru trahentibus aquis miſera morte lacerabitur. Hæc ille. In longitudine totus eſt ſub ſigno Libræ. 61. 62.

Centiloqvivm Antonomaſticè apud Aſtronomos audit inſignis tractatus complectens centum ſententias in breues aphoriſmos redactas, ac Ptolemæo Aſtrologorum facilè principi aſcriptus: qui & *fructus librorum ſuorum* hoc eſt Quadripartiti, & Almageſti indigitatur. Verùm magna controuerſia eſt inter Aſtronomos, an is reuerà ſit Ptolemæi opus, an potiùs Hermetis Triſmegiſti, cuius altera Aphoriſmorum Centuria circumfertur. Hali Heben Rodoam Ptolemæi Commentator in Commentar. ſuper Quadrip. affirmat, illud non eſſe Ptolemæi, ſed Hermetis: ſed tamen aggreſſus Centiloquij commentationem, ſeu fuerit affectus magnificandi operis, quod explicandum ſuſcipiebat, ſeu fuerit maior veri notitia comparata, Ptolemæi genuinum opus eſſe fatetur. Secundò Hieronymus Cardanus poſt hæc rem benè conſiderans, ac dicta dictis objiciens, ſententiæ vnitatem in ijs non eſſe comperijt. Ac tandem Argolus, alijque noſtri temporis doctiſſimi viri pro liquidò habent, id Ptolemæi opus non eſſe, ſed dicti 63.

Hermetis, aliàs Trutinæ ad indagandum verum conceptionis tempus inuentoris, quam poſtea in Centiloquio aphor. 51. expreſſam, & confirmatam videmus in hæc verba. *In quo ſigno Luna eſt Genitura tempore, illud fac Aſcendens, in conceptu; & in quo ſigno inuenta fuerit in conceptu, illud aut eius oppoſitum fac Aſcendens in partu.* Ex quo liquet vt tantum abſit, quod hic fructus librorum Ptolemæi ſit, vt is ne verbo quidem id explicet ſiue in Quadripartito, vbi de rectificatione Geniturae
64. agit, ſiue in alio librorum ſuorum loco. Vtcumque ſe res habeat, certum eſt, dictum Centiloquium magnæ eſſe auctoritatis, magnique nominis, idque ſiue à Ptolemæo ipſo à ſuis operibus excerptum ſit, ſiue à quouis alio Ptolemæi gloriam affectante, cæteris omnibus id genus operibus antecellere. Quod etiam Angelicus Doctor 3. *contra Gentes cap. 84.* ſuo teſtimonio confirmauit. Sic enim ait: *Verum eſt, quod Ptolemaus in Centiloquio dicit; Cum fuerit Mercurius in natiuitate alicuius in aliqua domorum Saturni, & ipſe fortis in eſſe ſuo, dat bonitatem intelligentiæ fundituùs in rebus.* Et hæc obiter dicta ſint de Auctore, & auctoritate Centiloquij, quod nos D. Thomam ſequuti ſemper ſub Ptolemæi nomine citabimus.
65. CENTRVM Græcè, Latinè punctum ſignificat in medio ſphæræ vel Circuli collocatum, ad quod ductæ lineæ à ſuperficie, aut peripheria, omnes inueniantur æquales. Differt autem à puncto præcisè ſumpto, quia hoc definitur ab Euclide *cuius pars nulla eſt*, ac præſcindit ab eo, quod ſit principium figuræ mediatum, vel non; Centrum autem ſemper appellat cujuſuis rei medium, quod concipiatur indiviſibile, licet ſubinde punctum ferè ſemper pro centro accipiatur, ac pro centro nil aliud veniat, quàm punctum in medio ſphæræ aut circuli conſtitutum. Hinc terra in Mundi meditullio collocata, atque ad cælorum immenſitatem relata, inſtar puncti cum ſit, Mundi centrum vocatur. Vnde Cicero 1. Tuſculan. *Perſuadent*, inquit, *Mathematici terram in medio Mundi ſitam ad vniuerſi Cæli complexum quaſi puncti inſtar obtinere, quod Centrum alij vocant.* Porrò quandocumque Mathematici ſtellarum motus, ſitus, diſtantias, apparentias, aliaque id genus ſupputare volunt, ſemper id à centro ſtellæ ad centrum alterius corporis aggrediuntur: ſicque veras luminarium defectiones, quas, & Eclipſes vocant, à centris luminarium computant, ac rationem habent vtriuſque ſemidiametri, necnon telluris, ad cuius centrum, non ad ſuperficiem rectè eiaculatus à ſidere radius terminatur. Hinc parallaxes, hinc differentia illa veri motus, & apparentis: de quibus omnibus ſuo loco.

Centra *domorum* apud Aſtronomos dicuntur cuſpides, ſeu lineæ diuidentes domos à domibus, eſtque præcisè gradus ille Zodiaci qui in dictam lineam diuiſionis incidit; cùm aliàs domus totum illud ſpatium, quod inter vtramque lineam interponitur appelletur. Vide in V. *Cuſpis.* 66.

Cepheus dictus etiam *Ceginus*, *Iaſides*, hoſt eſt *dominus Solis*, Arabicè ex Græco vocabulo corrupto *Keiphus*: ſidus in cælo ad borealem plagam propè Andromedam, continens ſtellas vndecim cum duabus informibus, ſed apud Baierum 17. omnes de natura Iouis, & Saturni, inter quas, tres lucidiores teſtatur Kircherus in Oedipo vocari Arabicè *Kaar, Keds*, & *San*, hoc eſt Paſtorem, Canem, & Ouem; quæ autem eſt in ſiniſtro humero vocatur *Alderaimin*: De hoc ſidere horoſcopante, ſic cecinit Pontanus in ſua Vrania. 67.

*Regales illum veſtes, rutilantiaq; auro*
*Sceptra decent Regem, ac gentes imperitaſſe ſubacta:*
*Inde venit nato frontis ſua ruga ſeuera,*
*Et dura imperia, & vultu mens aſpera duro,*

Et poſt pauca *Nec ficti mores..............*

*Forſitan & populi mores deſcribet, & artes*
*Liberiore ioco ludens, riſumque mouebit*
*Perſonam ſimulans, teget & ſub melle venenum*
*Spiculaque in ſalibus tinget der.ſor amaris.*

De eo autem in occaſu reperto, ſic ludit.

*Occumbens ſatum, in ſcopulis crudele minatur,*
*Aut primo ſæuus naſcentem extinguit in ortu,*
*Aut vnco inaſtum trahit, atque euiſcerat artus.*

Ceratias ex Græco dicitur genus quoddam Cometæ, quod cornu ſpeciem repræſentare videtur; Cornu enim Græcè τὸ κέρα dicitur. Eiuſmodi fuit qui apparuit anno 1618. quem poſteà tot mala ſubſequuta ſunt. De eo Plinius *lib. 2. cap. 25.* 68.

Cerados Græcè, teſte Hali ſuper Ptolemæi quadrip. ſunt ſigna infirmantia, ſeu mutilata, quæ enumerat, Arietem, videlicet, Taurum, Cancrum, Scorpium, & Capricornum: ſed ego potiùs crediderim voluiſſe dicere *Corniculata*: Conſonat & Græcum etymon. 69.

Cetus, ſidus in cælo ad Auſtralem plagam, in longitudine amplectens ſignum Arietis, & medium Tauri. Habet apud Ptolemæum ſtellas 22. apud Keplerum 21. & apud Baier. 27. quarum præcipuæ tres, vna in naribus dicta mandibula Ceti, Arab *Menchar* altera in cauda lucidior, & auſtralior dicta *Deneb*, tertia in ventre, quam *Baten* appellant, omnes de natura Saturni. Hoc ſidus in horoſcopo alicuius inuentum, inquit Firmicus, facit piſcationi addictum, ſed maiorum 70.

piſcium, aut ſanè ijs mercandis, ac ſale, alijſque liquaminibus, vt fieri aſſolet, condiendis, ac vendendis. In occaſu verò periculum facit, quo natantes, vel in fluuio, vel in mari à Cracodilis, vel alijs huiuſmodi beſtiis lacerentur.

## CH

71. Chakitichi Græcè dicitur in cæleſti figura ſexta domus ab horoſcopo cadens, ab angulo Imi cæli, hoc eſt *mala fortuna*: eò quod eſt ſignificatrix malorum, atque infirmitatum, & nullam cum horoſcopo ſocietatem habet. Aſcribitur ei color niger, ex membris humanis venter cum inteſtinis. Conſignificatorem habet Mercurium, & gaudet in ea Mars, qui inibi repertus, experientia teſte, Medicinæ ſtudijs facit intentum.

72. Chamæleon ſidus in cælo ad polum Antarcticum nobis inuiſum conſtans ſtellis nouem infimæ conditionis, à nouis Aſtronomis detectum atque alijs imaginibus recens adjunctum. Eius caput incidit in colurum æquinoctiorum. Totum verò ſidus eſt in longitudine ſub ſignis Scorpij, & Sagittarij, ac ferunt eſſe directè oppoſitum Vrſæ minori.

73. Chasma, teſte Plinio, *lib. 2. cap 26.* eſt Cæli quidam hiatus ſtatis temporibus apparens, qualis eſt, quem nunc ſatis conſpicuè videmus in pectore Cigni, in loco vbi noua ſtella apparuit anno 1600. ac tandem poſt aliquot menſes euanuit. Hunc idem Plinius falſo in genere Cometarum collocat.

74. Chelæ ſunt Scorpionum, & Cancrorum brachia, quæ poſtea ab Aſtronomis acceptæ ſunt ad ſignificandas chelas Scorpij ſideris, ſeu veriùs Lances auſtralem, & borealem: (quandoquidem antiqui vt in loco dicemus pro vno tantùm ſidere computabant & Libram, & Scorpium, & inſuper iſtæ duæ ſtellæ modo in longitudine ſunt in Scorpionis ſigno) vtraque autem eſt ſecundæ magnitudiuis de natura Martis, & Saturni, quarum prior nempe lanx auſtralis eſt vna ex ſtellis regijs; & ideò in horoſcopo reperta, aut cum luminaribus, præſertim ſi bono beneficorum radio fulciatur, ad magna euehit, atque honores, & diuitias pollicetur.

75. Chelis etiam dicta eſt ab aliquibus Lyra, Fidicula, Vultur cadens ſidus ad borealem plagam: de quo fusè in ſuo loco.

76. Chelevb, ſeu Chelub. Arab. dicitur Perſeus, Inachides & Cyllenius: de quo vide *ſuo loco*.

Chelidonivs ventus eſt anniuerſarius ſpirans verno tem-

pore ab exortu veſpertino Arcturi, omnium ventorum mitiſſimus, ac ſuauiſſimus, qui poſteà conuertitur in Fauonium, nomen hauſit ab aduentu hyrundinum, quæ eò potiſſimum tempore ad nos adueniunt: quamobrem & *Ornithias* dictus eſt.

CHENEN, in ſphæra barbarica dicitur tertius decanus, Sagittarij manus ſub dominatu Saturni, obſtinationis in propoſito, contradictionis, dexteritatis in malo Rixarum, & factorum abominabilium. 78.

CHIRON, Centaurus, Typhon, ſidus in cælo ad auſtralem plagam, de quo non multo antè dictum eſt in Verbo Centaurus. Ab aliquibus etiam accipitur de Sagittarij ſigno, vno ex duobus Zodiaci, cuius in loco mentio erit. 79.

CHORDA apud Geometras eſt linea recta arcui ſubtenſa, quæ diuidat circulum in duas partes inæquales, ſicque per centrum minimè tranſeat (in quo differt à diametro) ſed vel ſuprà, vel infrà ſit, relinquens in circulo æquabilia ſpatia, ſeu portiones ipſius, quarum maior ſit quæ centrum complectitur, minor verò quæ comprehenditur ſub ipſa chorda. Nomen ſortita eſt à ſimilitudine quam habet ad chordam arcui venatorio ſubtenſam, vnde Sagitta per arcum ejaculatur. Porrò dimidium chordæ ſinus rectus appellatur, & ſemiſſes rectarum, prout in loco dicemus. Huius ope, ac tabularum ſinuum tangentium, & ſecantium tota triangulorum doctrina reſoluitur: per eam enim venamur quantitatem arcus, cui ſubtenditur, atque alterius ad alteram proportionem. Vide fuſiùs in V. *Sinus*. 80.

CHORBVTE, teſte Hygino, appellantur à Græcis duæ ſtellæ Vrſæ minoris, quæ polari æquales in magnitudine, ac ſplendore, eam circumdant, & circumdantes, choreas veluti ducere, eique geſtire, ac ſubfamulari videntur. 81.

CHOROGRAPHIA pars eſt Geographiæ, quæ particularium tantum prouinciarum, aut regnorum deſcriptionem tradit, cum tamen Geographia ſit vniuerſalis deſcriptio totius terræ habitabilis. 82.

CHRISEVS Cometes. Vide Roſa. 83.

CHRONICVS idem ſonat ac Temporalis, quid importet. Vide in V. Achronicus. 84.

CRONOCRATOR Græcè, Latinè interpretatur temporis dominus. Apud Aſtronomos Chronocratores dicuntur planetæ, qui fuerint temporum diſpoſitores. Rhodiginus Chronocratorem appellat luminare temporis, vt Solem de die, Lunam de nocte. Aben Ragel, alijque Aſtrologi diuidunt ætatem hominis in ſeptem partes pro ſingulis eius ſtatibus, ac ſingu- 85.

gulis planetis per ordinem attribuunt: ſicque infantiam, quæ amplectitur quatuor primos ætatis annos tribuunt Lunæ: pueritiam ab quarto vſque ad quartum decimum annum, Mercurio: Adoleſcentiam à quarto decimo vſque ad vigeſimum ſecundum, Veneri: Iuuentutem à vigeſimo ſecundo vſque ad quadrageſimum primum, Soli: Virilitatem à quadrageſimo primo vſque ad quinquageſimum ſextum, Marti: Senectutem à quinquageſimo ſexto vſque ad ſexageſimum octauum, Ioui: Decripitatem à ſexageſimo octauo vſque ad nonageſimum octauum Saturno: Denique reliquum tempus à nonageſimo octauo vſque ad centeſimum ſecundum annum, quod eſt genus quoddam Infantiæ, iterum Lunæ. Horumque annorum diſpoſitores vocant Græci Chronocratores. De qua re abundè
86. ſatis diſcurrit Ptolemæus *in Qadrip. cap. vltimo*. Alij item ex Ptolemæi mente temporum arbitros, vt plurimum eſſe dicunt duos planetas, quorum vnus principalis eſt qui vel corpore vel radio proximè occurrit Aphetæ, & cuius dominium tandiu durat, quandiu ſignificator ad alium promiſſorem pertingat. Alter verò ſit minus principalis, & particeps dominij, qui ſit dominus termini conſtitutus in eodem circulo poſitionis ſignificatoris. Sic enim ſubdit Ptolemæus, loco citato. *Primum quidem danda ſunt tempora cujuſlibet prerogatoris illi planetæ, qui tenet gradum loci Aphetici, aut alteri illum aſpicienti. Si autem deeſt, demus ei planetæ, qui proximè anteceſſit, donec perueniamus ad alium, qui applicatur ad ſequentem gradum, juxtà ordinem ſignorum Deinde huic tribuemus tempora vſque ad ſequentem, & in cæteris ſimiliter: & ſimul aſſumantur planetæ, vt ſint diſpoſitores, qui ſunt in ſuis finibus.* Hucuſque Ptolemæus tradens aliam inueniendorum Chronocratorum rationem. Et hi quidem generales dicuntur. Cæterùm particulares Chronocratores vide in Verbo *dominus temporis*.

## CI

87. Cingulus Orionis. Vide in V. *Baltheus*: item in *Iugula*.
88. Cignus. Vide in V. *Cygnus*.
89. Circius ventus lateralis Septentrioni ad occaſum, oppoſitus directè Phæniciæ, ſeu Euro Aſtro, ſic dictus ob ſui violentiam qua obliquè cum turbine, ac vertigine ſpirans, omnia turbat, & circumuertit: Alij *Cercium* vocant, alij *Thraſcias* quia per Thraciam exſufflando tranſit. Frigidus eſt, & ſiccus, ventorum gyros, & niuium congelationes facit, & grandines: vnde etiam eſt maximè procelloſus, impetu vehemen-

tiſſimo ruens. Eo potiſſimum infeſtatur Gallia Narbonenſis, vt auctor eſt Gellius, & in Italia vrbs nomine Beneuentum olim ab ipſo Maleuentum dicta, vt explicat Procopius *lib.* I. ſic inquiens *Quondam Priſci Maleuentum dixere : id namque Oppidum, Dalmatia ex aduerſo oppoſitum eſt, in continentique ſitum, in quod ſpiritus violentior quidam, & acerbi ſimus (Circius nempe ventus) ingruere conſueuit : qui vtique vbi flare cœperit, non foris iter agere, ſed domi ſe quiſque conſeruare laborat. Nam venti huius eſt violentia, vt vel equitem cum equo ſimul arreptum ſublimem mox deferat, diuque per aërem circumactum, & quocumque tulerit eius projectum interimat : vnde & Maleuentum, & in edito poſitum ex eo vento toleratu difficili ſortitum eſt nomen.* Hucuſque Procopius de ea vrbe, quæ poſteà boni ominis ergo Beneuentum appellari cæpit. 90.

CIRCITORES & *Vigiles* dictæ ſunt duæ ſtellæ ſecundæ magnitudinis in Vrſæ minoris corpore extremæ, quæ polarem circumſtant, & quaſi cuſtodes ambiunt, vnde à Græcis, vt habet Hyginus *Choreutæ* etiam appellatæ ſunt, quaſi choreas circà eam ducentes. 91.

CIRCVLVS, & *Circus* à Mathematicis ſic definitur. *Eſt figura plana, unâ tantùm lineâ contenta, in cuius medio punctus ſit, à quo omnes lineæ ad circumferentiam ductæ æquales ſint.* Differt à ſphæra, quæ non eſt figura plana, ſed perfectè rotunda, neque vnica linea terminatur, & circumſcribitur, ſed lata quadam ſuperficie vndequaque concluditur. Differt etiam ab Ellipſi, quæ, quamuis figura plana ſit, vnâque linea circumſcribitur (in quo conuenit cum circulo) quia tamen in ea non datur punctum, à quo duci poſſint æquales lineæ ad ipſam circumferentiam, ſeu lineam terminantem, ideò circulus dici non poteſt, neque orbicularem formam retinet, ſed oualem. 92.

CIRCVLVS *rectus* in ſphæra dicitur Meridianus, vnus ex ſex circulis majoribus, ad differentiam horizontis, qui (præterquam in ſphæra recta, & ſub æquatore) ſemper eſt obliquus atque obliquè ex ea emergunt ſidera; cum alias ad Meridianum, vbiuis locorum ſemper aſcendant rectè. Complectitur autem hic circulus in cæleſti figura decimam, & quartam domum: quæ proinde conſtituuntur per aſcenſiones rectas: atque hic circulus conſideratur immobilis in ſitu Mundi. 93.

CIRCVLVS *rectus* etiam dicitur æquator æquè diſtans à polis mundi, hoc eſt grad. 90. hinc inde, atque adeò in medio ſphæræ collocatus : de quo plura diximus ſuo loco, ſicut è contra. 94.

CIRCVLVS *obliquus* appellatur Zodiacus ad differentiam cir- 95.

culi recti, cùm is ſemper obliquè aſcendat, tam in ſphæra recta quàm in obliqua, cùm alias æquator in ſphæra recta, æqualiter ſemper aſcendat, & in obliqua, ſi non rectè ſaltem æqualiter, & Zodiaco rectiùs.

96. CIRCVLI *altitudinum* vocantur circuli paralleli ad horizontem vſque ad ſummum verticem, eò quia eorum ope venamur altitudines ſiderum, & eleuationem ſuprà horizontem. Arabicè dicuntur *Almicantharath*: vide quæ ſub hoc vocabulo fusè diximus.

97. CIRCVLI *horarij* ſunt circuli ducti per polos mundi, ac partes oppoſitas horizontis, quibus venamur quantitatem diei ac noctis, horas planetarias, arcus ſemidiurnos, ac ſeminocturnos planetarum, atque eleuationem poli cuiuſcumque ſideris ad mentem Ptolemæi ad verum circulum poſitionis habendum.

98. CIRCVLI *poſitionum* ſunt circuli tranſeuntes per communes interſectiones horizontis, & Meridiani, atque per centrum ſtellæ, quibus potiſſimùm vtuntur Rationales ad eius ſitum in mundo venandum, ad quos reducuntur etiam *circuli domorum*.

99. CIRCVLI *verticales* ſunt circuli tranſeuntes per verticem alicuius loci, ſeſe ibi mutuò interſecantes, ac tandem ad oppoſitas horizontis partes terminantes, quibus inquirimus locorum longitudines, ac diſtantiam ſiderum à quacumque horizontis parte, nec non ab inuicem per latum. Arabicè Azimutha: de quibus ſuo loco dictum.

100. CIRCVMFERENTIA. Vide *Peripheria*.

101. CIRCVMVALLATIO, teſte Valla, idem valet apud Aſtronomos, ac Obſeſſio; eſtque cum planeta medius inter duos, ita circumdatur, ac vallo quaſi obſideretur, vt vim ſuam exercere minimè valeat, neque aliorum aſpectus recipere. Hæc obſeſſio ab infortunis alicui benefico, aut promiſcuæ naturæ intentata, peſſima eſt: à beneficis verò erga maleficum optima: quippe quæ ita eius vires debilitat, vt nil ferè operari valeat planeta obſeſſus, ſed tota eius actiuitas ab illis abſumatur, aut ſanè labefactatur.

102. CIRNECIR apud Hermetem *in lib. de iudicijs & ſignificationibus ſtellarum Beibeniarum*, audit ſtella fixa lucida lancis borealis, ſecundæ magnitudinis de natura Iouis, & Mercurij, exiſtens nunc temporis in grad. 25 Scorpij cum tot ferè grad. latitudinis borealis. Hæc in horoſcopo (inquit idem Hermes) facit fortunatum Regem, amatorem altaris Dei, malorum perſecutorem, magni nominis apud exteros, ac poëſis cultorem.

## CL

Clima Græcè, Latinè audit ſpatium ſiue in cælo, ſiue in terra contentum inter duos parallelos, quod quia ſemper minor, ac minor concipi poteſt, ideò & plura Climata in infinitum. Nihilominus tamen nunc temporis accipitur pro tanto terræ, aut cæli, cui terra ſubeſt, ſpatio, per quantum ſenſibiliter variari poteſt ortus, & occaſus ſignorum, nec-non dierum, ac noctium artificialium quantitas, & longitudo. Differentia igitur ſemihoræ, qua augeatur maximi diei artificialis, aut maximæ noctis quantitas, viſa eſt veteribus condigna portio, ac ſenſibilis aſſignanda cuilibet Climati: Et quoniam non omnem terram habitabilem exiſtimabant, ſed ſolùm ſub Zonis temperatis, quæ ſunt inter tropicos, & circulum ſeu Arcticum, ſeu Antarcticum (partes enim æquatori vicinas propter nimium calorem, & quæ ſub circulis Arctico, & Antarctico continentur, ob nimium frigus inhabitabiles crediderunt) ideò vniuerſam Zonam temperatam, quæ eſt ad borealem plagam in ſeptem climata diuiſerunt incipiendo à primo parallelo verſus æquatorem, ſeu Tropico Cancri, vbi maximus dies eſt horarum 15. vſque ad circulum Arcticum, ſingulis ſua nomina, à celebri aliquo loco, quem pertranſit parallelus, qui per medium climatis deſcribitur, tribuentes. Sed quoniam Recenſiores, experientia duce, comprobauere, totam ferè terræ molem habitabilem eſſe, & adhuc, ſi vlla pars inhabitabilis foret, ſatis eſſet ad rationem climatum, vt maximorum dierum quantitas augeatur, aut minuatur; ideò rem meliùs auſpicati, ac Ptolemæum ſequuti, deſcribunt in ſuperficie terræ circulos parallelos ab æquatore verſus Polum, tanta inter ſe diſtantia, quanta requiritur, vt vniuſcuiuſque maximus dies differat horæ quadrante ab die maximo alterius paralleli; ita vt vnumquodque clima tribus parallelis definiatur. Atque hac ratione conſtituunt viginti tria climata, hinc citra æquatorem ad Polum boreum (totidem conſequenter trans illum ad Auſtrum) atque intra quadragintanouem parallelos includunt, ſingulis parallelis horæ, vt dictum eſt, quadrantem aſſignantes. 103.

Primùm clima includit Inſulam Taprobanam, & ſinus Aualicum, & Aduliticum, ac definitur tertio parallelo ab æquatore, vbi Polus attollitur gr. 8. min 34. ac maximus dies artificialis eſt hor. 12. min. 30. latitudo eius eſt grad. 8. min. 34. 104.

105. Secundùm clima ( quod eſt primum antiquorum ) amplectitur quartum, quintum, & ſextum parallelum, ita tamen vt hic definiat maximum diem hor. 13. min 15. ac loca illi ſubjecta deprimantur infrà polum grad 20. min. 33. eiuſque medium tranſit per Meroen Inſulam, à qua, mutuato nomine, à Græcis *Diameroes* dictum eſt, ſub hoc climare continentur Inſulæ fortunatæ, pars Arabiæ, Nubi populi, Goa celeberrima Vrbs, atque Indiarum Emporium, Inſula ſancti Thomæ, & plurimæ aliæ prouinciæ, latitudo eius eſt grad. 7, min. 50.

106. Tertium clima dictum *Diaſynoës* quia eius principium eſt ab Synoë, & complectitur Ptolemaidam, Ægyptum, maiorem que partem Regni Chinenſis, ac terminatur octauo parallelo, vbi altitudo Poli eſt grad. 27. min. 36. & dies maxima eſt hor. 13 min. 45 eſt latum gr. 7. min 3.

107. Quartum clima definitur decimo parallelo, & amplectitur Perſidem, & reliquam partem Ægypti, & quia tranſit per mediam Alexandriam *Dialexandros* eſt appellatum, eius finis habet diem maximam hor. 14. min. 15. Poluſque ſuper loca illi ſubjecta, eleuatur gr. 33. min. 45. amplitudo eius eſt grad. 6. min. 9.

108. Quintum clima dictum *Diarhodos* quia tranſit per Rhodum Inſulam, continet Phæniciam Cyprum, Cretam, Smyrnam, & Helleſpontum, definiturque duodecimo parallelo, ſub quo dies maxima eſt hor 14. min. 45 & altitudo Poli eſt gr. 39. minut. 2. tota eius latitudo eſt grad. 5. min. 17.

109. Sextum clima appellatur *Diaromes* quia tranſit per Romam, & ſub ſe habet Bizantiam, Maſſiliam, Hiſpaniam, Regnumque Neapolis, eſt latum gr. 4. min 30. atque extenditur vſq; ad quartumdecimum parallelum, vbi eleuatio Poli eſt grad. 43. min. 32. & dies maxima eſt hor. 15. min. 15.

Septimum clima, quod dicitur *Diapontos* quia tranſit per Pontum continet intrà ſe Venerias, Mediolanum, finitimaſque vrbes Vngariam, & Galliæ magnam partem & clauditur parallelo 16. in latitudine grad. 3 min. 48 ſub eleuatione Poli gr. 47. min. 20. vbi maxima dies artificialis eſt hor. 15. minut. 45.

Octauum clima nomine *Diaboryſtenes* quia tranſit per Boryſtenis oſtia amplectitur Podoliam, Germaniam ſuperiorem, Poloniam, aliaſque plures Septentrionis prouincias; eſtque latum gr. 3. min. 13. vltimus eius terminus clauditur parallelo 18. vbi dies maximus eſt hor. 16. min. 15. ſub eleuatione Poli gr. 50. min. 59.

110. Nonum clima incipit à Mættide palude ( vbi climatum ter-

minus eſt veteribus ) ac terminatur parallelo 20. ſub eleuatione Poli gr. 53 min. 17. vbi dies maximus eſt hor. 16 min. 45. ſub ſe habet Vvittembergam, & reliquam Saxoniam : ipſum verò eſt latum gr. 2. min. 44.

Decimum clima eſt latum grad. 2 min. 17. comprehenſum intrà fines 20. & 22 paralleli, cuius medium tranſit per Roſtochium, & Rhenum, habet diem maximam hor. 17. min. 15. ſub eleuatione Poli gr. 55. min. 34. 113.

Vndecimum clima terminatur, & clauditur parallelo 24. ſub eleuatione Poli gr. 57. min. 34. vbi dies maxima eſt hor. 17. min. 45. habetque ſub ſe Moſcouiam, & Hyberniam, amplitudine ſua comprehendit gr. 2. 114.

Duodecimum clima amplectitur Noruegiam, & vltimam partem Britanniæ, eſtque latum grad. 1. min. 40. terminatur autem parallelo 26. in altitudine Poli gr. 59. min. 14 vbi dies maxima eſt hor. 18. min. 15. 115.

Decimum-tertium clima extenditur ad parallelum 28. in altitudine Poli grad. ferè 61 vbi dies maxima eſt grad. 1. min. 26. comprehendit totam Gothiam, in amplitudine grad. 1. min. 26. 116.

Decimum-quartum clima tranſit per medias Bergas Noruegiæ, completurque parallelo 30. vbi dies maxima eſt hor. 19. min. 15. in eleuatione Poli grad. 62. tota eius amplitudo eſt gr. 1. min. 13. 117.

Decimum-quintum clima tranſit per Vviburgum Filandiæ, habetque latitudinis gr. 1 ſub parallelis 30. 31. & 32. cuius medium, hoc eſt ſub parallelo 31. dies maxima eſt hor. 19. min. 30. in altitudine Poli gr. 62. min. 25. vbi accolæ experiuntur diem maximam hor. 19. 30. extremi autem ſub parallelo 32. hor. 19. min. 45. 118.

Decimum-ſextum clima eſt latum min. 52. & tranſit per Arontiam Sueciæ ciuitatem, ſub eleuatione Poli gr. 63. min. 22. cuius finis habet diem maximam hor. 20. min. 15. 119.

Decimum-ſeptimum clima continetur ſub parallelis 34. 35. & 36. in altitudine Poli gr. 64. min. 30. eſtque latum min. 44. cuius medium tranſit per oſtia fluuij Dalenxanlij, vbi dies maxima eſt hor. 20. min. 45. 120

Decimum-octauum clima eſt latum min. 36. clauditurque parallelo 38. in altitudine Poli gr. ferè 65. vbi dies maxima eſt hor. 21. min. 15. 121.

Decimum-nonum clima protenditur à parallelo 38. vſque ad 40. atque amplitudine ſua complectitur min. 29. in cuius fine dies maxima conſtat horis 21. min. 45. in eleuatione Poli grad. 65. min. 35. 122.

123. Vigeſimum clima latum min. 22. amplectitur extrema Noruegiæ loca, finiturque parallelo 42. ſub quo dies maxima eſt hor. 22. min. 15. in altitudine Poli gr. *66.*

124. Vigeſimum-primum clima tranſit per Sueſciam, & continetur intra parallelum 42 & 44. cuius medium habet diem maximam hor. 22. min. 30. eſtque in altitudine Poli. gr. *66.* min. *6.* amplitudo eius eſt min. 17.

125. Vigeſimum-ſecundum clima tranſit per mediam Albam, Ruſſiam; eſtque in altitudine Poli gr. *66.* & min à 14. vſque ad 25. cuius medium habet diem maximam conſtantem hor. 23. finis verò cadit ſub parallelo 46. vbi dies maxima eſt hor. 23. min. 15. tota eius latitudo eſt min. 11.

126. Vigeſimum-tertium clima, quod eſt vltimum complectitur partem Iſlandiæ, & vicinas Inſulas ſub parallelis 46. 47. & 48. cuius principium habet diem maximam hor. 23. min. 15. medium hor 23. min. 30. finis hor. 23. min 45 in altitudine Poli grad *66* min 28. eſtque latum ſolis min. 5.

127. Tandem parallelo 49. terminantur omnia climata vbi dies maximus eſt hor 24. ita vt ibi Sol incipiat non occidere, ſed circulariter ferri; vt propterea populi ea loca inhabitantes vocentur *Periſci*, hoc eſt *Circumbratiles* quia vmbra illorum eſt verſatilis, & circum circà ſe vertit, quod accidit ab hoc parallelo vſque ad polum, ſub quo dies vnus naturalis integratur ex integro anno, ſex enim menſibus Sol nunquam occidit, cùm reperiatur in ſemicirculo boreali, qui nunquam ſub terra fit, & è contrà dum eſt in ſemicirculo auſtrali, qui ſemper ſub terra latet, ſpatio item ſex menſium facit longiſſimam noctem: quæ tamen, neque nox dici poteſt, cùm habeat ferè ſemper lucem crepuſculinam valdè claram ob Solis vicinitatem.

128. Porrò quæ diximus de parallelis ad æquatorem conſtituentibus diuerſa climata in noſtra plaga Septentrionali concipienda ſunt etiam in altero Hemiſphærio verſus polum Antarcticum, vbi totidem climata conſtituenda ſunt in eadem amplitudine, atque in eadem poli Antarctici eleuatione, cum eadem prorſus quantitate dierum ac de noſtris regionibus diximus, quæ vtique climata nominari poſſunt vel à præcipuis locis, per quæ tranſeunt, vel ſanè (vt de Polo fit) ab oppoſitis.

129. Hic autem, etſi obiter, non erit fortè injucundum diſquirere quod clima ex modo numeratis ſit temperatius, atque habitationi hominum accommodatius. Auicennas *lib. 1. Fen. cap. 1.* opinatur quod ſub æquatore vbi incipit primum clima ſit locus habitationis omnium temperatiſſimus, quia, inquit,

rectitudo Solis ſuprà verticem minus malum operatur,& minus mutat aërem, quam Solis propinquitas apud nos, qui ſumus in majori latitudine, ibi enim non tantùm temporis conſiſtit in hemiſphærio, vt illud poſſit æquè, ac noſtrum nimium ex eius radijs incaleſcere: & prætereà id probat experientia, & ex noſtris qui illuc appulſi, ad nos poſteà remeaiunt, teſtimonia dicentium ſub æquatore eſſe temperatum aërem, fæcundiſſimam terram, iucundiſſimamque habitationem. Auerroës putat quintum clima, ſub quo ipſe erat, eſſe omnium temperatiſſimum. Manardus Ferrarienſis epiſt.7.ſextum ſub quo Ferrariam laudat. Albertus Magnus è contrà ſeptimum, vbi Ratiſbona, cuius ipſe erat accola, & Epiſcopus, cæteris omnibus anteponit: quia, inquit, homines hic pulcherrimi, proceri corporis, juſtæ ſtaturæ, & venuſti coloris. Reuerà vnuſquiſq; ſibi plaudit, & patriæ amore illectus, atque aëri aſſuefactus, in ea plus jucunditatis inſpicit, quàm in reliquis regionibus: vnde meritò ille cecinit:

*Neſcio, qua natale ſolum dulcedine cunctos*
*Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.*

Sed enim dicendum eſt vnumquemque veritate coactum ſuum clima laudaſſe, idque illis cæteris omnibus temperatius eſſe; non abſolutè, vt optimè obſeruauit Galenus, ſed reſpectu ſuorum habitatorum qui ibi nati, ibi aſſuefacti, ibi aërem ſibi naturalem reſpirant, ibi etiam ſuæ temperiei accommodam quiſque trahit moram, inuenit ſimilitudinem. Sola igitur habitatio à primordijs conſtitutionis acquiſita, vel longo vſu facta jam connaturalis eſt animantibus accommodata; alienæ verò incommodæ, & intemperatæ. Sic Luſitani, olim qui, acquiſitis à ſuo Rege in India Orientali portubus, & caſtris præſediarij milites mittebantur vix tres aut quatuor menſes ibi moram trahentes, cum climatis contrarietatem ferre non poſſent, miſerè extinguebantur, vt poſteà cautum ſit, non niſi pueros, & adoleſcentes eò mittere, quò aëri aſſueti, rem patriam, ſuaque iura in alienis regionibus tutarentur. Idipſum videre eſt in reliquis animantibus cuique regioni proprijs, quæ in alias aſportata, aut vim generatiuam, amittunt, aut in totum etiam extinguuntur. Vt in elephantis, qui in Africa ſunt in loco ſibi connaturali, ſi in Italiam ducuntur, viuunt quidem, ſed generare non poſſunt; ſi vlteriùs in Germaniam, aut alias Septentrionis prouincias, non modò non ſpeciem propagare, ſed & ne vita quidem diù frui poſſunt: & hæc de climatum ratione ſatis ſint dicta. 130. 131.

CLIMACTERICVS, ex etymo Græco, perinde eſt, ac Latinè ſcalaris: Apud Aſtronomos verò, Phyſicos, alioſque paſſim 132.

ſcriptores pro quoque anno vitæ humanæ decretorio, & ſcalari, qui certo numerorum rythmo recurrens, mortis periculum, grauem morbum, aut ingens aliquod infortunium importare, conſtans ſemper probauit experientia. Porrò id obſeruare, neque ſuperſtitioſum eſſe, neque inutile docent communiter Theologi, & ex Patribus Ambroſius, Auguſtinus, Beda, Boëthius, aliique. At verò eius rei rationem reddere, difficile admodum eſt, & quæ intellectum compleat, impoſſibile. De eadem multa ſcripſerunt Plato, Cicero, Macrobius, Gellius, & ex Recenſioribus Petrus Bongus, Maginus, Argolus, ac nouiſſimè doctè nimis, & eruditè Claudius Salmaſius. Communior tamen ſententia eſt, planetas ſingulos aſſumere dominium ſuprà corpus humanum ſecundùm ordinem, quemadmodum ſingulis annis: ita vt primo anno dominetur Luna, ſecundo Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, ſexto Iupiter, ſeptimo Saturnus: Cumque ſingulis ſeptenis annis dominetur Saturnus, idcircò illos nominant climactericos, judiciarios, ominoſos, vt rectos à planeta nimis infenſo, & vitæ hominis inimico; ſed audiamus Ficinum hujus ſententiæ principem: ſic enim ſcribit *lib. 2. cap. 20 de vita producenda. Cùm Aſtronomi ſingulas deinceps diei horas planetis ordine ſingulis diſtribuerint, ſimiliterque ſeptem hebdomadæ dies, atque ipſo ſatu per menſes digeſſerint officia planetarum, cur non etiam per annos eadem diſponamus? Vt quemadmodum infantem in aluo latentem rexit primo menſe Saturnus: vltimo Luna, ſic ſtatim natum, ordine jam conuerſo, primo ipſius anno ducat Luna, ſecundo ſi vis Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, ſexto Iupiter, ſeptimo verò Saturnus, atque deinceps ordo per vitam ſimilis repetatur. Itaque in ſeptimo quolibet vitæ anno fit in corpore mutatio maxima, ideóque periculoſiſſima: quandoquidem & Saturnus nobis communiter eſt peregrinus, & ab eo tunc planetarum ſummo ad Lunam è veſtigio planetarum infimam gubernatio redit.* Cæterùm præter climactericos conſtantes ex ſeptenarijs obſeruant alij annos Enneaticos
133. conſtantes ex nouenarijs, qua ratione neſcimus: ſicut etiam ex ipſis Climactericis, quare aliqui periculoſiores, alij minus periculoſi, ſemper tamen ſecum afferant aliquam corporis diſcratiam: alii etiam quod magis mirere, impunè tranſeant. Auguſtus apud Suetonium, Caium nepotem ſuum gaudere juſſit, *tranſgreſſus ſum enim*, inquit, *annum ſexageſimum tertium, quo anno, pluſquam alijs mori conſpicimus*. Periculoſiſſimum quoque perhibent annum 49 & 56. Sed de hac re non incongruam, neque hactenus excogitatam rationem, fortè alibi afferemus. Pro nunc ſatis.

COELVM

## CO

COELVM dicitur pars illa, & potior Vniuerſi, quæ eſt ſuper omnia elementa, ſubſtantiæ, vt fert communior Philoſophorum ſententia, ab hac ſublunari diuerſæ, formæ, vt creditur, incorruptibilis, quamque communiter Æthera appellarunt, amplectiturque corpora ipſa cæleſtia, aſtra, planetas, atque orbes deferentes in quibus iſta fixa eſſe intelliguntur. Dicitur cælum à cælando, vt habet Ambroſius *lib. 2 Examer.* eò quod impreſſa ſtellarum lumina habeat, quaſi cælatum varijs imaginibus opus. Quinque autem cæli proprietates communiter enumerantur. Lumen, ſitus, incommutabilitas motus, & natura, quæ à Philoſophis quinta nuncupatur eſſentia. Quod ad lumen attinet, id manifeſtum eſt eſſe præcipuam cæli proprietatem, qua in hæc inferiora influit per motum localem qui lumen ipſum applicat, & pro ſiderum adinuicem habitudine aut intendit, aut remittit. Non quod omnes cæli partes ſint luce præditæ (cum hac prærogatiua ſola fulgeant aſtra) ſed quod ſit ſua natura pellucidum, & aſtrorum lumen in ſe recipiat, & transfundat. Quoad ſitum is eſt cæteris omnibus præcellentior: quò enim magis aliquid remouetur à terra, eò eſt purius, & nobilius. De incommutabilitate verò nemo eſt qui dubitet, quandoquidem ſola corpora cæleſtia neque alterari, neque corrumpi queunt; vt notat Philoſophus in libris de cælo. Quoad motum, is circularis eſt, continuus ac perpetuus; motus autem elementorum rectus eſt, irregularis, & citò finem habet. Tandem natura cæli, ſiue ea ſimplex ſit, ſiue compoſita, longè ab omni ſublunarium rerum natura diſcedit, & eſt cæteris omnibus præſtantior, ac diuinior. 134.

Porrò cælorum numerum pro motuum diuerſitate conſtituebant antiqui, cum enim viderent omnia aſtra rapidiſſimo motu ferri ab Oriente in Occidentem, ac inſuper aliqua ex ipſis contrario motu, & quidem ſingulis proprio verſus Orientem cieri, ſeu potius ab motu vniuerſitatis retardari; ideò & plures motus, & plures cælos admiſerunt: Et quidem Ionſtonus *de adm. cæl. cap. 2.* hæc habet: *In orbes variè diſtinxere Aſtronomi, placuere Eudoxo XXIII Callippo XXX. Ptolemæo XXX. Regiomontano XXX. II. Ariſtoteli XLVII Decem eſſe commun.: eſt opinio* At enim Fracaſtorius LXX. cælos poſuit omnes terræ concentricos: ſeptem in Luna, in Mercurio vndecim, totidem in Venere, in Sole quatuor, in Marte nouem, in Ioue vndecim, in Saturno decem, ſuprà Firmamentum ſex, & Firmamentum, quod Aplanem vocat ex ſeptem orbibus conſtans, 135.

Verùm hæc omnia gratis & abſque vllo fundamento conficta ni cælorum nomine orbes, concentricos, & epicyclos velimus intelligere. Decem igitur omninò ſunt cæli mobiles ſi ij ſolidi ſunt (vt taceam de Empyreo, quod fides docet omninò immobile ac firmum, quippe quod ſedes Beatorum eſt) ex quibus ſeptem totidem planetis aſſignarunt; octauum Firmamentum ſeu Cælum ſtellatum in quo fixa conſtituuntur: Nonum verò cùm non niſi per motum dignoſcerent, eſſetque præterea pellucidum ac tranſparens, Chriſtallinum dixerunt, ac tandem decimum primum mobile, quod ſecum reliquos rapit, atque ab Oriente in Occidentem ſpatio vigintiquatuor horarum circumuoluitur, & rotatur.

136. At enim ſi phyſicè loquamur (vt bene oſtendit Titus in cæleſti Philoſophia) omnia quæcumque ſidera vno tantùm motu, qui eſt raptus & primi mobilis agitantur ab Oriente in Occidentem; neque alius proprius cuique motus vlterius admittendus. Quod autem ſingula non quotidie cum iiſdem partibus primi mobilis occidant, ſed viciſſim loca permutent, atque in præcedentibus ſemper conſpiciantur, quæ ſucceſſiuè occidunt, ac proinde videantur motu proprio, & contratio præcedentes partes acquirere; id non à vero motu, ſed potiùs à motus moroſitate, ac mobilium reſiſtentia, & ponderoſitate procedit. Quod vel ex eo patet, quia propius eſt, ac contiguus primo mobili ſtellatus Orbis validiùs ab eo trahitur, ac citiùs quàm cæteri inferiores motum diurnum vniuerſitatis abſoluit. Inde Saturnus; mox Iupiter, & ſic per ordinem progrediendo, omnes quò magis à primo mobili remouentur eò magis eius impulſui reſiſtunt, ita vt Luna quæ poſtrema omnium eſt, ac terræ vicinior, tantùm reſiſtat, vt ſingulis diebus modò vndecim, modò quindecim gradus retrò remaneat, quod nos proprium motum in Zodiaco vocitamus; reuerà tamen eſt quædam retardatio, & moroſitas, qua impulſui primi mobilis reſiſtit. Igitur hac ratione Luna non eſt
137. dicenda omnium planetarum velociſſima, ſed tardiſſima: Saturnus non ſegnis, ac piger, ſed longè plus alijs expeditior: ac tandem Firmamentum velocitate proximè accedit ad primum mobile, eò quia non remanet retrò niſi quatuor tantum minutis; ac motum ſuum circularem ab Oriente in Occidentem circà tellurem (præter quem alium reuerà non habent) citiùs compleat: inde Saturnus, mox Iupiter: denique ſerius omnibus Luna. Quia verò id non officit communi vſui loquendi, ac verè ſidera hac moroſitate permutant loca, ſitum ſuum, & conſiſtentiam in Zodiaco; ideò admittitur, dici poſſe duplex huiuſmodi motus, quo poſt inueteratam conſuetudinem

res Aſtronomicæ faciliùs explicantur. Quemadmodum eam ob rem admittuntur plures orbes, Eccentrici, Epicycli, &c. ad ſaluandas apparentias, atque ad comparandam probam rerum cæleſtium agnitionem; cum tamen poſt Tychonem qui primus omnium ſtabiliuit, ac ferè extra controuerſiam poſuit Cælum fluidum, id jam neceſſarium non ſit, & poſſint optimè ſine illis intelligi: atque adeò non plures cæli, ſed vnum tantùm vaſtiſſimum per quod ſtellæ non ſecus ac piſces in mari diſcurrant, jam modò videatur procul omni dubio aſſerendum. Quod autem huic cælorum fluxibilitati nil penitus refragetur, imò potius faueat illud Iobi cap. 35. vbi cæli ſolidiſſimi appellantur tanquam ære fundati: dicemus in V. *Firmamentum.*

Ex hoc cælorum motu Philo Iudæus *lib. de ſomnijs* opinatus eſt ſuauiſſimum ſonum fieri, atque ad hoc reſpicere ſacras paginas, ſemper cum cælos laudare Deum aſſerunt, & illud Iobi 38. *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Quem ob loci diſtantiam nos non ſentimus, ſed id diuina prouidentia factum, quia ſi poſſet, inquit, hæc ſuauiſſima harmonia, quam cælum ſuo motu edit ad aures noſtras peruenire, in nobis excitaret impotentes amores, & inſanum deſiderium, quo ſtimulati rerum ad victum neceſſariarum obliuiſceremur, non paſti cibo, potuque per fauces demiſſo, ſed quemadmodum immortalitatis Candidati diuinis conſummatæ muſicæ cantibus. Huic opinioni adſtipulatur etiam D. Anſelmus *lib. 1. de Imagine mundi*, ſic inquiens. *Septem cælorum orbes cum dulciſona harmonia voluuntur, ac ſuauiſſimi concentus eorum circuitione efficiuntur: qui ſonus ideò ad noſtras aures non peruenit, quia vltrà aërem fit, & eius magnitudo noſtrum anguſtum auditum excedit: nullus enim à nobis ſonus percipitur niſi qui in aëre efficitur: à terra autem vſque ad Firmamentum caleſtis muſica menſuratur, ad cuius exemplar noſtra muſica inuenta eſt.* Sequuti ſunt Ambroſ. *in præfat. ad Pſalm.* Boëth. *lib. 1. de Muſica cap. 2.* Iſidorus *lib. 3. Etymol. cap. 16.* & multi alij. Ad hoc etiam alludere viſus eſt Licentius Preſbiter, cùm ad Auguſtinum præceptorem ſuum ſcribens, ſic cecinit: 138.

*Aptauit numeros cælis, juſſitque ſonoros,*
*Exercere modos, parileſque agitare choreas.*

Quæ quidem opinio, etſi communiter reijciatur, atque ab Irenæo nimis rigidè *lib. aduerſ. hæreſes*, inter damnata Marcoſiorum dogmata annumeretur; non tamen nunc temporis probabilitate caret, præſertim poſita cæli fluxibilitate, quæ eiuſdem ferè rationis eſt ac ipſe aër, quinimò non deſunt qui dicant (& mihi maximè arridet) vnum continuum cum cælo conſtituere, eiuſdem ſubſtantiæ, quæ tamen ſemper ſubtilior, & 139.

ſubtilior vſque ad Empyreum eſt, licet aër noſter infinitè propemodum differt ab ea ſubſtantia per quam diſcurrunt ſidera; nihilominus, ſicut motus violentus corporum per aërem quò eſt concitatior eò vocaliorem ſonum edit ex alliſione; ſic fieri poteſt in motu ſiderum per vaſtiſſimum illud expanſum, vt ex alliſione corporum dulciſſimus concentus fiat, qui ad noſtras aures ob magnam diſtantiam non peruenit. Quod autem Irenæus, Epiphanius, Baſilius, & alij Patres, eam opinionem reiiciant, atque hæreſis ſuſpectam habeant dicendum eſt, cum Sixto Senenſi *lib. de Quæſtion. Phyſicis in diuinam Scripturam*, ipſos potiùs inuehi, non in ipſam cæleſtium ſonorum aſſertionem, ſed potiùs in friuolas rationes, quibus aliqui eam tueri annitebantur, & maximè in prodigioſa quædam figmenta, quæ impiè ex hoc concentu hæreticorum turba, præſertim Marcoſiorum inferebant.

140. Denique, an ex hoc cæleſtium corporum motu colligi poſſit ipſa eſſe animata quemadmodum credidit ipſe Philo, Origenes ac Hieronymus, & an id aſſerere ſit contrarium ſacræ Scripturæ, dicemus in V *Mundus*, cùm hic ſatis ſuperque pro noſtra inſtituta ratione fuerimus immorati.

141. Coitvs, congreſſus, conjunctio, & ſi qui alij ſunt dicendi modi apud Aſtronomos ſignificant conuenientiam, & adunationem duorum, vel plurium planetarum in vnum eundemq; gradum Zodiaci, aut in eundem circulum poſitionis coincidentiam, qua ſibi mutuò agunt, lumen conferunt, atque ad influendum tanquam vnum principium vniuntur. Quæ quidem conjunctio ſi fuerit exquiſita & in eodem gradu, dicitur partilis: ſi verò fuerit ad Orbem, ita vt ſphæra lucis vnius alterum comprehendat, dicitur platica: Qua de re fusè loquuti ſumus in V. *Aſpectus*.

142. Colvbramet, corrupto vocabulo apud Arabes ex Latinis ſumpto, dicitur corpus ſerpentis, ſeu etiam manus ſerpentarij, quæ in ipſum corpus ſerpentis incidit; ſtella videlicet fixa tertiæ magnitudinis de natura Saturni, & Veneris paruæ qualitatis, ac venenoſa alio nomine *Ted*; quæ nunc temporis exiſtit in gr 28 Scorpij, cum latitudine boreali ferè gr 18 Oritur Romæ cum gr. 18. eiuſdem Scorpij, occidit cum 20. Sagittarij.

143. Colvmba ſidus in cælo ad polum Antarcticum atque adeò nobis inuiſum conſtans ſtellis vndecim, quarum duæ præcipuæ ſunt in dorſo, quatuor inferioris conditionis in oliuæ ramo quem geſtat in ore; reliquæ infimæ notæ ſparſim per totum corpus. Hoc ſidus eſt vnum de duodecim quæ non ita pridem à Nautis Hiſpanis ad terram auſtralem nauigantibus dete-

ſta ſunt, atque alijs 48 imaginibus ab antiquis conſtitutis, adjuncta. Eſt nunc ſub ſigno Geminorum cum declinatione auſtrali ad gr. 40.

COLVRI dicuntur duo circuli maximi, quos imaginamur in cælo, tranſeuntes per Polos mundi, ac ſe mutuò ad angulos rectos ſecantes; quorum alter tranſit per puncta æquinoctialia Arietis, & Libræ, & dicitur Colurus æquinoctiorum; alter verò per puncta ſolſtitialia Cancri, & Capricorni, & polos Zodiaci, & vocatur Colurus ſolſtitiorum. Nominis etymon variè & ægrè nimis deducitur à pleriſque, præſertim ab Hipparcho & Ioanne de Sacroboſco: quod ideò lubens prætereo. Porrò eorum officium eſt, primò oſtendere quatuor principalia Zodiaci puncta, in quæ perueniens Sol, cauſat quatuor anni tempora, in quibus maximè mutationes fiunt. Secundò diuidere Æquatorem, Zodiacum, proindeque totum cælum in quatuor partes æquales: & Colurus quidem æquinoctiorum ſignat puncta æquinoctialia, ac diuidere Zodiacum in duas medietates, quarum altera ſit meridionalis, in qua Sol exiſtens efficit dies breuiores, altera Septentrionalis, vbi Sol facit dies longiores. Colurus autem ſolſtitiorum oſtendit puncta ſolſtitialia, ac metitur maximas Solis declinationes, quas habet in tropicis, vbi efficit diem longiſſimum, aut breuiſſimum. Oſtendunt etiam Coluri ſiderum ſe mutuò intuentium, aut obedientium ad imperantia habitudinem per eorum æquidiſtantiam hinc inde ab eodem Coluro, vnde eſt, quod eoſdem, aut pares deſcribunt parallelos, & æquali temporis ſpatio oriantur, & occidant, & inſuper in ijſdem partibus horizontis. Quæ omnia ægrè concipi poſſent, ni coluri in cælo conciperentur, quorum ope hæc omnia intelligamus. 144.

COMA *Berenices*, ſidus in cælo à Ptolemæo non conſideratum, ſed cum extremo caudæ Leonis confuſum, conſtans ſtellis vndecim ad colurum æquinoctiorum, eius cum luminaribus congreſſus oculis eſt infenſus. Vide ſub V. *Berenices*. 145.

COMBVSTVS dicitur planeta, quando eſt junctus Soli, non diſtans ab eo plus medietate ſuorum Orbium, tam ante quàm poſt: Hinc Saturnus erit combuſtus, quoties à Sole non diſtiterit plus gradibus quinque, Iupiter gr. ſex &c. Argolus verò contendit, combuſtionem non ex parte recipientis oriri, ſed à luce Solis, qui intrà ſphæram ſuam omnia arefacit, & exſiccat; ac proinde quodcumque aſtrum reperiatur intrà ſemidiametrum ſuæ lucis quæ eſt gr. 8. min. 30. dicendum eſſe combuſtum. Vtcunque ſit, parum refert: ſiue enim planetæ ſint intrà ſemidiametrum lucis Solis, ſiue intrà totam illius ſphæram, ſemper magis, ac magis deteriorantur, pro majore, ac 146

majore propinquitate: eorum enim virtus à Sole abſumitur, & eneruatur. Hac qui à combuſtione fit liber, adhuc tamen manere dicitur ſub radijs Solis, quia hæc vicinitas, licet non tantum, quantum combuſtio, nihilominus ſemper afferet aliquale detrimentum. Et quidem combuſtionem dicunt communiter importare ſex partes debilitatis, quatuor verò eſſe ſub radijs: quod tamen ego haud ità abſolutè contenderem, ſed potius gradus hoſce debilitatis computarem à majori vicinitate ad Solem. Cæterùm planeta combuſtus ſemper debilis eſt, ſiue

147. bonus, ſiue malus, ita vt in beneficis minuatur bonitas per combuſtionem, in maleficis autem malitia (quod malè aliqui non admittunt) dicentes peſſimam eſſe combuſtionem maleficarum, ni fortè dicere voluerint peſſimam eſſe ipſis maleficis, non autem nobis, cum per eam minus lædant, quando tota earum virtus eneruatur à potentia Solis, & ſi quam reliquam habeant, ea à Sole attrahitur; qui proinde earum qualitatibus imbutus euadit in fortuna, vel è contrà fortuna per combuſtionem beneficatum, intratque ipſe vices planetæ, qui intra fines illius Orbis exiſtens comburitur.

148. Combvsta *via* (neſcitur qua ratione) dicitur in Zodiaco totum illud ſpatium, quod eſt ab initio Libræ vſque ad dimidium Scorpij, ſeu potius vt volunt Recenſiores conſideratur in ſecunda medietate Libræ, ac toto Scorpionis ſigno: fortaſsè ob ſtellas fixas, maleficæ, & adurentis naturæ, quæ intrà id ſpatium reperiantur, quæ cum jam receſſerint à loco ſuo quod habebant tempore Ptolemæi, conſequenter benè jam & ipſa via combuſta priorem ſedem mutaſſe dicitur, & vlteriùs proceſſiſſe. Hoc igitur ſpatium longitudinis 45. ferè graduum reputatur maximè infortunatum, ac debilitat valdè planetam ibi repertum, & præcipuè Lunam: quod ideò in ratione detrimenti, & malitiæ, eſſe in via combuſta, Lunam, proximè accedit ad eius Eclipſin.

149. Cometa, ſeu *Cometes* dicuntur noua Phænomena in cælo, ſiue in aëris regione genita quaſi Coma, quam ſpecie præſefert: Vnde Plinius lib. 2. cap. 25. *Cometas*, inquit, *Græci, noſtri Crinitas, horrentes crine ſanguineo, & comarum modo in vertice hiſpidas.* Cicero illud vocat *Cincinnatum ſidus*, quia habet circumfuſos vndique radios, tanquam crines: quod licet proprium ſit certæ cuiuſdam ſpeciei, quæ repentè in cælo apparet, & dicitur *Roſa*, vſus tamen obtinuit, vt Cometes genericè accipiatur pro quocunque nouo oſtento, ac Phænomeno, ſaltem ex ijs quæ infrà Lunam apparent.

150. Et quidem hæc Phænomena non modò in aëris regione, ſed & in Cælo, atque in ipſo Firmamento gigni, jam modò apud

omnes Aſtronomos eſt ferè indubitatum, cum plurima viſa ſint omni prorſus parallaxi carere, ac fixarum ad vnguem motum, lumen, aliaſque paſſiones habere: ſed de his peculiaris conſideratio erit in V. *Phenomenon*. Hic autem comatæ nomine nos intelligimus, atque intelligi volumus ea tantum oſtenta, quæ in ſublimi aëre infrà Æthera generantur ex accenſis vaporibus, quos & trajectiones, & repentinos ignes, & volantia ſidera, & incenſas ſtellas appellant, ac Ptolemæus omnes ſub vnico Ctinitarum nomine comprehendit lib. 2. cap. 9.

Sic igitur acceptus Cometes definitur à Leopoldo, quod ſit *vapor terrenus habens groſſas partes fortiter conjacentes, aſcendentes per virtutem alicujus aſtri ad ſuperiorem partem, aſtus, regnorum, & aliarum rerum magnam alterationem ſignificans in hoc mundo* Ex qua definitione, ſeu potiùs deſcriptione liquet, cauſam efficientem Cometarum eſſe Solem, & aſtra attrahentia in ſublime vapores eoſque accendentia: qui proinde tandiù durant, quoad vſque tota eorum materia ardendo abſumatur. Quapropter ſemper cum apparuerit Cometa, ſignum eſt magnæ ſiccitatis, atque caliditatis: aliàs non poſſent aſtra è terra materiem tantam reſoluere, ſurſumque euehere: & ideò nil mirum ſi ſemper infauſta portendat, ſterilitatem terræ, famem, peſtilentiam, inundationes, & ſimilia. Vnde merito Claudian. cecinit: *Et nunquam terris ſpectatum impunè Cometem.* 151.

Poriò plurima oſtentorum genera expendit Plinius *lib. 2. cap. 25.* quæ tamen omnia poſſunt ad tres claſſes reduci, vel enim hæc nullam ſubſtantiam habent, ſed ex colliſione viſus apparent, vt ſunt Virgæ, Areæ, Halones, Iris; vel ſubſtantiam habent, vt Trabes, Iacula, &c. Vel denique ſunt medium quid mixtum vero corpore, & apparentijs, & hi retinent communæ vocabulum Cometæ. Ruſus iſti ſubdiuiduntur in Caudatos, Barbatos, & Crinitos. Caudati ſunt, cum materia exhalationis protrahitur in longum, & partes longius deorſum protenduntur. Barbati ſunt, quando maretia exhalationis eſt ſubtilis, & continua, & demittitur inferius. Criniti verò qui & Cincinnati dicuntur, ſunt quando materia exhalationis in medio eſt craſſioris ſubſtantiæ, & per circuitum ſubtilioris: tunc enim in medio apparet lumen magis denſum & in circuitu magis rarum, velut quidam cincinni. Ex his nouem præcipui enumerantur, Veru, Cænaculum, Pertica, Miles, Aſconas, Aurora, Argentum, Nigra, & Roſa. Quorum omnium naturam, cauſas, portenta, ſub proprio cujuſque nomine explicabimus. Exiſtimauit Democritus Cometas eſſe illorum Heroum mentes, qui poſtquam diù vixerunt in terris, tandem obituri extremos peragunt triumphos, aut in cælum ſtellatum 152.

quaſi ſplendida ſidera reuocantur, ac propterea, inquit, ſequuntur fames, morbi populares, & ciuilia bella, quaſi ciuitates & populi ducibus illis optimis, & gubernatoribus, qui diuiſos furores placabant deſererentur. Sed hæc inter Poëtarum figmenta cenſenda ſunt. Cæterùm de Cometis egregiè multi ſcripſerunt; imprimiſque Fortunius Licetus, Antonius Gattus, Io. Baptiſta Venantius, & Io. Camillus Glorioſus.

153. Commixtio, ex Abraham Iudæo, inter Aſtrologos eſt, cum duo planetæ præſertim diuerſæ naturæ, quales ſunt Mars, & Luna, Saturnus, & Sol, junguntur corpore: tunc enim fit quædam commixtio, & confuſio qualitatum, & reſultat tertia quædam veluti natura, quæ vt plurimum non bona eſt (niſi ſint conformis naturæ) tunc enim alter alterius vim retundit, confundit, minuitque opus.

154. Commvnia *ſigna* dicuntur, quæ duplici figura notantur, qualia ſunt Gemini, Virgo, Sagittarius, Piſces, eò quia cùm ſint in extremis finibus quatuor anni temporum, in quibus mutationes fiunt, participant de ſubſequentibus: ſic Piſces exempli gratiâ non tam hyemis finis ſunt, quàm Veris initium. Sub ſignis communibus affirmant Aſtrologi naſci Gemellos, aut bicorporea Monſtra.

155. Competentes *gradus*, ſecundùm Alcabitium, audiunt duæ partes ſignorum, quæ fuerint vnius longitudinis, ac diſtantiæ à punctis tropicis, aut æquinoctialibus, quod idem eſt ac ſi dicamus duo gradus ſe mutuò intuentes, aut verbi gratiâ 20. gradus Arietis cum 10. grad. Virginis: habent enim eandem declinationem, proindeque idem robur, ac fortitudinem: Qua de re abundè ſatis diximus in V. *Antiſcia*.

156. Complementvm *arcus* apud Geometras dicitur exceſſus ille, quo gradans arcum ipſum ſuperet, ſi is quadrante ſit minor, ſin minus, & ipſe quadrante ſit maior, jam reliquum illud, quo ipſe quadrantem ſuperat dicitur complementum arcus. Vid. *Clau. in ſphæram Proci.*

157. Concavvm dicitur quod intrinſecus habet regularem aliquam curuitatem; qualis eſt linea, & ſuperficies alicujus orbis, ſeu circuli, quæ intrinſecus, & ex parte quam ſuo ambitu includunt, ſunt curuæ. Hinc omnes orbes cæleſtes hanc duplicem curuitatem habentes, & extrinſecus, & intrinſecus, dicuntur concaui, & conuexi: conuexi quidem in ſuperficie exteriori, quà orbes ſuperiores tangunt; concaui verò quoad ſuperficiem interiorem, qua tangunt, & includunt orbes minores. Corpora autem planetarum, & globi quicumq; non poſſunt dici concaui, quia non habent ſuperficiem interiorem; bene verò conuexi, quia habent extimam, qua clauduntur & terminan-

tur. Vide Vitellion *in Opt. lib. 1.*

Concentricvm appellatur etiam omne id quod habet idem centrum cum alio : ſicut è contrà Eccentricum, quod habet diuerſum centrum. Hinc apud Aſtronomos concentrici vocantur illi orbes cæleſtes, quorum centrum idem eſt cum centro mundi : Eccentrici verò ij, qui licet terram circumdent, eorum tamen centrum diuerſum eſt à centro mundi: Vtrumque autem diuiditur in Concentricum, & Eccentricum ſimpliciter, & Concentricum & Eccentricum ſecundum quid. Concentricum ſimpliciter eſt quando vtraque ſuperficies orbis, & concaua, & conuexa eſt cumcentrica cum centro mundi : ſimiliter Eccentricum ſimpliciter, quando neutra ſuperficies habet centrum mundi pro ſuo centro. Eccentricum ſecundum quid eſt, quando Orbis ſecundùm vnam tantùm ſuperficiem, ſcilicet concauam, aut conuexam eſt concentricus mundo, ſecundùm alteram verò eſt Eccentricus : cuiuſmodi eſt Orbis augem deferens, qui proinde partim Concentricus, partim Eccentricus eſt. 158.

Conditionarivs apud Aſtronomos dicitur planeta ſequens conditionem temporis : vt ſi diurnus de die ſit ſupra terram; nocturnus verò de nocte luſtret ſuperius hemiſphærium. Præcipuè autem id in luminaribus vſurpatur : vnde & luminare conditionarium abſolutè dicitur illud, cui competit prærogatiua hylegij, & cæteris omnibus anteſertur, vt Luna de nocte poſt Solis occaſum: Sol in ſpatijs crepuſculinis, aut interdiu, &c. 159.

Confinivm, teſte Valla, idem importat, ac fines, ſeu termini planetarum : eſtque cum plures planetæ fuerint in ijſdem, aut in aliorum terminis conſtituti.

Congressvs *Coniunctio.* Vide in V. Coitus 160.

Co odromvs, Græcè dicitur planeta, præſertim Luna ſolitaria, cùm nulli alij applicat, ſiue corpore, ſiue radio. Quod eſt ratio quædam notabilis detrimenti in planetis maximè promiſcuis, quales ſunt Luna, & Mercurius, qui aliorum ſemper radio, & ſubſidio gaudent. Hæc autem paſſio à Latinis dicitur *Feralitas.* 161.

Constellatio eſt congeries plurium ſtellarum in certam quandam formam, & imaginem redacta, quales ſunt omnes Aſteriſmi, atque Imagines octauæ ſphæræ. Antiqui enim Aſtronomi ad fixarum naturam explicandam, earumque numerum diſtinguendum, ac memoriâ retinendum, colligarunt eas in plures imagines, quarum ſingulæ, ſui conſideratione, nos prudenter ad earum naturæ notitiam manuducerent : Qua de re vide quæ fuſiùs dicemus in V. *Imagines Cæleſtes.* 162.

Contactvs, teſte Valla, eſt conjunctio partilis duorum

planetarum, qui ſe corpore tangant; quæ, alio nomine, dicitur Agglutinatio, Synodus, &c. Verum Contactus dicit aliquid aliud quàm Synodus, & Conjunctio: Nam hæc tantum dicit, vt planetæ conueniant in vno eodemque gradu Zodiaci, aut in eodem circulo poſitionis, etiamſi corpore diſtent, & in latum: Contactus verò importat talem corporum conuenientiam, qua ſe inuicem tangant; & adhuc agglutinatio talem contactum, qui fit ad vnguem, ac propemodum penetratio.

164. Contaratos, & *Micros Contaratos* aliquibus, teſte Kirchero in Oedipo Ægyptiaco, audiunt duæ ſtellæ valdè præſignes, ſibi in rectum angulum reſpondentes, nec longè ab inuicem diſſitæ; Arcturus videlicet, & ſpica Virginis: Et ille quidem, quia corpore aliquatenus grandior, ſimpliciter Contaratos appellatur; hæc verò quia minor aliquantò, & ſitu apparet inferior, *Micros*, hoc eſt paruus, Contaratos dicitur.

165. Contrantiſcia vulgò audiunt paralleli declinationis ſecundarij, quos Imperantes, & Obedientes vocitamus: ſuntq; duæ partes ſignorum, quæ æqualiter hinc inde diſtant ab Æquatore; ita vt habeant eandem numero declinationem, regione tamen diuerſam: hoc eſt vna tot gradus declinationis borealis; altera totidem auſtralis. Atque in partibus Eclipticæ extrahuntur à ſigno oppoſito eius Antiſcij, & gradibus, qui ad triginta ſuperſint. Sic ponamus, Solem exempli gratiâ, reperiri in gr. 12. Arietis; eius Antiſcium erit in gr. 18. Virginis. Contrantiſcium etiam in gr. 18. Piſcium: habent enim eandem numero declinationem, ſed denominatione diuerſam. Porrò Contrantiſcia planetarum reputantur non ſecùs, ac eorum oppoſitiones; ſicut Antiſcia intuentia ſpeciem habent conjunctionis: Qua de re fusè diximus in V. *Antiſcia.*

166. Conversa *directio* eſt deductio ſignificatoris ad locum promiſſoris motu primi mobilis facta, contra ſucceſſionem ſignorum. Hujuſmodi directionem apertè admittit Ptolemæus *lib. 3. c. 14.* docetque imprimis per eam dirigendum eſſe Aphætam ad Cardinem Occidentis, *quia*, inquit, *Dominum vitæ abſcondit*, ſtellas verò interjectas, eorumque radios non occidere, ſed tantùm addere, vel demere aliquot annos ijs, qui generaliter per prorogatorem collecti ſunt, *quia*, ſubdit, *non ipſæ vadunt*

167. *ad prorogatorem, ſed prorogatos ad eas.* Quare non eſt audiendus Argolus, qui vult, Ptolemæum non majorem vim in hac directione conuerſa agnouiſſe, quam, quæ importat directionem aſcendentis ad oppoſitum Aphætæ. Cæterùm longè diuerſum eſſe hunc motum à motu directo, luculentiſſimè probat Titus in cæleſti Philoſophia *lib. 3. cap. 6.* vbi benè aduertit Cardines, qui ſemper fixi conſiſtunt, non poſſe dirigi hoc motu, ſed tan-

tũm moderatores, hoc eſt planetas, & Fortunæ partem, qui motu primi mobilis rapiuntur, atque ad loca promiſſorum deduci poſſunt, ſed tamen addit, hoc motu dirigi ſolum poſſe prædictos moderatores ad ſiderum radios acceptos in ſitu mundi, non autem in Zodiaco: Sed de hac re vide quæ fuſiùs diximus in V. *Directio.* Vocat autem Ptolemæus hunc dirigendi modum *Horinæum*, ſicut & rectum *Actinobolium*, de quibus etiam *ſuo loco*.

CONVEXVM, ex Vitellione *lib. 1. opt. defin. 3.* dicitur corpus ſeu ſuperficies, aut linea, quæ extrinſecus regularem aliquam curuitatem habeat: Qua ratione omnia corpora ſolida, & rotunda dicuntur conuexa: Similiter omnes orbes, & ſpheræ ſecundum ſuperficiem extimam, qua junguntur orbibus ſuperioribus; ſicut & iſti ex parte, qua illis junguntur, dicuntur etiam ſecundùm interiorem ſuperficiem, concaui. Circulus autem ſecundùm eandem lineam, qua efformetur, dici poterit concauus, & conuexus: Concauus quidem in ordine ad aream, quam circumambit, quia reſpectu illius habet intrinſecus curuitatem; conuexus autem extrà illam, quia habet extrinſecus curuitatem. Vide quæ paulò antè diximus in V. *Concauus*. 168.

CONVS propriè dicitur nux pinea, quæ ex lato in acutum definit. Hinc apud Geometras ſumitur pro figura ſolida quæ turbini contraria ſit, & ex acuto amplietur in latum. Eſt igitur baſis Coni circulus, cujus centrum per lineam rectam conceptam in ejus medio conjungatur cum apice ejuſdem coni, qui terminatur in puncto. Ad ipſum autem concipiendum præcipit Euclides, menti objiciendum eſſe triangulum, cujus manente vno latere eorum, quæ circa rectum angulum, circumductum triangulum in ſeipſum reuoluitur, vnde moueri cœperat circum aſſumptam figuram. Atque ſi quieſcens recta linea æqualis ſit alteri, quæ circa rectum angulum conuertitur; Conus ille ſit Orthogonius: ſi minor, ſit Amblygonius: ſi verò major, Oxygonius. Quorum differentiam in triangulis planis tradidimus ſuis in locis. Porrò axis Coni intelligitur eſſe linea illa quieſcens, circà quam triangulum voluitur, ac terminatur ad apicem Coni, & centrum baſis; cui Conus innititur. Vid. plura apud Clauium in Euclid *lib. 11. defin. 18. & ſeq.* 169.

COR *Cæli* dicitur gradus Zodiaci incidens in angulum medij cæli, hoc eſt, in lineam meridianam. Potiſſimùm id attenditur apud Arabes, aliosque ſeruantes modum æqualem in cæleſti Themate erigendo. Quandoquidem diuidebant Zodiacum in duodecim partes æquales, ſingulis domibus triginta gradus Zodiaci tribuendo, neglecto prorsùs æquatore. Quò fiebat, vt ſingulis domibus ſingula correſponderent ſigna, & 170.

eum numerò gradum, quem obtinebat horoſcopus, tenerent etiam domus ſuccedentes in conſequentibus ſignis; ac proindè gradus, qui incidebat in cuſpidem domus decimæ non ſemper erat idem, ac qui ex amuſſi cadebat in lineam meridianam (qui ſolus dirigendus erat per aſcenſiones rectas) ſed quandoq; longè diuerſus, ac diſtans. Vnde ad eum dignoſcendum, ſeorſim ſignabant in decima, hoc vocabulo prænotantes: *Cor cæli.*

171. Cor *Hydræ.* Arab *Alphard*, ſtella fixa primæ (alijs ſecundæ) magnitudinis de natura Saturni, & Veneris, exiſtens in gr. ferè 23. Leonis cum latitud ne auſtrali totidem ferè graduum. Hæc cum ſit naturæ mixtæ ex contrarijs qualitatibus, Saturninis tamen prædominantibus, affert humorum inſitam in ipſa natura corruptionem, præſertim cum malo radio Veneris, aut Saturni: Et ſi in alicujus ortu cum Anæreta fuerit, portendit venenum. Oritur Romæ cum gr. 2 Virginis.

172. Cor *Leonis*, Regulus, Baſiliſcus. Arabicè *Kalb Eleced*, ſtella fixa ſeu primæ, ſeu ſecundæ magnitudinis, ſed tamen ob ſui præſtantiam inter primas, & præcipuas computata, de natura Martis, & Iouis conſiſtens in Ecliptica, atque in longitudine in gr. 25. Leonis primi mobilis. Eſt princeps, & potiſſima inter ſtellas regias, quæ in horoſcopo, medio Cæli, aut cum luminaribus reperta, amplam fortunam, magnoſque ſemper honores pollicetur. Nihilominus eſt etiam abſcindentis naturæ ob participationem cum Marte, vt proinde in horoſcopo, aliquam ſemper afferat corporis diſcratiam. Oritur Romæ atque in cæteris Orbis partibus (cùm enim conſiſtat ferè in Ecliptica, paruam differentiam importat) cum gr. 25. Leonis, cum eodemque mediat Cælum, & occidit: Vide amplius in V.V. *Baſiliſcus*, & *Regulus*.

173. Cor *Scorpij*, Græcè *Antares*, ſtella fixa Regia, ſed tamen violenta primæ magnitudinis de natura Martis, & Iouis, exiſtens nunc temporis in gr. 5. Sagittarij, cum totidem ferè latitudinis meridionalis. Eſt item venenoſæ naturæ, abſcindens & humorum corruptrix. Ea tamen in horoſcopo reperta cum Luna, inquit Stadius, immenſas tribuit diuitias, facit ductorem militum, atque ad magnos honores euehit Si verò cum Marte, aut cum Saturno fuerit, bella, & labores portendit, grauesque cauſas irarum. Eſt oppoſita ex diametro Pallilitio, ſeu oculo auſtrali Tauri, primæ item magnitudinis, ac regiæ; vt proinde mirum non ſit, ſi in præcipuis figuræ cardinibus reperta magna promittat, quippe quæ ſignificationes cum illa commiſcet. Oritur Romæ cum gr. 8. Sagittar. occidit verò cum 28 Scorpij.

In Corde *Solis* dicitur eſſe planeta, cùm non diſtiterit ab eo

plus min. 19 quantum videlicet importat aggregatum ſemidiametrorum diſci ſolaris, & ipſius Planetæ. Apud Arabes dicitur eſſe in Cazimi. Vide *ibi*.

CORONA *Auſtr.na* ſidus eſt in cælo ad auſtralem plagam (ſic dicta ad differentiam Septentrionalis) alio nomine Rota Ixionis, conſtans ſtellis tredecim, omnibus ferè de natura Saturni, & Martis, atque exiſtens nunc temporis in longitudine in principio Libræ. Ea in horoſcopo ob ſtellarum inibi conſiſtentium malignitatem tantumdem malorum affert, quantum boni decernunt ſtellæ de natura Iouis, & Veneris, oppoſitis vtique rationibus. 175.

CORONA *Septentrionalis* dicta Gnoſſia, Ariadnes &c. Sidus in cælo ad borealem plagam propè Bootem conſtans ſtellis 8. at Keplero, & Baiero oculatioribus omninò 20 ob ſui pulchritudinem, ſplendorem, varietatem, ferè omnium quæ ſunt in cælo ſiderum celeberrimum, atque omnium ferè nationum ſummis laudibus decantatum. Quippe quæ apud Perſas dicitur *Piramis*, hoc eſt *ſertum pupillæ*, apud Arabes *Alphecca* ſeu *Alphetal* id eſt aperitio, aperit enim ſuo exortu iucunditatem Veris, & prata floribus cælum ipſum tribuit æmulari: ad quod fortè alluſiſſe viſus eſt bellè Muretus, cùm cecinit: 176.

*Eſſe roſas cæli meritò quis dixerit Aſtra?*
*Aſtra, ſed & terræ dixeris eſſe Roſas.*

Inter præcipuas ſtellas eſt quæ Arabicè dicitur *Mumir*, ideſt pupilla ſecundæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij exiſtens nunc temporis in gr. 28. Scorpij cum latitudine boreali gr. ferè 41. De ea horoſcopante ita eleganter cecinit Manilius lib. 5. Aſtronom.

*Clara Ariadneæ quondam monumenta coronæ*
*Et molles tribuent artes, hinc dona puellæ.*
*Namque nitent: illic oriens eſt ipſa puella.*
*Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum,*
*Pallentes violas, & purpureos hyacinthos,*
*Vernantiſque roſæ rubicundo ſanguine florem;*
*Aut varios nectet flores, ſertiſque locabit.*
*Effingetque ſuum ſimiles: in mutua preſſos*
*Incoquet, atque Arabum ſiluis mulcebit odores*
*Et medios vnguenta dabit referentia flatus*
*Vt ſit adulterio ſuccorum gratia maior.*

Hæc ille; quibus olim ego ipſe piè ludens in Diui Stephani Protomartyris adornandis laudibus vſus ſum: dictaque eſt Panægyris, editaque Patauij anno 1657. Porrò corona hæc non adeò innocens atque amabilis, vt non aliquid mali afferat, nam producit ventos, & pluuias, & tempeſtates in mari facit: 177.

atque eius ortus matutinus cum Sole facit aërem frigidum, turbidum, & ventoſum.

178. CORONÆ in plural. dicuntur ab aliquibus circuli altitudinum, Arabicè *Almicantharath.* Paralleli nempè ad horizontem atque ad verticem terminantes, quorum ope ſiderum altitudines dimetimur, eò quia ſinguli inſtar coronæ circumdare videntur verticem, aut horoſcopum. Vide in V. *Almicantharath.*

179. CORONÆ etiam Latinè dicuntur, quæ à Græcis *Halones*, ſpecies quæ iam accenſionum, quæ in ſublimi videntur circà corpora ipſa ſtellarum, præcipuè verò circà luminaria: eas fieri inquit Vitellion in vapore leuiter condenſato. Vapor enim iſte à ſidere attractus in ea aëris regione, quæ ſideri immediatè ſubeſt ab incidentibus eius radijs illuſtratur, & fulgorem illum facit, ſimilem prorſus ei, quem videmus in Atmoſphæra circà horizontem in aurora, & poſt Solis occaſum, & vocamus lucem crepuſculinam. His affine eſt parelium, quod eſt Solis reuerberatio in nube rorida; ita vt alium Solem repræſentet. Porrò coronæ hujuſmodi circà Solem ſemper ventorum præſagia ſunt, ex ea parte ſpirantium: vnde ipſæ diſſipari cœperint.

180. CORPVS Geometricè definitur, quod ſit magnitudo, quæ poteſt tribus diametris ſeſe ad angulos rectos interſecantibus menſurari; per quod explicatur trina dimenſio, qua conſtituitur corpus in ſuo eſſe longum, latum, & profundum.

181. CORVS, ſiue *Caurus* ventus eſt Occidentalis, lateralis, Fauonio ſpirans ab ortu ſolſtitiali, Aquiloni directè oppoſitus, ſic dictus à ſiccitate: eſt enim ab initio ſiccus, licet poſteà euadat frigidus, & humidus: Flare ſolet in æquinoctio autumnali cum maxima violentia, adducens procellas niues, grandines, atque interdum fulgura. Eò potiſſimùm infeſtatur Apulia: etſi ſpirauerit ſereno cælo, nubila plerumque ſpectantur in Oriente. A Græcis *Argeſtes* dicitur à procellis, quas excitat, item & *Sciron* à rupe quadam vnde ſpirat, nec-non & *Olympias* à monte Olympo.

182. CORVVS ſidus in cælo ad auſtralem plagam circà Colurum æquinoctiorum ſub ſigno Libræ continens ſtellas ſeptem de natura Veneris, & Saturni, quarum præcipua eſt quæ in ala dextra malignantis naturæ Arabicè *Algorab* tertiæ magnitudinis, quæ Romæ oritur cum gr. 13. Libræ, occidit verò cum 7 Virgin.

183. COSMICVS idipſum ſonat Græcè, ac Latinè Mundanus: ſed potiſſimùm vſurpatur de ortu, & occaſu ſiderum matutino. Et ortus quidem coſmicus eſt, quando ſignum, aut ſtella mane vnà cum Sole ſuprà horizontem aſcendit: vt Romæ canis major Sirius, verbi gratiâ dicitur oriri coſmicè; quia mane circà Kalendas Auguſti cum Sole emergit ex horizonte. Impropriè

vero dicuntur oriri coſmicè omnia aſtra, quæ interdiu ſuprà noſtrum hemiſphærium aſcendunt, Sole adhuc ipſum tenente. Occaſus autem coſmicus propriè, & rigoroſe dicitur quando ſtella aut ſignum aliquod manè occidit, atque infrà horizontem deprimitur, dum Sol eodem tempore in cardine Orientali oritur, & emergit: At enim impropriè dicuntur etiam occidere coſmicè ea omnia ſidera, quæ de die ſubter occiduum cardinem labuntur. Hujuſmodi ortus, & occaſus ſiderum paſſim mentionem faciunt Poëtæ, ac præſertim Virgil. in Georg.

COSMOGRAPHIA dicitur artificioſa mundi deſcriptio, ſeu 184.
delineatio cælorum ſimul, terræque rationem continens, & connectens. Eius quippe munus eſt indicare, quotum cæli ſpatium quibuſvis terræ extantis partibus correſpondeat, & è contrà: Regiones & oppida, amnes & maria, montes & valles enumerare, locorum terminos conſtituere, quæ longitudo, quæ latitudo Geographica, quæ item Gnomonum differentia, vmbrarumque pro latitudine locorum projectio, vnde longitudo, vel dierum breuitas, horarumque interualla expiſcari poſſint, ſtatuere & explicare. Docet inſuper quæ ſidera ſint Polis finitima, quæve in Arcton, quæve in Meridiem flectant: eorumdem ortus & occaſus pro diuerſis locorum poſitionibus cenſet: Denique, vt vno verbo dicam, eſt Aſtronomiæ, Geometriæque ſumma ad praxim redacta, & complanata. Ei adeò affinis eſt Geographia, vt ſæpenumero tum ab ſcriptoribus exteris, tum etiam ab ipſis Profeſſoribus vna alterius nomine appelletur, ac ſæpiſſimè confundantur. Reuerà tamen Coſmographia eſt ſcientia abſtractior, atque vniuerſalior: procedit enim certioribus, & vniuerſalioribus principijs per certa quædam principia ab Geometria deſumpta: Geographia vero, quia magis ad praxim tendit, eſtque rebus vti de facto ſunt, & mutationi ſubjacent alligata, eſt etiam cum ipſis rebus, de quibus agit, mutationi obnoxia, & Coſmographia inconſtantior. Nam ſæculorum decurſu, multifariaque illuſtrium ſcriptorum traditione, nec ſemper conſona ſibi, nec certa eſt, cum locorum enumerationi hiſtoriam attexat, atque vt plurimum, quæ Ciuitatum, quæ Gentium, quæ Nationum, quæ populorum origo fuerit, vndeque rebus indita nomina ſint explicat: tum & inſignia quæque naturæ opera enarrat, atque in terræ ſitu deſcribendo vberior eſſe ſolet quàm ſua parens Geographia: Vt profectò hæc differentia inter has nobiliſſimas ſcientias dignoſcatur, vt quemadmodum Geographia rerum vſui, ac prudentibus, ita Coſmographia accommodatior ſit earumdem peritiæ, atque hominibus ſapientibus.

COZIMON, & *Caſmen* apud Ægyptios appellantur nodi luna- 185.

res, caput videlicet, & cauda Draconis: de quibus abundè diximus ſuo loco.

CR

186. Crater, Patera, Vrna, Vas, &c. dicitur ſidus ad auſtralem plagam ſupra corpus Hydræ, Arabicè Pharmaz vel Elkis, ſeu etiam Eluarad, conſtans ſtellis ſeptem ſecundùm Ptolemæum; at juxtà Keplerum octo, & ex Baieri obſeruationibus vndecim, quæ omnes ferè ſunt de natura Saturni, & Veneris. Earum præcipua eſt, quæ in fundo vaſis terriæ magnitudinis; quæ in horoſcopo alicujus reperta (inquit Firmicus) faciet, vt ille campos colat, & fontes, aut riuos, ſeu fluuios ab alueo ſuo ad alia loca deducat. Is erit quoque vinearum amator, & qui infæcundis arboribus fæcundos inſerat ſurculos.

*Inde meri genialis amor, ſtudiumque bibendi.*

Subdit perbelle Pontanus in ſua Vrania. Quod ſi reperta fuerit in occaſu, ſine vllo maleficarum aſpectu, portendit mortem inter epulas, & ebrietates: cum malo vero radio maleficarum, præſertim Saturni, præfocationem in aquis, aut in dolio vinario: Hæc Firmicus.

187. Crepvscvlvm dicitur dubia illa, & ſuboſcura lux, quæ mane ante Solis ortum, & veſpere poſt illius occaſum conſpicitur in partibus horizontis ad Orientem, & Ocidentem (creperum enim Antiquis idem ſonabat, ac dubium) Vnde & matutinum, & veſpertinum Crepuſculum appellatur. Abſolutè tamen ſumitur pro veſpertino, quoniam matutinum proprio nomine Aurora poſtmodum dictâ eſt: de qua ſuo loco dictum. Cauſa huius ſuboſcuræ lucis eſt interfuſa circà tellurem vaporum congeries, quam rectè Atmoſphæram vocamus, quæ cum aërem craſſiorem ſuis halitibus reddat, inde eſt, vt is ſolares radios non exquiſitè tranſmittat, ſed aliquatenus detineat, ac reflectat; proindeque conſpicuus reddatur, ac lucem Solis acceptam vniuerſæ terræ communicet. Porro quoniam aſtra non influunt, niſi per lumen, & juxtà majorem, aut minorem lucis intenſionem, & extenſionem diuerſimodè agunt in hæc inferiora, vt luculenter in loco probatum eſt; ideò

188. acutiſſime P. Titus in *Cœleſti Philoſophia* demonſtrat, Solem in ſpatijs crepuſculorum repertum dirigendum eſſe non in circulis horarijs, ſeu poſitionis, in quibus fiunt proportionales diſtantiæ à cardinibus, ſed in circulis parallelis ad horizontem, in quibus jugiter, & ſucceſſiue magis, ac magis ſemper intenditur aut remittitur gradus lucis vſque ad primum parallelum, ſeu ipſum finitorem, in quo Sol conſtitutus clariſſime micat; vel vltimum parallelum depreſſionis gr. 18. ſub finitore, vbi deſinit illa lux, & incipit ſpatium noctis obſcurum;

niſi

niſi fortè ob nimiam ſphæræ obliquitatem, & Poli altitudinem, vt accidit in Noruegia, & reliquis locis borealibus circà Polum, in æſtate Sole exiſtente in Cancro tota nox ſit crepuſculina luce perfuſa. In quo caſu ingenioſè aduertit Adrianus Neguſantius Solem ſemper euadere vitæ moderatorem, etiamſi in Zodiaco, & æquatore triginta & plus gradus ab gradu horoſcopante diſtiterit: nunquam enim tantum ſubtus horizontem deprimitur vt à linea aſcendente diſtet plus gr. 18. vnde jure optimo in ſitu mundi computari debet in aſcendente, atque adeo in loco prorogatorio. Nam in crepuſculo veſpertino non eſt idoneus, niſi intrà quinque tantum gradus ſubtus occaſum, iiſque coſmicè non in Zodiaco, aut in æquatore computatis. Porro quomodo dirigendus ſit Sol exiſtens in ſpatiis crepuſculorum tradit ipſemet Titus *lib. 3 cap. 14. can. 5.* & clarius in *primo Mobili, can. 20.* adjecta ad finem tabula crepuſculorum ab gradu 38. eleuationis Poli vſque ad grad. 60. 189.

Sed enim, vt ad ſuboſcuram illam lucem, quam diximus in Atmoſphæra fieri ob ſolares radios interceptos, reuertamur; præſtat hic curioſam nec omnino injucundam quæſtionem exponere: Qui, inquam fiat, vt poſt crepuſculum veſpertinum, quando lux illa ſuboſcura deficit, Sole decem & octo gradibus infrà horizontem depreſſo, ac mane etiam antelucanis horis immediatè ante quam Sol lineam crepuſculinam attingat, tenebræ magis magiſque intendantur; aërque per ſemicirciter horam obſcurior fiat, quam in reliquo noctis ſpatio; cum potiùs ratio expoſtulare videatur, id circà medium noctis, quo tempore Sol minus valet aërem circumfuſum ſuis radiis illuſtrare ob terreni corporis interpoſitionem, debere maximè euenire. Quænam igitur cauſa eſt, cur non id media nocte accidat, ſed immediatè poſt crepuſculum veſpertinum, & manè ante auroram; vt vel hoc vnum vbi alia ſigna deſint, euidentiſſimum ſit aduenantis Auroræ? Hoc autem certiſſime euenire, quiuis pro ſuo libitu experire poteſt, ſereno cælo, & luna ſilente, quando ipſa ſua luce non valet tenebras iſtas diſcutere, prout ego ſæpiùs obſeruaui. Huius arcanæ obſcuritatis obſcuriſſimæ quæſtioni non obſcure reſpondet eruditiſſimus Cabæus *in Meteoris tono primo ſuper textum Ariſt. 50.* Quia, inquit, *Cum Sol circà terram rotari intelligitur, intelligimus etiam terram vtpote corpus opacum, proiicere conum vmbroſum in partem obuerſam Soli; dumque Sol moueri intelligitur infrà terram, intelligimus etiam conum vmbroſum circumferri, vt noua pars aëris terra circumfuſa ſemper obſcuretur, & noua illuminetur. Dum igitur Solis radius partem aëris ferire incipit, rare-*

*facit etiam : rareſactus aër maiorem requirit locum, & conſequenter partes vicinæ verſus vmbram terræ denſantur; ex alia enim parte ſemper magis rareſiunt ex maiori lumine, vaporeſque ex ſpeciali inſtinctu refugiunt illam lucem, vtpote quæ illos magis attenuat, & à denſitate, ad quam natura impetu tendunt, retardat, & ſe trahunt ad conum vmbroſum, & hinc intenduntur tenebræ antelucanæ dum lucis radij accedunt ad vapores, qui nobis auroram creant : immò ex hoc rationem habebis trium effectuum, quos quiſque experitur : Primus effectus eſt roris antelucani : ex illa enim condenſatione aëris, & fuga vaporum, ex vicini aëris rarefactione, & illuminatione conſurgente, fit corpus illud grauius, & conſequenter ima petit, & decidit ros aere quieto. Secundus effectus eſt maius frigus ſemper quacumque anni tempeſtate ſub auroram, quam qualibet alia noctis hora; hoc autem oritur ex illa condenſatione aeris ad confinium coni tenebroſi propter rarefactionem illuminati in proximo aeris. Tertiò communiter ſolet ventus ſeu aeris commotio ſentiri ſub auroram; quæ commotio oritur ex illa condenſatione, & rarefactione aeris.* Hucuſque Cabeus ſatis ingenioſè : ſed de roris efformatione, vide quæ infrà dicemus ſuo loco.

190. Critici *dies* à Græco verbo Criſis (quod Latinè judicium ſonat) ij appellantur, in quibus de morbis aduenıantibus judicium aliquod fieri poteſt, quem finem, ſeu bonum, ſeu malum ſortiri debeant. Nos decretorios vocamus, eò quod his præſertim diebus accidit extraordinarius quidam conflictus naturæ cum morbo, & acrior pugna, vt vel exinde appareat, quiſnam ſit de altero reportaturus victoriam. Tales ſunt, in quibus Luna peruenit ad ſuos quadratos, oppoſitum, & locum radicalem, quem tenuit initio morbi. Hinc Medici omnes obſeruant ſeptimum quemque diem 14. 21. 27. quia totidem ferè dierum ſpatio Luna peruenit ad ſuum quadratum ſiniſtrum, oppoſitum, quadratum dextrum, ac tandem ad ſuum locum radicalem. Verum, quoniam Lunæ motus in Zodiaco non eſt æqualis, aliquando enim citiùs aliquando tardius peruenit ad huiuſmodi radios; ideò alij peritiores, id non ex numero dierum auſpicantur (licet vt plurimum hujuſmodi configurationes ſeptimo quoque die accidant) ſed à reali, ac verò Lunæ motu; ita vt prima criſis quandoque præcedat, & ſexto die accidat, quandoque etiam retardetur ex tardo motu

191. Lunæ, & cadat in octauum diem : & ſic de ſingulis. Quare ſolertem Medicum expedit ſemper Ephemeridas præ manibus habere, & ſiderum motus, præſertim Lunæ, in dies ſingulos obſeruare, vt probè ſuo munere fungi valeat, & ex aſtrorum poſitu diſcat medicamenta ægris, congruis temporibus ſub-

miniſtrare. Præterea extra dies criticos, ſunt & alij, quos vocant indicatiuos, in quibus accidit indicium aliquod, & initium futuræ criſis. Huiuſmodi ſunt quartus à die morbi, vel circà, qui eſt ſeptemi indicatiuus, quo tempore Luna peruenit ad ſuum ſemiquadratum: (eſt enim aſpectus iſte licet aliàs imperfectus in hoc caſu minimè negligendus, cum ſit quadrati prodromus) item vndecimus, aut circà, qui eſt quartidecimi indicatiuus, in quo Luna ſuum ſeſquiquadratum tenet, & eſt oppoſitionis inchoatio, & indicium: tandem reliqui duo dies intermedij inter oppoſitionem, & reditum ad locum ſuum radicalem, in quibus Luna permeat ſecundum ſeſquiquadratum, quod eſt indicium futuræ criſis in ſecunda dichotoma, & in quo peruenit ad vltimum ſemiquadratum, quod eſt indicium eius, quæ fiet, mutationis cum Luna erit in ſuo loco radicali initio morbi. Denique non prætereundi 192. ſunt reliqui dies in quibus Luna tranſit per omnes alios radios, præter modò enumeratos, quales ſunt Sextiles, Trini, Quintiles, & Biquintiles ad locum ſuum radicalem, qui cùm ſint natura ſua boni, faciunt, vt natura in ijs roboretur, & vires acquirat ad reſiſtendum morbo, ſicut è contrà in alijs priùs enumeratis, cum ſint natura mali, morbus augeſcit, atque iiſdem armis, quibus naturam aggreſſus fuerat, denuò viribus potens factus, oppugnat. Et ideò Ptolemæus (ſiue quicumque alius ſit Centiloquij auctor) *in propoſit. 60.* præcipit inſpiciendam eſſe in morbis Lunæ peragrationem in figura ſexdecim laterum, ſic inquiens. *Super ægrotis criticos dies inſpice, ac Lunæ peragrationem in angulis figuræ ſexdecim laterum: Vbi enim eos angulos benè affectos inueneris, benè erit languentis contrà malè ſi afflictos inueneris.* Vbi per figuram ſexdecim laterum omnes Lunæ poſitus ad locum ſuum radicalem ſignificare voluit (vt nos in loco explicabimus) qui omninò ſexdecim ſunt, vt Keplerus acutè docet, ac felici omine diſcooperuit ex chordarum ad inuicem conſonantia: duo videlicet Sextiles; duo ſemiquadrati; totidem Quintiles, bini etiam quadrati, bini tetragoni ac tandem bini ſeſquiquadrati, qui omnes vnà cum oppoſitione & reditu ad locum ſuum, ſexdecim angulos irradiationis ſeu familiaritatis conſtituunt. Qua de re plura in Verbo *Figura ſexdecim laterum*. Scripſit *de diebus Criticis* inſigne volumen Andreas Argolus, qui lib. 1. cap. 21. aliquorum, ex his radijs mentionem facit (etſi alias non admittat, niſi communiter vſitatos) & vocat indicatiuos.

Crotvs idem quod Centaurus ſidus in cælo ad Auſtralem 193. plagam nobis inuiſum, de quo alibi dictum. Eo vtitur verbo

I ij

Ioſephus Scaliger ad Manilium.

194. Crvx Hiſpanicè *el Cruzero*, ſidus de nouo ab noui Orbis detectoribus diſcoopertum, ſub ventre Centauri ad auſtralem plagam, habens ſtellas quatuor in formam Crucis, quæ antiquitùs erant informes, vna cum alia quartæ magnitudinis circà ipſas. Nunc autem felici Crucis imagine inſignita nauigantibus ad Auſtri oras in bonum omen cedit, quippe qui ex eius conſpectu iter inſtituunt, ſicut noſtri antequam acus magnetica reperiretur ex aſpectu ſtellæ polaris.

CV

195. Cvbvs apud Geometras eſt figura ſolida ex omni latere quadra, proindeque ſex quadratis æqualibus comprehenſa, quales ſunt taxilli, & teſſeræ, quibus in alueolo luditur. Dicitur
196. etiam Cubus apud Arithmeticos numerus æqualiter vtrinque æqualis, hoc eſt, qui ſub duobus æqualibus numeris continetur: de quo alibi dictum eſt.
197. Cvlmen apud Aſtronomos antonomaſticè audit Medium Cæli, linea meridiana, & angulus decimæ domus; eò quod ad eum peruenientes planetæ, atque alia ſidera ſummam altitudinem habeant, ac veluti in cæli faſtigio collocentur. Significat apud Genethliacos imperia, dignitates, officia publica,
198. opificium, matrem. Ratio autem, quare culmen ſit naturalis actionum ſignificator, atque inde dignitatum, officij Regni &c. eſt quam ingenioſè tangit P. Titus in Cæleſti Philoſophia lib 1. cap. 17. concluſ. 8. *Quia*, inquit, *Luminaria, quæ ſunt principales rerum omnium moderatores, ibi producunt qualitates maximè actiuas: etenim propè ſunt nobis, quam poſſint eſſe. Sed ex propè eſſe, ſequitur intentio qualitatis actiua, quia ex intenſione actiuitas. Quare eodem prorſus modo, quo Luminaria influunt qualitates vitales ab ortu; influunt etiam qualitates actiuas à culmine.* Atqui ex maiori actiuitate actionum claritas: ex hac, gloria, & laus: ex his tandem honores, & dignitates proueniunt, vt benè aduertit erudititiſſimus Pater Auerſa in declarationibus factis ex decreto ſacræ Congregationis ad eadem opera Titi. *Qualitas enim actiua*, inquit, *ex ipſa actione ſe manifeſtat.*
199. Cvrsv *vacuus* dicitur planeta, apud Aſtronomos, quandocumque fuerit ab alio ſeparatus, nec prætereà applicat alteri, ſiue corpore, ſiue radio, ſed eſt veluti ſolitarius & mærens aliorum auxilio deſtitutus, adeoque hæc paſſio inter majora detrimenta computatur, quæ à Latinis dicitur *feralitas*, & ea maximè in Luna attenditur.
200. Cvrsv *velox*. Vide *directus*, *Auctus numero*.
201. Cvrvilinevm dicitur apud Geometras omne id, quod con-

ſtat lineis curuis, vt ſunt trianguli, & quadranguli conſiderati in cæleſtibus, qui omnes ſunt curuilinei, cum efformentur ex arcubus circulorum: Qua de re vide in V. Angulus.

Cvspis Latinè dicitur quidquid in acumen deſinit. Hinc 202. quia Cæli diuiſio in duodecim domicilia ratione arcuum circulorum, ea in quaſdam veluti cuſpides terminat, hinc factum eſt, vt apud Aſtronomos ſingularum domorum initia Cuſpides appellarentur. Et quatuor quidem puncta ortus, & occaſus, Medij Cæli, & Imi, Cardines ſeu Anguli dicerentur, reliqua verò domorum initia ſimplex cuſpidum vocabulum retinerent. Porrò ſingularum domorum ſpatium triginta æquatoris gradibus menſuratur, facta ex æquo diuiſione: quæque Zodiaci pars intercipitur intrà ſingularum domorum ſpatia, conſtituere dicitur talem domum, quæ etſi, vt modo dixi comprehendat ſpatium interjectum inter vnam & alteram cuſpidem, eius tamen initium computatur à quinque præcedentibus gradibus æquatoris, & protenditur vſque ad grad. 25. eiuſdem domus; ita vt planeta, qui reperitur in grad. 20. Leonis verbi gratiâ in Zodiaco, habeatque prætereà aſcenſionis rectæ grad. 142. atque in angulum Medij Cæli incidant grad. 24. eiuſdem Leonis, etſi non peruenerit ad lineam meridianam, atque ad cuſpidem domus decimæ, nihilominus dicetur, & reputabitur eſſe in decima domo.

## CY

Cyclvs Græcè, Latinè circulus abſolutè dicitur: magis 203. tamen preſsè accipi ſolet pro integra reuolutione certi cujuſdam numeri annorum per orbem, donec ad initium redeat: vnde & Cyclus ſolaris, & Cyclus lunaris, & Cyclus decennouennalis aurei numeri, quorum vſus, & ſermo frequens in Kalendarijs.

Cyclvs *ſolaris* eſt reuolutio annorum 28. ad inueniendam 204. literam Dominicalem; eò quod iſtæ poſt 28. annos eodem prorſus ordine, ac priùs, redeunt. Hoc Cyclo vtebatur Eccleſia ante correctionem Gregorianam ad inueniendam literam Dominicalem: ſed poſteà longè facilius, & expeditius inuenitur, vt videri poteſt apud Clauium in Computo Eccleſiaſtico. Nihilominus ſi quis hoc cyclo ſolari voluerit vti ad literam Dominicalem reperiendam, facili negotio id poterit. Siquidem anno Domini exhibito adijciantur nouem, & numerus inde compoſitus diuidatur per 28. nam numerus, qui ex diuiſione relinquitur, erit numerus Cycli ſolaris. Quod ſi nihil ex quotiente remaneat; ſignum eſt, quod tunc numerus

Cycli erit integra reuolutio annorum 28. Numerus autem quotiens, indicat quot reuolutiones Cycli ſolaris à Chriſti ortu, vſque ad annum propoſitum, excurſæ ſint. Alium item modum inueniendi huius Cycli ſolaris in digitis manus: vide apud eundem Clauium in reſtitutione Kalendarij.

205. CYCLVS *lunaris* eſt reuolutio, & ſucceſſio 19. annorum, quibus expletis, redeunt lunationes ad priſtinam in Kalendario ſedem, hoc eſt ad locum vbi erant prius, & concordat annus lunaris cum ſolari: qua de re fusè diximus in V. Annus Metonicus.

206. CYCLVS Aurei Numeri. Vide in V. Aureus Numerus.

207. CYCLVS Epactarum. Vide in V. Epacta.

208. CYGNVS, vel rectiùs *Cycnus* olor Gallina, Ouidio Miluus, ſidus in cælo ad borealem plagam ſecùs Aquilam intrà Galaxiam continens ſtellas ſeptemdecim iuxtà Ptolemæum, & duas informes circa alas, at Keplero ſunt 27. & Baiero omninò 37. omnes de natura Veneris, & Mercurij; inter quas præcipua eſt Cauda, Arabicè *Azelfage*, vel corruptè *Deneb Adigege*: de qua alibi dictum. Totum verò ſidus, dicitur *Eldegiagich* hoc eſt gallina, ſicut etiam *Hierezim*, ideſt Roſa, vel

209. lilium redolens. In huius pectore anno 1600. apparuit noua ſtella, quæ diù manens, tandem anno 1621. ſenſim euanuit, relinquens in ſuo loco quemdam hiatum, qui ad hæc vſque tempora cernitur. De ea multi ſcripſere, & nos non nihil dicemus. in V. *Phænomenon*. Porrò Cygnus in horoſcopo; inquit Pontanus in Vrania, inclinat ad aucupium, ad inſidias auibus parandas, nec-non etiam ad cantus eorumque voces imitandas.

210. CYLINDER, ſeu *Cylindrus* eſt figura Geometrica ſolida, oblonga quidem, ſed ad latus vndequaque rotunda; ita vt circulis æquè diſtantibus, & circulari ſuperficie contineatur: Vnde eſt, quod cylindri baſes ſint circuli ipſi in extremis cylindri poſiti. Hinc quæuis columna cylindrica dici poteſt. Nomen hauſit ex Græco ἀπὸ τοῦ Κυλίνδρειν, quod Latinè voluere interpretatur.

211. CYNOSVRA Græcè, quaſi cauda Canis dicitur ſidus in cælo Polo mundi arctico proximè adjacens, quod nos Vrſam minorem vocamus ad differentiam maioris, quæ non multò poſt ſequitur, & capite verſus huius minoris caudam voluitur. Conſtat ſtellis conſpicuis omninò ſeptem, vnde & Septentrionis nomen ſortitum eſt, idque etiam toti plagæ, quæ ab æquatore vſque ad Polum protenditur, impertiuit.

## DA

DAPHA *Alchia*, Arab. idem ſonat, ac pulſatio virtutis, eſtq; cum Planeta alioqui impeditus committit alteri ſuam virtutem quod, qua ratione fiat, dictum eſt in V. *Alchia*. 1.

DAPHA *Aredir* è contrà interpretatur pulſatio diſpoſitionis, & naturæ alterius planetæ, quod etiam ſatis explicatum eſt in V. *Aredir*, & in V. Pulſatio. 2.

DAMON *Meridianus*, ſic ab aliquibus ob eius malignitatem dicta eſt Sagitta, telum, & iaculum, Arab. *Schaam*, vel *Alhamce*, ſidus videlicet propè aquilam, vel potiùs cum ipſa aquila vnum aſtrum conſtituens ad Galaxiam, conſtat ſe ſolo ſtellis quinque ſecundùm Ptolæmeum, ac juxtà Keplerum, & Baierum, octo. In horoſcopo repertum portendit cædes, & ſtrages virorum, idque ſiue bonæ ſiue malæ ſtellæ affulſerint. Vide amplius in V. *Sagitta*. 3.

DAGIM Hebraicè, apud Chaldæos autem *Dagiebo* dicitur ſignum, & conſtellatio Piſcium; vt habet Kircherus in Oedipo Ægyptiaco. 4.

DATH *Elkarſi*, Arab. hoc eſt *ſedes regia* dicta eſt cathedra Caſſiopeæ ſideris in Cælo celeberrimi: de quo ſatis dictum eſt ſuo loco. 5.

DAVLO, apud Chaldæos teſte Kirchero appellatur Aquarius, vndecimum ab Ariete ſignum, Hebraicè autem *Delli*, ideſt ſitula. 6.

DECANI, apud Aſtronomos dicuntur tertiæ partes ſignorum, quas & *Facies* appellarunt Antiqui, ſingulis planetis per ordinem diſtributas: ita vt prima facies Arietis continens decem priores gradus, conueniat Marti domino ſigni: ſecunda Soli, qui proximè ſuccedit Marti per ordinem planetarum, tertia Veneri, quæ illi ſubſternitur. Dein prima facies Tauri competat Mercurio, ſecunda Lunæ, tertia Saturno: & ſic per ordinem procedendo. Horum inuentor creditur fuiſſe Nicepſo Rex & inſignis Aſtrologus Arabs. Et hæc quidem Decanorum prærogatiua computatur inter quinque genera dignitatum eſſentialium, quas obtinent planetæ in ſignis; adeò vt abſolutè pronunciet Firmicus, quod ſi planeta repertus fuerit in terminis ſui Decanatus; perinde ſit, ac ſi in ſuo domicilio conſtitueretur. Verùm in hoc cæteri Aſtronomi Firmico nullo pacto adſtipulantur: quinimò Recenſiores communiter tam parui faciunt huiuſmodi decanatus, vt in Tabella dignitatum eſſentialium jam modò eos deſcribere (vt moris fuit antiquitùs) dedignentur. Nihilominus eorum mentionem facit 7.

Ptolemæus in *1. Quadrip. cap. 11.* diuidens vnumquodque ſignum in tres partes æquales, vbi earumdem explicat qualitates, non tamen ſingulis planetis aſſignat; ſed potius id feciſſe videtur ratione fixarum in ea parte exiſtentium, quam quod peculiare in ipſis præciſis fixis intelligat. Sed quidquid ſit de iſtorum decanorum vi, ac potentia certum eſt Ptolemæum, cum de facie ſermonem habet *primo Quadrip. cap. 20.* non de planetarum decanis intelligere, ſed de ea configuratione ipſorum ad Luminaria, quam habent domus iſtorum, ad illorum domicilia, & nos ſuprà *Almugeam* diximus appellari. Cæterum quemadmodum decani dicuntur tertiæ quęque partes ſignorum ſingulis planetis per ordinem attributæ, ita etiam

8. DECVRIONES vocantur ipſi Planetæ prædictis partibus, ſeu ſignorum decanis præſidentes.

9. DECLINATIO apud Aſtronomos dicitur deuiatio ſtellæ, ſiue cuiuſlibet partis cæli ab æquatore verſus polorum alterutrum, quæ proinde ab eo denominationem ſumit: ita vt ſi ad polum arcticum deflectat, eius declinatio borealis dicatur, ſi ad auſtrum, auſtralis. Hinc prima puncta Arietis, & Libræ nullam habent declinationem, quia immediatè incidunt in æquatorem: puncta verò tropica maximam quam poſſit Zodiacus habere, hoc eſt gr. 23. cum dimidio, quia tantumdem etiam ab æquatore huiuſmodi puncta elongantur. Planetæ maiorem declinationem habere nequeunt, quam gradûs Zodiaci, quem perluſtrare poſſunt, computata etiam latitudine: ſic Sol qui ſemper eſt in Ecliptica, maiorem declinationem habere nequit, quam ipſa puncta tropica quæ maximè ab æquatore deuiant; hoc eſt gr. 23. min. 30. E contrà fixa, quæ extra Eclipticam diuagantur, tantam declinationem habere poſſunt, quanta eſt paralleli, ſub quo degunt; ita vt ea pertingere poſſit ad gr. 90 ſi ad ipſum polum immediatè accedant, & recidant, vt fortaſsè accidet in ſtella polari proximè ſuccedente ſæculo, quæ nunc temporis eſt in declinatione gr. 87. min. 20. Ex declina-
10. tione ſideris colligitur quantitas eius arcus diurni, ac nocturni, eleuatio ſupra horizontem, diſtantia à vertice, circulus poſitionis, & alia huiuſmodi, quæ valdè neceſſaria ſunt ad rès Aſtronomicas perficiendas.

11. DECVBITVS *figura*, eſt Cæli conſtitutio inſpecta tempore accedentis morbi vt volūt aliqui, vel ſanè ingraueſcentis; cum profectò natura reluctans, viribus impar, tandem conſternitur, atque in lecto petit decumbere. Vt proinde non momentum accedentis morbi, qui ſenſim, & ferè impercibiliter intrat, ſed tempus conſternationis & decubitus præcipiat Hippocrates Medicorum facilè princeps obſeruandum eſſe, atque

adeò ad tale inſtans erigendum figuram morbi ingraueſcentis. Quod ſanè non ſine fructu ſit, ſed magno cum ægrotantium bono. Quandoquidem aſtra ex mutua dependentia, ac relatione ad ſubjectum paſſibile, in quo jam pridem ſuas qualitates (in eius videlicet ortu) impreſſerunt, ſunt veræ cauſæ alteratio- 12.
nis rerum: & quemadmodum ortus, ita & conſeruationis, defectionis, ac mortis; cum hoc tamen vt non ſtatim eliciant omnes effectus, ſed dependenter à diſpoſitionibus ægrorum pendentibus ab eorum Natali, & ſubſequentibus inde motibus. Hinc eſt, vt morbi, alterationes humorum, temperamentum, & cætera huiuſmodi rectè prædici poſſint ab Aſtrologis, nec proinde eorum prædictiones ab Eccleſia interdicantur, cùm hæc naturaliter à cauſis ſuis promanent. Et licet quandoque ex libero hominis arbitrio pendeant mors, morbi, mutatio temperamenti &c. idque ex irregulari viuendi ordine, vulnere, &c. tamen hic loquimur de morbis naturaliter prouenientibus, aut etiam de violentis, qui naturaliter ex ipſa conſtitutione naturæ Medico probè nota curari poſſunt, ſecùs de ijs, qui aut miraculosè adueniunt, aut etiam miraculosè curantur. Quandoquidem ſi bona eſt Cæli conſtitutio, inde fit, vt natura terrenis medicamentis adjuta morbo reſiſtat, ſin ſecus natura proſternatur, & illa inutiliter operentur. Quare vtiliter, & prudenter cæleſte Thema ad tempus decubitus erectum à Medicis conſulitur, vt inde natura morbi innoteſcat, quibuſ-ve medijs illi ſit occurrendum.

DEFERENS ex Ricciolo *lib. 3. cap. 20.* in Cæleſtibus eſt circulus ſeu orbis non tam Epicyclum geſtans, quàm ipſum corpus planetæ in eo infixum, & faciens illud ſiue in Epicyclo, ſiue in ſua orbita circà mundum rotari. Atque adeò Eccentricus, & orbis deferens idem ſunt in Theorica Eccentrici; & dicitur etiam ab Alfragano, & Albategnio *Circulus egreſſæ cuſpidis*. 13.

DELAPSVS, Græcè *Eeptoſis*, teſte Valla eſt cum ab Horoſcopo deductus annus, in illud ſignum inciderit, in quo antecedens conjunctio fuit in Geneſi. Quod plurimi fit ab Aſtrologis. 14.

DELPHIN, & *Delphinus* apud Arabes mutuato à Græcis nomine *Dalphin*, dicitur ſidus in cælo ad borealem plagam propè Aquilam conſtans ſtellis decem procelloſis de natura Saturni, & Martis, quarum præcipua eſt cauda tertiæ magnitudinis, exiſtens nunc in gr. 9. Aquarij cum latitudine boreali ferè gr. 30. Cicero *in Arati Phenom.* vocat eum *Currum*. Plinius *Hermippum*. eſt ſidus procelloſum cum Sole exoriens, adducit ventos, cum Saturno tempus nebuloſum, & humidum: Occidens verò mane producit & niues. 15.

DELTETON Græcè, Latinè Triangulum ſidus in cælo ad bo- 16.

realem plagam in trianguli formam: Arabicè *Mutlatum*. Ptolemæus ei aſſignat ſtellas quatuor, Keplerus verò, & Baierus quinque omnes de natura Mercurij: vnde in horoſcopo repertum nato ſublime tribuit ingenium. Romæ oritur cum grad. 21. Piſcium: occidit cum 10. Tauri.

17. Deneb, Arabicè idem ſonat, ac cauda: vnde Deneb Adigege dicitur cauda Cygni: Deneb Algedi, cauda Capricorni: Deneb Elecet, cauda Leonis, Deneb Kaytos, cauda Ceti, &c. Vide de ſingulis ſuo loco.

18. Descensio: Vide in V. Aſcenſio.

19. Detrimentum eſt genus quoddam debilitatis planetæ, quando reperitur in ſigno, quod diametraliter opponitur ei, in quo ipſe obtinet domicilium, vt Sol in Aquario, Luna in Capricorno, & ſicut domicilium eſt potiſſima inter dignitates eſſentiales, ita & detrimentum inter debilitates eſſentiales eſt maxima.

DI

20. Diagonius, apud Græcos ſignificat lineam ab angulo in angulum rectà producta. Hinc ſeptem climata veterum, quas certis lineis parallelis definiebant, ex compoſito *Dia*, & loci per cuius medium pertranſibat ducta linea, nomine denominabant, ſic primum clima quod per Meroen pertranſibat *Diameroes*; ſecundum quia per Syenen, *Diaſyenen*; tertium quia per Alexandriam *Dialexandros*; quartum, quia per Rhodum, *Diarhodos*; quintum quia per Romam, *Diaromes*; ſextum quia per Pontum, *Diapontos*; ſeptimum quia per *Boryſthenen Diaboryſthenes* dicta ſunt. De quibus omnibus, nec non de alijs à recenſioribus adjectis: vide in V. *Clima*.

21. Diagramma, apud Geometras ſignificat figuram vtcumque lineis efformatam, ſiue ea triangularis ſit, ſiue quadrangularis, ſiue recti-linea, ſiue curui-linea, ſiue mixta, cuiuſmodi ſunt omnes figuræ quæ in ſex libris elementorum Euclidis ob oculos exhibentur.

22. Diameter Græcè, Latinè *dimetiens* dicitur linea ab vno extremo in alterum protenſa, qua eorum diſtantiam dimetimur. Eam præcipuè venamur in circulo, quem in duas partes æquales ſecat, ac neceſſario tranſire debet per eius centrum. Vnde & definitur ab Euclide. *Eſt recta quædam linea per centrum ducta, & ex vtraque parte in circuli peripheriam terminata, quæ circulum biſariam ſecat.* Sicut è contrà linea à centro ad peripheriam ducta ſemidiameter dicitur: Vide fuſiùs in V. *Dimetiens*.

23. Diasaccora Arab. Græcè *Diſcora* apud Ptolemæum in Quadrip. ex verſione Arabica Hali ſignificat Genituram duorum maſculorum, & vnius femellæ, cuius ſignificatores ſint Saturnus, Iupiter, & Venus.

Dichotomos propriè ſignificat ex Græca origine, id quod dimidiatum eſt, atque in duas partes ſectum. Hinc apud Aſtronomos abſolutè accipitur pro Lunæ quadraturis, cum ſeptimo quoque die à conjunctione, vel oppoſitione cum Sole apparet dimidiata. 24.

Dilpon, teſte Valla, apud Arabes ſignificat horæ dominum: 25.
pro cuius rei intelligentia ſciendum eſt, antiquos Aſtronomos (nam Recenſiores meritò hanc vanam Arabum obſeruationem derident) diem, ac noctem artificialem diuiſiſſe in duodecim partes æquales, quas & horas planetarias, & inæquales vocabant, ad differentiam horarum æqualium, quod eſt tempus reſpondens ſingulis quindecim gradibus æquatoris aſcendentibus. Harum dominium planetis per ordinem attribuebant; ita vt primæ horæ diei ab exortu Solis, dominium aſſumeret is, à quo dies illa denominatur; ſecundæ horæ dominaretur qui proximè huic ſuccederet: ſic per ordinem deſcendendo vſque ad Solis occaſum. Similiter primæ horæ noctis dominium habebit qui proximè ſuccedit ei qui vltimæ horæ diei dominabatur; ita vt per ordinem procedendo, ſemper is in primæ horæ diei ſequentis dominium recidat, qui & ipſum diem ſuo nomine ſignat: Ita enim res ab initio ordinata fuit, vt ab eo dies denominaretur, qui per ordinem procedendo ſuccederet ei, qui vltimæ horæ noctis dominium obtinebat. Sed vt exemplis res fiat clarior: ponamus hodie eſſe diem Dominicum: vtique cùm is ſit ab initio Soli dicatus, primæ horæ exorientis Solis ipſemet Sol ſibi dominium vendicauit: quia autem Soli ſuccedit Venus, ideò hæc ei ſuccedit in dominium ſecundæ horæ: mox tertiæ, Mercurius, inde Luna, poſtmodum Saturnus, ita vt nunquam turbato ordine, prima hora noctis incidat in Iouem, poſtrema quæ eſt duodecima, in Mercurium; cui immediatè ſuccedit Luna, quæ proinde ſequentem, proximè Dominico diei denominat diem, & primæ exorientis Solis horæ dominium ſortietur: Inde Saturnus: mox Iupiter &c. Extat apud Auctores tabula harum horarum inæqualium ſingulis planetis per ordinem reſpondentium, quæ ab tradita methodo nullatenùs deuiat: ita vt eam quiuis proprio Marte ſibi queat conſtruere. Tempore Æquinoctij horæ planetariæ ſunt eædem ac horæ horologij, ſeu æquinoctiales, non ſic reliquo tempore; præſertim in ſolſtitijs. Quocircà qui voluerit facilè quantitatem horæ planetariæ competentem ſingulis diebus ac noctibus anni dignoſcere, diuidat arcum ſemidiurnum vel ſeminocturnum in ſex partes æquales; & quotiens erit hora inæqualis cuiuſuis diei, vel noctis, atque adeò portio competens vnicuique planetæ in eiuſdem dominium ſucceſſuro.

26. Dies apud Aſtronomos eſt menſura temporis, quo Sol motu primi mobilis raptus integrè circà tellurem voluitur; hoc eſt ſpatium viginti-quatuor horarum: tantùm enim temporis inſumit, quouſque redeat ad idem punctum, ſeu circulum poſitionis, vnde diſceſſerat, additâ ea parte, quam ipſe motu ſuo in Zodiaco acquiſiuit. Nam primum mobile citiùs reuolutionem ſuam abſoluit, nempè ſpatio 23 horarum, ac ferè 56. minutorum, itaut integra primi mobilis reuolutio præcedat ſingulis diebus reuolutionem Solis quatuor ferè minutis. Et hic eſt dies naturalis complectens diem, ac noctem artificialem, quod eſt temporis ſpatium, quo Sol vtrumque hemiſphærium, & ſuperius, & inferius perluſtrat. Dies naturalis ſemper, & vbique æqualis eſt: non ſic artificialis, qui ſolum ſub æquatore ſeruat æqualitatem, & cum nocte etiam æquè portionem diei naturalis diuidit: At extrà illum quò magis accedit ad tropicos, ac polus ſuper regionem attollitur, eò inæqualior eſt, & longior quidem nocte, ſi Sol ad eum polum declinet, breuior, ſi ad oppoſitum Vnde & ſub Polo immediatè degentibus, Sole in ſignis borealibus exiſtente, accidit dies longiſſima ſex menſium tantumdemq; noctis, eo alteram Zodiaci partem perluſtrante: ita vt in his regionibus integra Solis reuolutio in Zodiaco duret vna die naturali, & vnus dies naturalis ſit integer annus. Porrò diei naturalis initium Aſtronomi computant à Meridie in Meridiem. Similiter Hiſpani & Galli, aliæque Nationes. Itali à Solis occaſu. Chaldæi, atque Ægyptij à Solis ortu. Tandem Eccleſia in jejunijs, ritibus, feſtiſque ſeruandis à media nocte. Sed de hac re ſatis pro noſtro inſtituto.

27. Differentia *Aſcenſionalis* eſt arcus æquatoris interceptus inter aſcenſionem, vel deſcenſionem rectam, & obliquam eiuſdem ſideris aut cuiuſcumque partis Zodiaci. Cùm enim diuerſimodè aſcendant in ſphæra recta, & in obliqua (quæ enim habent declinationem borealem citius oriuntur, & ſerius occidunt; & è contrà quæ auſtralem ſerius aſcendunt, citiuſque deſcendunt ijs qui habent horizontem obliquum, quam qui habent rectum) ideò hæc diuerſitas in gradibus æquatoris coaſcendentibus, vel condeſcendentibus computata vocatur differentia Aſcenſionalis: Vide in V. *Aſcenſio*.

28. Digitus *Eclipticus* apud Aſtronomos eſt duodecima pars diſci Solaris, vel Lunaris, quem ideò in tot partes diuiſerunt (quas alij Vncias appellant) vt innoteſceret, quota pars alterius Luminarium eclipſim patientis obſcuretur. Si enim tres digiti diſci Lunaris in telluris vmbram immerguntur, diceretur quarta pars Lunæ obſcurata; ſi ſex, dimidium; ſi duodecim, ſignum eſt quod totum corpus lunare obſcuretur. Sed enim hic

aduertendum, quod quando Luna totaliter eclipſatur, cum aliqua mora in tenebris, quia vmbra terræ, vel, vt volunt Aſtronomi recenſiores penumbra Atmoſphęrę incidens in corpus Lunare eſt maior ipſo diſco Lunari, ideò ad dignoſcendam Eclipſis magnitudinem vltià duodecim digitos, dicuntur eclipſati tot digiti, quot ſunt inter circumferentiam Diſci eclipſati & vmbræ, penumbtæue eclipſantis, vt ſi poſt totalem obſcurationem Luna tam profundè vmbram ſubintret, vt ſi forte eius diameter foret quindecim digitorum, adhuc tota obſcuraretur, & intraret totam vmbram telluris, tunc dicerentur quindecim digiti eclipſati. At quoniam Lunæ corpus Solem eclipſantis per interpoſitionem inter ipſum, & nos vel non adæquat vel ſanè non ſuperat corpus Solare, ideò in Solis eclipſi ad menſurandam eius magnitudinem, non conſiderantur niſi duodecim tantum digiti, qui ſi fortè obſcurentur omnes, tunc nulla pars diſci Solaris erit conſpicua, ſed totum erit in tenebris. Eiuſmodi erit mira, & portentoſa Solis eclipſis, quæ accidet anno 1684. die 12. Iulij, hora circiter tertia poſt Meridiem. Portò hanc diametri obſcurandæ tam in Sole, quàm in Luna quantitatem Aſtronomi venantur ab diſtantia Lunæ à capite, vel cauda Draconis, quam ideò argumentum verum latitudinis Lunæ appellant: quò enim propiùs ipſa accedit ad ſuos nodos, eò maior erit obſcuratio in Eclipſi; etſi tempore veræ conjunctionis, aut oppoſitionis cum Sole, ipſa fuerit in eodem puncto cum ſuis nodis, hoc eſt omnis latitudinis expers, & in Ecliptica, tunc ſanè totalis erit obſcuratio, vel Solis, vel Lunæ, prout ea fuerit conjunctio, vel oppoſitio. 29.

**Dignitas**, apud Aſtronomos eſt quædam prærogatiua planetæ qua ex eius habitudine ad Solem, loco in Zodiaco, aut in Mundi ſitu, motu, & configuratione ad alios, viribus augetur, & plurimùm roboratur. Ea multiplex eſt, & in duplici differentia. Aliæ ſunt eſſentiales dictæ, non quia ſint cæteris potiores, ſed quia conueniunt planetis ratione eſſentiæ, & naturæ ipſorum, eo quia conformentur cum dictis locis in primis qualitatibus paſſiuis, & actiuis; & hæc conformitas non ex accidente, ſed ab intrinſeco ſemper illis, & primariò inſit. Aliæ accidentales, quæ non per ſe, & primariò illis competunt, ſed extrinſecus & veluti ex accidente, vt ex ſitu Mundi aut ex accidentalibus paſſionibus, vt mox dicemus. Dignitates eſſentiales quinque ſtatuit Ptolemæus *1. Quadrip. c. 15.* Domicilium nempe, altitudinem, ſeu exaltationem, trigonum, terminum, & perſonam: de quibus ſuis in locis recurret ſermo. Accidentales etiam plures enumerantur: potiſſima verò eſt ſitus Mundi, hoc eſt quod ſit in Angulo, vel ſuccedente domo; 30.

proximè accedit lumen, vt videlicet ſit lumine auctus, non combuſtus, neque ſub radijs Solis: inde, quod ſit directus, & motu velox: mox quod ſit Orientalis à Sole, ſi fuerit ex tribus ſuperioribus, Occidentalis verò, ſi ex inferioribus. Poſtremò vt ſit benè configuratus cum alijs: de quibus omnibus vide ſub proprijs titulis.

31. Dimantarcoris Arab. Græcè *Dunnata riſoritas* apud Ptolemæum in textu Arabico ex verſione Hali 3. Quadrip. cap. 7. ſignificat Genituram duarum fœminarum, & vnius maſculi, in quam conueniant Venus, Mars, & Luna.

32. Dimetiens apud Mathematicos idem eſt quod Græcè Diameter, ſic dicta, eò quod per eam metimur quantitatem totius circuli per partes proportionales ipſius. Quandoquidem, cum ea ſit menſura maioris diſtantiæ, quæ inter duo puncta circuli oppoſita dari poſſit; meritò per eius partes proportionales quantitatem arcus, ſeu certæ cuiuſdam partis circuli, quem ipſa æqualiter diuidit, internoſcimus; quod per tabulas ſinuum tangentium, & ſecantium ad vltimas quaſque minutias exquiſitiſſimè obtinetur.

33. Dioptra Græcè, Latinè *Oſtenſor* interpretari poteſt, eſtq; regula quædam in medio Aſtrolabij vel alterius conſimilis inſtrumenti collocata, repræſentans lineam rectam, ſeu dimetientem totius circuli, quæ in gyrum voluitur per partes circuli interſtinctas in limbo, ſignatque gradus oppoſitos. Alicubi in eius extremitatibus, duæ pinnæ, & ſpicilla ſunt, per quæ tranſire debeat radius viſualis, atque in corpus, quod metiri volumus, terminetur. Dicitur etiam *Linea fiducia*, Arabicè verò *Albidada*. Hinc

34. Dioptica, dicitur ea Aſtronomiæ pars, quæ Solis, Lunæ, aliorumque ſiderum corpora ſpeculatur, ac diſtantias, altitudines, declinationes, per dioptram, aliaque id genus inſtrumenta metitur.

35. Directio eſt realis motus in cælo, motu primi mobilis abſolutus, quo Sol, Luna, Aſtra, vel quæuis alia Cæli pars, quæ in alicuius rei inceptione ſubintrat munus aliquid ſignificandi aut efficiendi circa rem illam, feruntur ad ſitum alterius aſtri vel partis cæli aliquid ſimiliter ſignificantis, atque illa ad effectum complendum quodammodo expectantis: quo itinere expleto perficitur quidquid in radice, ſeu in prima poſitione aſtrorum ad inuicem in inceptione illius rei innuebatur pro tempore deuolutionis vnius ad alterum. Dicitur Directio, ab itineris directione, quòd alterum ad alterum inſtituit: Hinc

36. Dirigere, apud Aſtronomos aliud non eſt, quàm venari, & artificioſè inquirere arcum æquatoris interceptum inter præ-

dicta loca, ac proinde metiri tempus quod requiritur quoadvſque alter ad alterum deoluatur. Cuius motus auctor & regulator eſt Sol per ſuum realem motum, non quidem illum annũ, quo integro circulo Zodiaci peragrato regreditur ad idem punctum, vnde diſceſſerat, ſed ſingulas illas lationes diurnas ſingulis annis competentes, quibus adæquat motum primi mobilis; eo pacto, ac progreſſionum ſuo motu regulatrix eſt Luna: Et ſicut hæc per ſuum motum progreſſiuum ordinat, diſponit, ac regit in viuentibus humidum radicale; ita Sol motu iſto directionis regit calorem vitalem; qui proinde aliud principium naturalem non habet quàm Solem ipſum omnis caloris,& vitæ fontem, vt propterea mirum non ſit, ſi eo male affecto in cæleſtibus per concurſum cum aſtris prauis, malè etiam habeat in terreſtribus vita, quæ in calore innato conſiſtit; hicque à motu Solis directorio totam ſuam virtutem, ac ſubſiſtendi potentiam recipit. Sed quia vt aliàs ex Ptolemæo meminimus, non modò Sol, & Luna, ſed etiam vtriuſque horoſcopus, & cæli culmen ſe habent vt ſubjectum paſſibile reſpectu aliorum ſiderum occurſantium, quibus malè vel benè affectis ea etiam, quæ ab ipſis pendent benè vel malè habeant neceſſe eſt, inde fit, vt quandocumque hæc in ſidera occurſantia impingunt motu directionis, noui effectus in viuentibus exerantur circà eorum ſignificata. Itaque duo loca concipienda ſunt in cælo in quacumque directione: quorum alter dicatur ſignificator, & ſe habeat vt ſubjectum paſſibile, eò quia ſignificat in genere aliquid, vt vitam, morbos, fortunas &c. & recipiat in ſe impreſſiones ſiderum occurſantium, alter ſe habeat vt cauſa efficiens, & dicatur Promiſſor, qui decernat, & promittat bona vel mala in illa re quam denotauerit ſignificator, implenda pro tempore, quo ipſe ad eumdem locum peruenerit: & ab hoc munere, ne ipſa quidem luminaria excludenda ſunt, quibus non repugnat pro diuerſa conſideratione,& habitudine diuerſarum etiam cauſarum vices ſubire, idque ex eminenti eorum virtute. Sic igitur ſignificator, & locus paſſibilis in hoc caſu gerit vicem creditoris recepturi aliquid à Promiſſore, & loco occurſante; qui ſe habet vt cauſa efficiens, ſtatis temporibus, quibus expletis promiſſio adimpleatur, atque effectus in lucem exeat per realem cauſarum congreſſum. Hæc itaque tempora nos directione metimur: & hæc temporis inquiſitio vocatur, directio. Quomodo autem fiat huiuſmodi cauſarum congreſſus, 36.
& quonam pacto expleto tempore directionis locus vnus intelligatur realiter ad alterum deuolutus eo videlicet tempore, quo prodit effectus, paulò fuſiùs explicandum eſt, eò maximè, quia diximus omnem directionis motum à Sole pendere, ac perfici

per motum primi mobilis, qui cùm ſit rapidiſſimus, ac ſpatio vnius diei integre circà tellurem rotetur, ac proinde videatur ad paucas horas ſingulas eius partes fer i ad ſitum ſignificatorum: vt propterea non abſuerint qui dixerint omnes motus directionis ſtatim poſt natalem motu horatio minore ſpatio quam vna die compleri: In quo profectò caſu non apparet ratio menſuræ ad annos, neque vlla ſimilitudo cauſarum ad ſuos effectus, vt benè aduertit Titus *lib. 3. cap. 3.* Quapropter ipſe aliam rationem diluendæ huius difficultatis excogitauit. ait enim: *Dum Sol circà Mundum fertur latione diurna, ſeu motu raptus; Primum mobile vnà cum omnibus aſtris, quæ tanquam fixa ſub ipſo cenſentur eſſe, quia velocius mouetur hoc motu, quam Sol, ſucceſſiuè non nihil præcurrit ipſum Solem; ita vt in fine vnius integri diei reperiatur præceſſiſſe vno gradu ferè, quantum ſcilicet dicimus eſſe motum Solem contra ipſum primum Mobile. Dum ergo Sol latione vnius integra diei præordinat calorem vitalem ad vnum annum, aſtra præcurrendo appropinquant ſitibus poſitionum prorogatorum, per gradum ferè, & ſim iter ſu ceſſiue ſequentibus diebus: dum autem appropinquant, applicant etiam ad ſ ams iarstates quibus præordinant naturales effectus ad actum ituros vna cum ipſi vitæ principiis: Vt exempli gratiâ, ſi in aliqua Geneſi, ſit Sol in Meridie, dum circumfertur ad Occaſum, Imum, & Ortum, primum Mobile ſucceſſiuè paulatim antecedit, ita vt vbi Sol ad Meridiem exquiſitè peruenerit, inueniatur primum Mobile cum omnibus aſtris præceſſiſſe per gradum ferè; quantum dicimus Solem fuiſſe motum contrà ipſum. Dico igitur tali modo fieri motum directionis.*
Hæc Titus, quibus innuere videtur, motum directionis expleri non quidem, vt illi volebant minori ſpatio vnius diei ad ſingula momenta, quibus loca occurſantia attingunt ſitum ſignificatorum, ſed ad ſingulos dies poſt natalem ratione præceſſionis primi mobilis ad motum Solis, vnde in eius ſententia, ſi locus occurſans ver. gra. diſtet à loco prorogatorio per quindecim fere gradus, quia primum mobile vt dictum eſt præcedit Sol vno ferè gradu ad dies ſingulos, ideò ad hoc vt quindecim iſti gradus adæquentur, & Sol reperiatur in eodem ſigno cum primo mobili requiri adhuc quindecim dies, quibus expletis intelligatur completa directio, & deuolutus occurſans ad ſitum Prorogatoris. Tunc autem, ſubdit, præordinantur potentia naturales effectus ad ſingulos annos. Per motum iſtum qui fit ad ſingulos dies, ita vt ſingulæ diurnæ lationes ſingulis annis reſpondeant. Quod ideò directionem prius definierat, quod ſit *velox quidam motus, quo in nato cæleſtes cauſæ breui tempore præordinant potentia effectus naturales ad actum ituros in diuturno vitæ decurſu.*

Verum

Verùm hæc explicatio, etſi alioqui ingenioſa, & quæ, fateor, 37.
mihi aditum præbuit ad huius arcani, ni fallor, notitiam comparandam, non euacuat difficultatem: non enim tradit, quonam pacto fiat huiuſmodi præordinatio, & quî fiat, vt cum cauſæ omnes poſt quindecim v.g. dies congrediantur, & completæ reducantur ad actum, effectus nihilominus non niſi poſt quindecim annos eluceſcat, & eius vix vmbra quædam, tunc temporis quando cauſæ ſuam virtutem promunt, appareat: Plus enim, vt ille ait, nocet præſens muſca, quàm abſens leo. Ergò ſi poſt quindecim dies expletur motus directionis, & cauſæ ponuntur in actu proximo ad agendum, tunc quidem, & non poſt tantum temporis interuallum prodire debet effectus.

Sciendum igitur eſt, Solem, qui vt diximus eſt regula omnis motus directionis, ſpatio 24. horarum conficere integram, ac perfectam reuolutionem circà tellurem: ita vt ea expleta ponatur in eodem circulo poſitionis, ac ſitu mundi, in quo pridie erat, cùm primum ab eodem puncto moueri cæpit, motu primi mobilis ductus: At enim, cum ipſe interim motu proprio, eoque contrario moueatur in Zodiaco, & conſequenter etiam in æquatore ſingulis diebus ferè gradum vnum, indè eſt, vt etiamſi expleta vnica reuolutione ſpatio 24. hor. redeat ad eundem circulum poſitionis, non tamen ibi ponitur cum eodem gradu æquatoris, cum quo pridie erat, ſed cum alijs, & alijs ſucceſſiuè, quos ipſe acquirit in dies ſingulos per proprium motum progrediendo ſecundùm ſucceſſionem ſignorum. Similiter etſi ponatur in eodem circulo poſitionis, non tamen ponitur in eodem puncto eiuſdem circuli, cum motus eius diurnus ratione ſui motus proprij non ſit circularis, ſed ſpiralis, vnde ratione declinationis, quam ſucceſſiuè acquirit vel deperdit, modò ponitur infrà, modò ſuprà, ſed in eodem circulo. Interim primum mobile, & æquator perficit ſuam reuolutionem circà tellurem minori temporis ſpatio quàm ipſe Sol; nempè in horis 23. & minutis ferè 56. ex quo fit, vt dum Sol ponitur in eodem circulo poſitionis, in quo pridie erat, ipſe vlterius præceſſerit ferè integro gradu, vt ſuprà explicatum eſt, cuius ſitum Sol, vt ad amuſſim acquirat, requiritur ſpatium ferè quatuor minutorum temporis; quæ ſingulis diebus competentia inferunt in vno anno diem vnum naturalem præceſſionis: ita vt dum æquator in vno anno facit 366. reuolutiones circà tellurem, eodem tempore Sol inueniatur perfeciſſe tantùm 365. circuitiones, vna videlicet minus. Vt igitur & ipſe acquirat hoc quod acquiſiuit æquator, ponaturque non modo in eodem circulo poſitionis, ſed in eodem puncto præciſè, ac cum eodem gradu æquatoris, opor-

tet, vt integer annus voluatur, quo interim motu ſuo paulatim incedens, atque ad dies ſingulos gradum vnum acquirens perficiat integrum circulum, ponaturque cum iiſdem partibus æquatoris in eodem circulo, atque in eodem puncto poſitionis, in quo erat cùm primum moueri cœpit. Hic igitur eſt motus directorius; & realis deuolutio Solis ad locum præfixum: qui ſingulis promiſſoribus adaptatus ad hoc vt ferantur ad loca moderatorum, tantum temporis ſibi vendicat, quantus eſt arcus æquatoris inter vtrumque interceptus, tribuendo ſingulis gradibus vnum annum ſolarem is enim totus requiritur, vt modò diximus, ad hoc, vt Sol paulatim aſſequatur vnum æquatoris gradum, ſitque cum eo in eodem non modo circulo, ſed etiam in eodem puncto præciſo poſitionis. Licet enim per vnam integram diem Sol gradum vnum æquatoris præcedat, ſitque in eodem circulo poſitionis in quo pridie erat, integro ſpatio viginti-quatuor horarum, tamen ibi non eſt cum eodem gradu æquatoris, neque in eodem puncto eiuſdem circuli, ſed per quatuor minuta temporis gradus æquatoris, in quo pridie erat Sol, contingit circulũ eumdem poſitionis quam ipſe Sol, qui demum etſi mox illum attingat, non tamen in eodem puncto, ſed vt id aſſequatur oportet vt integer annus voluatur, & exæquet circulationem illam qua æquator ſupergreditur Solis integras, hoc eſt 365. in anno reuolutiones; quo expleto optimè intelligetur deuolutus ad priorem locum, proindeque etiam Promiſſor ad locum ſignificatoris; ſicque effectus tunc tandem prodeat, cùm cauſæ realiter congrediuntur, ac ponuntur in actu ſecundo ad illum extrà ſe mittendum. Quod clarius explicari nequit, niſi res omnis in planiſphærio oculis ſpectanda objiciatur.

89. Quoniam autem, vt diximus, Sol motu ſuo proprio in ſingulos dies acquirit fere gradum vnum in æquatore, & inſuper motu raptus facit integram circumlationem, & ponitur in eodem circulo poſitionis, licet non cum eodem gradu æquatoris, ſed ille per quatuor minuta temporis præceſſit, atque eumdem poſitionis circulũ attigit quę tẽporis pręceſſio ſingulis æquatoris gradibus adaptata, conſtituunt integrum diem naturalem, inde fit, vt integer dies naturalis ſit menſura vnius anni (hoc eſt totius temporis, quod requiritur vt Sol denuò attingat eumdem gradum æquatoris, & cum eo ponatur in eodem circulo poſitionis) & duæ horæ æquinoctiales ſint menſura peragrationis Solis in vno menſe, ac demum quatuor minuta temporis ſint menſura vnius diei, quo tempore ſit prærdinatio eorum, quæ futura ſunt tempore expletæ directionis: nempe poſt vnum diem eorum quæ futura ſunt poſt

annum, & poſt duos dies, eorum quæ futura ſunt poſt duos annos &c. Quî fit vt hæc diurna circulatio vocari poſſit anticipata quædam directio, &, vt eam vocat Titus, *Directio ſecundaria* (licet ipſe aliter eam explicet) in qua ob ſimilitudinem motus apparet vmbratilis quædam inceptio directionis. Et hinc originem trahunt dies, & anni climacterici, in quibus Prorogator ponitur in loco reſpondente per aliquem radium ad locum directionis, ac Luna in morbis ponitur ad loca reſpondentia loco ſui natalis, vel ab initio morbi vt poſt ſeptem dies in quadrato, poſt 15. in oppoſitione loci radicalis &c. Verùm de his latiùs in V. Figura ſexdecim laterum, & in V. Climactericus.

Porrò duplex eſt motus directionis, vt aliàs diximus, alter rectus à Ptolemæo *Actinobolius* dictus, hoc eſt projectio radiorum, qui fit in conſequentiam ſignorum; & intelligitur fieri, vt Moderator exiſtens immobilis in ſitu mundi, dirigatur ad aſtra, quæ ſunt in locis orientalioribus ſecundùm ſucceſſionem ſignorum: non quod ipſe verè vadat ad illa, cùm vt dixi, conſtituatur immobilis in ſuo circulo poſitionis, ſed quod eo immobili permanente in ſuo ſitu, aſtra interim motu primi mobilis rapiantur, verſus occidentaliores partes, adeoque impinganr in ſitum Moderatoris. Alter eſt conuerſus dictus Horinæus, qui fit contrà ſucceſſionem ſignorum, & eſt cum ipſe Moderator motu primi mobilis rapitur ad loca promiſſorum, qui in eo caſu conſiderantur immobiles in ſuo ſitu mundi, ſeu circulo poſitionis, vbi expectant aduentum Moderatoris motu primi mobilis procedentem: duplex enim virtus tam promiſſoris quàm prorogatoris imprimitur, ſeu conſtituitur immobilis in duplici loco, altera in gradibus ſignorum, & in primo mobili; altera in ſitu mundi, & circulo poſitionis in quibus reperiuntur tempore inceptionis alicujus rei: vt benè aduertit Titus cap. 4. & alibi ſæpè: ergo neceſſe eſt, vt quæ in primo mobili conſtituta eſt, moueatur cum ipſa, & feratur ad loca in mundo qualitatibus contrariorum affecta, quod eſt conuersè dirigi: quæ verò in mundo imprimitur ſtet immobilis, & expectet aduentum aſtrorum, ſeu radiorum infixorum in primo mobili, quæ ad ipſam ferantur; quod eſt dirigi rectè. Quod ideò monet idem Titus, cardines non poſſe dirigi niſi rectè: non enim ipſi vadunt ad aliquem, cum conſiderentur tantum in mundo, ſed aſtra, & partes primi mobilis ad ipſos feruntur, ergo tantùm accipiunt familiaritates in mundo, minimè verò in Zodiaco. 40.

Quomodo autem inſtituenda ſit praxis huiuſmodi directionis ſupputandæ, non eſt noſtri inſtituti explicare, præſertim 41.

cum apud omnes Profeſſores paſſim obuia ſit: ſit enim aut per aſcenſoria tempora & diſtantiam à meridiano vtriuſque tam ſignificatoris, quam promiſſoris, aut per aſcenſiones ſeu rectas, ſeu obliquas vtriuſque, ſumptas ad rationem eius, ad quem ſit deductio. De qua re fusè agit Titus *lib. 3. cæleſtis Philoſophiæ, à cap. 14.* vſque *ad cap 16.* & fuſiùs adhuc, atque ex profeſſo in *primo mobili*, tradens etiam quomodo Sol in ſpatijs crepuſculinis non ſit dirigendus in circulis horarijs, in quibus fiunt proportionales diſtantiæ à cardinibus, ſed in circulis parallelis ad horizontem, in quibus quamcumque declinationem habeat ſeruat ſemper eumdem erga nos gradum intenſionis lucis, ſecundùm quam omnem ſuam actiuitatem exerit. Solum hic ex eodem Tito, ac doctrina ſuperiùs tradita, quæ non nihil à communi diſcrepat, exponere volo modum adæquandi arcum directionis ad expiſcandos præcisè annos, & menſes effectuum. Igitur arcus directionis elicitus addatur aſcẽſioni rectæ Solis, ac deinde in tabula aſcenſionum rectarum requirendus gradus Eclipticæ huic ſummæ competens: poſteà computandi dies, & horæ, quas Sol inſumpſit à puncto natiuitatis quouſque ad dictum gradum peruenerit; nam dies qui præceſſerunt, annos, ſingulæ binæ horæ, menſes denotant, poſt quos apparebit effectus promiſſus per directionem.

42. DIRECTVS dicitur planeta, cum motu ſuo proprio in Zodiaco fertur in conſequentiam ſignorum: ſicut è contrà Retrogradus, cùm mouetur à conſequentibus in antecedentia ſigna. Eſſe autem directum, eſt ſpecies quædam dignitatis ex accidente planetæ aduenientis. Nam cum motu ſuo perductus contrà motum primi mobilis ab Occidente in Orientem nititur; inde ſit, vt ſeriùs occidat quàm ipſæ primi mobilis partes, ac proinde diutiùs ſupra terram conſiſtat, plus temporis conſequenter habeat ad illam ſuis qualitatibus imbuendam. Vide in V *Auctus numero.*

43. DISCORA Græcè apud Ptolemæum *3. Quadrip. cap. 7.* ex Verſione Arabica Hali, ſignificat Genituram duorum maſculorum, & vnius femellæ, in quam conueniant Saturnus, Iupiter, & Venus.

44. DISCVS Græcè propriè patinam rotundam exprimit: inde hoc vocabulum ad omnem figuram rotundam, & planam ſignificandam aptatum eſt: Quamobrem, & corpora luminarium, quæ quamuis perfectè ſphærica, & rotunda, tamen ob nimiam diſtantiam plana videntur, & referunt quandam diſci figuram, diſcus Solaris, & diſcus Lunaris ſunt appellata; in quorum viſa planitie diametrum Aſtronomi concipiunt, quam in æquales partes diuidunt omninò duodecim, quas & vncias,

& digitos eclipticos vocauere, quorum poſteà ope quantitatem obſcurationis eorum in eclipſibus metiuntur. Hinc etiam 45.

DISCVS à figura diſci quam præſefert, dicitur quidam Cometa, lata rotunditate refulgens, colore electrino, vt habet Plinius, & raris in margine radijs circumſeptus, qui habet naturam Veneris.

DISPOSITOR apud Aſtronomos audit planeta, qui ſuper aliquem locum diſpoſitionem habet, dominatum, & curam: Vnde & *Diſpoſitio* aliud non eſt, quàm cura, & munus decernendi de eo loco in quo planeta potiores habet prærogatiuas ex quinque eſſentialibus, Domicilio nempe, Exaltatione, Trigono, Terminis, & Perſona. Qui ergo, facto ſcrutinio, ſuper aliquem locum Eclipticæ plura habet dignitatum ſuffragia, is dicetur eiuſdem loci diſpoſitor. Sic ponamus caſum, quod celebranda ſit luminatium ſynodus in grad. 2. Virginis; eius diſpoſitio, ac jus decernendi pertinet ad Mercurium, eò quia in dicto loco Mercurius cæteris antecellit in dignitatum cumulo: habet enim ibi jus Domicilij, Exaltationem, & Fines. Is ergo erit dictæ conjunctionis diſpoſitor: ad quem proinde ſpectabit decernere de qualitatibus aëris, aliiſque quæ ex tali conjunctione prouenient. 46.

DIVISOR apud Arabes (qui eum lingua ſua propria *Algebutar* nominarunt) eſt planeta, qui habet prærogatiuam finium, ſeu terminorum, in quibus incidit directio, aut rei alicuius ſignificatio: Planeta autem, qui reſpicit eundem gradum ſiue in eo repertus fuerit, dicitur compar, & particeps diuiſionis. Quomodo autem is eliciatur, dictum eſt ſuprà in Verbo *Algebutar*. 47.

DIVISOR, etiam apud Arithmeticos dicitur numerus qui partes diuidendas denominat, ſeu in quas numerus diuidendus aſſumitur, vt eſt verbi gratiâ 9. reſpectu numeri 36. 48.

DIVRNVS, & *Nocturnus* denominatur. Planeta, aut ſignum, quod vincit in qualitatibus actiuis & paſſiuis. Etenim ſi vincant in eo qualitates actiuæ dicetur diurnum, ſi præpolleant paſſiuæ, nocturnum. Qualitates actiuæ ex Philoſopho ſunt calor, & frigus; paſſiuæ humiditas, & ſiccitas: Hinc cum Saturnus, exempli gratiâ, ſit magis frigidus, quàm ſiccus; Iupiter magis calidus, quàm humidus. Sol magis calidus, quàm ſiccus, &c. dicuntur planetæ diurni. E contrà quia Mars eſt magis ſiccus, quàm calidus, Luna magis humida quàm frigida, dicuntur paſſiui, & nocturni. Similiter in ſignis diſcurrendum: quorum ratio à reſpectu ad puncta Cardinalia, vnde ſidera incipiunt influere primas qualitates, auſpicanda eſt, vt benè diſcurrit Titus in Cæleſti Philoſophia. 49.

49. Docvs apud Geometras eſt figura, quæ latitudine, & craſſitie caret, tamen habet longitudinem. Hinc ignitæ quædam aëris impreſſiones oblongæ, & trabis ſimilitudinem referentes, teſte Plinio lib. 2. cap. 26. *Docos* Græci appellauêre.

50. Dodecaedrvm definit Euclides, quod ſit figura ſolida ſub duodecim pentagonis æqualibus, & æquilateris, & æquiangulis contenta: ſicut *Tetraëdrum* eſt figura quatuor triangulis conſtans, *Octoëdrum* octo triangulis; Icoſaedrum figura ſub viginti triangulis æqualibus, & æquilateris comprehenſa.

51. Dodecatemorion communiter accipitur ab Aſtronomis pro duodecima quaque parte ſigniferi, quæ triginta gradus comprehendit, ſiue vnum integrum ſignum. Vnde dicitur Dodecatemorion Arietis, Dodecatemorion Tauri &c. Aliquando etiam ſumitur pro domibus cæleſtibus in ſitu Mundi conſideratis, quæ conſtituuntur per æqualem æquatoris diuiſionem in duodecim partes. Singulis gradus triginta attribuendo. Scaliger verò ad Manilium ait Dodecatemorion eſſe duodecimam ſigni vnius partem, hoc eſt gr. duo cum dimidio. Certè vſitatius ſumitur pro integro ſigno.

52. Domicilivm eſt dignitas planetæ in ſigno, in quo ob conformitatem naturæ ita repetitur, ac ſi eſſet homo in domo ſua. Et hæc eſt vna, immò & potiſſima ex quinque dignitatibus eſſentialibus, cui Aſtronomi, præſertim antiquiores tribuebant quinque ſuffragia fortitudinis; cum alias Exaltationi quatuor, Trigono tria, Terminis duo, Faciei, ſeu Decanatui tribuerent vnum: Vnde & Verſus.

*Quinque ſuis domibus clares ſortitur honores;*
*Quattuor in ſolio quiſque planeta ſuo:*
*Finibus inque ſuis binos ſibi iure triumphos,*
*Tres autem in propria triplicitate capit.*
*Vnam dumtaxat, fuerit ſi ſorte Decana*
*Quiſque ſuo, vates quod docuere boni.*

Neque hæc fortitudo planetæ in ſuo domicilio inanis eſt, vt non ratione, atque experimentis pateat conuenientiſſimè excogitata. Nam duo ſigna Cancri, & Leonis, quæ proximiùs ad noſtrum verticem accedunt, reliquis validiora eſſe, nemo eſt, qui non videat: Iure igitur duobus luminaribus, quæ cæteris planetis actiuitate præcellunt, & à quibus omnium vita dependet aſſignata ſunt; & Soli quidem planetæ calido, & ſicco, calidi innati in viuentibus auctori atque fotori, ſignum Leonis, calidum item & ſiccum, in quo ipſe exiſtens mirificè calores ſuos impertit, vires ſuas adauget. Lunæ verò planetæ

natura ſua humido, & frigido, humidi radicalis origini, ſignum quoque hnmidum & frigidum, quale eſt Cancer, tribuendum erat. E contrà Saturnus omnis interirus author, calidi innati, radicaliſque humoris deſtructor, & inimicus oppoſitas hiſce luminarium ſedes occupare debebat, nempe Capricornum, & Aquarium cæteris humidiores, & quæ maxime diſtant à noſtro vertice, ſicut longe diſtat Saturnus à terra. Ex quibus Capricornus ob conformitatem naturæ ( eſt enim vt ille natura frigidus & ſiccus) prima ſedes foret. Mars etiam natura maleficus, cum vitam à luminaribus originatam ſua malignitate concutiat, eas domos ſibi vendicare debebat, quæ hoſtili radio domos luminarium infeſtarent; idcircò attributa ſunt ei ſigna Arietis, & Scorpij, quæ de quadraro ſigna luminarium intuerentur: E contrà benefici, ea loca haberent, quæ amicitiæ vinculo locis luminarium nectorentur: ideò Ioui fortunæ maiori eæ domus aſſignandæ erant, quæ amicitiæ perfectæ nexu, nempe radio trino cum locis luminarium vniren-tur, Sagittarius, inquam, & Piſces. Veneri autem fortunæ minori Taurus, & Libra, quæ eaſdem domos reſpiciunt de Sextili. Tandem Mercurio, qui eſt omnium planetarum proximior luminaribus; quippe à Sole nunquam corpore elongatur plus gr. 28. Lunæ verò eſt contiguus ratione orbis, eæ domus datæ ſunt, quæ proxime accedunt ad luminarium domos, videlicet Gemini, & Virgo: Et hæc eſt ratio domiciliorum, ac diſtributionis conuenienter factæ pro ſingulis planetis.

DOMVS item vocatur duodecima quæque Cæli pars in ſitu mundi conſiderata: diuidunt enim Aſtronomi ſuperius, atque inferius hemiſphærium in quatuor quadrantes, duos quos vocant Orientales, à linea videlicet horizontali ad lineam meridianam ſuprà terram, & ab occaſu ad lineam Imi cæli; reliquos duos, quos Occidentales appellant à linea Meridiana ad occaſum; atque ab Imo cæli ad Ortum. Hos autem quadrantes in ternas partes diſpeſcunt: Ptolemæus quidem per binas horas temporales, rationales verò per duos circulos magnos tranſeuntes per communes interſectiones horizontis, & Meridiani, quorum ope diuiditur æquatuor in duodecim partes æquales, ſingulis domibus triginta æquatoris gradus attribuentes, nulla Zodiaci habita ratione, ſed eo, vt jacet ſub æquatore in partes ſiue æquales, ſiue inæquales, quæ videlicet intercipiuntur intrà fines horum circulorum, tributo. Et has intercapedines Dodecatemorias, domos, angulos ſuccedentes, & cadentes ab angulis Aſtronomi appellarunt; quarum ordo eſſet inuerſus, & contrà motum primi mobilis ordinatus: ita vt prima 53.

domus eſſet horoſcopus, quæ comprehenderet quinque gradus æquatoris ſuprà terram, & vigintiquinque ſub terra: ſecunda domus diceretur non quam mox acquirunt ſidera motu diurno lata, ſed quæ proximè ſuccederet Orienti ſub terra: inde tertia, quæ propè eſſet Meridiano ſubterraneo, poſt quarta, Meridianus ipſe ſubterraneus, & Imum cæli, & ſic de ſingulis, incipiendo à quinque gradibus æquatoris præcedentibus cuſpidem vſque ad triginta ſecundùm ſucceſſionis ordinem, hoc eſt 25. à cuſpide. Quare autem totum cælum, ſeu mundi ambitus in duodecim non plus, nec minus partes, ſeu domicilia ſit diſſectus, variæ ſuppetunt rationes, quarum potiſſima deſumitur ratione aſpectuum, & ex dignitate duodenarij numeri. Cùm enim is ſolus præ cæteris diuidi poſſit in duas, tres, quatuor, ſex, ac duodecim partes æquales jure is erat præ cæteris eligendus, qui commodè omnes aſpectus ad cardines exhibere poſſet, cæteris numeris ad eam rem minimè congruentibus. Porrò duodecim cæli domorum ſignificata, proprietates, & accidentia, ſi quis ediſcere volet, proprias cuiuſque dictiones ſuis in locis conſulat.

54. Dominvs *anni*, ſecundùm Arabes dicitur is planeta, qui in ſigno profectionali horoſcopi dominium obtinet, ac jus domicilij: Vt ſi horoſcopus, exempli gratia, hoc anno profectione tranſeat in ſignum Arietis, Mars dicetur anni dominus; ſequenti verò anno erit Venus, quia ſignum profectionale horoſcopi eſt Taurus, in quo jus domicilij habet ipſa Venus, &c. Hunc plurimi faciunt in anni reuolutionibus antiquiores Arabes, contendentes ſuis nugis eum eſſe maximæ auctoritatis, atque efficaciæ in rebus illo anno euenientibus decernendis; quæ prorſus delitamenta ſunt. Ea in præſenti refellere, neque inſtituti mei eſt, neque rei dignitatis. Id vnum moneo, quod etiamſi è re foret illum admittere in profectionibus annuis colligendis, id faciendum eſſe, non per æqualem illum motum, ac profectionem locorum hylegialium per ſingula Zodiaci ſigna, tribuendo cuilibet anno ſolari ſignum vnum, quemadmodum hucuſque Aſtronomi omnes tradiderunt, ſed eo modo, quem nuper ex veris philoſophiæ principijs inuenit ingenioſiſſimus, atque amiciſſimus P. Titus; noſque in loco vbi profectionum ſermo inciderit, explicabimus.

55. Dominvs *genituræ*, apud Genethliacos dicitur is planeta, qui totius genituræ ſibi arrogat vniuerſale dominium, quique alijs præſtat in judicio temperamenti, morum (quantum naturales animi propenſiones appellant) affectionum corporis, & ſimilium, vnde natus in vniuerſum, nomen Iouialis, Satur-

nini, Mercurialis, ſortitur. Ad quem præciſè pertineat hoc jus, non adhuc benè compertum. Iulius Firmicus magni nominis author, quique floruit circà annos Chriſti 310. eum planetam huic dominio præficit, qui præeſt ſigno, in quod proximè ingreditur Luna poſt editum fætum: exceptis tamen ab hac prærogatiua luminatibus, vtpote vniuerſalibus rerum ſignificatoribus. Sic exempli gratiâ poſito, quod Luna geniture tempore in Ariete reperiatur, geniture domina erit Venus, eò quod Tauri ſigno, in quod proximè ingreditur Luna poſt natiuitatem, Venus dominatur. Sed demus Lunam Geminos poſſidere; tunc profectò prætermiſſis Cancro, & Leone luminarium domicilijs, tranſitur ad Virginem, cui præeſt Mercurius, qui proptereà totius geniture vniuerſale dominium ſortietur. Hæc Firmici mens, cui ſubſcribit Pontanus, & non pauci ex recentioribus. Reuera tamen id nec valida ratione deductum, nec cum effectibus conſonat. Et ſcimus Firmicum Latinè magis, quàm Philoſophicè ſcripſiſſe, vt aduertit etiam Iunctinus; vnde & eius ſcripta propter ſermonis elegantiam ab Eccleſia permiſſa ſunt, cum alias multa ibi abſona, Arabum ſuperſtitionibus inuoluta confarcinauerit: ſicut & Pontanum, Poëtam magis, quàm Aſtrologum egiſſe. Alij abſolutè eum huic diſpoſitioni præficiunt, qui fuerit dominus aſcendentis, vel in aſcendente partiliter repertus. Et ſanè, nulli dubium, aſcendentis dominum, ſiue Almuthem, ac Planetam in eo repertum plurimùm poſſe in decernenda complexione nati: at in alijs, non ita clarè. Alij eum ſtatuunt geniture dominum, in cujus finibus tempore natiuitatis Sol reperiatur in genitura diurnà, Luna verò in nocturna. Communior tamen ſententia inſiſtens Ptolemæi præceptis, in ijs quæ habet *lib. 3. Quadrip. cap.* 11. (vbi agit de Apheræ electione, quando luminaria vitæ moderationem ſortiri nequeunt) docentis, vt is eligatur in Apheram, ex quinque erraticis, qui cum ſit in locis idoneis, plures prærogatiuas habuerit in locis luminarium, aſcendentis, medij cæli, & partis fortunæ (alij pro parte fortunæ ponunt locum præcedentis luminarium conjunctionis, aut oppoſitionis) ita & ipſi illum planetam præficiunt vniuerſali rerum dominio, qui in omnibus hiſce locis plures prærogatiuas habens, cæteris anteibit; atque eum qui, facto ſcrutinio, proximus illi erit in numero dignitatum, in huius dominij participationem admittunt, excluſis ſemper luminaribus.

Ego ſanè, omnibus perpenſis, ratione, & experientia ductus, ijs aſſentiri cogor, qui exiſtimant eum planetam in hoc negotio præficiendum eſſe, qui cæteros vincet in fortitudine, 56.

ſitque ideò in angulis, aut ſuccedentibus ( alijs in locis viliſribus exiſtentibus ) curſu velox, lumine plenus, atque in ſuis dignitatibus eſſentialibus. Ratio, quæ me mouet, hæc eſt: quia hic agitur de majori actiuitate, & concurrentia ad operandum in omnibus; cum ſemper, qui viribus præualet, maiores exerat in agendo. Sic plus præſtabit in prælio generoſus miles optimis armis munitus, viribus potens, ſitu eminens, amicorum patrocinio fultus, & numeris omnibus abſolutus, quàm Dux, qui cæteris quidem præſit, verùm grauiter vulneratus, viribus impotens, in hoſtium finibus, vndique oppugnatus, atque in loco, vbi vires ſuas exerere, arma tractare, auctoritate ſua vti minimè poterit: Non illi ſua fortitudo proderit, non ſua prudentia, non ſua virtus, ac dignitas, ni cætera conſequantur. Ita planè in caſu noſtro: parum refert planetam, aut dominium aſcendentis habere, aut locis potioribus dominari, aut etiam ſigno in quod proximè intrabit Luna, ſi cæteroqui viribus debilis, impeditus, combuſtus, cadens, in maleficarum radijs, aut dignitatibus conſtitutus ſuas partes obire, ſuaque fortuna vti non poſſit. Præualebit equidem, qui facto ſcrutinio cæteris valentior in vniuerſum inueniatur, quique vires ſuas exerere, tum ob loci ſitum, tum ob numerum dignitatum, ſeu fortitudinem, tum ob alia accidentia plus alijs poterit. Igitur ab hoc munere excludendi primò ſunt, qui combuſti, qui à maleficis ſunt obſeſſi, qui retrogradi; mox qui aliàs debiles, peregrini, tardi motus, ſub Solis radijs exiſtentes; ac tandem qui in cadentibus reperiuntur. E contrà is præficiendus, qui in angulo, ac ( cæteris adhuc in angulo exiſtentibus ) qui fuerit in nobiliore, ſeu eiuſdem anguli ſitu eminentiore; qui lumine plenus, qui in ſuis dignitatibus, qui beneficarum radijs fulciatur; qui demum, facto ſcrutinio, tam fortitudinum quàm debilitatum cæteris omnibus fuerit potentior, & validior: potiſſimè verò in ſitu mundi ſit optimè conſtitutus; ita vt cæli culmen cæteris angulis præferatur, mox linea Orientalis ac prima domus: inde cardo Occidentis, & ſeptima, poſt Imum cæli, ac tandem ſuccedentes per ordinem: poſtremo ſi nullus in his locis reperiatur, inſpiciantur cadentes, primò nona, ſecundò tertia, deinde ſexta, vltimo duodecima: atque in ijs locis is præ omnibus eligatur, qui magis ad Meridianum accedit.

17. Neque ab hoc munere excludenda ſunt luminaria, per hoc quod rerum generalem ſignificationem ſibi vendicant, ſi & ipſa cæteris paribus alijs antecellant tam quoad mundi ſitum, quàm quoad reliquas fortitudines. Semper enim verum eſt, vt qui virtutibus præualet, præualeat & actiuitate; quique in

radice potentior fuerit, atque optimè conſtitutus, potentiùs exerat ſuas vires, quàm qui debilis, & minus potens. Sic ſæpenumerò videmus plurimos apertè naturam Solis referre: aliis Lunam plurimum dominari, in ijſque Lunæ effectus clariſſimè elucere; quod irrefragabili argumento eſt, alterum luminarium in eius efformatione plurimùm contuliſſe, proindeque totius genituræ dominium extunc ſibi vendicaſſe: Et hæc ſatis de genituræ domino.

58. Dominvs *Orbis*, ſecundùm Arabes eſt dominus horæ planetariæ in qua quiſque editus eſt in lucem, & ſucceſſiuè qui ſecundæ horæ in dominium ſuccedit per ordinem. Hunc profectò ſuis nugis, ac philaterijs geſtiunt aſſumere in annorum ſubſequentium gubernationem, ac dominium: ita vt domino primæ horæ competat diſpoſitio primi anni, & per eum ſignificetur in eo anno eſſe nati, quantum ad ſanitatem, & infirmitates corporis, ſicut per dominum aſcendentis: per dominum ſecundæ horæ ſignificetur ſecundo anno eſſe ſubſtantiæ, ſicut ſignificatur per dominum ſecundæ domus: per tertium dominum horæ ſignificetur eſſe fratrum in tertio anno, ſicut per dominum tertiæ domus, & ſic proſequendo in dominis horarum ſubſequentium per ordinem domorum, & per annos ſubſequentes vſque ad finem vitæ. Res planè ridicula, & vanitatis plena. Sic etiam

59. Dominvs *horæ* eſt dominus duodecimæ cuiuſque partis diei, ac noctis, ijs in duodecim æquales partes tributis, quas ideò inæquales, ac horas planetarias appellamus. Qua de re vide jam dicta in V. Diepon, quod Arabicè dominum horæ ſignificat. Porrò in electionibus rerum, huiuſmodi horas planetarias obſeruare, etſi fortè ſuperuacaneum foret, non per hoc tamen erit vituperabile aut ſuperſtitioſum. Præſtat hic apponere quæ circà hanc horæ electionem habet Albertus Magnus in ſpeculo. *Non enim libertas*, inquit, *arbitrij ex electione horæ laudabilis coërcetur, ſed potiùs in magnarum rerum inceptionibus electionem horæ contemnere eſt arbitrij præcipitatio, non libertas.* Quod etiam ex Ptolemæo confirmat Marſilius Fecinus *lib. 3. de Vita, cap. 12.*

60. Dominvs *radiorum* juxtà Arabum placita, ſeu potiùs deliramenta, eſt planeta aliquo radio reſpiciens ſignum profectionis horoſcopi alicuius anni. Vt ſi progreſſio aſcendentis iſtius anni, exempli gratiâ fuerit ad ſignum Arietis deuoluta, Mars erit dominus profectionis annuæ, vt ſuprà dictum eſt, quia eſt dominator Arietis: ſi verò aliquis planeta Arietem quacumque irradiatione reſpexerit, is radiorum dominus appellabitur: vt puta Iupiter ex 6. Leonis gradu illum trigono radio

intueatur: Venus è 18. Libræ, oppoſito: Saturnus è 28. Cancri Quadrato: ij omnes erunt domini radiorum. Quamobrem Mars anni dominus 73. diebus gubernia moderabitur, donec planetæ ſuos radios in eas Arietis partes jaculentur, quas Iupiter reſpicit. Itaque Martis Collega, nati patrocinia aſſumet ſpatio 146. dierum, qui æquipollent 12. gradibus interjectis è Veneris ad Iouis radios. Deinde ſuccedit Venus moderatrix ſpatio vſque dierum 121. cum horis 17. qui reſpondent gradibus 10. reſiduis ad quadratum Saturni aſpectum. *Qui tandem radijs natum pulſabit iniquis, octonas horas, ſex, quater atque dies*, æquiualentes nempè duobus gradibus reſiduis ad calcem vſque eius ſideris. Hæc de radiorum dominis Arabes ſuis nugamentis abunde.

61. DOMINVS *temporis*, Græcis *Chronocrator* (de quo plura diximus ſuo loco) eſt ille planeta, qui in temporum diſtributione dominium temporis ſortietur. Is pluribus modis intelligi poteſt: primò ratione totius ætatis hominis, vt ibi explicatum eſt; ſecundò ad certum tempus à luminaribus exordiendo. In diurnis igitur genituris initium temporum à Sole accipitur, & cæteris planetis impertitur: in nocturnis verò à Luna. Ergo cum Sol dominus temporum extiterit, vendicat ſibi dominatum, ſiue decernendi poteſtatem ann. 1. menſ. 7. hoc eſt vndeviginti menſes. Luna ann. 2. cum vno menſe, hoc eſt menſ. omninò 25. Inde is planeta, qui in natalitio themate ſecundùm ordinem ſignorum in ſecundo loco fuerit ſupputatus: tertium, qui poſt ſecundum, & ſimili modo de cæteris. Sed quicumque ſuum decennium fuerit ſortitus; licèt ipſe ſit principalis totius temporis Chronocrator, cæteris tamen planetis per ordinem ſuccedentibus portionem ſui decennij diſtribuit, qui fuerint per ordinem immediatè poſiti in ſchemate natalitio, à ſeipſo tamen primum incipiens, & poſt ſe illis portionem tribuens, qui ſubſequentur. Itaque Saturnus habet menſes 30. Iupiter 12. Mars 15. Sol, vt dictum eſt, 19. Venus 8. Mercurius 20. Luna tandem menſes habet 25. In nocturnis verò genituris primum decennium habet Luna, inde qui per ordinem ſecundùm ſucceſſionem ſignorum ſuccedit, vt dictum eſt de Sole. Porrò Tabulam Chronocratorum, nec-non ſingulorum particulares ſignificationes habes apud Firmicum *lib 6. cap.* 34. & ſequentibus.

62. DORADO, Indorum vocabulo, dicitur nouum ſidus in cælo ad polum antarcticum nobis inuiſum, à modernis Aſtronomis detectum, vnà cum alijs vndecim. Stellas habet omninò ſeptem infimæ notæ ſub Capricorno. Vocatur & Græco nomine *Xiphias*.

Doryphoria Græcè idem ſonat, ac Latinè ſecuritas, & 63: comitatus 1 ( Arabes Doctoriam vocant ) quod nos exemplo à Principibus ſumpto, qui multo ſatellitum famulatu comitati incedunt, *Satellitium* planetarum ad luminaria cæleſtium luminum principes, nominamus. Et quemadmodum Regem famulatus præcedit, Reginam verò ſubſequitur, ita ad hoc ſatellitium luminaribus adornandum, debent quinque erraticæ Solem præcedere, ſicque eſſe ab illo Orientales, Lunam verò ſubſequi, atque eſſe ab illa Occidentales. Quomodo autem fiat hic famulatus, ſatellitium, ac Doryphoria, aliter explicant Arabes, aliter Græci. Hi enim docent, tunc planetam facere Doryphoriam Soli, quando fuerit ſeparatus ab illo, & extrà eius radios ad triginta gradus, quando mane apparuerit; in qua re valdè diſſentiunt, & confunduntur. Aliqui enim inquiunt planetam infrà 16. gradus nullo pacto facere Doryphoriam, quia vel eſt ſub radijs, vel combuſtus. Alij verò id non attendunt, ſed vbique ſit intrà triginta gradus, etiamſi combuſtus, docent ipſum facere ſatellitium. Alchabitius tenet, quod infrà 60. gradus intelligi debeat hæc diſtantia, cum planetæ fuerint extrà radios; eo modo, quo dictum eſt, & figura ſexangula inueniatur: ſed in alio capite dicit, quod quando planeta fuerit in angulo, ſeu in ſua ſimilitudine, & Sol in ſua ſimilitudine in altero angulorum, tunc fiat Doryphoria. Arabes verò docent, quod non tantum ex præſentia, ſed etiam ex radio cum luminaribus fiat Doryphoria: ita quod Sol verbi gratiâ ſit in aliquo angulorum, & reſpiciatur ab erraticis per ſextilem, trigonum, aut quadratum, nihiloſeciùs fiat Doryphoria. Quid in tanta controuerſia determinandum ſit, non eſt animus pro nunc explicare. Eſt enim res magni momenti, & à multis infrà explicandis dependet; quibus traditis liquidò apparebit, quid requiratur, quidue ſufficiat ad verum ſatellitium luminaribus adornandum. Vnde cum iterum redibit ſermo in V. *Satellitium* iactis jam fundamentis, facile erit ædificium ſtruere, nouamque hanc doctrinam mentibus ingerere, ac tenaciùs implantare. Pro nunc ſufficiat præmittere tanquam dicendorum baſim, idque pro certo ſupponere, ad ſatellitium requiri, vnionem, & familiaritatem erraticarum cum Sole aut Luna ( vt optimè probat Titus *in Cæleſti Philoſophia* ) Cùm enim id ſit acceſſus virium ad luminaria, ac veluti vectigal mutuati luminis, quod à lateronibus ipſis ſoluatur; niſi in ea diſtantia fuerint, qua eorum virtus vniri poſſit, atque ad luminaria tranſmitti, Satellitium facere, ac Doryphoriam minimè poterunt. Porrò quanta ſit cæleſtis hæc conſtitutio, quantiue momenti ad dignitates, & imperia decer-

nenda, non ſatis explicari poteſt: Sed de ea re fusè loco citato.

64. Doza *Almogiza*, Arabicè idem ſignificat ac Latinè Limbus in Aſtrolabio, qui eſt circulus prominens in eius extremitate, in cuius plano deſcriptæ ſunt horæ æquinoctiales diſtributæ per ſingulos quindenos gradus æquatoris, incipiendo à prima poſt Meridiem, vſque ad vigeſimam quartam. Item & ventorum deſcripta nomina à partibus, vnde ſpirant: aliaque ad id ſpectantia. Vide in V. Limbus.

DR

65. Draco, ſidus in cælo circa polum Zodiaci arcticum, Arabicè Eltanim continet ſecundùm Ptolemæum ſtellas 31. at ex teſtimonio Kepleri 32. & Baieri 33. omnes ferè de natura Saturni, & Iouis, inter quas præcipua eſt, quæ micat in capite Arabicè *Ras Aben*, tertiæ magnitudinis, nec-non altera quæ in lingua, habentes naturam mixtam ex Ioue, Saturno, & Marte. In longitudine amplectitur omnia ſigna Zodiaci, quoniam, vt dixi, circumdat polum Zodiaci, vbi ea reſtringuntur, atque in ipſum polum deſinunt. Is in horoſcopo, inquit Firmicus, facit Marſos, & qui venenis ex herbarum ſucco paratis antidotis occurrant, ac ſerpentum ictibus medeantur. In occaſu verò adducit periculum veneni, vel ictus ſerpentis, maximè ſi Saturnus dictum locum maligno radio infeſtauerit.

66. Draconis *Luna caput, & cauda* ſunt nodi Lunares, ſeu interſectiones Eclipticæ, & orbitæ Lunæ in duobus locis oppoſitis, vnde ſumitur argumentum latitudinis Lunæ, & à capite quidem borealis, à cauda verò auſtralis. Quare autem huiuſmodi interſectiones à Dracone nomen ſortitæ ſint, dictum eſt alibi.

67. Draco *volans* eſt genus quoddam ignitarum accenſionum in aëre apparentium, cui materiam præbet exhalatio quædam viſcoſa, nec valdè calida, nec valdè denſa, quæ à nubibus, dum ab illarum frigore truditur, exilire videtur recuruo tractu ad modum colubri, vel draconis, & quia ex altera parte nititur ſurſum aſcendere, videtur quaſi ardentes ſcintillas de ore vomere: ex alia verò parte, vbi eſt nubes illam conſtringens, præſefert quaſi dorſum ac caudam Draconis.

DV

68. Dubhe, ſeu *Dubbhelacbar*, Arab dicitur Vrſa maior, Helice quaſi Vrſæ plauſtrum, vtramque enim imaginem refert, ſidus ad polum Arcticum conſtans ſtellis 27. & octo informibus apud Ptolemæum, ſecundùm Baierum verò 32. at iuxtà Keplerum 56. ex quibus quæ in humero, ſecundæ magnitudinis, de-

natura Saturni, retinuit nomen *Dubhe*. Kircherus in Oedipo refert plauſtrum hunc, ſeu Vrſam ab Arabibus Chriſtianis vocari *Naaſch Laazar*, hoc eſt feretrum Lazari, pio quidem affectu, quo abjectis poëtarum figmentis, non à fabulis, ſed à ſacrarum paginarum penu deſumpta ſideribus nomina indiderunt, quod poſteà audio feciſſe de toto firmamento, eiuſque imaginibus cæleſtibus neſcio quem Iacobum Schillerum appingendo ſingulis aſtris nomina ſanctorum, & præſertim Zodiacum appellando ex nominibus duodecim Apoſtolorum: ſed de hac re fuſiùs in V. *Imagines Cæleſtes*.

Dvctio, idem eſt apud aliquos, ac Directio: ſignificat enim deductionem Promiſſorum ad loca Significatorum, atq; artificioſam menſuram itineris, quod motu primi mobilis perficit Promiſſor, quouſque ad locum Significatoris perueniat. Quod quomodo fiat, ſatis dictum eſt in V. *Directio*. 69.

Dvctoria, Arab. idem quod Græcè *Doryphoria*, de qua non longè ante dictum. Sed enim eam aliter explicat Alchabitius. Eſt enim inquit Ductoria vt planeta ſit in ſuo *Hayz*, ideſt in parte ſibi propria, & in aliquo angulorum aſcendentis, & aliquod luminarium: ſimiliter ſit in loco ſibi conſimili in quadrante, videlicet in aliquo angulo; ita quod planeta in die ſit Orientalis à Sole, in nocte Occidentalis à Luna. Hali verò ſuper propoſit. 16. Centiloquij dicit quod ad Ductoriam requiritur, vt ſuperiores quidem ſint Orientales à Sole, at verò inferiores ſint Occidentales; quoniam iſti cùm Occidentales ſunt, & illi cùm Orientales creſcunt lumine, atq; adeò fortiores, validioreſque euadunt. Quid in hac re ſit dicendum explicabimus in V. *Satellitium*. 70.

Dvodenaria *planetarum*, ſiue *domorum*, eſt vna ex ſuperſtitioſis, ac vanis Arabum conſiderationibus ſuper duodecim Zodiaci ſigna, ac cæleſtes domos in ſitu mundi; quemadmodum *Nouenaria, Alfridaria* &c. Itaque in quolibet ſigno vel domo inuenire ſatagunt dominum duodenariæ, atque ad id præſtandum diuidunt vnumquodque ſignum in duodecim partes æquales; ita vt quælibet pars conſtet duobus gradibus & dimidio: quo facto dicunt, quod dominus primæ duodenariæ eſt dominus illius ſigni; dominus ſecundæ duodenariæ eſt planeta ſuccedens per ordinem deſcendendo, & ſic de reliquis. Sic verbi gratia dominus primæ duodenariæ Arietis eſt Mars: ſecundæ Sol: tertiæ Venus: quartæ Mercurius: quintæ Luna: ſextæ Saturnus: ſeptimæ Iupiter: octauæ iterùm Mars, & ſic ſequendo. Et hæc eſt explicatio duodenariæ quam tradit Ioannes de Saxonia in Alchabitium. *Cùm igitur*, ſubdit, *volueris ſcire duodenarias planetarum, vel domorum, vide quantùm* 71.

*tranſiuit planeta de ſigno in quo eſt, aut de domo in qua eſt, & numerum illorum graduum multiplica per duodecim, & ſuper numerum productum adde numerum graduum, quos multiplicaſti: & quod collectum fuerit proijce ab initio ſigni, in quo eſt planeta, dando vnicuique ſigno 30. gradus; & vbi finitus fuerit numerus, ibi erit duodenaria* Ita ille. Inanis labor, atque eorum qui hæc commenti ſunt cerebro dignus.

72. Dysis, Græcè dicta eſt ſeptima domus in cæleſti Themate, & cardo Occidentis, oppoſitus directe angulo Orientali, ad quem perducti planetæ & ſidera motu primi mobilis, mox occultantur: ideoque & mortis ſignificator aſſeritur. Vnde Gauricus cecinit.

*Septima quandoquidem domus eſt contraria primæ:*
*Prima domus vitæ; ſeptima mortis erit.*

Ad hanc Ptolemæus dirigit vitæ moderatorem conſiſtentem inter ſpatium à decima domo ad occaſum, ad auſpicandum vitæ ſpatium, motu conuerſo directionem inſtituens. *Quia*, inquit, *dominum vitæ abſcindit.* Significat etiam ſeptima coniugium, inimicos potentes &c. ex membris humanis habet femora, lumbos, vmbilicum. Habet fortitudinis quatuor ſuffragia, & conſignificatrix eius eſt Luna.

## E C

Eccentricvs *Orbis*, ab Aſtronomis dicitur qui habet centrum diuerſum à centro telluris, quaſi extrà centrum. Sicut concentricus qui cum tellure, vel alio Orbe ad quem fit comparatio conuenit in vno centro. Sunt autem excogitati ab antiquis Aſtronomis huiuſmodi orbes eccentrici, quemadmodum, & epicycli ad ſaluandas apparentias, irregularitates motuum, aliaque id genus, quæ ægrè intelligi poſſunt ſine huiuſmodi circulis. Eſt igitur Orbis eccentricus cuiuſcumque planetæ ille, cuius tam concauum, quàm conuexum deferentis habet centrum à centro vniuerſi diuerſum: ita vt vniformis ſit quoad craſſitiem, inſtar cuiuſlibet ſphæræ cæleſtis, ſitque immerſus intra craſſitiem cæli, ac terram ipſam ambiat. Atque iſte vocatur eccentricus ſimpliciter, quia eſt omni ex parte à centro Vniuerſi alienus, atque alium centrum habet. Quoniam autem iſti Orbes eccentrici motu raptus circa tellurem mouentur; neceſſe eſt dari duos alios Orbes, qui Orbem eccentricum in medio concludant, & rapiant, qui tamen dicuntur eccentrici non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, hoc eſt ab vna tantùm parte, aut concaua, aut conuexa, atque ab altera parte concentrici; hoc eſt habentes idem centrum cum Vniuerſo. Itaque in vnoquoque planeta tres Orbes concipiendi ſunt, ex quibus medius, in cuius craſſitie infixum ſit corpus planetæ, ſit

ſit ſimpliciter eccentricus tam ſecundum concauum, quàm ſecundum conuexum; alij duo ſint ex vna parte concentricus, ex alia eccentricus, ex ea inquam, quæ ſimpliciter eccentrico ſit contiguus. Sed de hac re melior notitia haberi poterit in Theoricis planetarum, vbi ſchemata horum orbium ad viuum delineata oculis exhibentur. Nobis ſufficiat rem paucis verbis delibauiſſe.

Eclipsis Græcè defectionem Latinè ſignificat. Ab Aſtronomis preſſiùs accipitur pro defectu luminarium, quando ex mutua coitione in orbita Solis, huius facies nobis ex interpoſitione corporis lunaris occultatur: aut ex eorumdem oppoſitione in eadem orbita Luna obſcuratur, eò quia incidit in penumbram atmoſphæræ, vel vt explicabant antiqui, in vmbram terræ. Et quia in Solis orbita id ſemper accidit, per quam ſi ferretur Luna continuè nulla vnquam prædita latitudine bis in menſe videremus huiuſmodi eclipſes ſeu defectiones lucis modò in vno, modò in altera; ideò orbita Solis ipſa, quæ eſt veluti ſubjectum harum defectionum, Ecliptica dicta eſt. In pluribus autem differt eclipſis Solis ab eclipſi Lunæ. Primò quod in Lunari defectione eius facies verè obſcuratur, & lumen deperdit ob telluris interpoſitionem, quæ obſtat, ne à Sole illuminetur: In eclipſi verò Solis ipſe deficit lumine, ſed nos eius luce priuamur ob interpoſitionem diſci Lunaris quæ impedit tranſmiſſionem radiorum Solarium ad ſuperficiem terræ. Quod ideò dicenda ea potiùs eſſet eclipſis terræ, quàm Solis, cum ea omnia quæ in Lunæ eclipſi accidunt in eius directa oppoſitione cum Sole, accidant & in eius conjunctione, reſpectu terræ, cui, vt ita loquar, videtur vicem rependere priuationis lucis quam paſſa eſt in eius interpoſitione cum Sole, ijſdem affectibus eam afficiendo, in ſua ipſius interpoſitione, qua vel ei lumen adimit ſua vmbra, vel ſanè impedit ne Solis radij ad eam illuſtrandam accedant. Quî fit vt ſi fortè quis in concauo Lunæ conſtitueretur (vbi ſanè congruam hominibus habitationem eſſe non deſunt, qui aſſerant) vtique ea omnia accidentia ac paſſiones telluris erga Solem, demirans conſpicaretur; præcipuè verò hanc defectionem lucis, in luminarium coitione, quæ nos, vtpote obuia & continua videmus, ſed non demiramur in Luna. Secundò differt eclipſis Lunæ ab eclipſi Solari, quia cùm illius obſcuratio ſit vera, & realis, eſt etiam vniuerſalis, ſemper & vbique eadem, & ſemper eiuſdem quantitatis apparet in omni ſuperficie terræ, vnde viſibilis eſt: At enim eclipſis Solis non eſt vniuerſalis, ſed pro diuerſitate climatum variatur ſecundùm quod variatur reſpectus eius ad terram ob interpoſitionem diſci Lunaris; ita vt 2.

alicubi fortaſſis videri poſſet totum Solare corpus eclipſatum; alibi pars, alibi nulla; eò quia, vt dixi, ibi totum corpus Lunare intercipitur, & directè, inter viſum & corpus Solare, adeò vt nulla pars eius remaneat conſpicua; hic autem ex parte tantum impediat, aut nullo modo. Tertiò differunt huiuſmodi eclipſes, quia Solaris incipit à parte Occidentali corporis eius, eò quia Luna, quæ ipſum ſuo corpore impedit, & obſcurat, quia eſt motu leuior, & motu ſuo gradiens venit prior ad Solem, ab eoque ipſa recedit, conſequenter ab Occidente venit ad conjunctionem, atque inde incipit obſcuratio. In eclipſi verò Lunæ eius corpus incipit obſcurari à parte Orientis, quia ipſa motu ſuo proprio procedens, vt dixi, ab Occidente in Orientem intrat in vmbram terræ, quæ interponitur, quam primò incurrit per partem ſui corporis Orientalem, licet vmbra, quæ ipſam aggreditur id primò faciat per ſui partes Occidentaliores, ac deinde per reliquas.

3. INCIDENTIÆ *ſcrupula* in eclipſibus, quæ etiam dicuntur *minuta Caſus*, ſunt minutiæ partium Zodiaci, quas Luna, ſuperando motum Solis perambulat ab initio eclipſis ad medium, ſi non ſit eclipſis totalis cum mora, vel ab initio eclipſis ad initium totalis obſcurationis, ſi ſit totalis cum mora.

4. REPLETIONIS *ſcrupula*, ſeu *minuta emerſionis*, ſunt minutiæ partium Zodiaci, quas Luna ſuperans motum Solis percurrit à medio eclipſis ad finem, ſi non ſit eclipſis cum mora, atque totalis: vel ab initio apparitionis ex vmbra, ſi ſit totalis, cum mora.

5. MORÆ *dimidia ſcrupula* ſunt minutiæ partium Zodiaci, quas Luna Solem in motu ſuperans percurrit ab initio totalis obſcurationis ad medium ſeu ſummum eclipſis, quibus æquantur ſcrupula, quæ à medio ad initium nouæ apparitionis pertranſit: tempus verò his reſpondens dicitur tempus incidentiæ repletionis, & moræ dimidiæ.

Porrò quàm magna ſint quæ portendunt eclipſes, ſiue vnius, ſiue alterius luminaris, nemo eſt qui non videat; noſque malo noſtro nuper experti ſumus, ex duabus Solis, quarum altera celebrata fuit in Ariete anno 1652. altera in Leone anno 1654. Vtraque in ſigno igneo; quam poſteà ſequuta eſt dira fames, ac peſtis, celeberrimas, ac populatiores Italiæ vrbes Neapolim, & Genuam deuaſtans, Romamque ipſam aliaque Oppida non mediocriter lædens. Quo verò in genere ea mala futura ſint, quæ minantur eclipſes, & quam potiſſimum regionem afficiant, diſertè tradit Ptolemæus *lib. 2. Quadrip. cap. 7.* ac nouiſſimè peculiari libro *de Eclipſibus, & earum ſignificatis in quacumque domo* Ioannes Antonius Ciuffus Neapolitanus.

6. Opinatur autem Ricciolus in *Almageſto*, Eclipſes non tam calamitates in mundum importare quàm bona, eaque maxima, licet nobis ignota, aut inconſiderata, qui eius conditionis ſumus, vt ad mala potius quæ in natura ſunt, oculos admoueamus, quàm ad plurima beneficia, quæ vel ex malis ipſis habemus. *Neque enim*, inquit, *ſi aliquibus incommoda ſunt Eclipſes, credendum eſt nulli omninò naturæ ſublunarium prodeſſe : & ſanè ſicut noctis, & hyemis viciſſitudines ſuas habent in natura opportunitates; ita ſubtractio Lunaris luminis eo tempore, quo plenum alioquin terras illuſtraturum fuiſſet, & obſtructio radiorum Solarium ad attemperandos, aut interrumpendos influxus pertinere videtur.* Hæc ille & ſanè non ſine maxima probabilitate.

Hic autem quoniam de luminarium defectionibus agitur, 7. non erit ab re aliqua etiam de eclipſi, ſeu obſcuratione aliorum cæleſtium corporum per interpoſitionem inferiorum, exponere. Equidem eo modo, quo Sol obſcuratur, poſſunt & quinque erraticæ, poſſunt quinimò & fixæ, eandem defectionem pati, quã eorum lumen & influentiæ per inferiores intercipiantur. Quod quando accidit præſertim in tribus ſuperioribus, atque hæc luminis inhibitio fit ab ipſis luminaribus, qui cum corpore magni ſint diu planetam ſuperiorem tenent occultatum, eiuſque radios, & influentias diu à nobis auertunt, tunc quidem grande aliquid; idque non ita obuium expectandum eſt. Talis fuit obſcuratio, immò & occultatio Iouis per interpoſitionem corporis Lunaris ante annum 1648. de qua variè pronunciatum ab noſtris Aſtronomis, & quia effectus iſti incidebant in Poloniam, quæ ſuberat ſigno, in quo celebrata fuit: ideò nil mirum ſi ab eo tempore ea tam malè ſit bellis vexata.

At enim eo modo quo obſcuratur Luna per hoc quod incidat in vmbram terræ, aut alterius planetæ nullus eorum poterit obſcurari. Patet, quia licet telluris vmbra pertingat ad orbem Veneris, ac proinde tangere poſſit, & Venerem, & Mercurium, ſic etiam vmbra Mercurij ad orbem Veneris; nihilominus vmbra illa non rectè ſurſum porrigitur, niſi quando Luna, aut alius planeta eſt in oppoſitione Solis : At iſti planetæ, Venus ſcilicet, & Mercurius nunquam elongantur à Sole pluſquam vnum, aut duo ſigna, quî fit, vt neque in vmbram conicam terræ poſſint incidere, neque in Lunæ, neque in alterius alter, atque adeò nec etiam eclipſari. 8.

Ecliptica eſt linea in medio Zodiaci collocata, hinc inde ſex gradus latitudinis relinquens, per quam Sol perpetuò incedit neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram vnquam declinans, ſeu melius definiri poteſt ecliptica, quod ſit *Circulus magnus in cælo æqualiter diſtans à polis Zodiaci, non ſecùs ac æquator à* 9.

*polis mundi, in eorum media diſtantia deſcriptus, per quem Sol perpetuò diſcurrit* Hinc orbita Solis, via Solis, planum Solis, & alijs etiam nominibus eſt inſignita. Potiſſimùm autem dicitur *Ecliptica*, eò quia in ea ſemper accidunt eclipſes, ac luminarium defectiones: vt paulò antè tetigimus. Differt à Zodiaco tanquam pars à toto; quia hic appellat ſpatium latum, & amplum ſex graduum hinc inde ab ecliptica, per quod vnuſquiſque per ſuam orbitam incedendo diſcurrere intelligitur, vnde & ipſam eclipticam, & aliquid ampliùs comprehendit; Ecliptica verò eſt linea latitudinis expers in Zodiaci medio ſita, per quam vnicus Sol perpetuò diſcurrit. Vbi aduertendum quod iuxtà Alphonſinorum ſententiam tres imaginari debemus eclipticas. Vnam in primo mobili: alteram in nona ſphæra; tertiam in octaua, ſeu firmamento. Harum duæ proprios habent polos, eoſdemque fixos in eadem ſemper diſtantia à polis mundi: tertia verò, ſub qua propriè mouetur Sol, habet polos ſemper mobiles, ſicut in Theoricis planetarum demonſtratur, qui nunc accedunt, nunc recedunt à dictis polis mundi, ſemper tamen manentes ſub circulo tranſeunte per polos eclipticæ primi mobilis, & nonæ ſphæræ, ac ſimiliter per capita Arietis, & Libræ nonæ ſphæræ, quem colurum æquinoctiorum vocamus; ac de ecliptica octauæ ſphæræ, quæ hucuſque diximus, verificantur. Alia huic ſpectantia vide in V. *Zodiacus*.

10. ECNEPHIAS, Græcè ad eam ventorum ſpeciem referri poteſt, quam Philoſophus fulminibus iunxit, & ſub vniuerſali procellarum nomine appellauit, ſuntque Ecnephias, Turbo, & Præſtera. Sic autem eius generatio ab eo perbellè traditur *in lib. de Meteoris.* Eleuatur, inquit, è terra humore imbibita permixtim halitus terreſtris, & aqueus, qui ad ſecundam aëris regionem perueniens cogitur in nubem: calentior autem exalatio ſe recolligit, & à vapore, & nube concluditur; & à circumſiſtentia contrarij validior reddita nubem ſcindit, & foras erumpit. Et ſi talis exhalatio ſit ſubtilior, & à nube ſeparetur non tota ſimul, ſed interpolate per modicas partes, & ex diuerſis nubium locis in tonitrua, & coruſcationes conuertitur: ſin autem ſpiritus intrà nubem coactus corpulentior, & craſſior ſit, & verſus terram è nube proſiliat, non ſparſim, ſed confertim, ac totus ſimul fit Ecnephias: nimirum ob craſſitiem non incenditur in coruſcationem, non tonat, quia non agitatur, & reuoluitur intrà nubem, nec craſſiora latera ſcindit, ſed magna vi, tum ob celeritatem excretionis, tum ob partium multitudinem deorſum fertur, ſicque procelloſus Ecnephiæ ventus exiſtit. Hæc Ariſt. ex quibus ſic breuiter definiri poteſt Ecnephias. *Eſt exhalatio copioſa & craſſa, tota ſimul è nubi-*

Digitized by Google

*bus excuſſa, & magna vi deorſum impulſa abſque gyro, & inflammatione.* De eo multa habet Plinius *lib. 2. cap. 48. & 49.* Concluditur igitur Ecnephiam valdè à cæteris ventis natura, & conditione diſtare: illi enim omnes è terra proſiliunt, Ecnephias è nubibus eſt: illi non niſi aër commotus ſunt, iſte copioſa quædam, & craſſa exhalatio tota ſimul è ruptis nubibus excuſſa, & magna vi deorſum impulſa, quæ quia nimium craſſa eſt, ideò non coruſcat.

ECPTOSIS, Græcè idem ſonat, ac Latinè delapſus; eſtque potiſſimè, vt teſtis eſt Valla, ab Aſtronomis vſurpatum ad explicandam profectionem annuam aſcendentis in illud ſignum, in quo facta fuit præcedens luminarium conjunctio, aut oppoſitio in Geneſi. 11

## ED

EDELEV Arab. Latinè dicitur Aquarius vndecimum ſignum, ſeu potius aſtrum in cælo conſtans ſtellis 42. de quo vide in V. *Aquarius.* 12.

EDVB, ſeu *Dubhe* dorſum Vrſæ maioris. Vide in V. *Dubhe.* 13.

## EF

EFFLVXVS, idem ſignificat ac defluxus: Cùm videlicet planeta diſcedit à conjunctione partili cum alio, & eſt adhuc in platica, hoc eſt intrà quantitatem orbis lucis ipſius, quod in leuibus tantum ergà ponderoſos verificari poteſt. Vide in V. *Coitus.* 14.

## EL

ELATHI, idem apud Arabes, ac Geniculator apud Latinos, hoc eſt Hercules, Engonaſis, ſidus in cælo, de quo ſæpè recurret ſermo. 15.

ELDIGIAGICH Arab. & corrupto nomine *Adigege* dicitur Gallina, Cygnus, ſidus in cælo conſtans Ptolemæo ſtellis 17. & Kepler. 27. de quo ſatis dictum in V. *Cygnus.* 16.

ELECET, Arabicè dicitur Leo ſignum, & ſidus in cælo, ad borealem plagam conſtans ſtellis 27. (exceptis aliquibus ſporadibus circà ipſum) promiſcuæ naturæ, inter quas Calb Eleced cor Leonis: Deneb Eleced, cauda Leonis: Ras Eleced, caput Leonis inſigniores, quarum naturam, & proprietates ſub proprijs nominibus habes. 17.

ELECTIONES *Aſtrologicæ* ſunt temporum opportunitates ad aliquid aggrediendum aſſumptæ; cùm videlicet ex Aſtrologicis obſeruationibus cautum eſt, quædam in certo ſiderum ſitu malè, quædam autem benè ac fauſto omine auſpicari Equidem vt ait Philoſophus inferiora iſta, tum in eſſendo, tum in operando à cauſis ſuperioribus pendent, & eæ quidem naturaliter in ſuos effectus influunt, ac neceſſariò agunt: humana 18.

aurem ratio ex prudenti præuiſione poteſt eorum effectus multos præuertere, ſubtrahendo materiam, impedire, declinare, vel etiam cooperando adjuuare, diſponere materiam, ſeſeque bonis influxibus ſubjectum paſſibile exhibere. Sunt quippe cælorum influxus copioſus veluti imber, aut redundans aquis plurimis amnis, quas cum meo horto ſalutares intellexero, viam illis parare geſtio, repagula tollo, in plantas omnes deriuo: at contra cum perniciosæ fuerint, viam claudo, extructo aggere occurro, & aliò earum impetum alluuionemque deflecto. Sic igitur electionis Aſtrologicæ eſt in rebus gerendis tempus opportunum aſſumere, quo aſtra inter ſe mutuò, & in ſitu mundi taliter diſpoſita ſunt, vt tum ratione, tum experientia irrefragabili id docente rei productioni, aut actioni instituendæ minimè officiant, ſed, potiùs ad benè eſſe valdè conducant, & auſpicatè ſe habeant: vnde Ouidius

*Temporibus medicina valet; data tempore proſunt,*
*Et data non apto tempore vina nocent.*

Hinc ſi quis omnes ſiderum influentias, ac virtutes agnoſceret, eorum cum ſublunaribus hiſce connexionem, ordinem, & ſympathiam; vel etiam diſſenſum, diſcordiam, atque antipathiam calleret, proculdubiò is mira operari poſſet, ſeſeque non ſideribusmodò; ſed ipſi naturæ imperitare poſſe præſumeret, auderetque ſuis contrà Deum donis pugnare. Ideò hæc ipſum latere jure voluit prouidentiſſimus rerum Opifex, atque vt inquit Plin. *Omnia incerta ratione, & in natura majeſtate abdita:* Satque eius incolumitati vitæque rationi conſuluit, ſi quædam vniuerſaliora, & groſſiora quoad Medicinam, Agriculturam, & Nauigatoriam artem permiſit ei per experientiam comparare.

19. Porrò hæc in duplici genere ſunt: aliæ enim, quæ dicuntur Electiones vniuerſales, quæ videlicet in omnibus locum habent, nec pendent à peculiari cuiuſque natiuitate, vel quia eius notitia haberi nequeat, vel ſanè quia ad rei aggrediundæ rationem impertinens eſt quales ſunt temporum mutationes, agricolationes, ædificia conſtruenda, & ſimilia: aliæ quæ à peculiari cuiuſque geneſi pendent, dicunturque ideò Electiones particulares, quæ aut neceſſariò aut congruentiùs ex eiuſdem inſpectione, & connexione quam habet ad præſens tempus ſunt ineundæ: Huiuſmodi ſunt Medicinalibus vti, Nauigationes, Itinera, opus aliquod maximè arduum aggredi, & ſimilia.

20. Quod ad Electiones vniuerſales generaliter attinet, conſideranda eſt primò negotij arripiendi qualitas, & conditio: tum corporum cæleſtium præcipuè verò Lunæ (quæ in ſublu-

naria iſthæc præ cæteris potiſſimam vim obtinet ) in ſignis, ac domibus conſtitutio: vt ſi celeritate ſit opus ſint in mobilibus ſignis, ſi ſtabilitate, ac firmitate vt ædificationes, in fixis. Præterea vt planeta rei aggrediundæ naturalis ſignificator, liber ſit à maleficis, atque in ſuis dignitatibus, bonorumque aſpectibus conſtitutus. Tandem, vt ſignum aſcendens tempore operis ineundi ſit de natura propoſitæ rei, vt pro itineribus ſigna mobilia, & pro nauigationibus quidem aquea, pro terreſtribus terrea, aut fixa: pro prælijs aut rixa feliciter ineunda in horoſcopo ſint ſigna aut ſidera Martialia, vt Bellatrix, Pallilitium, Regulus, &c. Pro Nauigationibus item inauſpicati ſunt congreſſus Lunæ cum Marte, aut ſideribus prædictis de eiuſdem natura, ortus, & occaſus Arcturi, Orionis, Hædorum, Delphini, & Sirij: experientia enim nunquam fallens edocuit hæc tempeſtates inducere. Similiter quoad Potiones ſumendas generaliter Ver eſt tempus maximè accommodatum: hyems & æſtas, ac præcipuè dies caniculares inopportuni. In ſpecie verò Luna quæ humoribus præſidet ſit benè affecta, lumine minuta magis, quàm aucta, libera à maleficis, nec non à Sole, eorumque prauis aſpectibus: ac ſit in ſigno de natura humorum qui purgandi ſunt vt ſi atrabilis euacuanda ſit, Luna conſtituatur in ſignis terreis; ſi flaua in ſignis igneis; ſi phlegma in ſignis aqueis: Aries tamen, Gemini, Cancer, Leo, & ſigna ruminantia parum idonea ſunt ad potiones ſumendas, quia cum partibus ſuperioribus præſint: eas ſurſum euocant, & vomitum cient, vt experientia jugis teſtatur. Ni forte Vomitoria præbeantur, in quo caſu ea ſigna data opera ſunt petenda. Attendendus etiam eſt ipſius Lunæ cum planetis aſpectus, qui vt dixi maleficarum, quicumque tandem ſint ſemper potionum effectus, impediunt. Sol è contrà, & Venus per benignos aſpectus adjuuant: Iupiter non eſt adeò idoneus, quia naturam nimium roborat, qui fit, vt medicamentum in nutritionem potiùs abeat, quam in excretionem. Vniuerſaliter autem planeta cui humor euacuandus ſubditur, non ſit potens in 20. angulo, aut ſuis dignitatibus neceſſe eſt, ſed potiùs debilis, & ſub terra, ſi enim fortis, & ſuprà terram humorem auget, ſurſum euocat, purgationique obſiſtit. Sic ſi phelgma purgare velis, non ſit fortis, eo tempore quo medicina ſumitur Venus, ſed Mars: ſi flauam bilem è contrà Mars debilis ſit & ſub terra, Luna verò, aut Venus potentes, &c. Vbi aduertendum eſt aliam eſſe rationem ſignorum, aliam ſiderum. Nam in bile euacuanda, cauenda eſt quidem vt dixi fortitudo Martis illam augentis, ac roborantis, at eligendum eſt in horoſcopo & in Luna ſignum igneum ob conformitatem naturæ, eò quia ſe

habet vt ſubjectum paſſibile, & in eo planeta pugnans cum humore purgando validiùs operatur. Excipe tamen ſemper Leonis ſignum nimis exæſtuans, & quod nobiliſſimo membro præeſt, hoc eſt cordi totius vitæ operationumque vitalium fonti, atque origini.

21. Quoad Phlebotomiam pariter diſcurrendum, attendenda eſt enim cuiuſque ætas, conſtitutio, & morbi qualitas. Nam pro juuenibus optimum eſt ſanguinem mittere cum Luna creſcit lumine, pro ſenibus verò cùm deficit: ſi æger igneus ſit, aduſtus, & in eo flaua bilis redundet mittatur ſanguis cum Luna eſt in ſignis aqueis Cancro, & Piſcibus. Si phlegmaticus cum in Ariete, & Sagittario: ſi melancholicus cùm Luna eſt in Aquario, & in prima medietate Libræ. Cæterùm Geminorum ſignum cum Leone, & prima medietate Scorpij, cum ſecunda Libræ; pro omnibus vniuerſim inauſpicata ſunt, eò quia hæc via combuſta eſt, in qua Luna multùm infortunatur. Leo cordi vt dictum eſt dominatur, vnde ſanguis trahit originem: Gemini autem brachijs in quibus vt plurimùm ſcindirur vena. Atqui regula generalis eſt membrum haud ferro tangendum eo tempore quo Luna ſignum illud permeat, quod tali membro dominatur: cum enim eius ſit humectare totum corpus, illud potiſſimùm membrum humoribus replere habet, quod ſigno illi ſubeſt, in quo ipſa moratur: ex quo fit vt vulnus difficulter conſolidetur, & humores alioqui commoti ferri contactu ardeant, & tabeſcant. Signa item terrea parum ſunt mittendo ſanguini idonea: Atque hæc de electionibus vniuerſalibus dicta ſint: Cętera quæ tum ad Agricolationem, tum ad Nauigatoriam ſpectant videri poſſunt apud Auctores Ephemeridum in Iſagonicis, præcipuè verò apud Argolum lib. 2. cap. 7. & ſeqq. Nobis enim in re præſertim obuia non licet eſſe nimium longis.

22. Quoad Electiones verò particulares breuiter hæc regula ſeruanda eſt eas fore ſemper nato proficuas, & opportunas cum congruunt, & reſpondent radici natiuitatis: quæ verò abſque vllo delectu ſunt aut inutiles ſunt, aut fortaſſe etiam pernicioſæ. Vt exempli gratiâ ſi quis eligat ſumere potionem tempore cæteroqui ex regulis ſupra traditis opportuno, cum Luna videlicet eſt in Cancro, aut in Piſcibus; ſed tamen in figura natiuitatis habeat ſigna hæc à maleficis infeſtata, tunc quidem non modo non producit medicina, ſed fortaſsè etiam nocebit, ſimiliter non tam radix ipſa natiuitatis conſideranda eſt, & cum electionis tempore conferenda, quam tempus per directiones ſignatum, & videndum ſi ad id tempus reſpondeat alioqui bona directio: Quoad negotia peragenda diſquirendum, cui

rei quiſque in radice natiuitatis ab ſiderum conſtitutione addi-
ctus eſt, eique ſe dedat conſtituendum planetæ, vel ſigno illi quod talem ſignificationem facit in aſcendente.

Denique in quacumque Electione, ea ſemper ineatur cum 23.
Luna per ea ſigna mear, in quibus Iupiter, Venus, aut pars fortunæ reperiebantur tempore natiuitatis, aut benigno radio reſpiciatur à dictis planetis, ſintque loca rerum ſignificationi idonea: Experientia enim compertum eſt, quidquid boni & fortunæ vnicuique obuenit, id potiſſimùm obuenire, eò quia Luna per loca beneficatum tranſiit: ſicut è contrà quidquid mali, ex ingreſſu eiuſdem in loca in radice à maleficis infeſta.

Elementvm abſolutè dicitur id, quod quauis in re prima 24.
radix eſt, & initium, ex quo alia componuntur. Vnde in vniuerſi iſtius ambitu, quæ ſunt prima rerum ſemina, ex quibus reliqua corpora coagmentantur, Elementa dicuntur; Ignis videlicet, Aër, Aqua, Terra, atque ex ijs elementaris regio quæ infrà cælum omnia elementa, & ex ijs mixta complectitur, dicta. Quare autem quatuor tantùm, & nec plura, nec pauciora elementa rerum aſſignata ſint, explicat Philoſophus *2. de Generat & corrupt. cap. 4.* Quia videlicet quatuor tantùm ſunt primæ qualitates tangibilium, nempe caliditas, ſiccitas, frigiditas, & humiditas, quæ adinuicem copulata, omnem rerum tam ſimplicium, quàm mixtarum complexionem, ac temperiem comprehendunt. Quot enim ſunt poſſibiles combinationes harum primarum qualitatum in vno, eodemque ſubiecto, tot elementa aſſignantur: quippe oppoſitarum, vt caloris, & frigoris, humiditatis, & ſiccitatis impoſſibilis eſt combinatio. Tot igitur ſunt Elementa. Quapropter & Ptolemæus in prima parte Quadrip. omnes aſtrorum influxus ad quatuor Elementorum qualitates reducit; quaſi elementa ipſa ex cælorum, & ſiderum motibus ſuæ diſtinctionis originem trahant. Porrò, vt modò dixi, elementa inter ſe certo ordine conſtituta efficiunt regionem elementarem, prout ab Æthetea diſcernitur, quæ tamen vnà cum ipſis hoc Vniuerſum conſtituunt. Et in Vniuerſi quidem ipſius centro exiſtit Terra omninò immobilis, & cæteris elementis grauior: inde Aqua: mox Aër: denique Ignis, qui immediatè ſubeſt concauo Lunæ An autem elementa (excepta Terra) moueantur circulariter ab Oriente in Occidentem motu vniuerſitatis, & primi mobilis: vnde Oceani motum non Lunæ, ſed primi mobilis raptui tribuendum eſſe ſunt qui affirmant apud Clauium in ſphæram Io. de Sacroboſco: & nos in loco diximus. Quod autem non exquiſitè rapiantur, id prouenit ex eorum reſiſtentia, & elongatione à primo mobili; quò enim grauiora ſunt, ac ſitu remo-

tiora, eò magis reſiſtunt, ac morantur: vt patet in ipſis ſphæ-
* ris cæleſtibus. Vnde etiam intelligi poteſt, & has omnes flui-
das eſſe, vt elementa ſunt, & eò fluidiores, ac puriores, quo
à centro magis elongantur. Et vnico tantùm motu cieri ab
Oriente in Occidentem raptas à primo orbe; licet quæ ab eo
ſunt magis remotæ, magis impulſui dato ſua ponderoſitate
reſiſtant, ac retrò in partibus Orientalioribus maneant, prout
diximus in V. *Cælum*. Cæterùm non negauerim multos ex
recenſioribus inter elementa Ignem minimè connumerare,
quia & aliquos omnia elementa negare: inter quos eſt Auerſa
*tom. 2 Philoſoph. quæſt. 41. ſect. 2.*

25. ELEMENTA *Geometrica*, Antonomaſticè audiunt Libri quindecim Geometricorum principiorum Euclidis Geometrarum Principis, & Magiſtri: eò quia ſine ipſis nullum opus Mathematicum aggredi, nullum effatum percipi poteſt; ſicut enim is qui legere vult (inquit Clauius in Prologom.) Elementa literarum diſcit prius, & illis aſſiduè repetitis vtitur in vocibus omnibus exprimendis, ſic qui alias diſciplinas Mathematicas deſiderat ſibi reddere familiares elementa hæc Geometrica plenè, ac perfectè calleat prius neceſſe eſt. Quandoquidem horum elementorum ope, omnis in cælo ſiderum ratio auſpicatur, eorum motus, ſitus, diſtantia, altitudo, quantitas internoſcitur. Ab ijs omnis in cælo, omnis in terra dimenſio habetur: ac denique ingens hoc Dei, ac Naturæ opus, Vniuerſi, inquam, iſtius machina non ſine Geometricorum horum elementorum auxilio intelligi, & contemplari poteſt. Iure igitur hæc prima Geometriæ principia elementa Geometrica dicta ſunt.

26. ELEVATIO apud Aſtronomos ſignificat præcellentiam, ac prædominium vnius planetæ ſuper alium, quando videlicet duo, vel plures concurrunt adinuicem, & conueniunt ad vnam, eandemque rem ſignificandam: tunc qui alijs, viribus atque actiuitate præualet, dicitur ſuper illos eleuatus. Pontanus in
27. *Commentar. ſuper Centiloqu.* hanc dicendi formam non pro-
* bat, quia eleuare, inquit, apud Grammaticos indicat depreſſionem potiùs, quàm præeminentiam: Verùm neſcio, an ſatis benè diſcurrat: cùm *Eleuo* propriè ſignificet *ſurſum leuo*, ſiue *in altum tollo*: quod idipſum prorſus eſt, quod explicare volumus in planetis ſe ſuper alios eleuantibus, vt mox dicemus. Quod autem quandoque per tranſlationem accipiatur pro rei diminutione, quæ verbis fiat eam vituperando, id non officit propriæ notioni. Sed quidquid ſit de modo loquendi, certum eſt in re, Eleuari apud Aſtronomos nil aliud ſignificare quàm extollentiam vnius planetæ ſuper alium: quod

quomodo fiat atque in quo conſiſtat huiuſmodi eleuatio, non æquè ab omnibus traditur. Aliqui enim volunt tunc planetam ſuper alium eleuari, cum eſt in ſitu mundi eminentiore, vbi ſit magis vicinus Vertici aut Meridiano: quod quidem nulli dubium eſt, cæteris paribus maximas vires ſideribus addere; quippe quæ inde directiores radios ad mundum tranſmittunt. Verùm id non videtur tantam prærogatiuam planetis addere, vt exinde præcisè dici poſſint ſuper alios extolli, maximè quando aliàs iſti fortiores ſunt, & prærogatiuam hanc ſitus alijs numeris ſuperant, aut compenſant. Alij dicunt illum vincere, & eleuari ſuper alium, qui magis accedit ad Boream: ſed hi etiam diſcrepant, nam aliqui intelligunt planetam habentem majorem latitudinem Borealem ſuper alium eleuari, qui in majori, vel in auſtrali, vel ſanè in Ecliptica repetitur, & alij hoc intelligunt de declinatione, quod nempe maiorem habeat Borealem in regionibus borealibus, auſtralem in auſtralibus. Sunt qui volunt id attendendum eſſe reſpectu ſuorum Orbium; ita vt qui aſcendunt magis, vel magis appropiant ad Apogæum ſui ſiue Eccentrici, ſiue Epicycli ſint ſuper alios eleuati; qui deſcendunt ab Apogæo, vel ab eo magis diſtiterint. Cardanus eſt in ſententia, vt ea ſidera ſuper alia eleuentur, quæ cùm ſint tardioris motus, expectant ea quæ ſunt velocioris vt ipſis jungantur. Argolus hos omnes modos admittit, docetque inſuper faciendum eſſe ſcrutinium, & ille demum planeta dici debet ſuper alium eleuatus, qui repertus fuerit maioribus numeris, ac potioribus calculis præditus.

Verum, vt benè diſcurrit Titus *in Cæleſti Philoſobia, lib. 2. cap. 11.* Hæc ſiderum ſuper alia eleuatio, dicit concurrentiam duorum ad agendum, & quod in hoc concurſu vincat illud, quod maiores vires habet, ac feratur ſuper debilius, ideſt ſi diuerſæ naturæ ſint, alteret naturam illius ac multùm deprimat: hoc quippe intendit Ptolemæus pluribus in locis præſertim *lib. 2. cap. 8.* cum loquitur de prædominio ſtellarum ſuper aliquem locum quoad effectus quos ergà illos producunt. *Cum enim, inquit, ſunt illa benefica, & conciliata locis obnoxijs, neque ſuperantur ab alijs diuerſa ſecta multò magis abſoluunt natura ſua bonitatem, ſicut & aliena, aut ſuperata ab alijs minus proſunt. Quodſi noxia hunc principatum ceperint, conciliata cum obnoxijs locis, aut ſuperata à ſtellis aduerſaria ſecta minus nocent.* Hæc Ptolemæus. 28.

Duo igitur requiruntur ad eleuationem: & quod inter ſidera intercedat aliqua conuenientia, & familiaritas; & quod vnum ſit præpotens, ac validius altero. Nam ſidera nullam efficientiam habent ad inuicem, niſi aliquo modo configurentur, 29.

tur, vt alibi obſeruatum eſt. Neque in iſta efficientia vnum aliud vincere poteſt, ac vires illius deprimere, niſi fuerit in ſe fortis, atque armis validioribus præmunitus. Quandoquidem quando ſidera ſunt inter ſe configurata agunt ad inuicem, ac repatiuntur: quod eſt validius, magis agit, & minus repatitur; quod eſt infirmius minus agit, & magis repatitur: Vnde eſt quod quæ ſidera viribus præualent, dum alijs viribus imminutis aut corpore, aut radio copulantur, in illa agant, virtutem eorum alteteni, atque actiuitatem diminuanr. Quare, vt ſuprà habet Ptolemæus, ſi benefici ſuper maleficos eleuentur, bonum eſt; nam qualitates eorum maleficas deprimunt, & infringunt: ſi malefici ſuper beneficos extollantur, noxium eſt: quippe corrumpunt eorum bonitatem, vt ipſa bonitas noxia fiat.

30. Hinc benè dixit Argolus faciendum eſſe ſcrutinium, & quod inuenietur vincere aliud in numero fortitudinum (cùm aliàs intercedat inter illa aliqua familiaritas, vt dictum eſt) illud dicetur ſuper aliud eleuatum. Ordo autem, & præcellentia fortitudinum eſt primò ſitus in nobiliori cardine, & domo quoad mundum, ſiue maior propinquitas ad cardinem, ad quem feruntur; ita] vt hæc comparatio ad cardines præ cæteris ſit attendenda, cum ſit omnibus prærogatiuis validior. Secundò Orientalitas à Sole, Occidentalitas à Luna. Tertiò quod ſit in domo, altitudine, triplicitate, ac terminis ſuæ naturæ. Quartò maior ad polum arcticum propinquitas, ſi fuerint ſupra terram; ad antarcticum verò ſi fuerint ſub terra. Quintò aſcenſio ſuprà terram, & deſcenſio ſub terra ſecundùm latitudinem, ſecundùm declinationem, & ſecundùm ſitum in mundo Sextò familiaritas ſiderum conſimilis naturæ, & cum capite Draconis. Septimò curſus, velocitas. Octauò deſcenſio ab Apogæo tam Eccentrici quàm Epicycli: & ſi qui ſunt alij modi, quibus ſidera augeant ſuas vires, omnes ſunt attendendi; quia eleuatio, vt verbo concludam, aliud non requirit quàm familiaritatem, & maiorem virium inſtructionem. Hanc Arabes ſuo vocabulo *Mamareth* planetarum vocant: de qua plura habet Albumaſar in fine ſui introductorij.

31. Elhabor Arab. Canis maior Sirius, vide Albabor.

32. Elhammel Arab. vt habet Kircherus in Oedipo, dicitur ſignum & conſtellatio Arietis: ſicut etiam

33. Elhavt item apud Arabes, vt teſtatur idem Kircherus ſignificatur ſignum & conſtellatio Piſcium. Quemadmodum

34. Elkavs eſt ſignum & conſtellatio ſagittarij: necnon.

35. Elgedi Signum & conſtellatio Capricorni. Vide ſub proprio cujuſque nomine.

Elkerd *Bennenaz*, Arab. dicitur Stella fixa ſecundæ magnitudinis vltima in extremo caudæ Vrſæ majoris, de natura martis, dicta etiam *Alalicth.* ideſt nocturnum, eo quia ſemper viſibilis ſit de noctu, cum neque otiatur, neque occidat in noſtro hæmiſphærio, ſed radat tantummodo horizontem. Vide fuſius in verbo *Vrſa.* 36.

Elkleilschemali Arab. vocatur, vt teſtatur Kircherus in Oedipo corona Gnoſſia, ſidus in cælo ad Borealem plagam conſtans ſtellis 8, licet in Baieri Vranometria 20. omninò enumerentur, quarum lucida & inſignior appellatur proptio nomine *Alphetal* ſiue *Alpheica*, ideſt aperitio, & Mumir quaſi pupilla, eſt enim per antonomaſiam dicta cæli pupilla. Vide alibi vbi ſæpiùs de ea menſionem fecimus. 37.

Ellipsis dicitur figura Geometrica oualis vnica tantum linea, quæ tamen circularis non ſit, comprehenſa, nec omnes partes æqualiter tendunt ad centrum. Vide Euclidem. 38.

Eltanin Arab. Latinè Draco, ſidus de quo paulò ante dictũ. 39.

Elvarad Arab. vel etiam Elkir, & Pharmaz teſte Kirchero, Latinè Crater ſidus. Vide ſub hoc vocabulo. 40.

Elzegiale ſiue *Elathi*, hoc eſt Ingeniculator vocatur Herales Engonaſis, ſidus ad Borealem plagam propè Ophiacum, de quo plura ſuo loco. 41.

## EM

Embolismvs Grecè propriè ſignificat intercalationem illam quæ antiquitùs fieri ſolebat, vt annorum ratio cum Solis curſu conueniret: Nunc autem magis ſtrictè accipitur, vel pro ipſo biſſextili die qui ſingulis quadriennijs ſuperadditur Februario ad æquandam anni quantitatem motuſ Solis in Zodiaco, vel pro exceſſu anni ſolaris ad annum lunarem dierum vndecim ſupra duodecim lunationes, itaut ſingulis annis Nouilunia contingant vndecim diebus prius, quam præcedenti anno, quæ præceſſio cum ad numerum dierum triginta peruenerit: conſtituet nouam lunationem, quæ dicitur Emboliſmica ſuperaddenda, quouſque annus communis lunaris exequet annum ſolarem. Quare. 42.

Embolismica *Lunatio* eſt illa, quæ conflatur ex triginta diebus ſuperadditis modo explicato, & quæ conſtituit annum Emboliſmicum tredecim Lunationum, conſtantem diebus 384. aut 383. Quippe Lunationes ijs menſibus tribuuntur, & ab ijs denominationem ſumunt, in quibus finiuntur: itaut omnis Lunatio in Decembri incipiens, & in Ianuario finem habens, etiamſi prima die menſis, ab eo nihilominus denominanda ſit, ac dicenda totius anni prima Lunatio. Hinc fieri poteſt, vt quibuſdam annis poſt primam illam Lunationem ſuperſint 43.

adhuc duodecim integræ lunationes, antequam ad primam lunationem alterius anni ſequentis veniamus; ſi nimirum ſuperſint poſt primam lunationem anni, dies 354. vel 353. quot ſatis ſunt ad explendum numerum duodecim lunationum. Sed de hac re conſule librum nouæ rationis reſtituendi Calendarij Romani.

44. Empyrevm *Cælum* dicitur à Theologis, & Sanctis Patribus (nam Philoſophi ejus notitiam non habuerunt) ſupremum illud, ac vaſtiſſimum cælum ſuprà omnes cælos firmatum, ſedes Beatorum, & Thronus Dei, immobile & firmum, in quo omnes Angeli, & Sancti perennant. Eius qualitates deſcribere cæcutire eſt, quandoquidem, neque vllas ſtellas, habet vnde reddatur viſibilis, nec vllum motum, vnde ſaltem argui poſſit ejus exiſtentia, immenſitas & pulchritudo. Vnde Auguſt. in lib. *Soliloqu.* ad Deum, *cap. 31. Hoc eſt*, inquit, *Cælum tuum Domine, cælum cælans ſuperarcanum, ſuperintelligibile, ſuperrationale, & ſupereſſentiale lumen, de quo dicitur cælum cæli Domino. Cælum cæli cui terra eſt omne cælum quia ſupermirabiliter exaltatum eſt ſuper omne cælum, ad quod etiam terra eſt ipſum cælum Empyreum: hoc enim eſt cælum cæli Domino, quia nulli notum niſi Domino.* Credibile tamen eſt ipſum immenſitate luce, materia cæteris omnibus antecellere: Vnde Empyreum dictum eſt non quaſi ignitum ſit, ſed ob nimiam ſui puritatem, ac lucem. Materiam crediderim eſſe ejuſdem ſpeciei cum cæteris, ſed longe puriorem, ac defæcatiorem, ſitum, nulli dubium eſſe longe altiſſimum, quam concipi poſſit: ſi enim à ſuperficie terræ vſque ad cælum ſtellarum computat Ptolomæus diſtantiam 65237500. milliariorum, quid credendum eſt de cælo Empyreo data proportione diſtantiæ quæ eſt inter alios orbes ad inuicem, quæ ſemper in immenſum excreſcit: Hinc etiam colligi poteſt infinita propemodum amplitudo, quæ ab aliquibus tanta eſſe dicitur, vt ſi cuilibet Angelorum, ac Sanctorum ſuus locus, & certa portio deputaretur, plus illud ſpacium contineret, quam occupat vniuerſa terra: & iure quidem eum ſecundũ omnes Aſtronomos minima ſtella quæ eſt in firmamento bis nouies ſuperet magnitudine terreſtrem globum: quidni igitur firmamentum? quid cælum Empyreum quod ad minus centies firmamentum ſuperat, ſed & Franciſius Pauonius *par. 2. introductionis in ſacram doctrinam defin. 2507.* affirmat diuinæ magnificentiæ congruum eſſe vt firmamentum ad concauam cæli Empyrei ſuperficiem, ſeu ad conuexam primi mobilis comparatum ſe habeat, ſicut punctum, quemadmodum ſe habet terra ad ipſum firmamentum comparata: Quanta porrò erit ejuſdem cæli craſſities tanta profectò, quanta par eſt ad

explicandum magnitudinem ejus, qui ſibi talem domum extruxit, vnde Baruch. 3. dicitur: *O Iſraël quam magna eſt domus Domini. & ingens locus poſſeſſionis ejus! magnus eſt, & non habet finem, excelſus, ac immenſus.* Vnde majorem ejus molem concipiendam eſſe ſubjungit idem authorquam eſſer occupatura omnis Angelorum multitudo, ſi quilibet Angelus in ſua ſe ſphæra locaret extra cujuſque Angeli ſpæram. Quare autem tam immenſum creare placuerit omnipotenti Deo, triplicem cauſam adducit Guillelmus Pariſienſis. Primò propter infinitam ſui potentiam oſtendendam, quæ maximè in tam immenſo opere relucet. Secundò propter ſuam gloriam, & regalem magnificentiam comprobandam. Tertiò ad humani deſiderij vehementiam ſatiandam, quæ amplas poſſeſſiones lataque terrarum dominia requirit: Ergò tantum præparauit quo inueniret ſupra quam cupere poſſet. *Sed ad hæc inardeſcit animus, jamque illic cupit aſsiſtere, vbi ſe ſperat ſine fine gaudere*, inquit Gregorius Pont. *hom. 37. in Euangelia.* Faxit Deus, vt quò mens noſtra ſua deſideria dirigit, eò etiam per bona opera tendens, perueniat.

## E N

Engonasis Hercules, Ingeniculus, &c. ſidus ad Borealem plagam propè ſerpentarium conſtans ſtellis 29. computata etiam vna informi circa brachium dextrum: ſed Baierus *in ſua Vranometria* enumerat in hoc aſtro ſtellas omnino 48 omnes ferè de natura Martis ex quibus præcipua quæ in capite *Ras Algeti* apud Arabes tertiæ magnitudinis altera in manu ſiniſtra, Arab. *Marfic.* Is in horoſcopo, inquit Firmicus, facit callidum, mendacem varijs dolis inſtructum, quique homines varijs inſidijs appetat, atque effrenata ſemper animoſitate graſſetur. Cum teſtimonio autem Lunæ facit agiles, funambulos, oribatas, & qui talia pertractent. In occaſu verò repertum hoc ſidus exponit aliorum inſidijs, etſi cum malo radio Martis adducit periculum combuſtionis. 46.

Enif *Alpheratz* Arab. dicuntur ſcapulæ Equi, ſtellæ videlicet duæ fixæ ſecundæ magnitudinis de natura Martis, & Mercurij, exiſtentes, altera quidem in gr. 19. Piſcium, altera in 25. cum fere totidem latitudinis Borealis. Vide earum ſignificata in V. Pegaſus. 47.

Eniochvs *Mulus Cilteilatus*, *Auriga* ſidus in cælo. Vide *Auriga*. 48.

Enneagona Figura apud Geometras eſt figura nouem angulis conſtans: quemadmodum Pentagona, quæ quinque: Exagona, quæ ſex, & ſic de ſingulis, de quarum ratione. Vide Clauium in *Elementa Euclidis*. 49.

50. Enneatici *Dies*, vel *Anni* ſunt Nouenarij quique recurrentes dies, vel anni, à puncto Natiuitatis, vel initio morbi, in quibus profectò ſemper aliquam naturæ alterationem experimur, atque acceſſionem morbi, ſicut & in ſeptenarijs, ac manifeſtiùs quando ambo conueniunt, & ſeptenarij, & nouenarij. Cuius rei, vti effectus patens eſt, & manifeſtus, ita & rario, & origo obſcura nimis, & adhuc non benè nota. Qua de re fusè egimus in Verbo *Critici dies*.

51. Eosphorus Grecè Latinè *Lucifer* dicitur apud Aſtronomos Venus maturina, atque Orientalis à Sole, à Græco verbo *Eos*, quod Orientalis ſonat: ſicut econtra Heſperus appellatur Veſpertina, & quando eſt Occidentalis à Sole.

E P

52. Epacta (quaſi Epiaucta hoc eſt ſuperexcreſcentia) nil aliud eſt, quam exceſſus anni communis ſolaris ſupra annum lunarem duodecim lunationum in diebus vndecim ſingulis annis: Cum enim annus communis ſolaris conſtet diebus 365. Lunaris verò diebus 354. conſequenter lunaris terminatur, & antevertit ſolarem diebus vndecim, quî fit vt Nouilunia, tot etiam diebus præcedant finem anni ſolaris. Et quia id ſingulis quibuſque annis accidit, inde etiam eſt, vt ſingulis decem, & nouem annis ſolaribus Luna compleat viceſies duodecim integras lunationes, ſeù ſuperet vnum annum communem ſolarem, quo circuitu expleto conueniat cum Sole: atque ita ſemper procedendo in infinitum, ſingulis annis primis à dicta conuentione reperiatur Luna præcedere Solem diebus vndecim; ſecundo anno diebus 22. ſicque Epacta iſtius anni ſit 22. tertio anno præcedat diebus 33. ſed cum diebus 30. fiat vna integra lunatio, ideò ea prætermiſſa, immò potius admiſſa, atque in numerum integræ lunationis computata. Epacta, ſeu præceſſio lunationum ſit dierum 3. qui ad triginta ſuperſunt: quarto verò anno ſit dierum 14. & ſic de ſingulis. Progrediuntur igitur Epactæ omnes per continuum augmentum dierum vndecim, abjectis tamen 30. ſemper cum abijci poſſunt. Numerumque iſtum vocamus Epactum, quia epactat Lunæ defectum, atque inſeruit ad ejus ætatem ad dies ſingulos dignoſcendam. Quippe ſi addatur Epactæ currenti eo anno numerus dierum menſis, qui tranſierunt, nec non Calendarum quæ præceſſerunt, incipiendo à menſe Martio, vſque ad præſentem menſem in quo hæc ſcrutari volumus, incluſiuè; ſtatim elucent in producto numero dies ætatis Lunæ à præcedenti coitione cum Sole, demptis prius triginta, ſi fortè eum numerum exceſſerint, quia iſti ſufficiunt ad vnam integram lunationem conſtituendam.

Procedit

Procedit igitur ſemper æquali modo ordo iſte Epactarum per additionem vndecim dierum ſingulis annis, excepto tamen vltimo anno, in quo recurrit Epacta correſpondens Aureo numero 19. quæ eſt dierum 29 quantum videlicet ſufficit ad integram lunationem perficiendam: in quo caſu non vndecim, ſed duodecim dies imaginarie addendi ſunt, vt abjectis 30. ex compoſito numero 41. habeatur rurſus Epacta 11. prout erat in principio. Qua de re vide quæ optimè ſcripſit Clauius in *Kalendario Gregoriano*.

Ephemeris Græcè proprie ſignificat diarium, quod acta cujuſque diei complectitur, ac interſtincte exponit, ſumpto vocabulo ex quodam animalculo Ephemero dicto, de quo ſcribunt naturales, ipſum non niſi ad vnicam tantum diem vitam protrahere. Hinc apud Aſtronomos deriuatum fuit, & antonomaſtice applicatum ad exprimendum motum diurnum omnium planetarum; quem in dies ſingulos perficiunt in Zodiaco; vnde libri, in quibus extant calculati hujuſmodi motus planetarum, cum aſpectibus, & alijs eorum paſſionibus ad dies ſingulos, Ephemerides appellantur. 54.

Epicataphora ſeù etiam *Picataphora* Græcè dicitur octaua domus ab horoſcopo ſuccedens angulo Occidentis: Latinè ſonat *Portam ſupernam* ad differentiam ſecundæ domus illi oppoſitæ, quæ quia ſuccedit Horoſcopo, ideo dicitur porta inferna. Eſt ſignificatrix mortis, hæreditatum, quæ ex mortuis proueniunt, laboris, triſtitiæ, & theſaurorum occultorum. Habet conſignificatorem Saturnum. Ex membris humanis præeſt pudendis, & inducit ſtranguriam, calculum, hæmorroidas, & ſimilia. Eſt locus infelix, eoquia nullam habet cum aſcendente familiaritatem, & continuis vaporibus è terra proſilientibus offenditur. Idcircò vocatur à Firmico locus piger, & otioſus; ab alijs (quod idem ſonat) *Argos Tophet*, &c. 55.

Epicyclus eſt paruus Orbis, qui deferenti infixus motu illius circum agitur, & impactum ſibi planetæ corpus peculiari ſuo motu circa proprium centrum circumducit. Pro cujus rei intelligentia ſciendum eſt, antiquos Aſtronomos, ad ſaluandos apparentias, ac diuerſitates motuum, qui in ſingulis planetis peculiariter deprehenduntur, excogitaſſe varios circulos, Eccentricos, Concentricos, & Epicyclos: itaut, excepto Sole, ſingulis planetis tres circulos aſſignarint, quorum primus eſſet deferens, Eccentricus ſimpliciter (qualis autem is ſit, ſuo loco explicuimus.) Secundus eſſet circulus dictus æquans, quem ideò poſuerunt, quia deferentes planetarum non mouentur æqualiter in eorum centris, ſed valdè difformiter, & irregulariter, vt mox dicemus: Tertius orbis foret infixus in

habet vt ſubjectum paſſibile, & in eo planeta pugnans cum humore purgando validiùs operatur. Excipe tamen ſemper Leonis ſignum nimis exæſtuans, & quod nobiliſſimo membro præeſt, hoc eſt cordi totius vitæ operationumque vitalium fonti, atque origini.

21. Quoad Phlebotomiam pariter diſcurrendum, attendenda eſt enim cuiuſque ætas, conſtitutio, & morbi qualitas. Nam pro iuuenibus optimum eſt ſanguinem mittere cum Luna creſcit lumine, pro ſenibus verò cùm deficit: ſi æger igneus ſit, aduſtus, & in eo flaua bilis redundet mittatur ſanguis cum Luna eſt in ſignis aqueis Cancro, & Piſcibus. Si phlegmaticus cum in Ariete, & Sagittario: ſi melancholicus cùm Luna eſt in Aquario, & in prima medietate Libræ. Cæterùm Geminorum ſignum cum Leone, & prima medietate Scorpij, cum ſecunda Libræ; pro omnibus vniuerſim inauſpicata ſunt, eò quia hæc via combuſta eſt, in qua Luna multùm infortunatur. Leo cordi vt dictum eſt dominatur, vnde ſanguis trahit originem: Gemini autem brachijs in quibus vt plurimùm ſcinditur vena. Atqui regula generalis eſt membrum haud ferro tangendum eo tempore quo Luna ſignum illud permeat, quod tali membro dominatur: cum enim eius ſit humectare totum corpus, illud potiſſimùm membrum humoribus replere habet, quod ſigno illi ſubeſt, in quo ipſa moratur: ex quo fit vt vulnus difficulter conſolidetur, & humores alioqui commoti ferri contactu ardeant, & tabeſcant. Signa item terrea parum ſunt mittendo ſanguini idonea: Atque hæc de electionibus vniuerſalibus dicta ſint: Cętera quæ tum ad Agricolationem, tum ad Nauigatoriam ſpectant videri poſſunt apud Auctores Ephemeridum in Iſagonicis, præcipuè verò apud Argolum lib. 2. cap. 7. & ſeqq. Nobis enim in re præſertim obuia non licet eſſe nimium longis.

22. Quoad Electiones verò particulares breuiter hæc regula ſeruanda eſt eas fore ſemper nato proficuas, & opportunas cum congruunt, & reſpondent radici natiuitatis: quæ verò abſque vllo delectu ſunt aut inutiles ſunt, aut fortaſſe etiam pernicioſæ. Vt exempli gratiâ ſi quis eligat ſumere potionem tempore cæteroqui ex regulis ſupra traditis opportuno: cum Luna videlicet eſt in Cancro, aut in Piſcibus; ſed tamen in figura natiuitatis habeat ſigna hæc à maleficis infeſtata, tunc quidem non modo non producit medicina, ſed fortaſsè etiam nocebit, ſimiliter non tam radix ipſa natiuitatis conſideranda eſt, & cum electionis tempore conferenda, quam tempus per directiones ſignatum, & videndum ſi ad id tempus reſpondeat alioqui bona directio: Quoad negotia peragenda diſquirendum, cui

rei quiſque in radice natiuitatis ab ſiderum conſtitutione addictus eſt, eique ſe dedat conſtituendum planetæ, vel ſigno illi quod talem ſignificationem facit in aſcendente.

Denique in quacumque Electione, ea ſemper ineatur cum Luna per ea ſigna meat, in quibus Iupiter, Venus, aut pars fortunæ reperiebantur tempore natiuitatis, aut benigno radio reſpiciatur à dictis planetis, ſintque loca rerum ſignificationi idonea. Experientia enim compertum eſt, quidquid boni & fortunæ vnicuique obuenit, id potiſſimùm obuenire, eò quia Luna per loca beneficarum tranſiit: ſicut è contrà quidquid mali, ex ingreſſu eiuſdem in loca in radice à maleficis infeſta. 23.

Elementvm abſolutè dicitur id, quod quauis in re prima radix eſt, & initium, ex quo alia componuntur. Vnde in vniuerſi iſtius ambitu, quæ ſunt prima rerum ſemina, ex quibus reliqua corpora coagmentantur, Elementa dicuntur; Ignis videlicet, Aër, Aqua, Terra, atque ex ijs elementaris regio quæ infrà cælum omnia elementa, & ex ijs mixta complectitur, dicta. Quare autem quatuor tantùm, & nec plura, nec pauciora elementa rerum aſſignata ſint, explicat Philoſophus *2. de Generat. & corrupt. cap. 4.* Quia videlicet quatuor tantùm ſunt primæ qualitates tangibilium, nempe caliditas, ſiccitas, frigiditas, & humiditas, quæ adinuicem copulata, omnem rerum tam ſimplicium, quàm mixtarum complexionem, ac temperiem comprehendunt. Quot enim ſunt poſſibiles combinationes harum primarum qualitatum in vno, eodemque ſubiecto, tot elementa aſſignantur: quippe oppoſitarum, vt caloris, & frigoris, humiditatis, & ſiccitatis impoſſibilis eſt combinatio. Tot igitur ſunt Elementa. Quapropter & Ptolemæus in prima parte Quadrip. omnes aſtrorum influxus ad quatuor Elementorum qualitates reducit; quaſi elementa ipſa ex cælorum, & ſiderum motibus ſuæ diſtinctionis originem trahant. Porrò, vt modò dixi, elementa inter ſe certo ordine conſtituta efficiunt regionem elementarem, prout ab Æthera diſcernitur, quæ tamen vnà cum ipſis hoc Vniuerſum conſtituunt. Et in Vniuerſi quidem ipſius centro exiſtit Terra omninò immobilis, & cæteris elementis grauior: inde Aqua: mox Aër: denique Ignis, qui immediatè ſubeſt concauo Lunæ. An autem elementa (excepta Terra) moueantur circulariter ab Oriente in Occidentem motu vniuerſitatis, & primi mobilis: vnde Oceani motum non Lunæ, ſed primi mobilis raptui tribuendum eſſe ſunt qui affirmant apud Clauium in ſphæram Io. de Sacroboſco: & nos in loco diximus. Quod autem non exquiſitè rapiantur, id prouenit ex eorum reſiſtentia, & elongatione à primo mobili; quò enim grauiora ſunt, ac ſitu remo- 24.

tiora, eò magis reſiſtunt, ac morantur: vt patet in ipſis ſphæ-
* ris cæleſtibus. Vnde etiam intelligi poteſt, & has omnes flui-das eſſe, vt elementa ſunt, & eò fluidiores, ac puriores, quo à centro magis elongantur. Et vnico tantùm motu cieri ab Oriente in Occidentem raptas à primo orbe; licet quæ ab eo ſunt magis remotæ, magis impulſui dato ſua ponderoſitate reſiſtant, ac retrò in partibus Orientalioribus maneant, prout diximus in V. *Cælum*. Cæterùm non negauerim multos ex recenſioribus inter elementa Ignem minimè connumerare, quia & aliquos omnia elementa negare: inter quos eſt Auerſa *tom. 2 Philoſoph. quæſt. 41. ſect. 2.*

25. ELEMENTA *Geometrica*, Antonomaſticè audiunt Libri quindecim Geometricorum principiorum Euclidis Geometrarum Principis, & Magiſtri: eò quia ſine ipſis nullum opus Mathematicum aggredi, nullum effatum percipi poteſt; ſicut enim is qui legere vult (inquit Clauius in Prologom.) Elementa literarum diſcit prius, & illis aſſiduè repetitis vtitur in vocibus omnibus exprimendis, ſic qui alias diſciplinas Mathematicas deſiderat ſibi reddere familiares elementa hæc Geometrica plenè, ac perfectè calleat prius neceſſe eſt. Quandoquidem horum elementorum ope, omnis in cælo ſiderum ratio auſpicatur, eorum motus, ſitus, diſtantia, altitudo, quantitas internoſcitur. Ab ijs omnis in cælo, omnis in terra dimenſio habetur: ac denique ingens hoc Dei, ac Naturæ opus, Vniuerſi, inquam, iſtius machina non ſine Geometricorum horum elementorum auxilio intelligi, & contemplari poteſt. Iure igitur hæc prima Geometriæ principia elementa Geometrica dicta ſunt.

26. ELEVATIO apud Aſtronomos ſignificat præcellentiam, ac prædominium vnius planetæ ſuper alium, quando videlicet duo, vel plures concurrunt adinuicem, & conueniunt ad vnam, eandemque rem ſignificandam: tunc qui alijs, viribus atque actiuitate præualet, dicitur ſuper illos eleuatus. Pontanus in

27. *Commentar. ſuper Centiloqu.* hanc dicendi formam non pro-
* bat, quia eleuare, inquit, apud Grammaticos indicat depreſſionem potiùs, quàm præeminentiam: Verùm neſcio, an ſatis benè diſcurrat: cùm *Eleuo* propriè ſignificet *ſurſum leuo*, ſiue *in altum tollo*: quod idipſum prorſus eſt, quod explicare volumus in planetis ſe ſuper alios eleuantibus, vt mox dicemus. Quod autem quandoque per tranſlationem accipiatur pro rei diminutione, quæ verbis fiat eam vituperando, id non officit propriæ notioni. Sed quidquid ſit de modo loquendi, certum eſt in re, Eleuari apud Aſtronomos nil aliud ſignificare quàm extollentiam vnius planetæ ſuper alium: quod

quomodo fiat atque in quo conſiſtat huiuſmodi eleuatio, non æquè ab omnibus traditur. Aliqui enim volunt tunc planetam ſuper alium eleuati, cum eſt in ſitu mundi eminentiore, vbi ſit magis vicinus Vertici aut Meridiano: quod quidem nulli dubium eſt, cæteris paribus maximas vires ſideribus addere; quippequæ inde directiores radios ad mundum tranſmittunt. Verùm id non videtur tantam prærogatiuam planetis addere, vt exinde præcisè dici poſſint ſuper alios extolli, maximè quando aliàs iſti fortiores ſunt, & prærogatiuam hanc ſitus alijs numeris ſuperant, aut compenſant. Alij dicunt illum vincere, & eleuari ſuper alium, qui magis accedit ad Boream: ſed hi etiam diſcrepant, nam aliqui intelligunt planetam habentem majorem latitudinem Borealem ſuper alium eleuari, qui in majori, vel in auſtrali, vel ſanè in Ecliptica reperitur, & alij hoc intelligunt de declinatione, quod nempe maiorem habeat Borealem in regionibus borealibus, auſtralem in auſtralibus. Sunt qui volunt id attendendum eſſe reſpectu ſuorum Orbium; ita vt qui aſcendunt magis, vel magis appropiant ad Apogæum ſui ſiue Ecoentrici, ſiue Epicycli ſint ſuper alios eleuati; qui deſcendunt ab Apogæo, vel ab eo magis diſtiterint. Cardanus eſt in ſententia, vt ea ſidera ſuper alia eleuentur, quæ cùm ſint tardioris motus, expectant ea quæ ſunt velociotis vt ipſis jungantur. Argolus hos omnes modos admittit, docetque inſuper faciendum eſſe ſcrutinium, & ille demum planeta dici debet ſuper alium eleuatus, qui repertus fuerit maioribus numeris, ac potioribus calculis præditus.

Verum, vt benè diſcurrit Titus *in Cæleſti Philoſohia, lib. 2. cap. 11.* Hæc ſiderum ſuper alia eleuatio, dicit concurrentiam duorum ad agendum, & quod in hoc concurſu vincat illud, quod maiores vires habet, ac feratur ſuper debilius, ideſt ſi diuerſæ naturæ ſint, alteret naturam illius ac multùm deprimat: hoc quippe intendit Ptolemæus pluribus in locis præſertim *lib. 2. cap. 8.* cum loquitur de prædominio ſtellarum ſuper aliquem locum quoad effectus quos ergà illos producunt. *Cum enim*, inquit, *ſunt illa benefica, & conciliata locis obnoxijs, neque ſuperantur ab alijs diuerſa ſecta multò magis abſoluunt natura ſua bonitatem, ſicut & aliena, aut ſuperata ab alijs minus proſunt. Quodſi noxia hunc principatum ceperint, conciliata cum obnoxijs locis, aut ſuperata à ſtellis aduerſaria ſecta minus nocent.* Hæc Ptolemæus. 28.

Duo igitur requiruntur ad eleuationem: & quod inter ſidera intercedat aliqua conuenientia, & familiaritas; & quod vnum ſit præpotens, ac validius altero. Nam ſidera nullam efficientiam habent ad inuicem, niſi aliquo modo configurentur, 29.

tur; vt alibi obſeruatum eſt. Neque in iſta efficientia vnum aliud vincere poteſt, ac vires illius deprimere, niſi fuerit in ſe fortis, atque armis validioribus præmunitus. Quandoquidem quando ſidera ſunt inter ſe configurata agunt ad inuicem, ac repatiuntur: quod eſt validius, magis agit, & minus repatitur; quod eſt infirmius minus agit, & magis repatitur: Vnde eſt quod quæ ſidera viribus præualent, dum alijs viribus imminutis aut corpore, aut radio copulantur, in illa agant, virtutem eorum alterent, atque actiuitatem diminuant. Quare, vt ſuprà habet Ptolemæus, ſi benefici ſuper maleficos eleuentur, bonum eſt; nam qualitates eorum maleficas deprimunt, & infringunt: ſi malefici ſuper beneficos extollantur, noxium eſt: quippe corrumpunt eorum bonitatem, vt ipſa bonitas noxia fiat.

30. Hinc benè dixit Argolus faciendum eſſe ſcrutinium, & quod inuenietur vincere aliud in numero fortitudinum (cùm aliàs intercedat inter illa aliqua familiaritas, vt dictum eſt) illud dicetur ſuper aliud eleuatum. Ordo autem, & præcellentia fortitudinum eſt primò ſitus in nobiliori cardine, & domo quoad mundum, ſiue maior propinquitas ad cardinem, ad quem feruntur; ita] vt hæc comparatio ad cardines præ cæteris ſit attendenda, cum ſit omnibus prærogatiuis validior. Secundò Orientalitas à Sole, Occidentalitas à Luna. Tertiò quod ſit in domo, altitudine, triplicitate, ac terminis ſuæ naturæ. Quartò maior ad polum arcticum propinquitas, ſi fuerint ſupra terram; ad antarcticum verò ſi fuerint ſub terra. Quintò aſcenſio ſuprà terram, & deſcenſio ſub terra ſecundùm latitudinem, ſecundùm declinationem, & ſecundùm ſitum in mundo. Sextò familiaritas ſiderum conſimilis naturæ, & cum capite Draconis. Septimò curſus, velocitas. Octauò deſcenſio ab Apogæo tam Eccentrici quàm Epicycli: & ſi qui ſunt alij modi, quibus ſidera augeant ſuas vires, omnes ſunt attendendi; quia eleuatio, vt verbo concludam, aliud non requirit quàm familiaritatem, & maiorem virium inſtructionem. Hanc Arabes ſuo vocabulo *Mamareth* planetarum vocant: de qua plura habet Albumaſar in fine ſui introductorij.

31. Elhabor Arab. Canis maior Sirius, vide Alhabor.

32. Elhammel Arab. vt habet Kircherus in Oedipo, dicitur ſignum & conſtellatio Arietis: ſicut etiam

33. Elhavt item apud Arabes, vt teſtatur idem Kircherus ſignificatur ſignum & conſtellatio Piſcium. Quemadmodum

34. Elkavs eſt ſignum & conſtellatio ſagittarij: necnon.

35. Elgedi Signum & conſtellatio Capricorni. Vide ſub proprio cujuſque nomine.

ELKERD *Bennenaz*, Arab. dicitur Stella fixa ſecundæ magnitudinis vltima in extremo caudæ Vrſæ majoris, de natura martis, dicta etiam *Alalicth*. ideſt nocturnum, eo quia ſemper viſibilis ſit de noctu, cum neque oriatur, neque occidat in noſtro hæmiſphærio, ſed radat tantummodo horizontem. Vide fuſius in verbo *Vrſa*. 36.

ELKLEILSCHEMALI Arab. vocatur, vt teſtatur Kircherus in Oedipo corona Gnoſſia, ſidus in cælo ad Borealem plagam conſtans ſtellis 8, licet in Baieri Vranometria 20. omninò enumerentur, quarum lucida & inſignior appellatur proprio nomine *Alphetal* ſiue *Alpheica*, ideſt aperitio, & Mumir quaſi pupilla, eſt enim per antonomaſiam dicta cæli pupilla. Vide alibi vbi ſæpiùs de eà menſionem fecimus. 37.

ELLIPSIS dicitur figura Geometrica oualis vnica tantum linea, quæ tamen circularis non ſit, comprehenſa, nec omnes partes æqualiter tendunt ad centrum. Vide Euclidem. 38.

ELTANIN Arab. Latinè Draco, ſidus de quo paulò ante dictũ. 39.

ELVARAD Arab. vel etiam Elkir, & Pharmaz teſte Kirchero, Latinè Crater ſidus. Vide ſub hoc vocabulo. 40.

ELZEGIALE ſiue *Elathi*, hoc eſt Ingeniculator vocatur Herales Engonaſis, ſidus ad Borealem plagam propè Ophiacum, de quo plura ſuo loco. 41.

## EM

EMBOLISMVS Grecè propriè ſignificat intercalationem illam quæ antiquitùs fieri ſolebat, vt annorum ratio cum Solis curſu conueniret: Nunc autem magis ſtrictè accipitur, vel pro ipſo biſſextili die qui ſingulis quadriennijs ſuperadditur Februario ad æquandam anni quantitatem motus Solis in Zodiaco, vel pro exceſſu anni ſolaris ad annum lunarem dierum vndecim ſupra duodecim lunationes, itaut ſingulis annis Nouilunia contingant vndecim diebus prius, quam præcedenti anno, quæ præceſſio cum ad numerum dierum triginta peruenerit: conſtituet nouam lunationem, quæ dicitur Emboliſmica ſuperaddenda, quouſque annus communis lunaris exequet annum ſolarem. Quare. 42.

EMBOLISMICA *Lunatio* eſt illa, quæ conflatur ex triginta diebus ſuperadditis modo explicato, & quæ conſtituit annum Emboliſmicum tredecim Lunationum, conſtantem diebus 384. aut 383. Quippe Lunationes ijs menſibus tribuuntur, & ab ijs denominationem ſumunt, in quibus finiuntur: itaut omnis Lunatio in Decembri incipiens, & in Ianuario finem habens, etiamſi prima die menſis, ab eo nihilominus denominanda ſit, ac dicenda totius anni prima Lunatio. Hinc fieri poteſt, vt quibuſdam annis poſt primam illam Lunationem ſuperſint 43.

adhuc duodecim integræ lunationes, antequam ad primam lunationem alterius anni ſequentis veniamus; ſi nimirum ſuperſint poſt primam lunationem anni, dies 354. vel 353. quot ſatis ſunt ad explendum numerum duodecim lunationum. Sed de hac re conſule librum nouæ rationis reſtituendi Calendarij Romani.

44. EMPYREVM *Cælum* dicitur à Theologis, & Sanctis Patribus (nam Philoſophi ejus notitiam non habuerunt) ſupremum illud, ac vaſtiſſimum cælum ſuprà omnes cælos firmatum, ſedes Beatorum, & Thronus Dei, immobile & firmum, in quo omnes Angeli, & Sancti perennant. Eius qualitates deſcribere cœcutire eſt, quandoquidem, neque vllas ſtellas, habet vnde reddatur viſibilis, nec vllum motum, vnde ſaltem argui poſſit ejus exiſtentia, immenſitas & pulchritudo. Vnde Auguſt. in lib. *Soliloqu.* ad Deum, *cap. 31. Hoc eſt*, inquit, *Cælum tuum Domine, cælum calans ſuperarcanum, ſuperintelligibile, ſuperrationale, & ſupereſſentiale lumen, de quo dicitur cælum cæli Domino. Cælum cæli cui terra eſt omne cælum quia ſupermirabiliter exaltatum eſt ſuper omne cælum, ad quod etiam terra eſt ipſum cælum Empyreum: hoc enim eſt cælum cæli Domino, quia nulli notum niſi Domino.* Credibile tamen eſt ipſum immenſitate luce, materia cæteris omnibus antecellere: Vnde Empyreum dictum eſt non quaſi ignitum ſit, ſed ob nimiam ſui puritatem, ac lucem. Materiam crediderim eſſe ejuſdem ſpeciei cum cæteris, ſed longe puriorem, ac defæcatiorem, ſitum, nulli dubium eſſe longe altiſſimum, quam concipi poſſit: ſi enim à ſuperficie terræ vſque ad cælum ſtellarum computat Ptolomæus diſtantiam 65237500. milliariorum, quid credendum eſt de cælo Empyreo data proportione diſtantiæ quæ eſt inter alios orbes ad inuicem, quæ ſemper in immenſum excreſcit: Hinc etiam colligi poteſt infinita propemodum amplitudo, quæ ab aliquibus tanta eſſe dicitur, vt ſi cuilibet Angelorum, ac Sanctorum ſuus locus, & certa portio deputaretur, plus illud ſpacium contineret, quam occupat vniuerſa terra: & iure quidem eum ſecundũ omnes Aſtronomos minima ſtella quæ eſt in firmamento bis nouies ſuperet magnitudine terreſtrem globum: quidni igitur firmamentum? quid cælum Empyreum quod ad minus centies firmamentum ſuperat, ſed & Franciſius Pauonius *par. 2. introductionis in ſacram doctrinam defin. 2507.* affirmat diuinæ magnificentiæ congruum eſſe vt firmamentum ad concauam cæli Empyrei ſuperficiem, ſeu ad conuexam primi mobilis comparatum ſe habeat, ſicut punctum, quemadmodum ſe habet terra ad ipſum firmamentum comparata: Quanta porrò erit ejuſdem cæli craſſities tanta profectò, quanta par eſt ad

explicandum magnitudinem ejus, qui ſibi talem domum extruxit, vnde Baruch. 3. dicitur: *O Iſraël quam magna eſt domus Domini. & ingens locus poſſeſsionis ejus! magnus eſt, & non habet finem, excelſus, ac immenſus.* Vnde majorem ejus molem concipiendam eſſe ſubjungit idem author quam eſſet occupatura omnis Angelorum multitudo, ſi quilibet Angelus in ſua ſe ſphæra locaret extra cujuſque Angeli ſpæram. Quare autem tam immenſum creare placuerit omnipotenti Deo, triplicem cauſam adducit Guillelmus Pariſienſis. Primò propter infinitam ſui potentiam oſtendendam, quæ maximè in tam immenſo opere relucet. Secundò propter ſuam gloriam, & regalem magnificentiam comprobandam. Tertiò ad humani deſiderij vehementiam ſatiandam, quæ amplas poſſeſſiones lataque terrarum dominia requirit: Ergò tantum præparauit quo inueniret ſupra quam cupere poſſet. *Sed ad hæc inardeſcit animus, jamque illic cupit aſsiſtere, vbi ſe ſperat ſine fine gaudere*, inquit Gregorius Pont. *hom. 37. in Euangelia.* Faxit Deus, vt quò mens noſtra ſua deſideria dirigit, eò etiam per bona opera tendens, perueniat.

## EN

ENGONASIS Hercules, Ingeniculus, &c. ſidus ad Borealem plagam propè ſerpentarium conſtans ſtellis 29. computata etiam vna informi circa brachium dextrum: ſed Baierus *in ſua Vranometria* enumerat in hoc aſtro ſtellas omnino 48 omnes ferè de natura Martis ex quibus præcipua quæ in capite *Ras Algeti* apud Arabes tertiæ magnitudinis altera in manu ſiniſtra, Arab. *Marfic.* Is in horoſcopo, inquit Firmicus, facit callidum, mendacem varijs dolis inſtructum, quique homines varijs inſidijs appetat, atque effrenata ſemper animoſitate graſſetur. Cum teſtimonio autem Lunæ facit agiles, funambulos, oribatas, & qui talia pertractent. In occaſu verò repertum hoc ſidus exponit aliorum inſidijs, etſi cum malo radio Martis adducit periculum combuſtionis. 46.

ENIF *Alpheratz* Arab. dicuntur ſcapulæ Equi, ſtellæ videlicet duæ fixæ ſecundæ magnitudinis de natura Martis, & Mercurij, exiſtentes, altera quidem in gr. 19. Piſcium, altera in 25. cum fere totidem latitudinis Borealis. Vide earum ſignificata in V. Pegaſus. 47.

ENIOCHVS *Mulus Ciltellatus*, *Auriga* ſidus in cælo. Vide *Auriga.* 48.

ENNEAGONA Figura apud Geometras eſt figura nouem angulis conſtans: quemadmodum Pentagona, quæ quinque: Exagona, quæ ſex, & ſic de ſingulis (de quarum ratione. Vide Clauium in *Elementa Euclidis.* 49.

50. Enneatici *Dies*, vel *Anni* ſunt Nouenarij quique recurrentes dies, vel anni, à puncto Natiuitatis, vel initio morbi, in quibus profectò ſemper aliquam naturæ alterationem experimur, atque acceſſionem morbi, ſicut & in ſeptenarijs, ac manifeſtiùs quando ambo conueniunt, & ſeptenarij, & nouenarij. Cuius rei, vti effectus patens eſt, & manifeſtus, ita & ratio, & origo obſcura nimis, & adhuc non benè nota. Qua de re fusè egimus in Verbo *Critici dies*.

51. Eosphorus Grecè Latinè *Luci er* dicitur apud Aſtronomos Venus matutina, atque Orientalis à Sole, à Græco verbo *Eoos*, quod Orientalis ſonat: ſicut econtra Heſperus appellatur Veſpertina, & quando eſt Occidentalis à Sole.

E P

52. Epacta (quaſi Epiaucta hoc eſt ſuperexcreſcentia) nil aliud eſt, quam exceſſus anni communis ſolaris ſupra annum lunarem duodecim lunationum in diebus vndecim ſingulis annis: Cum enim annus communis ſolaris conſtet diebus 365. Lunaris verò diebus 354. conſequenter lunaris terminatur, & anteuertit ſolarem diebus vndecim, quî fit vt Nouilunia, tot etiam diebus præcedant finem anni ſolaris. Et quia id ſingulis quibuſque annis accidit, inde etiam eſt, vt ſingulis decem, & nouem annis ſolaribus Luna compleat viceſies duodecim integras lunationes, ſeù ſuperet vnum annum communem ſolarem, quo circuitu expleto conueniat cum Sole: atque ita ſemper procedendo in infinitum, ſingulis annis primis à dicta conuentione reperiatur Luna præcedere Solem diebus vndecim; ſecundo anno diebus 22. ſicque Epacta iſtius anni ſit 22. tertio anno præcedat diebus 33. ſed cum diebus 30. fiat vna integra lunatio, ideò ea prætermiſſa, immò potius admiſſa, atque in numerum integræ lunationis computata. Epacta, ſeu præceſſio lunationum ſit dierum 3. qui ad triginta ſuperſunt: quarto verò anno ſit dierum 14. & ſic de ſingulis. Progrediuntur igitur Epactæ omnes per continuum augmentum dierum vndecim, abjectis tamen 30. ſemper cum abijci poſſunt. Numerumque iſtum vocamus Epactum, quia epactat Lunæ defectum, atque inſeruit ad ejus ætatem ad dies ſingulos dignoſcendam. Quippe ſi addatur Epactæ currenti eo anno numerus dierum menſis, qui tranſierunt, nec non Calendarum quæ præceſſerunt, incipiendo à menſe Martio, vſque ad præſentem menſem in quo hæc ſcrutari volumus, incluſiuè; ſtatim elucent in producto numero dies ætatis Lunæ à præcedenti coitione cum Sole, demptis prius triginta, ſi fortè eum numerum exceſſerint, quia iſti ſufficiunt ad vnam integram lunationem conſtituendam.

Procedit

Procedit igitur ſemper æquali modo ordo iſte Epactarum per additionem vndecim dierum ſingulis annis, excepto tamen vltimo anno, in quo recurrit Epacta correſpondens Aureo numero 19. quæ eſt dierum 29 quantum videlicet ſufficit ad integram lunationem perficiendam: in quo caſu non vndecim, ſed duodecim dies imaginarie addendi ſunt, vt abjectis 30. ex compoſito numero 41. habeatur rurſus Epacta 11. prout erat in principio. Qua de re vide quæ optimè ſcripſit Clauius in *Kalendario Gregoriano*.

Ephemeris Græcè proprie ſignificat diarium, quod acta cujuſque diei complectitur, ac interſtinctè exponit, ſumpto vocabulo ex quodam animalculo Ephemero dicto, de quo ſcribunt naturales, ipſum non niſi ad vnicam tantum diem vitam protrahere. Hinc apud Aſtronomos deriuatum fuit, & antonomaſtice applicatum ad exprimendum motum diurnum omnium planetarum; quem in dies ſingulos perficiunt in Zodiaco, vnde libri, in quibus extant calculati hujuſmodi motus planetarum, cum aſpectibus, & alijs eorum paſſionibus ad dies ſingulos, Ephemerides appellantur. 54.

Epicataphora ſeu etiam *Picataphora* Græcè dicitur octaua domus ab horoſcopo ſuccedens angulo Occidentis: Latinè ſonat *Portam ſupernam* ad differentiam ſecundæ domus illi oppoſitæ, quæ quia ſuccedit Horoſcopo, ideo dicitur porta inferna. Eſt ſignificatrix mortis, hæreditatum, quæ ex mortuis proueniunt, laboris, triſtitiæ, & theſaurorum occultorum. Habet conſignificatorem Saturnum. Ex membris humanis præeſt pudendis, & inducit ſtranguriam, calculum, hæmorroidas, & ſimilia. Eſt locus infelix, eoquia nullam habet cum aſcendente familiaritatem, & continujs vaporibus è terra proſilientibus offenditur. Idcircò vocatur à Firmico locus piger, & otioſus; ab alijs (quod idem ſonat) *Argos Tophet*, &c. 55.

Epicyclus eſt paruus Orbis, qui deferenti infixus motu illius circum agitur, & impactum ſibi planetæ corpus peculiari ſuo motu circà proprium centrum circumducit. Pro cujus rei intelligentia ſciendum eſt, antiquos Aſtronomos, ad ſaluandos apparentias, ac diuerſitates motuum, qui in ſingulis planetis peculiariter deprehenduntur, excogitaſſe varios circulos, Eccentricos, Concentricos, & Epicyclos: itaut, excepto Sole, ſingulis planetis tres circulos aſſignarint, quorum primus eſſet deferens, Eccentricus ſimpliciter (qualis autem is ſit, ſuo loco explicuimus.) Secundus eſſet circulus dictus æquans, quem ideò poſuerunt, quia deferentes planetarum non mouentur æqualiter in eorum centris, ſed valdè difformiter, & irregulariter, vt mox dicemus: Tertius orbis foret infixus in

ipſo deferente, atque ejus centrum eccentricè circà tellurem moueretur vna cum ipſo Orbe eccentrico, & adhuc corpus planetæ circà ipſum in ejus circumferentia moueretur, qui dictus eſt Epicyclus. Et hunc tertium omnibus planetis præterquam Soli attribuerunt: licet Ptolomæus in Almageſto demonſtret, quod apparentiæ in Sole ſaluari poſſint ponendo in eo circulum eccentricum tantum, vel concentricum cum Epicyclo, tamen magis abbrobat eccentricum. Etenim planetæ modo apparent majores, modò minores; etiam in eadem altitudine ſupra horizontem: modo velocius mouentur, modò ſegniùs: modo videntur conſiſtere, modò etiam retrocedere: quæ omnia talia ſunt, quæ neque concipi poſſunt, neque explicari, niſi per orbes eccentricos, & Epiclycos. Et quoniam in Sole non videmus tantam motus diuerſitatem, quanta eſt in reliquis planetis, qui omnes excepta Luna, modò videntur ſtare, modò celerius progredi, modò retrogredi in Zodiaco; ideò in ipſo duos quidem priores circulos ponimus, Epicyclum, verò ſine quo optime ſaluare eius apparentias poſſumus, remouemus. In Luna verò, etſi non tanta motus diuerſitas dignoſcatur quanta in reliquis quinque erraticis, neque etiam habeat retrocedere in Zodiaco; quia tamen in eodem loco eccentrici ſui conſtituta, puta in Apogæo, vel Perigæo non ſemper habet eandem aſpectus conformitatem; ideo neceſſe fuit, concipere, vt in eodem loco eccentrici ſui ſit nihilominùs modò terræ vicinior, modo ab ea remotior; quod vtique ſaluare minime poſſumus, ni ponamus, & in ea vnum Epicyclum, in cujus Apogeo appareat minor, in Perigeo major, etiam cum alias eſt in Apogæo ſui eccentrici. Sed de hac re vide quæ latiùs habet Clauius *in Sharam Ioannis Sacro Boſco.*

57. Epigivs ex Græco idem ſonat, ac humi repens. Per tranſlationem vſurpatur ab Aſtronomis in Planeta, qui reperiatur in ima abſide ſui deferentis, vel Epicycli, in quo ſit terræ proximior.

58. Epima in ſphæra Barbarica dicitur ſecundus Decanus Capricorni manens ſub dominatu Martis, præbens genium quærendi de rebus, quæ ſciri non poſſunt, & ſciſcitandi de ijs, quæ ad finem perduci nequeunt.

59. Epitrion apud Ptolomæum *lib. 1. cap. 11.* vbi agit de aſpectibus ſignorum, idem ſonat ac ſeſquitertium.

60. Epocha Græcè, Latinè radix. Eſt initium certi cuiuſdam temporis apud antiquos, vnde incipiebat motus aliquis, aut rei computus numeraræ, vt Olympiades apud Græcos, ac indictiones & luſtra apud Romanos. Significat etiam, teſte Rhodigino, aſcenſiones planetarum in Zodiaco, poſituſque ſtellarum adinuicem.

EPTAGONVM eſt figura Geometrica ſeptem æqualibus angulis conſtans. Vide Clauium in Euclidem.

## E Q

EQVICVLVS, ſiue *Equi ſectio* Hinniculus, &c. dicitur ſidus mutilatum in cælo, repræſentans caput equi ſectum: habet quatuor tantum ſtellas obſcuras, quarum duæ priores ſunt de natura Martis, & Mercurij, reliquæ de natura Saturni. Conſiſtit in longitudine in gr. 19 Aquarij, hinc inde ad æquatorem. Arabicè *Alpheras Elmac.* 62.

EQVVS *alatus* aliud ſidus in cælo prope ipſum æquiculum, conſtans ſtellis viginti apud Ptolomæum, ſed apud Keplerum, & Baierum 23 quarum inſigniores ſunt, quæ in ore dictamus cida equi, altera quæ in armo alæ Arabicè *Marchab*, id eſt, *Currus*, tertia quæ in extrema ala dicta *Algenib.* aliæ duæ in ſcapulis dictæ *Enif.* vltima tandem quæ in eductione cruris apud Arabes *ſcheat alſheras*. Is in alicujus horoſcopo repertus, inquit Pontanus facit poetam, ingenio ſublimem, miræ dexteritatis in negotijs peragendis, famæ, nominiſque auram captatem, quem delectent arma currus & equos tractare. Dat etiam genium ad exquirendas herbarum virtutes, vt ijs medeatur hominibus ac brutis animantibus: Tandem de eo occidente concludit. 63.

*Excutit aut curru lacerum, aut è calce cruentum,*
*Aut dorſo eiectum ſtigias deturbat ad vndas.*

De eo aliter pronunciat Iulius Firmicus, vt videre eſt in V. *Pegaſus.*

## E R

EREGBVO, vocabulum Græco babarum in ſphæra barbarica, quo ſignificatur primus Decanus Sagittarij manens ſub diſpoſitione Mercurij, cujus proinde eſt ſignificate audaçiam, libertatem, militiam. 64.

ERICTHONIVS Agitator, Auriga, Heniochus ſidus in cælo ad Borealem plagam conſtans ſtellis 14. apud Ptolomæum, ſed apud Baierum 37. de natura Martis, & Mercurij inter quas vna in ejus humero ſiniſtro primæ magnitudinis, nomine *Hircus* ſeu Capella: duæ etiam minores in vola manus, dicti *Hædi*, tempeſtuoſæ nimis, ac ventorum motrices eorum ſignificata; quemadmodum & totius hujus ſideris, vide ſuis locis & in V. *Auriga* 65.

ERIDANVS, ſeu *Nilus* ſidus item in cælo ad auſtralem plagam habens ſtellas trigenta tres omnes ferè de natura Saturni, præter præcipuam in extremo fluminis ſitam Arabice *Acarnar* ſeu *Acarnaharim* quæ Sola in ſiderè ominoſo & malignantis naturæ omnem prauitatem compenſat. Eſt enim ſtella fulgentiſſima de natura Iouis & Veneris, primi honoris, quæ in horoſcopo 66.

dat venuſtatem, gratiam dicendi, leporem, fortunam in honoribus, ac diuitijs, eadem cum Sole occidens, aut cum Ioue exoriens facit ſerenum. Cæterum aliæ ſtellæ quæ ſunt in fluuio, vt dixi non adeo fauſtæ ſunt, quinimo tempeſtates in mari vt plurimum excitant, & in alicujus horoſcopo repertæ portendunt naufragium, & ſuffocationem in aquis, cum ſint de natura Saturni, idque præſertim ſi is mali affulſerit. De hoc ſidere hæc habet Tullius, in Araſi Phænom.

*Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum,*
*Cæli, funeſtum magnis cum viribus amnem,*
*Quem lachrimis mæſtæ Phaetontis ſæpè ſorores,*
*Sparſerunt latum mærenti voce canentes.*

Oritur autem Romæ hoc ſidus cum ſigno Aquarij, & occidit cum extremis partibus Piſcium.

67. Erigone Manilio audit Virgo ſignum in cælo, ſextum ab Ariete, de quo vide ſuo loco.

68. Erraticæ ſtellæ, ſeu Errones dicti ſunt Planetæ præſertim quinque Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, & Mercurius; Luminaria enim nobiliore titulo gaudent. Dictæ inquam ſunt errones, errantes, & erraticæ ad differentiam aliarum ſtellarum, quæ ſunt in firmamento ſub varijs imaginibus compræhenſæ: Iſtæ enim etſi motu primi mobilis ab Oriente in Occidentem circumaganrur, atque etiam motu proprio ipſius firmamenti (lento tamen, ac planè inſenbili, ab occaſu in ortum; nihilominus, quia non ipſæ vllo modo mouentur, ſemper eodem loco in firmamento conſiſtunt, ſemper eandem diſtantiam ab inuicem ſeruant, atque à polis Zodiaci, ideo fixarum nomen ſortitæ ſunt: quando planetæ econtra ob peculiarem cujuſque motum, ob diuerſas inter ſe habitudines, quas ſemper errando permutant, merito erraticæ ſtellæ ſunt dictæ.

69. Etesiæ apud Plinium, Strabonem, & alios dicti ſunt venti quidam anniuerſarij, ſtatis temporibus recurrentes, qui etiam *Prodromi* vocitantur, ac pro locorum varietate, ab aliqua cæli plaga & certo tempore conſtanter exſufflant. Strabo eos nominat ſubſolanos. Vt plurimum autem ſpirant in æſtate incipientes circà exortum Caniculæ manè poſt Solis ortum, & durant per quadraginta ferè dies ſummam ſemper aeris temperiem ſalubritatemque ferentes. In Italia ſpirant à Septentrione, in Hiſpania ab exortu æquinoctiali, in reliquis mundi partibus à meridie, & noctu ſemper ſilere conſueuerunt. Sunt tamen in diuerſo genere: quippe apud Occidentales ſolent eſſe ex Septentrionalibus, & mutari ſolent in Occidentales vſque ad Fauonium. Apud incolas vero Orientalium locorum ſpirant

item à Septentrione, & mutantur in Orientales vſque ad ſubſolanum. Sunt & alij venti anniuerſarij flantes hyberno tempore, hoc eſt poſt brumam diebus circiter 70. qui ſunt æſtiuis exiliores. Tandem ſunt & alij, qui in Vere exſufflant circà veſpertinum Arcturi exortum, omnium ſuauiſſimi, ac ſaluberrimi, qui poſteà in Fauonium conuertuntur: & hi quidem ab aduentu hirundinum, aliarumque auicularum circà id tempus, quo ipſi ſpirare ſolent, Ornithias, & Chelidonius appellantur. De quibus vide Plin. *lib.* 37. *cap.* 5. & alibi ſæpè. 70.

ETEROSCII. Vide Heteroſcij. 71.

EVDÆMON Græcè idem ſonat ac Latinè Bonus genius. Sic dicta eſt ab Aſtrologis vndecima domus ab Horoſcopo ſuccedens angulo Medij cæli ob felicitatem eius ſignificatorum: ſignificat enim amicos, acceſſiones gratiâ ipſorum, neceſſitudines cum Principibus viris, conſequutionem rerum ſperatarum &c. Gaudet in ea Iupiter, & habet tria ſuffragia fortitudinis. Reſpicit de ſextili aſcendens: verùm in ſecunda eius 72. medietate, quæ accedit ad duodecimam ob ſemiquadratum ad dictum aſcendens aduertit Titus, non eſſe idoneam ad prærogatiuam hilegialem luminari, ſiue alteri ſignificatori in ea exiſtenti communicandam: Ideoque in hoc munere eſt inferior nona, etſi alioqui hæc ſit vna ex cadentibus. Nam ibi conſtitutus ſignificator reſpicit de trino aſcendens, qui eſt radius perfectæ familiaritatis.

EVEHENS, ſeu *Attollens* dicitur apud Aſtronomos caput 73. Draconis, ſeu nodus Lunaris interſectionis orbitæ Lunæ cum Ecliptica, quam ad Septentrionem declinat, quia videlicet inde Luna incipit attolli, & eleuari à parte auſtrali ad borealem. Vnde nodus ipſe boreus non ab re dictus eſt attollens, & euehens: ſicut è contrà nodus auſtrinus & cauda Draconis dicitur *deprimens*, & *humilians*, quia deprimere videtur Lunam ad partes auſtrales. Et hi quidem nodi, vt alibi obſeruatum eſt, nedum in Luna, ſed & in reliquis planetis excepto Sole attenduntur: de quibus eadem ratio ac de Luna, cùm non incedant per Eclipticam, ſed per propriam quiſque orbitam, quamodò ad Boream, modò inclinant ad Auſtrum.

EVGONIVS Græcè, Latinè rectangulus Figura quæcumque 74. apud Geometras rectis angulis conſtans. Sicut etiam

EVGRAMMVS, & *Euthigrammus* dicitur figura Geometrica 75. rectis lineis conſtans: ab *Euthi* quod rectum, & *Grammum* quod apud Græcos lineam ſignificat, deductum.

EVRVS Græcè, Latinè *Vulturnus* dicitur ventus adjacens ſubſolano, & illi collateralis ad ortum brumalem: ſic dictus à volando, quod altè ſpiret, & ferè vulturis volatum imitari 76.

videatur. Eſt de natura ſua calidus, & ſiccus: tamen ob deflexionem ad auſtrum acquirit aliquid humiditatis. Imò, & quandoque in ipſius auſtri naturam conuertitur. Idemque initio ſiccus, ſub finem verò plerumque humidus, nubifer, perturbans aërem, gignenſque repentinas mutationes, & tonitrua. Sed id in eo bonum, quod ſi à ſerena cæli parte flare incipiat, non multùm temporis durat. De hoc vento ſic cautum reliquit Columella *lib. 5 cap. 5. Cùm plerumque caniculæ tempore quadam partes eius regionis ſic infeſtantur Euro, quem incolæ vulturnum appellant, vt niſi teguminibus vites opacentur, veluti halitu flammeo fructus vrantur.* Hinc Meſeurus, Ipoeurus, venti minores illum circà ſtipantes, primus quidem inclinans ad auſtrum, ſecundus ad ſubſolanum: de quibus ſuo loco. Solet quandoque ſumi pro ipſo vento cardinali, cui adjacet.

77. Evrythmia eſt modus qui attenditur in Architectura ex Geometriæ præceptis, facitque vt in partium compoſitione in ordine ad aliquod opus, aut ædificium, venuſtas quæ eſt in ipſis partibus ſeorſim ſeruetur; vt cùm membra operis conuenientia ſunt altitudinis ad latitudinem, latitudinis ad longitudinem. Vide Vitruu. lib. 1. c. 2. & lib. 6. c. 2.

78. Exagonvm, Græcè dicitur figura ſex angulis conſtans Hinc ab Aſtronomis accipitur ſæpè pro radio ſextili, qui proijcitur à ſexta parte circuli.

79. Exaltatio apud Aſtronomos eſt quædam dignitas eſſentialis planetarum in Zodiaci partibus proximè accedens ad jus domicilij; in quibus planeta repertus perinde eſt ac ſi princeps foret in ſua Regia: alio nomine dicitur Altitudo. Iulius Firmicus, & alij volunt, planetam maiorem dignitatem, & fortitudinem obtinere in Exaltatione, quàm in domicilio ſuo. Aſſimilatur enim, inquit, viro exiſtenti in regno ſuo, & in gloria ſua, cùm alioqui planeta exiſtens in domo ſua comparetur viro exiſtenti in dominatione ſua. Verum id, meo judicio, non benè deductum, quia cæteris paribus, ſemper plus juris habet vir in ſua domo, quàm rex in ſuo regno, cùm id natura habeat, hoc autem ex populorum conſenſu: & alioqui vulgare eſt adagium, vnumquemque in domo ſua regem eſſe. Cæterùm Ptolemæus, vt alibi obſeruauimus, vult planetam exaltari in toto ſigno, Arabes verò in certa parte ſigni, Hermes in ſigni medietate; quod quidem ratione non vacat, nam in medio conſiſtit maior fortitudo, & maior naturæ conformitas, quàm in principio, aut fine: vnde rationabile eſt, vt ibi planeta magis, magiſque exaltetur, ac validioribus viribus polleat. At enim rationes, quibus Arabes, præſertim Albumaſar *tract. Sui Introductorij differ. 7.* probare nituntur conue-

nientiam aſſignationis certorum exaltationis graduum, friuolæ admodum ſunt, & non magni momenti. Ait enim Albumaſar, ideò gradus 15. Cancri ponitur Exaltatio Iouis, quia hic gradus fuit aſcendens in creatione mundi, & ſecundùm quod alij gradus exaltationum aſpiciebant aſcendens, ponit eos pro exaltatione aliorum planetarum, prout magis videbantur conuenire cum natura aſpectus. Exempli gratiâ: Ex quo in prima mundi creatione fuit aſcendens 15 gr. Cancri in medio cæli erant 19. Arietis: ideò conueniens erat, vt in 19. Arietis foret exaltatio Solis: & ſimiliter diſcurrit de alijs planetis pro natura ipſorum, & poſitione ſignorum in apicibus domorum, quæ reſpiciebant aliquo radio aſcendens, aut medium cæli. Vtcumque ſit id forte obſeruare ſuperuacaneum non erit. Ideò hic non modò ſigna, ſed & præciſos gradus ſignorum ponemus, in quibus volebant Arabes vnumquemque planetam potiſſimùm exaltari. Igitur exaltatio Solis eſt in Ariete, maximè verò in gr. 19. Lunæ in Tauro, potiſſimum in tertio gradu. Saturni in Libra, ſed præſertim in gr. 21. Iouis in Cancro, ſed vt dictum eſt in gr. 15. Martis in Capricorno, at ſpecialiùs in gr. 27. Veneris in Piſcibus, at ex Arabum placitis in gr. itidem 27. Tandem Mercurij exaltatio eſt in Virgine, ſignatè verò in gr. 15. Rationem exaltationum affert Ptolemæus *in cap. 17. lib. 1. Quadrip.* quam nos ſuprà in V. *Altitudo* tetigimus. Verum aliam pulchram, nec contemnendam profert Almanſor antiquiſſimus aſtrologus in Aphoriſmis ad regem Saracenorum directis. Sic enim ait in verbo ſecundo. *Cuiuſquam planetarum ſeptem exaltatio in illo loco eſſe dicitur, in quo ſubſtantialiter patitur ab aliò contrarium, veluti Sol in Ariete, qui Saturni caſus eſt. Sol enim habet claritatem, Saturnus tenebroſitatem: & vt Iupiter in Cancro, in quo Mars cadit, quorum alter cupit iuſtitiam, alter verò iniuſtitiam, & ſic Mercurius in Virgine, qui caſus eſt Veneris: alter namque ſignificat ſcientiam, & philoſophiam, altera verò cauſat alacritates, & quidquid eſt ſaporiferum corpori.* Hæc ille.

81. EXASTERON, Antonomaſticè dictum eſt apud Græcos ſidus in cælo valdè conſpicuum, vulgo Pleiades, ac Vergiliæ, quæ etſi reuerà ſeptem ſint, nihilominus tamen ſex ſunt conſpicuæ, & inuicem appropinquatæ, vt notat etiam D. Thomas in cap. 38. Iobi. Quare autem ſeptem dicantur, cùm tamen ſex tantùm ſint. Cicero in Arati Phænom. ad vulgi imperitiam refert: ſic enim canit.

*Paruas Vergilias tenui cum luce videbis;*
*Hæ ſeptem vulgò perhibentur more vetuſto*
*Stellæ, cernuntur verò ſex vndique paruæ*

*At non interiiſſe putari conuenit vnam:*
*Sed fruſtra temere à vulgi, ratione ſine vlla*
*Septem dicier, vt veteres ſtatuere poëtæ*
*Æterno, cunctas æuo qui nomine dignant.*

Et Ouid. lib. 4. Faſto.

*Pleiades incipiunt humeros reuocare paternos,*
*Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.*

At non temerè id factum exiſtimandum eſt, nec verò tantum quia à Poëtarum fabulis mutuatæ ſunt nomen, à Pleiadibus inquam ſeptem ſororibus filiabus Atlantis, & Pleionis nymphæ: neque enim ſapientiſſimis illis Aſtronomis alia nomina deerant, quibus, ſiue ex fabulis, ſiue aliunde, numero ſtellis correſpondente illas indigitarent, ſed verè dicendum eſt illas ſeptem omninò eſſe imò & plures, vt modò ex Galilæi Nuncio ſidereo apud omnes in confeſſo eſt. Sex tamen communiter numerantur, quia ſeptima exilior eſt, & obſcurior, atque adeo non mirum ſi negligatur: quamquam non deſunt qui dicant illam reuerà ſtatis temporibus conſpicuam fieri, ac poſtmodum occultari, vt videre eſt apud Ricciolum in ſuo Almageſto, necnon Petauium in Vranologio, & nos dicemus in V. *Phænomenon.*

82. Execetra, dicta eſt ab aliquibus Hydra, ſidus in cælo ad Auſtrum declinans, ſumpto nomine ab Hydra Lernea, cui cæſo vno capite, tria iterùm maiori impetu excreſcebant. Eius ſignificata vide ſuo loco in V. *Hydra.*

83. Exeresimus Ciceroni, aliiſque audit dies ille eximendus à menſe Lunari ad hoc, vt annus Solis cum Lunari congruat, redeantque lunationes, vt erant priùs. Quandoquidem, cum ſingulis vndeuiginti annis ſolaribus reincidat annus lunaris cum ſolari: ita tamen vt Luna hora vna, & ſemiſſe præcedat; hinc fit, vt in annis 76. ipſa anticipet per horas ſex, & in annis 312. & ſex menſibus anticipet vnum integrum diem, vt dictum eſt in VV. Annus Metonicus, & Callippiea Periodus. Hic ergo dies ſemper eum concurrit Epacta cum aureo numero 19. eximendus eſt à menſe lunari 30. dierum, ad hoc vt probè correſpondeat ſolari periodo, & ordo Epactarum, & aurei numeri recurrentium ad Lunæ ætatem indagandam minimè peruertatur. Et hic dies exereſimus dictus eſt. Quomodo autem compenſari poſſit iſte exceſſus; ita vt ſemper lunationes ad amuſſim reſpondeant cum recurſu Solis: Vide apud Io. Lucidum Samotheum in Epitome Emendationis Calendarij prope finem.

84. Exhalatio. Vide in V. *Meteora.*

85. Exhalma Græcè, Latinè exultatio dici poteſt. Eſtque (vt teſtatur Valla) cùm præcipui Moderatores, Sol videlicet, Lu-

na, & pars fortunæ per ſuum naturalem inceſſum, è ſigno in quo erant in radice natiuitatis, tranſeunt in aliud ſubſequens.

## FA

Facies, vt aliàs obſeruatum eſt, apud Aſtronomos bifariam vſurpatur; & pro decanatu, hoc eſt tertia quaque parte ſignorum, quarum dominium antiqui planetis per ordinem diſtribuebant (vnde & dicitur prima facies Arietis, ſecunda facies Tauri &c.) & etiam pro perſona, ſeu habitudine planetarum ad luminaria, qualis eſt domorum ipſorum ad domos iſtorum: quæ communiter vocatur Almugæa: qua de re ſatis in loco dictum. 1.

Falco dictum eſt ab aliquibus ſidus in cælo, quod nos communiter Lyram, Vulturem Cadentem, Fidiculam nominamus. Vide paulo inferiùs. 2.

Familiaritas apud Aſtronomos eſt conuenientia & proportio duorum ſiderum inter ſe, vnde contrahunt, quamdam neſcio quam, tum erga ſe mutuo, tum potiſſimùm erga ſubjectum in quod agunt, præſertim inferiora iſthæc alterandi potentiam per proportionalem luminum diſtantiam, ac lucis intenſionem, quæ per acceſſum, aut receſſum ſiderum ad inuicem, vel etiam ad mundi cardines fiat. Porro, quoniam duplex motus, & duplex reſpectus ſiderum eſt, alter in Zodiaco, quem proprio motu ſucceſſiuè acquirunt, incedendo à præcedentibus ad conſequentia ſigna; alter circa mundum, quo motu raptus integro die rotantur ab Oriente in Occidentem per Medium, & Imum cæli, conſequens eſt, vt duplex etiam genus familiaritatum concipiatur, quas ſidera contrahant per duplicem motum quem habent, & in Zodiaco, & in mundo. Quod ſanè Ptolemæus ipſe non obſcurè inſinuauit. Primò in exordio ſui Quadripartiti ſic inquiens. *Duo ſunt Syre quibus peruenitur ad Aſtrologicas prædictiones: Vnum quod primum, & loco eſt, & poteſtate, quo Solis, Lunæ, & ſtellarum motuum configurationes, tum erga ſe, tum terram deprehendimus: alterum &c.* Ecce quomodo Ptolemæus duplex genus configurationum quas contrahere poſſunt planetæ, agnoſcit, & inter ſe, hoc eſt in Zodiaco, & circa mundum: & etiam clarius explicat *in Almageſto lib. 8. cap. 4.* in hæc verba. *Relinquitur jam de aſpectibus ipſarum* (erraticarum ſcilicet) *conſcribere: horum igitur exceptis illis, qui inter ſe fiunt, atque ſtabiles habentur, ſicut quando in recta linea, vel in aſpectu triangulari, aliiſque huiuſmodi quidam ad ſolos planetas, & Solem, & Lunam, aut Zodiaci partes conſpiciuntur, quidam ad terram tantummodo;* 3.

*quidam ad terram ſimul, & ad erraticas ſtellas, & ad Solem, Lunam vel partes Zodiaci.* Datis igitur his duobus familiaritatum generibus, ſtatim elucet, quibus modis configurari poſſint planetæ, quæue ſint harum configurationum differentiæ,
5. quas ingenioſè hauſit Keplerus ex harmonicis chordarum conſonantijs, quæ cùm ſint octo, vniſona, tertia minor, tertia maior, quarta, quinta, ſexta minor, ſexta maior, & octaua (vt experiri eſt in chorda ſubtenſa, quæ in dictis tantum diſtantijs conſonantiam habet) conſequenter, tot etiam ſint, neceſſe eſt, familiaritatum differentiæ quas poſſunt contrahere ad inuicem ſidera in certa, ac determinata diſtantia, nempe Conjunctio, Sextilis, Quintilis, Quadratus, Trinus, Seſquiquadratus, Biquintilis, & Oppoſitio. Et quoniam radij ſiderum quidam ſunt à centro ſideris producti vſque ad oppoſitionem, quæ eſt diametralis, profectò excepta conjunctione, & oppoſitione, omnes iſti radij cùm hinc inde ad ſidus proijciantur, & à dextris, & à ſiniſtris, duplices ſunt, ac proinde vnà cum illis duobus quatuordecim genera familiaritatum inuenientur: quibus ſi adjungatur etiam duplex ſemiquadratus alter à dextris, & alter à ſiniſtris, qui cùm participet rationem quadrati, in morbis habet vim indicandi de futura criſi, vt ego ſæpiùs obſeruaui, & teſtatur etiam Argol. de diebus criticis; vtrique ſexdecim omninò erunt, & conſtituent figuram ſexdecim laterum: de qua ſermo eſt in Centiloquio propoſ. 60.

6. Præterea adſunt antiſcia, ſeu vt alij vocant paralleli tam primarij, quàm ſecundarij, tam in Zodiaco, quàm in Mundo; quæ cùm ſit ſpecies quædam familiaritatis reſultans ex æquidiſtantia, ac proinde pati aſtrorum potentia; conuenienter reducuntur ad conjunctionem, ſi ea quidem ſint eiuſdem declinationis, aut hemiſphærij, atque ad oppoſitionem ſi diuerſæ. Sed de hac re vide Titum in Cæleſti Philoſophia *lib. 2. cap. 2.* noſque fuſiùs agemus in V. *Paralleli.*

7. Favonivs, ventus vnus ex quatuor Cardinalibus ſpirans ab occaſu æquinoctiali, directè oppoſitus ſubſolano, ſic dictus à fauendo, quod cunctis faueat, vel potiùs à fouendo, quod omnia foueat: quippe qui temperie quadam caloris, & humidi cedit cunctis animantibus opportunus, ac ſalutatis. Vnde & Plinius eum *Genitalem mundi ſpiritum* nominat, *quo plantæ hyberno frigore aduſta reuiuiſcunt, animalia recreantur, & Venerem ſobolis deſiderio appetunt*, & alibi, eo flante equas in Luſitania concipere teſtatur. Hinc jure à Græcis Zephyrus dicitur, hoc eſt vitam afferens. Spirat potiſſimùm in Italia æſtatis tempore leniſſimè poſt Meridiem, adducens ſerenitatem ma-

ximam, cum non minori corporum ſalubritate. Hyeme verò niues, & pluuias generat, & quandoque etiam repentinis flatibus maria concurit, corporibuſque humorum ingerit commotionem.

FE

Fera Lupus, beſtia Centauri &c. in Tabulis Perſicis *Bridemiſ*, ſidus in cælo ad auſtralem plagam ſub Centauro, conſtans ſtellis ſeu 19. vt vult Ptolemæus, ſeu 20. vt obſeruaſſe teſtatur Keplerus, & Baierus, omnibus ferè de natura Saturni, & parum Martis; quarum præcipuæ duæ in poſteriori pede, tertiæ magnitudinis. Eæ in horoſcopo ſemper infauſtæ ſunt, ac malorum nunciæ, licet in noſtro hemiſphærio non oriantur, niſi tantùm duæ poſitæ in extremo pedis ſiniſtri, idque fiat ad modicum tempus & parùm ſuprà horizontem attollantur. Oriuntur enim Romæ cum gr. 2. & 12. Sagittarij, occiduntque cum gr. 7. & 25. Virginis. 8.

Feralia, ſigna ſunt quæ ferinam ſpeciem referunt, qualia ſunt Leo, & vltima pars Sagittarij, quibus annumerari poſſunt & ſidera extrà Zodiacum, vt Lupus, Centaurus, &c. Quibus non ab re hoc nomen inditum, ſeu potiùs adjecta ferarum forma; quia videlicet neſcio quid cum illis habent affine: beſtiis illis præſunt, in hominum genituris aut feram edi, aut ferinam naturam ingerunt; præſertim ſi luminaria in ipſis reperiantur, & in cardinibus duo malefici, vt notat Ptolemæus *lib. 3. cap. 8.* 9.

Feralis, apud Aſtronomos dicitur planeta, quando fuerit in loco, vbi nullam cum reliquis familiaritatem habet: quod quidem maximum eſt detrimentum, & potiſſimè attenditur in Luna, quæ proinde in eo caſu appellatur Agreſtis, curſu vacua, &c. 10.

Ferdariæ. Vide *Fridariæ*. 11.

FI

Ficares, apud Babylonios nuncupatur Cepheus, conſtellatio in firmamento prope Bootem, quod vocabulum apud nos idem ſonat ac ſuccenſus. 12.

Fidicvla Lyra, Vultur cadens, &c. dicitur ſidus in cælo ad borealem plagam ferè verticalis Italiæ, conſtans apud Ptolemæum ſtellis tantummodò decem, quot videlicet chordæ ſunt in Lyra, ſeu Spalterio decachordo. At verò Keplerus in eo conſiderat ſtellas 11. & Baierus adhuc 13 quæ omnes ſunt de natura Veneris, & Mercurij. Inter has præcipua eſt quæ proprio nomine apud Arabes appellatur *Vvega*, *Vagiah*, & *Brinek*, ſeu *Brinett*, fixarum omnium (excepto Sirio) maxima, & fulgentiſſima, exiſtens nunc in gr. 11. Capricorni cum decli- 13.

natione boreali, grad. 35. quî fit, vt jam modo ſit verticalis Siciliæ, quod maximè aduertendum. Ea partiliter in ſecunda domo, aut cum Ioue, Venere, & parte fortunæ reperta immenſas diuitias pollicetur; ſicut etjam in medio cæli magnam fortunam in honoribus, atque in opificio. Vide amplius eius decreta in horoſcopo ſub V. *Lyra.*

14. FIGVRA ex Euclide lib. 1. d. 14. definitur eſſe quantitas, quæ ſub aliquo, vel aliquibus terminis clauditur. Quantitas enim ſecundùm variam extremorum poſitionem, variam etiam dicitur figuram ſubire, etſi alioqui in ſeipſa inuariata remaneat: vnde intelligitur aduenire quantitati jam in ſuo genere conſtitutæ, quoniam illam modificat, facitque vt extenſio partium, quam alias ex ſe habet quantitas, ſeruet aliquem ordinem in partibus ritè diſpoſitis, vnde ſe habet per modum qualitatis afficiens illas, ac ſuperficiei terminum dicens. Hinc figura angularis, lateralis, rectilinea, curuilinea, triangularis, quadrangularis, ſolida, plana &c. de quibus ſuo loco.

15. FIGVRÆ *Iſoperimentra* apud Geometras ſunt duæ, vel plures figuræ, quæ ad inuicem comparatæ perimetros, ideſt circumferentias habent æquales. Deriuatur enim hoc vocabulum à Græco *iſos* quod eſt *aquale*; *peri* quod eſt *circum* & *Metros* quod eſt *Menſura:* quaſi figuræ æqualium circundantium menſuratum. Hinc figuræ omnes, quæ æquales ambitus continent Iſoperimetræ ſunt. Vt quadratum ſex pedes habens in ambitu, dicitur Iſoperimentum triangulo ſiue rectilineo, ſiue curuilineo, ſiue mixto, quod pariter ſex pedes habeat in circuitu: itaut quatuor lineæ quadrati ambitum conſtituentes, ſi in vnam, eandemque lineam aptentur, inueniantur æquales tribus rectis lineis trianguli, aut lateribus omnibus cuiuſcumque figuræ in rectum quoque & continuum poſitis. Plura qui volet, conſulat Clauium in Euclidem, qui eaſdem delineatas exhibet oculis conſpiciendas.

16. FIGVRA *ſexdecim laterum*, eſt complexus omnium aſpectuum, ſeu radiorum, quos ab vno puncto in quo eſt ſignificator in principio motus, acquirere poteſt, dum per ſuam realem viam incedit, quouſque totum circulum compleat, atque ad eundem locum radicalem redeat, in quo erat ab initio motus. Eius potiſſimùm mentionem facit Ptolemæus, ſiue quicumq; * alius ſit auctor Centiloquij *in Verbo* 60. monens, in morbis dijudicandis conſiderandam eſſe Lunæ peragrationem in figura ſexdecim laterum; & prout ea ibi benè vel malè fuerit affecta, præcipit, benè, vel malè de morbo propronuntiandum. Et ſanè inde exorti critici dies, decretorijque: ſicut etiam indicatiui, quos ſedulò obſeruant ex Hippocratis

præceptis Medici peritiores, ex Lunæ uidelicet peragratione ad loca quæ aliquam habeant configurationem cum loco radicali, in quo erat initio morbi. Igiturm ſexdecim poſitus habere poteſt Luna ad locum ſuum radicalem, prout totidem ſunt genera familiaritatum, quæ contrahere poſſunt ad inuicem ſidera, & non ita pridem detexit Keplerus, atque ex modulis harmonicis confirmauit. Ea ſunt ſextilis per diſtantiam 60. graduum, ſeu ſextæ partis circuli. Simiquadratus per diſtantiam 45. graduum ſeu per octauam partem circuli. Quintilis per quintam partem, & diſtantiam gr. 72. Quadratus per integrum quadrantem 90. graduum. Trinum per tertiam partem, & gr. 120. Seſquiquadratus per diſtantiam trium ex octo partibus, hoc eſt per gr. 135. Biquintilis, per diſtantiam duarum ex quinque partibus, hoc eſt per gr. 140. ac tandem oppoſitio, quæ eſt diſtantia ſemicirculi, & gr. 180. quæ vice verſa iterum dextrorſum numerata, & loco oppoſitionis, ſi addatur reditus Lunæ ad locum ſuum radicalem, profectò inuenientur omninò ſexdecim, quæ conſtituunt figuram hanc ſexdecim laterum, cuius peragrationem obſeruandam in Luna præcipit centiloquij Auctor ad morborum judicium proferendum. Porrò ex his aſpectibus, alij boni ſunt, alij mali. Mali, ſemiquadrati, quadrati, ſeſquiquadrati, & oppoſitio ſicut etiam reditus, ſeu conjunctio cum loco ſuo radicali. In bonis, ac benignis aſpectibus morbi non accipiunt incrementum; immo potius natura vires ad illum pellandum: in malis è contrà morbus reuiuiſcit, & aduerſus naturam, iiſdem ferè armis, quibus prius eam oppugnauerat, viribus auctus inſurgit. Inde conflictus, & pugno, vnde judicium pendet, atque ſententia, quam Græci criſim appellant. Hinc dies critici, atque indicatiui omnes infauſti, quibus Luna ad ſuos hoſtiles radios peruenit. Et ſi quidem natura ob præcedentes radios ad ſuum locum benignos inueniatur ità uiribus roborata, vt in die critico ſuſtinere poſſit inſultum; pugna, & criſis in bonum cedet; ſin minus, præualebit morbus, ipſaque proſternetur. Quoniam autem ſemiquadrati, & ſeſquiquadrati imperfecti radij ſunt, & perfectorum prodromi, (ſunt enim quadrati, & oppoſitionis participatio,) ideò vera criſis accidit in quadratis, oppoſitione, & reditu Lunæ ad locum ſuum radicalem: dieſque illi, in quibus accidit, dicuntur abſolute critici, & judicatiui; ij verò in quibus Luna peruenit ad ſuos ſemiquadratos, & ſeſquiquadratos, dicuntur tantum indicatiui, eoquia ſunt veluti indicium pugnæ critico die futuræ. Ideò rectè monet centiloquij auctor in morbis, inſpiciendos eſſe, nedum criticos dies, ſed & reliquas Lunæ peragrationes in figura ſexdecim laterum, quo-

niam ex aliorum aſpectuum ratione collegi poteſt, quantæ ſint naturæ vires, quantæ etiam morbi, vnde judicium proferri poſſit, quis tandem ſuccumbere, quis præualere debeat: Ex quibus habes male pronunciaſſe Gallucium in theatro mundi & temporis, nec-non Henricum Alſtedium in ſua Enciclopedia, figuram hanc diuidendam eſſe in ſexdecim latera æqualia: non enim in æqualibus ſpatijs, ſed in configuratione conſiſtit hæc vis, vt ipſimet notant.

17. Finis, ſeu *Terminus* apud Aſtronomos ſunt certi quidam limites, & partes ſignorum Zodiaci, in quibus planetæ ratione habitudinis ad ſuas domos habent certam prærogatiuam, ac dignitatem, quæ vna eſt ex quinque eſſentialibus. Alij ſunt apud Ægyptios, alij apud Ptolæmeum: ſed magis probantur qui apud Ægyptios atque eorum diſtributionis conuenientiſſimam rationem affert. Titus in cæleſti Philoſophia. Porrò tabulam terminorum, tam ſecundum Ægyptios, quam ſecundum Ptolomæum hic non exſcribo, quoniam ea paſſim obuia eſt apud omnes ſcriptores.

18. Finitor apud Latinos audit quod Græci horizontem appellant: Circulum nempe maximum in ſphera dirimentem ſuperius hæmiſphærium ab inferiore, inde dictum, quod viſum finiat: Comprehendit enim quidquid ſupra terram viſibile eſt; itaut quæ ſidera ad finitorem Orientalem pertingunt, dicantur oriri, quæ verò Occidentalem tenent, occidere. Duplex eſt alter rationalis, ſeu naturalis, alter ſenſibilis: Primus diuidit ſphæram ſeu totum cælum in duas partes æquales; vt proinde ſi concipiatur aliqua ſuperficies eum terminans, ea tranſire debeat per centrum terræ: ſecundus eſt circulus conceptus ad terræ ſuperficiem eleuatus, itaut cum ea vnam planitiem efformare concipiatur; comprehendatque totum id, quod remotis omnibus impedimentis, oculorum acies circumducta conſpicere poteſt. Sed de hac re vide Fuſius in Verbo *Horizon.* Ab alijs dicitur etiam Finiens.

19. Firmamentum dicitur communiter octauus orbis, & cælum ſtellarum, in quo ſtellæ omnes inerrantes fixæ ſunt, atque in varios Aſteriſmos tributæ. Nouem hauſit ab eo, quod ſit quaſi firmamentum ac vallum, vel ſanè quia in eo ſidera firmiter ſemper adhærent, nec locum permutant in eo, ſicut eandem ob cauſam ipſæ ſtellæ fixæ dicuntur, vt mox infrà. Alij inter quos Blancanus, illud exiſtimant dictum ab firmitate, ſeu ſoliditate qua præditum eſſe credunt: ſic enim inquit Blancanus *lib. 18. cap. 6.* de mundi fabrica. *Si qua pars cæli duritie, ac firmitate prædita eſt, proculdubio erit firmamentum: Videmus enim ſtellas in eo affixas atque ad inuicem immotas, omnes*

*ſimul ſuprà mundi polos ordinate ac ſphæricè moueri, ideſt perinde ac ſi corpori ſpharico affixæ vna cum eo reuoluerentur quod euidens ſignum eſt firmitatis illius, & cauſa ſimul cur vocatum ſit firmamentum.* Cæterum ea ſufficiens ratio non eſt illud ſolidum aſtruendi, quandoquidem, vt cæli inferiores, vt aër ipſe in omnium ſenſu fluidus ordinatè mouetur, rapiendo ſecum cometas in eo genitos aſque eo quod in iſtis aliquem motum proprium deprehendamus, qui proinde fixi loco, vbi primùm apparent credendi ſunt, non minus, quam ſtellæ in octauo orbe; ita & firmamentum tenuiſſimæ ſubſtantiæ, & ſummè fluidum concipere poſſumus, & ipſum ordinate rotari, etiamſi ſtellæ in eo fixæ nullomodo loco dimoueantur. Neque huic rei Sacræ paginæ aduerſantur cum præſertim Iob. 18. cælos ſolidiſſimos aſſerunt quaſi ære fundatos. Nam (vt benè habet Pineda in eum locum) præterquam ibi ſermo eſt de aeris regione, vt patet ex contextu literæ, ac alioqui cælorum nomine ſæpè aera nuncupantur, non modo in ſacris codicibus, ſed etiam apud prophanos ſcriptores, quam quidem ſatis conſtat eſſe fluxum, & vagum; ſed ideò ſolidiſſimus dictus eſt, quaſi ære fundatus, vt commendetur Creatoris potentia atque ſapientia, quod non minus conſtans, perpetuaque fit res fluxa, ac labilis, quam ſi ſolidiſſimo ex ære fuſa eſſet, quare cum per extenſionem ſoleant res nimium extenuari, & diſrumpi, tamen diuina potentia extenuando, & deducendo res potius confirmat & conſolidat. Qui benè æri fuſili comparatur: ſicut enim æs fuſile conſtantiam habet, & firmitatem; ita aer quamuis fluidus, & labilis, at conſtans & perpetuus eſt. Hæc ingenioſè Sineda. Quod item de firmamento, vniuerſaque cælorum ſubſtantia dicendum eſt. Et ſanè rationi optime congruit, vt quæ magis à terra diſtant tenuioris ſubſtantiæ ſint, vt videmus in ipſo aere qui ſemper purior, ac ſubtilior eſt in editioribus locis, & ſi cæteri cæli inferiores fluidi aſſerantur, neſcio quî ſolum firmamentum ſolidum aſtrui poſſit, præſertim cum id repugnare videatur rationi motus illi ac cæteris cælis inferioribus impreſſi à primo mobili, quo fit, vt qui propiores ſunt, majori impetu rapiantur, qui remotiores, minori, atque aliquatenùs ſemper reſiſtant; & contrà nitantur, regulari tamen atque ordinatiſſima irregularitate. Præterquam non deſunt qui credant regionem omnem Aetheream aliud plane non eſſe, quam tenuiſſimum aera eiuſdem prorſus ſubſtantiæ, ac ſpeciei, ac iſte quem nos reſpiramus, licet longè defecatiorem ac puriorem; proindeque aerem noſtrum cum illo vnum quid eſſe, quod nomine expanſi venit, ac ſecunda die creatum ſub nomine firmamenti. Et ita ſentiunt Aretius *in libris de Generatione*, ac

Franciſcus Reſta *de Meteoris.* Sed quidquid ſit de hoc, nulli dubium, quin ſubſtantia iſtius orbis pretioſiſſima ſit, infinitum propè ſpatium ſua Craſſitie continens ac mirabilis efficaciæ erga iſthæc inferiora; cuius beneficio, & ſingulari virtute viuentibus omnibus vegetatiuam infundi potentiam antiqui Philoſophi æſtimarunt, vt teſtis eſt Argolus *cap. 1. de diebus Criticis.* Porrò quanta ſit cæli iſtius Craſſities, non adhuc omninò conſtat apud Aſtronomos: Communior tamen ſententia fert apud Blancanum eius gyrum continere ſemidiametros telluris 88000 hoc eſt milliaria 312412000 alij aliter opinantur.

21\. Quoad eius motum is lentiſſimus eſt; imò veriùs rapidiſſimus, & ferè exæquat ipſum primum mobile ab Oriente in Occidentem tendens motu vniuerſitatis raptus ab eodem primo mobili: adeò vt planè inſenſibilis ſit ea contranitentia, ſeù quàm vulgò vocant motum proprium ab Occidente in Orientem, ac propterea antiqui Aſtronomi illam diſcernere non valentes, idipſum primum mobile appellabant. Poſteà proceſſu temporis obſeruatum fuit ipſum ſingulis centenis annis elongari à partibus primi mobilis, ſub quibus anteà erat gradum vnum & 25. minuta: ſiue hæc elongatio, vt modò innui procedat ex hoc, quod reſiſtat aliquantulum motui primi mobilis ſiue quod habeat proprium motum ab Occidente in Orientem, ſuper polos eclipticæ, quod ad rem de qua nunc agimus nihil refert. Certè huius diuerſitatis primus obſeruator fuit Hipparcus, quem poſteà ſequuti ſunt Ptolemæus, Albategnius, Alphonſus Hiſpaniæ rex, Copernicus, ac tandem Tycho Brahe huius deuiationis diligentiſſimus inueſtigator, qui propterea repertis calculis, atque obſeruationibus compertum habuit octauam ſphæram ſingulis annis recedere à primo mobili, ſeu ferri ab Occidente in Orientem ſecundùm ſucceſſionem ſignorum 51. ſecundis minutis; ita vt ſpatium annorum 49000. requiratur, vt totum Zodiacum perficiat, & redeat ſub eodem puncto primi mobilis in quo erat cum primùm Vniuerſum hoc conditum fuit. Qua ratione, vt nos obſeruauimus in V. *Annus magnus*, nonnulli opinantur tantumdem temporis ſpatium. Summum Deum durationi ſæculi huius conſtituiſſe, poſt quod imminеat vltima dies & finis mundi.

22\. Fixa *Signa* in Zodiaco ſunt in vnoquoque quadrante conſtituente ſingula anni tempora, ſigna mediantia & veluti fixa, eo quia in ijs potiſſimum relucet qualitas, & complexio illius temporis, cum alias ſiuè in præcedentibus, ſiuè in ſubſequentibus fluxerit, & in illis quidem incipiat, & augeſcat, in iſtis verò deficiat, & fiat quodammodo ſequenti communis. Idcirco hæc communia, illa mobilia, media verò fixa dicuntur.

tur. Ea autem ſunt Taurus, in quo dum ſol reperitur, præualet Ver: Leo in quo Æſtas: Scorpio, in quo Autumnus: & Aquarius, in quo præualet Hyems, & frigus maximum. In Aſtrologicis plurimi fiunt ſigna fixa in ædificijs, in arborum plantatione, atque in rerum ſtabilitate ſignificanda. Qua de re vide quæ paſſim habent ſcriptores in Iſagog. de præceptis ſeruandis in Agricultura, ædificatione, atque in Medicina.

FIXÆ *Stellæ* dicuntur omnia cæli lumina, quæ in Æthere micare videmus præter planetas, idque ad differentiam eorumdem planetarum, qui cum ſemper hacillac diſcurrant, non eundem ordinem atque habitudinem ad inuicem ſeruant, erronum nomen ſortiti ſunt; illæ verò, quia non alium motum habent quam firmamenti, in quo ſitum nunquam permutant, ſemper eumdem ordinem ſeruant, eamdem diſtantiam, eamdem figuram (ſemper enim Pallilitium exempli gratia, ex diametro oppoſitum eſt cordi Scorpionis, Arcturus, Lucida lancis auſtralis, & vltima in Cauda Vrſæ majoris ſemper in linea recta eſſe conſpiciuntur; Item Arcturus, & duo canes; pes ſiniſter Orionis, Cauda Leonis, & Canis Syrius in eadem linea recta: Spica Virginis, Arcturus, & Cauda Leonis in triangulo Iſoſceles, baſi facta in Arcturo, & cauda, angulo verò in ſpica, &c.) ideo inquam omnes in vno cælo ſemper immobiliter conſiſtentes, iurè fixæ dictæ, æſtimatæque ſunt; mouerique tantum per accidens cum ipſo cælo deferente. An autem eæ digniores ſint errantibus, ac virtute ſuperiores, magna eſt inter Philoſophos, Aſtronomoſque diſſentio, vt præ cæteris aduertit Cœlius Rhodiginus *lib. 2. cap. 17.* Certè ob loci eminentiam, ob lucis intentionem, quippe ſcintillant, quod planetæ non faciunt, vnde & quandam inſitam primigeniam lucem à Sole non mutuatam habere cenſendæ ſunt, ob corporis magnitudinem, qua erraticas omnes excepto Sole longe exuperant, ob multitudinem, diuerſitatem, virtutis collectionem, aliaſque circunſtantias, magnam efficaciam in inferiora iſthæc habere debent, præſtantiorem vtique quam ipſi planetæ. Quod & Albumaſar antiquiſſimus teſtatum reliquit in ſuo introductorio in hæc verba. *Stellæ fixæ dant dona grandia, & ex paupertate ſubleuant ad ſublimitatem eam, quam non faciunt ſeptem planetæ.* Neque Ptolomæus ipſe contradicit in ſuo centiloquio propoſ. 29. vbi, *ſtellæ fixæ*, ait *irrationabiles atque admirabiles felicitates afferunt, quas tamen plerumque calamitatibus inſigniunt, niſi & planetæ ad felicitatem conueniunt.* Cuius rei varias rationes

23.

24.

congerunt Auctores. Mihi ea magis arridet, quod cum ſint longè à terra remotæ, ſemper pro regionum qualitate ab iiſdem horizontis partibus oriantur, & occidant; ſemper eundem arcum circà tellurem faciant, nec ferè diutiùs quam ipſæ partes primi mobilis ſuprà terram morentur; idcircò earum influxus magni quidem ſunt, ſed extraordinarij, & repentini, proindeque egent planetarum fulcimento, quorum luce, quaſi vehiculo, aut canali eorum lux ad nos deriuetur. Cæterum eas Aſtronomi antiquiores diuiſerunt in plures claſſes cum ratione naturæ planetarum cum quibus participant, tum ratione apparentis magnitudinis earum diametri, quæ maior in vna, quam in alia ſemper conſpicitur, exiſtimantes omnes eſſe conſtitutas, & affixas in eadem ſuperficie firmamenti, eademque à tellure diſtantia: quod tamen alij juniores non facilè admittunt, diuerſis congruentijs moti, ſed potius credunt non omnes in eadem cæli diſtantia firmatas eſſe, ſed aliquas magis, aliquas minùs intra craſſitiem vaſtiſſimi illius expanſi, cæli inquam eas deferentis immerſas Idque eò facilius aſſumunt, quod iſtud à Tychone, cæteriſque qui poſt ipſum venerunt, aſtruitur fluidum. Indeque eſſe, cur aliæ alijs majores, minoreſue apparent Quod & in ijs quæ in eodem ordine magnitudinis ſunt (aſſignant quippe ſex tandum magnitudinis ordines,) obſeruare licebit. Canis enim ſirius cæteris omnibus grandior apparet, mox Lucida Lyræ; inde Arcturus &c. itaut non omnes eiuſdem prorſus diametri ſint, apparentis, ſed ideo aliqua grandior, quia propior, ideò exilior, quia remotior. Non negauerin tamen id non vni diſtantiæ tribuendum eſſe, ſed adhuc & reali earum magnitudini, ſicque alias eſſe reuerà alijs maiores, ac maiores: adeò vt non deſint qui aſſerant canem maiorem, ſeù ſtellam in eius ore conſiſtentem dictam Arabibus *Albabor* ipſum ſolem magnitudine ſuperare; ſed quia longè ſuprà ipſum in infinita propè diſtantia conſtituſus ſit, ideo nobis apparet corpore minor, & exilior. Quod perſpicuum eſt in Marte, Ioue, Saturno, ad Venerem comparatis, imò in vno eodemque Marte conſtituto in Apogæo, aut in Perigeno.

25. Obſeruauit antiquitas tantum 1022. ſtellas conſpicuas in toto ambitu firmamenti, quas in 40. Aſteriſmos, ſeu Imagines à natura earum, nomine & forma ſiue ex fabulis, ſiue ex hiſtorijs ijs indita, complicarunt. Veruntamen noſtro æuo Teleſcopij ope plures aliæ propè infinitæ, quas priùs ſine inſtrumentis noſter oculus aſſequi minime poterat, detectæ ſunt: præſertim in via lactea, quam nil aliud eſſe conſtat, quam conge-

rium minutarum ſtellatum. Et in Pleiadibus quidem vbi nos non niſi ſex tantum ſtellas vix videmus. Galilæus in ſuo nuncio ſidereo intrà ſpacium 85. minutorum quinquaginta plus ſtellas in vnum colligatas, ſe vidiſſe teſtatur. Omitto quæ de Orione dicit, de Vrſa, de ſerpentario, quæ plane videntur incredibilia, ni ſciptura ipſa ſuo teſtimonio id firmaret, ſtellas omnes innumerabiles aſtruens, Gen. 26. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt*, & alibi, *numera ſtellas, ſi poteſ.* Qua de re vide ipſum Galilæum in citato nuncio Sidereo, Petauium, in ſuo Vranologio, & Baierum in Vranometria.

Hac occaſione non alienum ab inſtituto meo crediderim eſſe, ſi & hic methodum tradam, quo pacto ſtellæ fixæ ſereno cælo dignoſci poſſint, & ſuis quæque nominibus diſignari, quia & id lectoribus non iniucundum erit, & inter ea quæ maximè Aſtronomum commendant, atque ipſum populo ineruditorum plauſibilem faciunt, eſt ſtellas quaſcunque à quouis è populo indice deſignatas proprio cuique nomine compellare: quod per Globum Aſtronomicum facilè aſſequemur. Accipe igitur gradum Zodiaci, quem Sol perambulat eo tempore, quo ſtellas obſeruare volueris, eumque veſpere tantum infrà horizontem deprime quantum ſufficit ad ſtellas omnes probè conſpiciendas citra omne impedimentum lucis crepuſculinæ, quod eſt circa primam horam noctis. Deprime igitur cum eo gradu Solis ad Occidentem grad. 15. æquatoris, & habebis intentum: In hoc enim ſitu omnes ſtellæ ſuperioris hemiſphærij directè cadunt ſupra ſtellam in globo illi ſubjectam, & per lineam rectam ſibi reſpondentem: nam proinde ſe habent partes ſuperioris hemiſphærij ad ſemiglobum, ad ſphæræ cæleſtes ad ſuperficiem terræ eo prorſus pacto, ac zonæ cæleſtes correſpondent ad Zonas terreſtres: vnde facilè poteris quaſcumque ſtellas dignoſcere, & ſuis nominibus appellare. Sic, exempli gratia ſit tibi nota aliqua ſtella, quam tu videas: accipe ejus altitudinem per quadrantem, deinde globum aſtronomicum motu diurno reuolue, donec ſtella illa in globo depicta eandem altitudinem ſuper horizontem materialem obtineat, quantam habet ſupra horizontem ſtella quam per quadrantem obſeruaſti. Sic igitur conſtituto globo in ea poſitione facile tibi erit, & reliquas ſtellas ex vicinitate aut diſtantia quam habent ad dictam fixam dignoſcere, transferendo diſtantiam quæ eſt ad inuicem in globo ad diſtantiam quæ eſt inter illas in cælo. 26.

FL

27. Flammiger ex natura fixarum, quæ in eo reperiuntur dictus eſt Cepheus, ſidus in cælo ad Borealem plagam, de quo plura diximus ſuo loco.

FO

28. Foca ab aliquibus vocatur ſtella fixa in Dracone tertiæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij Arabicè Alfelta.

29. Fœmininvm, aut *Maſculinum* dicitur apud Aſtronomos ſignum, planeta, aut aliud quid fœmineis, aut maſculis qualitatibus pollens. Quandoquidem cum maſcula vis ſit actiua, fœminea verò paſſiua, atque è quatuor primis qualitatibus calor & frigus ſint in genere actiui, humiditas verò & ſiccitas ſint in genere qualitaris paſſiuæ, vt docet Philoſophus in lib. de Generat. & alibi ſæpè; conſequenter quæ ſigna, quiue planetæ in his qualitatibus vincunt, maſculina, vel fœminina pro ratione qualitatum prædominantium denominantur. Hinc quia Sol maximè calidus: Iupiter magis calidus, quam humidus: Saturnus, & Mercurius frigidi magis, quam ſicci, ideò maſculini dicuntur ac diurni: (eadem enim eſt ferè ratio diurni, & nocturni, ac maſculini & fœminini.) Econtrà quia Venus humida magis, quam calida eſt; Luna humida magis, quam frigida, ideò fœminini planetæ ſunt, & nocturni. Mars quia maximè calidus, ideò abſolutè maſculus; at quia vincit in eo calorem ſiccitas, ob id nocturnus aſtruitur, atque à Tito aliiſque iure dicitur effæminatus. Porrò quæ de planetis diximus, locum habent, & in duodecim Zodiaci ſignis: itaut quæ calore magis, ac frigore præualent maſculea ſint; ea verò in quibus præponderat humiditas, vel ſiccitas, ſint fœminina, ſicque alternatim Aries maſculinum ſignum eſt, & diurnum: Taurus fœminium, ac nocturnum: Gemini maſculinum, & diurnum, Cancer fœmininum, ac nocturnum: & ſic de reliquis.

30. Præter autem integra ſigna, Arabes more ſuo (neſcio ſuperſtitioſe ne, an vero cum fandamento) obſeruant in ipſis ſignis certos gradus, quos partim dicunt maſculinos partim fœmininos. Sic ab initio Arietis vſque ad octauum gradum incluſiuè faciunt maſculinos: nonum aſſerunt fœmininum. Rurſus ſex ſequentes maſculinos; ſeptem alios poſt, fœmininos, ac tandem reliquos octo integros maſculinos, & ſic de reliquis, prout ex ſubiecta tabella excipi poteſt, quam ex Alkabitio exſcripſi: licet alij aliter eam exponant.

| *Tabula Graduum Maſc. & Fœmin. in quolibet ſigno.* | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Aries. maſc. 8. | fæm. 1. | maſc 6. | fæm. 7. | maſc.8 | |
| Taurus. fæm. 5. | maſc.6. | fæm. 6. | maſc.4. | fæm. 3. | maſc.6. |
| Gemini. fæm. 5. | maſ.11. | fæm.6. | maſc.4 | fæm. 4. | |
| Cancer. maſc. 2. | fæm.6. | maſc.2 | fæm.2. | maſ. 11 | f. 4. m. 3 |
| Leo. maſc. 5. | fæm. 3. | maſc.7. | fæm 8. | maſc.7 | |
| Virgo. fæm. 8. | maſ. 4. | fæm. 8. | maſ. 10 | - | |
| Libra. maſc. 5. | fæm.10 | maſc.5. | fæm.7. | maſc.3. | |
| Scorpio. maſc. 4. | fæm 10 | maſc.3. | fæm.8. | maſc.5 | |
| Sagittarius.maſc.2 | fæm 3. | maſc.7. | fæm.12 | maſc.6. | |
| Capricorn maſc.5. | fæm. 8. | - | fęm 11. | - | |
| Aquarius. maſc.5. | fæm.10 | maſc.6 | fæm. 4. | maſc.2 | æm. 3. |
| Piſces maſc. 10. | fęm.20 | maſc.3. | fæm. 5. | maſc 2 | |

Atque hi ſunt gradus Maſculini, & Fæminini ſecundùm Arabes: ex quibus facto ſcrutinio, contendunt auſpicari poſſe nùm partus futurus ſit fæmininus, an maſculinus. Nam ſi aſcendens, inquiunt, & luminaria ſint in pluribus partibus maſculinis, quod naſcetur, marem eſſe autumant, ſi in pluribus fæmininis, fæmellam. Quod equidem obſeruare, non tam dignum eorum otio, qui hæc commenti ſunt, judicamus, quàm indignum occupatione illorum, qui curis nobilioribus diſtinentur. *

FOMAHAND Arab. corrupto vocabulo ( cùm potiùs dici debeat *Phomaut*, prout habet Kircherus in Oedipo ) dicitur ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Veneris & Mercurij poſita in vltima effuſione aquæ Aquarij, quæ Romæ vix horizontem radit. Ea hoc habere proprium fertur in Genethliacis, vt poſt mortem det nominis immortalitatem. 32.

FORTVNA dicitur apud Aſtronomos planeta beneficus, qualitatibus ſuis naturam fouens, ac fortunam adducens: ſicut è contrà Infortuna planeta maleficus, naturæ inimicus, & infortunam afferens. Duæ ſunt fortunæ, Iupiter, & Venus, quippe- 33.

qui temperatè calidi, & humidi, proindeque natiuum calorem, & humidum radicalem augentes, & conſeruantes. Ille fortuna maior dictus, quia ſuperior, maſculus diurnus, calore magis abundans quàm humiditate; iſta fortuna minor, quia inferior, corpore minor fœminea, nocturna, atque in qualitatibus paſſiuis abundans magis, quàm in actiuis. Similiter duæ infortunæ, Mars, & Saturnus: hic infortuna maior, qualitatibus pollens calori atque humido naturali contrarijs, frigido nempe, & ſicco: ille infortuna minor, quia nocturnus, quia calidus, ſed enim intemperatè ſiccus, quo omnia ſua vredine afficit, & abſorbet. Porrò alij planetæ mediocres ſunt, & facile ex horum permixtione in fortunas, vel etiam in infortunas permutantur. Qua de re vide in proprijs locis.

34. Fortvnæ pars dicitur horoſcopus Lunaris, & locus in ſitu Mundi, vnde progredi incipit Luna, cùm Sol à linea Orientis emergit. Ita vt hæc eum ordinem habere debeat ad fortunæ partem, quam habet Sol ad Orientalem finitorem, prout docuit Ptolem. *lib. 3. cap. 12.* ſortis ſeu fortunæ nomen ideò illi datum, quia in Genethliacis ex eo ſumitur ſignificatiò de fortunis, ac diuitiarum ſorte. Sed enim quiſnam ſit verus fortunæ locus, & quonam pacto ea extrahenda ſit, id paulò fuſiùs explicandum erit, quoniam Ptolemæi verba non ſatis perſpicua ſunt. Ergo Ptolemæus citato loco de fortunæ parte ſermonem inſtituens, hæc habet: *Fortunæ quidem partem colligimus vbiq; nocte non ſecus ac die ex numero partium interceptarum inter Solem, & Lunam, ſi totidem partes ab aſcendente ſigno iuxtà ſignorum conſequutionem abijciamus: quò tunc ſanè euaſerit ſupputatio, eam ſigni partem, eumque locum dicimus fortunæ ſortem continere; vt quam rationem, ſiue configurationem habet Sol ad Orientalem finitoris partem, eam habet & Luna ad partem fortunæ, & ſit veluti Lunaris quidem horoſcopus.* Hæc Ptolemæus. Hinc vulgus Aſtrologorum hanc ſupputandi methodum ſeruant in partibus Zodiaci, ita vt vbi deſinat ſupputatio, ibi conſtituatur fortunæ pars, iſque gradus Eclipticus dicatur Lunaris horoſcopus, proindeque omni latitudine careat. At enim pro Solari horoſcopo nos non accipimus gradum eclipticum, cum quo Sol manè oritur, & multominùs is, qui quouis tempore in finitore Orientali reperiatur, cùm is materialiter ſe habeat ad horoſcopum, aut diurnas configurationes cum Sole, ſed præcisè lineam Orientalem, à qua Sol motu diurno diſcedit incedens per arcus ſui paralleli, ita vt cùm fuerit in cuſpide vndecimæ, ſiue perfecerit duas partes è tribus ſui arcus ſemidiurni, tunc verè dicatur eſſe in ſextili ſui horoſcopi; quando eſt in Meridiano, ſiue compleuerit totum arcum ſemidiurnum, ſit in

quadrato; quando adhuc totum arcum ſemidiurnum, & trientem ſit in nona, & reſpiciat verè horoſcopum ſuum de Trino: quando demum per totum arcum diurnum diſtiterit ab horoſcopo, tunc ſit verè illi oppoſitus, atque in cuſpide Occidentis conſtitutus, & ſic de reliquis domibus ſubterraneis; ita vt integro die naturali Sol per ſuum parallelum incedens permutet ſucceſſiuè omnes configurationes quas poteſt habere cum horoſcopo: neque enim in Zodiaco computari poſſunt huiuſmodi reſpectus, neque ad partes Zodiaci, cum in eo Sol moueatur inæqualiter, & admodum lentè ferè gradum vnum ſingulis diebus, ac præterea etiamſi fortè quandoque accidat, vt dum Sol in cæli culmine reperitur, reuerà tot gradus Zodiaci intercipiantur inter ipſum, & gradum Zodiaci horoſcopantem, quot requiruntur ad aſpectum quadratum, hoc eſt gr. 90. id tamen non ſemper accidit ob Zodiaci obliquitatem, & ſæpè inter lineam Orientalem, & Meridianam modò duo in ſignis longarum aſcenſionum, modò quatuor in ſignis breuium aſcenſionum intercipiuntur ſigna, & aliàs materialis eſt iſta habitudo Solis ad gradum Zodiaci horoſcopantem, cùm horoſcopus latitudinem habeat, & eius locus ſucceſſiuè varietur pro qualitate gradus aſcendentis cum Sole prout maiorem, vel minorem habet declinationem: horoſcopus enim Solaris propriè & rigorosè ſumptus ad hunc diem non eſt niſi punctus, vnde emerſit Sol è linea Orientali, in hac die, non ille in quo precisè reperitur alius gradus Eclipticæ, in quo Sol actu non reperitur: ergo impertinens eſt habitudo Solis ad hunc gradum horoſcopantem, ſed ſanè eius configuratio quam ſucceſſiuè acquirit attendi debet in partibus ſui arcus diurni, ſeu paralleli, quam integra die naturali deſcribit circà tellurem, atque ad punctum, vnde emerſerat mane, non ad alia, in quibus incidant ſinguli eclipticæ gradus ſucceſſiuè motu primi mobilis emergentes, atque adeò hæc ſupputatio facienda eſt non in Zodiaco, ſed in æquatore per aſcenſoria tempora, quandoquidem hæc ſola ſeruant æqualitatem, & æqualem Solis inceſſionem denotare poſſunt, vnde appareat Solis diſtantia ab horoſcopo, ac proptereà eius ad illum configuratio.

Nunc ſi hanc eandem habitudinem (prout præcipit Ptolemæus) attendere velimus in Luna erga ſuum horoſcopum hic definiri debet in parallelo Lunæ, vt ingenioſiſſimè diſcurrit Adrianus Neguſantius vir ſanè eruditiſſimus amicus meus, & quem ob ſingularem humanitatem, eruditionem, atque huius aliorumque ſecretorum detectionem ſummopere veneror. *Siquidem*, inquit ipſe, *cùm Sol ad Orientis peruenit Cardinem, tunc Lunam penes ſuum horiZontem reperiri neceſſe eſt: mox æqua-* 35.

*li temporis ſpatio, Sole digreſſo, ſecundùm ſuas aſcenſiones ab ipſo remoueri.* Sicque dum Sol diſcedit ab ortu incedens per ſuum parallelum, & Luna diſcedit pari ratione à ſuo horoſcopo per ſuum parallelum procedens, cùm Sol eſt in cuſpide vndecimæ, Luna ſit in ſextili partis fortunæ: cum Sol in decima; Luna in quadrato, & ſic de reliquis; adeout quot partibus de ſuo paral-lelo Sol fuerit à ſuo horoſcopo elongatus, totidem, & Lunam contingat abeſſe à ſuo horoſcopo, ſiue parte fortunæ. Vnde conſequens erit, vt non ſemper verus locus partis fortunæ ma-neat in Zodiaco, ſicut non ſemper cum gradibus Zodiaci con-uenit punctus horizontis, vnde emergit Sol; ſed modò caſu in eum incidat, modò ab eo elongatur, ſeu potius ab eo Zodiacus ſeparetur; ſemper tamen maneat in parallelo Lunari, quem-admodum punctus ortus Solis in parallelo Solis, proindeque eamdem habeat cum Luna declinationem.

36. Hæc igitur eſt partis fortunæ Theoria, cui ſubſcribit Pater de Titis magiſter meus, atque eiuſdem Neguſantij in primo mobili, in Ptolemæi Quadrip. quod nuper edidit Breuiarijs alijſque in locis, vltrò faſſus, *ſe diu circa fortunæ partem labo-raſſe, nihilque veri ad hæc vſque tempora inueniſſe*: cum aliàs in Cæleſti Philoſophia *lib. 3. cap. 5.* docuiſſet, eam conſtituen-dam eſſe in orbita Lunæ.

37. Neque verò hæc noua doctrina eſt, quæ non ab antiquiori-bus etiam fuerit cognita. Conſonat Ptolemæus in verſione Arabica, quam protulit Hali Heben Rodoan primus eius Com-mentator. Conſonat Georgius Valla celebris author in com-mentar. ad Quadrip. Ptolemæi. Is enim de fortunæ parte diſſe-rens hæc habet. *Quod autem ſors fortuna horoſcopus quidem ſit nocturnus, & lunaris, manifeſtum eſt ex eis, quæ ait Ptolemæus, eandem namque rationem partium habebit ad ſortem fortunam Lu-na, eandemque figurationem, quam habet Sol ad horoſcopum.* Vt autem oſtendat ſe hanc figurationem, & poſitum Lunæ ad ſuum horoſcopum non intelligere in Zodiaco, ſed in ſuis lumina-rium parallelis, mox ſubdit. *Manifeſtum inſuper magis erit, etiam ex his, ſi eadem diſciplina vtemur per Canonem, qua etiam in horoſcopo: inuenietur enim rurſus vt horoſcopus ſors fortuna. Indu-centes namque partem Lunæ in diurnis geneſibus, in nocturnis au-tem per oppoſita* capiendo Aſcenſoria Tempora, & Horas *mul-tiplicamus, & factum numerum componemus cum* Aſcenſionibus *quæremus in ipſorum climate, vbi cadat numerus, & ibi eſſe dici-mus lunarem horoſcopum.* Porrò Aſcenſiones, aſcenſoria tem-pora, & horæ appellanr ſolum arcum diurnum, & nocturnum, qui fit in proprijs cuiuſque parallelis, ſuper quibus mouentur luminaria motu vniuerſitatis, & efficiunt diſtantias à cardini-

bus mundi, vnde etiam fiunt configurationes ad horoſcopum. Quare ſicuti Sol non habet configurariones ad horoſcopum niſi in mundo acceptos, ita & Luna non habet configurationes ad partem fortunæ, niſi tantùm in mundo.

Ex his liquidò conſtat, quomodo ſupputanda ſit pars fortunæ quod pluribus modis fieri poteſt: faciliùs tamen, & ſemper eodem modo, ſi ſumatur vera diſtantia Solis ab horoſcopo per aſcenſiones Climatis, auferendo ſemper aſcenſionem obliquam Solis ſumptam in eleuatione horoſcopi ab aſcenſione obliqua ipſius horoſcopi, & quæ ſupereſt differentia addatur aſcenſioni rectæ Lunæ, nam vbi cadit numerus graduum productorum in aſcenſionibus rectis, cum declinatione Lunæ, & numero, & regione eadem, ibi erit aſcenſio recta, & verus locus partis fortunæ, ſiue ea cadat in Zodiaco, ſiue extrà, quod parum refert, quandoquidem in hoc caſu Zodiacus materialiter ſe habet, & perinde eſt, ac ſi non eſſet. Locetur autem in cæleſti figura vbi cadit talis aſcenſio recta, cum tali declinatione. 38.

Quod ſi cui placeat, & locum illi in Zodiaco date, tam in longum quàm in latum, id fiat per tabulas ſinuum, quærendo quis gradus Zodiaci reſpondeat tam in longum, quàm in latum ad datam aſcenſionem rectam cum tali declinatione, eo prorſus modo, ac practicatur in ſtellis fixis. 39.

Similiter directiones partis fortunæ vtroque motu, & recto, & conuerſo fieri poſſunt ad familiaritates aſtrorum acceptas tantum in mundo: Recto quidem, ſi pars fortunæ conſideretur immobilis in ſuo circulo horario, ſiue poſitionis expectans ſiderum corpora & aſpectus, quæ ad ipſam motu vniuerſitatis ferantur: Conuerſo verò, ſi conſtituantur ſidera, & aſpectus occurſantes, immobiles, atque interim ſors motu raptus ad eadem deuoluantur. Eius ſignificata vide in V. horoſcopus Lunaris. 40.

Pari ratione, & aliæ partes quinque extrahi poſſunt pro numero reliquarum quinque erraticarum, quæ nihil aliud ſunt quàm ſingulorum planetarum horizonta, & loca in ſitu mundi conſiderata, vnde emergunt planeræ, quando Sol emergit ab Oriente, ita vt eam ſemper habitudinem habeant iſti planetæ ad ſuas partes, quam Sol ad ſuum horoſcopum, acceptam in ſuis cuiuſque parallelis eo prorſus pacto, ac dictum eſt de Luna, quæ proinde eandem habebunt declinationem, ac planetæ vnde extrahuntur. Hac ſanè conſideratione habita, non omninò inanes fortè reperientur partes ab Arabibus excogitatæ, & ſingulis rerum ſignificationibus attributæ; licet quæ paſſim circumferuntur, & inanes ſint & fictitiæ, tum quia extrahuntur 41.

in partibus Zodiaci, qui hac in re locum non habet, tum etiam quia plures finguntur quam numerus planetarum poſtulet, atque accipiuntur à domibus ad planetas, & è contrà, vel etiam à planeta ad planetam, cùm reuerà tantum per habitudinem ad Solem accipiendæ ſint, nec aliud eſſe poſſint, quàm ea habitudo planetæ ad locum vnde diſceſſerat, Sole in Oriente conſtituto, quam habet Sol ad ipſum Orientem, vnde manè emerſerat. Igitur ad calculandas iſtas partes accipiatur ſemper diſtantia Solis ab horoſcopo, vt de fortunæ parte dictum eſt, eaque adijciatur aſcenſioni rectæ planetæ, cuius horoſcopum quærimus, nam locus productus erit aſcenſio recta illius partis, & verus horoſcopus planetæ quem quærimus, habens eandem declinationem planetę, cuius eſt pars, dirigendus eodem modo, ac diximus de parte fortunæ pro ſuis cuiuſque ſignificatis.

42. Fovea, Græcis *Ipogeon* dicitur ab Aſtronomis quarta pars domus ab horoſcopo & cardo Imi cæli ab inferiore ſitu, & locos ac potiſſimè eò quod ſit veluti fouea planetarum, vt proinde non ab re ab aliquibus conſtituatur inter præcipuos Anęretas, ad cuius lineam directus vitæ ſignificator, ſeu aſcendens, ſeu luminare in aſcendente repertum, vltimam vitæ periodum faciat. Quod tamen ego ex Titi placitis haud probare poſſum, quippe eius conſideratio fit tantùm in mundo, neque aut cardo Imi cæli, aut aſcendens loco mouetur, vt alter in alterum impingat, neque moderatores planetæ motu ſuo reali, qui eſt idem ac primi mobilis ferri poſſunt ab Oriente ad Imum cæli, quin tranſeant prius per medium cæli & occaſum: quem enim motum habent ad partes Orientaliores eſt cuique proprius in Zodiaco, cuius reſpectus materialiter tantùm habetur ad cardines mundi, ac perinde eſt, ac ſi non eſſet. Sed de hac re alibi ſatis. Cæterùm huius domus ſignificata vide in V. *Imum cæli.*

43. Fractiones dicuntur ab Arithmeticis, atque etiam ab Geometris partes minimę aliarum partium quantitatis, ſeu continuæ, ſeu diſcretæ. Vt ſunt minuta in gradibus, ſecunda in minutis; tertia in ſecundis &c. De modo eas inueniendi ex radice quadrata, lege Iunctinum in Commentar. ad ſpæram Io. de Sacroboſco pag. mihi 360.

44. Fridarie, ſeu *Aifridarie* apud Arabes eſt quædam temporaria poteſtas planetarum participantium cum domino decenniorum in gubernatione vitæ nati, ita vt ſi natiuitas ſit diurna, primum decennium ſibi vendicet Sol, cum participatione tamen aliorum planetarum per ſeptimam partem, hac videlicet ratione vt Sol gubernet ſolus ſeptimam partem decennij, quæ comprehendit vnum annum ſolarem, menſ. 5. & dies circiter qua-

tuor; poſt proſequatur ipſa dominium, ſed cum participatione Veneris itidem per ſeptimam partem, quæ cum priori facit annos duos, menſes decem, dies circiter 13. inde cum Mercurio vſque ad ann. quatuor menſ. 3. dies 14. poſteà cum Luna, Saturno, Ioue, ſingulis per ſuas partes, ac tandem cum Marte compleat decennium, & ſuam fridariam poteſtatem. Poſt Solem ſequitur Venus, ad quam ſpectat fridaria poteſtas per integros annos octo, ita vt facta diuiſione in ſeptem partes æquales, primam ſeptimam gubernet ipſa ſola; ſecundam cum participatione Mercurij, tertiam cum Luna, quartam cum Saturno, & ſic de reliquis; ita vt cum Sole veniat ad complendos annos 18. Tertiò in diſpoſitione fridariæ, ſequitur Mercurius per annos tredecim, eodem modo proſequendo & ſolus, & cum participatione aliorum ſuam fridariam poteſtatem vſque dum eam compleat cum Varone ad annos 31. Quartò Luna, cuius anni fridariæ ſunt nouem. Quintò Saturnus, qui habet fridariam poteſtatem per annos 11. Sextò Iupiter, qui gubernat annos 12. Septimò Mars, cuius anni fridariæ ſunt ſeptem. Poſt quem ſequuntur caput, & cauda Draconis, illud per annos tres, hæc verò per annos duos; ita vt tota collectio annorum ſit 75. Qua completa iterùm deuoluitur diſpoſitio ad Solem eo modo quo ſuperiùs explicatum. Et hic eſt ordo fridariæ poteſtatis planetarum per diem: Si verò nocturna fuerit natiuitas, incipit diſpoſitio à Luna per ſuos annos, quos diximus eſſe nouem proſequendo ſuum dominium per primam ſeptimam partem ſola; per reliquas cum aliorum planetarum participatione; primò cum Saturno, deinde cum Ioue &c. Expletis nouem annis Lunæ, ingreditur Saturnus ſuam diſpoſitionem eodem modo per ſuos annos vndecim: inde Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, caput, & cauda per ſuos annos in ſeptem partes tributos, ex quibus primam quiſque ſibi ſolus vendicat, poſtremam terminat cum participatione eius, qui ipſum præceſſerat. Et hæc de fridarijs: quarum concinnam diſpoſitionem penſitanti mihi in mentem venit lepidum illud Vulpeculæ apud Æſopum dictum, quæ inuentum in ſtatuarij officina humanum caput ex lapide affabrè dedolatum demirans *O quale*, inquir, *opus! ſed cerebro caret.* O pulchram, concinnamque dicam ego fridariæ planetarum diſtributionem! ſed vanitate plenam Sanè eorum neſcio quis de hac fridaria poteſtate ſermonem faciens, *In partibus*, inquit, *dictis fridaria neſcio rationem; niſi quoniam ſic experti ſunt Perſarum ſapientes.* Porrò earum conſiderationem conſultò hic attexere volui, tum ad operis complementum, tum maximè, ne curioſi magnum quid in eis concipientes ſuo

deſiderio fruſtrati incauti apud alios quærentes deciperentur, ſed potiùs hic earum vanitatem edocti negligerent, atque ad meliora ſtudia animum applicarent. Eapropter ab recenſendis ſignificatis abſtinui.

45. Frvstratio : vide in V. *Alfazim*.

46. Fvlxio, teſte Valla, apud antiquos Aſtronomos vſurpabatur de ortu planetarum heliaco, quando videlicet exiſtentes ſub radijs Solis, atque adeò occultari poſteà elongatis fulgere incipiebant, & ſe conſpicuos reddere. Vide in V. *Ortus heliacus*.

## GA

1. Gadio, teſte Kirchero, Chaldaicè dicitur ſignum, & conſtellatio Capricorni decimum ab Ariete : apud Hebræos autem *Gedi*.

2. Gairalcobol, Arab. idem ſonat, ac Latinè receptio. Eſtque cum planeta exiſtens in ſuis dignitatibus, ſiue per aſpectum, ſiue per conjunctionem alteri applicat, qui in eodem loco dignitatem aliquam obtineat: tunc enim inter ſe naturam communicant, ac mutuò ſe recipiunt. Fit etiam huiuſmodi receptio, quando planeta ſuperior eſt in dignitatibus inferioris, & inferior in dignitatibus ſuperioris : quod quidem fortitudinem addit, & perinde eſt, ac ſi quiſque in ſuis dignitatibus foret.

3. Galancen dicitur Arabicè planeta vacuus curſu ; cùm videlicet ab alio ſeparatur, nec propterea alteri applicat ſiue aſpectu, ſiue coniunctione : quod ſanè maximum detrimentum eſt, præſertim in Luna : Quæ proinde apud Latinos denominatur feralis, agreſtis &c.

4. Galaxia eſt Circulus magnus, & latus inſtar faſciæ cuiuſdam inæqualis in firmamento exiſtens, & ſua amplitudine circumplectens ſidera Caſſiopeæ, Cygni, Aquilæ volantis, partem Sagittarij, caudam Scorpij, Centaurum, Argonauim, pedes Geminorum, & Perſeum. Hic ſolus circulus eſt realis in cælo, quippe qui ſerena nocte ſemper conſpicuus inſtar nubeculæ cuiuſdam ſubobſcuræ albedinem quandam præſefert, quæ quia lacti ſimilis, *Via lactea* appellatur, atque à Poëtis mirificè effertur: quos inter Ouidius lib. 1. Metamorphoſ. eam viam per quam ad ſuperos, atque ad regna Tonantis itur, appellat. Sic inquiens:

*Eſt via ſublimis Cœlo manifeſta ſereno,*
*(Lactea nomen habet) candore notabilis ipſo:*
*Hac iter eſt Superis ad magni regna Tonantis,*
*Regalemque domum, &c.*

Olim multa fuit de hoc Circulo diſceptatio: Ariſtoteles 5.
illum volebat in aëris regione conſiſtere; ſed id falſitatis euincitur; quippe hac ratione non ſemper cerneretur ex quacunque terræ plaga tranſire per eaſdem ſtellas firmamenti, vt patet de ignitis cometis, qui in aëre generantur. Alij opinati ſunt eſſe partem firmamenti continuam, cæteris denſiorem, itaut Solis lumen accipere poſſit, non tamen ità denſam, vt fixæ. Sed tamen noſtro æuo ferè in compertiſſimo eſt, cum aliquid non eſſe, quam congeriem plurium ſtellularum inuicem collucentium, quæ ob multitudinem, vicinitatem, exilitatem, atque ob oculis noſtris diſtantiam diſtinctè conſpici nequeunt, ſed apparent, vt confuſa quædam nubes ſubalbicans, eo modo quo ſunt duæ nubiculæ ad polum Antarcticum, atque omnes ſtellæ, quas dicimus nebuloſas, & nunc ope Teleſcopij, ac teſtimonio nuntij ſiderei ſcimus eſſe plures ſtellas in vnum colligatas. Roboratur id eò potiſſimum, quod noua Phænomena in cælo enata non niſi in Galaxia viſa ſunt; vt noua ſtella quæ in ſede Caſſiopeæ anno 1572. apparuit, ac duos integros annos durauit; quæ item anno 1600. viſa eſt in pectore Cygni, ac poſtea ſenſim euanuit, relicto in loco vbi erat quodam hiatu, qui etiam nùm viſibilis eſt, ac taudem quæ anno 1604. in genu Serpentarij clarè enituit, & poſt annum diſceſſit. Preterquam idipſum etiam credendum exiſtimo de ſeptima Pleiadum, quæ non niſi ſtatis temporibus etiam lippis oculis ſe conſpicabilem reddit, quæ cæteroqui ità latet, vt ab aliquibus cælo gratis affixa credatur. Quapropter haud improbabile eſt, eas aliud planè non extitiſſe, quam plures ſtellulas loco dimotas; atque in vnum collectas ad certum tempus, ex quo vnum numero Aſtrum in tanta diſtantia peruiſus illuſionem æſtimaretur: idque maximè locum habet ſi cælum ipſum cum Tychone ponamus fluidum, per cuius expanſum facilè concipi poſſit vagus iſte minutarum ſtellatum diſcurſus. Porrò Galaxia varios & miros habet effectus, quorum plurimos refert Plinius *lib. 18. cap. 29.*

GALGAL *Hammataloth* teſte Kirchero in Oedipo Ægyptiaco dicitur apud Hebreos Zodiacus, hoc eſt ſphæra ſignorum: 6.

GALLINA, Olor, &c. ſidus in cælo intrà Galaxiam conſtitutum. Vide in V. *Cygnus.* 7.

GARBINVS vulgò Italorum dicitur ventus vnus ex quatuor intermedijs ſpirans ex æquo inter meridiem & occaſum. Græcis Notolybicus, vide eius qualitates ſub hoc Vocab. 8.

GAVDINM apud Aſtronomos eſt ſpecies quædam dignitatis, & fortitudinis planetis accidens ab extrinſecio, cum profecto 9.

fuerint in locis ſibi opportunis, in quibus eorum virtus augeſcit, & roboratur. Eſt in duplici differentia. Alterum in Zodiaco in loco planetæ eiuſdem conditionis, & naturæ; vt Sol in domibus Iouis, Saturnus in domibus Mercurij, Venus in domo Lunæ: Alterum in Mundo ratione ſitus, & domus cæleſtis ſibi congruæ. Sic Saturnus gaudet in duodecima, coquia, inquit Cardanus, ibi eſt ſuprà terram, & ab angulis procul, nec ſublimis, nec in malefica domo, qualis eſt octaua, quæ eſt ſignificatrix mortis. Iupiter gaudet in vndecima, cum ſit beneficus, & ille locus beneficus eſt, vnde & bonus genius dictus, & ex eo habentur ſignificata amicorum, & rerum conſequendarum. Mars gaudet in ſexta, quia planeta nocturnus, vnde & ei conuenit domus nocturna, non angulus, non ſuccedens, ſed cadens, idque eò maximè quod Saturnus ei per naturam inimicus gaudet in oppoſita: Sol gaudet in nono, eo quia Religionis; & itineris ea domus ſignificatrix eſt. Venus in quinta, quæ eſt voluptatum domus, ac filiorum, quos ipſa largitur. Mercurius in prima, quæ in membris humanis caput habet; ipſe autem præſidere habet cerebro, ſpiritibus, ingenio, memoriæ, linguæ. Tandem Luna gaudet in tertia, tum quia hæc eſt itinerum breuium ſignificatrix quo modo, & ipſa Luna; tum maximè, quia alterum luminare, nempe Sol gaudet in domo oppoſita.

20. Dicuntur etiam planetæ gaudere in ſignis, vbi plures obtinent dignitates eſſentiales, quod propria notione ab alijs dicitur Solium, ſeu Carpentum. Hac ratione Porphyrius dicit planetas habere quoddam peculiare in certis ſignis adeò vt, ſi minimum quid accedat, poſſit iure etiam dici eſſe in ſuo gaudio. Sic Saturnus gaudere dicitur ex ſuis domibus maximè in Aquario, vbi habet ius domicilij, & Trianguli: Iupiter ob eandem rationem in Sagittario: Mars ſimiliter in Scorpione: Sol in Leone: Venus in Tauro: Mercurius in Virgine: Luna denique in Cancro.

## G E

21. GEMINI Arab. *Gieuz* hoc eſt *Ledai Iuuenes*: vnum ex duodecim Zodiaci ſignis ad Boream vergens tertium ab Ariete, commune, aereum, humanum: ſic dictum eo quia cum Sol ipſum intrat terræ ſata germinant, ac radicibus complicantur. Eſt temperatum, mixtum, varium, ob idque domus Mercurij, licet ob tropici vicinitatem aliquantulum ad calorem, & ſiccitatem decliner. Fertur, eos qui ſub hoc ſigno naſcuntur euadere callidos, bifrontes, animo duplices, tenaces, rixoſos, auaros. Geminorum ſidus in octaua ſphæra, quemadmodum reliqua iam receſſit de loco ſuo, quem tenebat tempore Ptolemæi

atque incipit nunc à gradu 25. Geminorum primi mobilis, & protenditur vſque ad 24. Caneri. Primæ partes eius ſunt humidæ, mediæ temperatæ, poſtremæ inſtabiles cum aliqua ſiccitate. Pars Borealis mouet ventos; auſtralis facit maximam ariditatem. Compræhendit in totum ſtellas 25. comprehenſis etiam ſeptem alijs informibus circà ipſum, (licet Keplerus eas aſſerat eſſe 30. & Baierus adhuc 33..) quarum præcipuæ duæ in capitibus, vna Caſtoris dicti apud Arabes *Elgiauze* ſecundæ magnitudinis de natura Martis, & Mercurij; altera Pollucis dicti Herculis Arabicè *Elhakaah* de natura ſolius Martis, item & tertia in pede ſiniſtro eiuſdem Pollucis dicta *propus* quartæ gnitudinis de natura veneris, & Mercurij. De quibus omnibus abundè diximus in ſuis locis.

GENESIS, ſeu *Genitura* apud Aſtrologos dicitur natalitium 12.
thema cœleſtis ſiderum poſitus artificioſè erectum pro puncto temporis, quo quis in lucem editur, ad indagandas inde cæleſtes impreſſiones illi obuenientes, temperamentum corporis, propenſiones animi, ingenij qualitatem, ac morbos, quibus obnoxius aliquando futurus ſit. Quod quidem obſeruare debita cum cautione, neque ſuperſtitioſum eſt, neque inutile, ac ſanctorum Patrum, Theologorumque aſſertis, ſummorumque Pontificum ſanctionibus minime contrarium. Quandoquidem ſidera, præſertim Luminaria ſunt viuentium omnium parentes; Sol quidem vitalis potentiæ fons, Luna humidi radicalis; vnde ex eorum diſpoſitione optimè coniectari poteſt in genere valida, aut infirma corporis conſtitutio, temperamentum, affectiones animi, (non tamen per ſe, ſed per accidens, quoniam iſtæ à phantaſmatibus atque organis corporeis pendent) vt teſtatur D. Thomas *in prima parte quaſt. 115. art 4.* vbi dicit: *Plerumque Aſtrologi verum dicunt in iudicandis hominum moribus, pauci enim ſunt qui reſiſtunt ſenſui.* & 2. de Gener. 13.
*Cum planeta*, inquit, *in periodali circulo erunt fortiores plures dabunt annos, & cum debiliores; pauciores. Vnde ſi ſignorum, & ſtellarum in illis poſitarum virtutem aliquis poſſet ſcire, quanta eſſet cali influentia certè cognoſceret, & de tota naſcentis vita prognoſticari poſſet, quamuis nulla illarum rerum neceſſitatem imponat.* Benè autem Angelicus Doctor dicit: *Si aliquis poſſet ſcire*, quoniam hæc notitia difficilis admodum eſt; non modò quia cælorum motus rapidiſſimus eſt, & pro minima temporis variatione (quod facillimum eſt ob horologiorum, aliorumque inſtrumentorum inæqualitatem) variari poteſt non leuiter cælorum poſitus; ſed potiſſimum, quia adhuc non bene inter Aſtrologos exploratum quodnam dicendum ſit verum inſtans natiuitatis, quo quis vitali hac aura frui incipiat; quam Phi-

loſophi definiere *Natiui caloris permanentiam* vel *ſenſitiui ſpiritus operationem*. Ideò aliqui inſtans natiuitatis dixerunt punctum exitus nati ex vtero: Verum quia id ſucceſſiuè fit, & per partes, ita vt quandoque integræ horæ labantur; ſæpè etiam integrum diem fætus conſiſtat per dimidium ſui corporis intrà vterum Matris, per reliquam medietatem extrà, adhuc ſub quæſtione erit, quale dicendum ſit verum natiuitatis momentum, ad quod cæleſte thema erigi debeat. Titus in *Celeſti Philoſophia* more ſuo erudiſſimi rem expendens, reiectis aliorum ſententijs, ex intimis Philoſophiæ principijs conclu-
14. dit id eſſe, cum fœtus incipit fieri independens à ſua cauſa proxima, proindeque deſtitui eius miniſterio, & immediato in-
* fluxu. Sed id etiam exploratum habere, perdifficile eſt. Perpenſis igitur ſingulorum opinionibus, mihi maximè arridet opinio Cardani dicentis tunc puerum naſci dicendum, cum primum aerem per os reſpirare incipit extrà matris vterum. Quandoquidem cum vitæ principalis operatio ſit halitus, vnde viuens ſuſtentatur, & quo deperdito, vita finitur, id iure optimo dicendum erit vitæ principium, quo quis non genitricis ope, ſed ſuo Marte incipit reſpirationis beneficio frui, atque aërem illum haurire, qui cum ob ſui facilitatem, ſubtilitatem, & continui (niſi etiam materiei velimus dicere) vnitatem, præſtò ſit ad cælorum impreſſiones ſuſcipiendas, iure *ſpiritus Mundi*, ac *cæleſtium qualitatum* vehiculum appellatur. Quapropter etſi puer non adhuc ex vtero Matris emerſus ſit, modo caput extrà illum habeat, & reſpirare incipiat, ſat eſt, vt viuere dicatur, atque in lucem editus. Econtrà, ſit quamuis extrà vterum poſitus, lotus, pannis inuolutus &c. nunquam propriè viuere dici poterit, donec prima vitæ ſemina excipiat, adeoque cælorum influxus per aeris aſpirationem non illi communicentur. Atque hæc de hoc argumento ſatis. Hinc.

15. Genetliacvm dicitur quod ad Geneſim ſpectat; quique ex natalitio themate de hominum vita fortunaque pronunciant, Genethliaci appellantur.

16. Genicvlator, ſeù *Ingeniculus* dicitur Hercules Græco nomine Engonaſis, ſidus in cælo ad Borealem plagam, ſic dictum, quod eius imago repreſentet hominem in genua prouolutum, atque altero pede erecto Draconis caput geſtientem opprimere. De eo vide iam dicta in V. *Engonaſis*, ac dicenda in *Hercule*.

17. Genna, teſte Othone dicitur ab aliquibus Luna, cum poſt coniunctionem cum Sole receſſit ab eo per grad. 15. vel ſanè 17. quantum videlicet ſufficit, vt è radijs ipſius emergat. Vide Vallam.

GENZAHAR apud Alkabitium *different. 3. num. 4.* dicitur interſectio orbitæ planetarum cum Ecliptica, qua parte ab auſtrali plaga ab Borealem tranſeunt, & econtra. Ille igitur tranſitus Hebraicè, ſeu Chaldaicè appellatur *Genzahar.* 18.

GEODÆSIA ſpecies eſt Geometriæ, vnaque ex Mathematicis diſciplinis, quæ verſatur in dimitiendis corporum ac particularium figurarum quantitatibus, vt materialium rerum aceruos per conos. & puteos, vt Cylindros, quod tamen non præſtat per imaginarias lineas rectas, vt præciſe facit Geometria, ſed per res ſenſibiles, & viſuales, vt puta per radios ſolares, vel per ſpartas, aut perpendiculum. Diuiditur, vt Geometria, in eam partem quæ planam ſuperficiem, & in eam quæ corpora ſolida dimetitur. Qua de re vide Clauium, Kircherum, & alios. 19.

GEOGRAPHIA facultas eſt totius terreſtris globi, ſeu terræ habitabilis deſcriptionem tradens, eius amplitudinem metiendo, diſtantias regionum & vrbium adinuicem, inquirendo locorum qualitates, climata, aliaque artificioſe per comparationem ad inuicem & cum cœleſtium corporum motibus inueſtigando. Olim Geometria dicebatur quæ aliud Græcè non ſonat, quam terræ menſurationem: verum poſtea hoc nomine in diſciplinam longe nobiliorem ampliremque tranſlato ipſa Geometriæ filia appellari contenta eſt, vltro gaudens ſuo antiquo nomine ſpoliari quo mater inueſtiretur, ipſaque ſub matris appellitreatione veniret, concurretque. 20.

GEOMETRIA nobiliſſima eſt inter omnes mathematicas diſciplinas, à telluris quidem dimenſione ex Græco nomen deriuans, ſed longè nobiliori vocabulo digna: quippe quæ non terram modo, vnde primum originem traxit, ſed & cæleſtia corpora ſpeculatur, habetque pro obiecto Vniuerſi iſtius molem, prout quanta eſt, & continua quam ſuis demonſtrationibus noſtris intellectibus ingerit menſurandam, eiuſque partes vel remotiſſimas, vel immenſas ad vnguem dimetitur, ac planè oculis ſubijcit. Vt proinde non minima laus Geometriæ ſit, quod humanas mentes humi repentes ac terræ infixas in illam cæleſtem ſedem innehat, & admirandam mundi huius conſtitutionem, rerum ordinem, corporum cæleſtium magnitudinem, diſtantiam, ſitum, regularem inceſſionem intellectui noſtro exponat, ac manifeſtet; quando alias Philoſphia, vel in minimis hærens, ne ipſius quidem continui compoſitionem, quod ſemper præ manibus habet, capere poteſt, & in ſuis ſpeculationibus ſemper magis, magiſque confunditur, & irretitur. Porrò Geometria diuiditur 21.

in eam partem, quæ in planorum conſideratione verſatur; & generali vocabulo retento Geometria ſtrictiùs audit; & in eam qua corporum ſolidorum doctrina traditur, ac proprio, & peculiari nomine *Stereometria* appellatur. Rurſus quæ cæleſtium corporum affectiones ſolummodò ſpeculatur, *Aſtronomia* dicitur, quæ in terræ deſcriptione verſatur, *Geographia*. Itaque Geometria vniuersè hunc ſibi ſcopum præfigit, vt plana, aut ſolida, vel conſtituat, vel conſtituta inter ſe comparet, aut diuidat, ac proinde corpora præcisè ac ſuperficies ſpeculatur. Eius laudes, atque vtilitates Clauius in Prolegomenis *ad Commentar. in Elementa Euclidis*.

## GL

22. GLOBVS Latinè idem, quod ſphæra Græcè, definitur enim à Theodoſio, quod ſit *Corpus ſolidum vnica ſuperficie contentum in medio habens centrum à quo omnes lineæ ad ſuperficiem ductæ ſint æquales.* Differt à circulo quod iſte ſit figura plana vnicâ lineâ circunducta comprehenſa; globus autem ſit corpus ſphæricum omnis dimenſionis capax. Differt etiam ab Orbe propriè dicto, quod is vnicam tantum habet ſuperficiem, exteriorem nempe, atque conuexam, qua clauditur, & finitur, cum aliàs concipiatur ex integro ſolidus vſque ad centrum; qualia dici poſſunt corpora planetarum, globus terreſtris, &c. Orbis autem etſi alioqui ſolidus intelligatur, tamen eius ſoliditas, ſeu craſſities comprætenditur duabus ſuperficiebus, altera interiore concaua, altera exteriore conuexa, quales ſunt omnes cæli, & deferentes corpora planetarum, aëris regio, &c. Id autem propriè, nam ſæpè vocabula confunduntur. Quinimò nunc temporis vſus obtinuit, vt globi nomine preſſiùs veniret vtraque mundi Mappa tam cæleſtis, quam terreſtris, in quarum vna deſcripta eſſent omnia ſidera, ac cæleſtes imagines, circuli, ſphæræ longitudines, latitudines, declinationes cuiuſcumque partis cæli cum ſuo horizonte, ac Meridiano adaptandis ad quaſcumque poli eleuationes, cuius ope ortus, & occaſus ſiderum, cæli mediatio, aliaque vnico intuitu haberentur: in altera deſcriptus eſſet totus terræ, mariſque ambitus cum ſuis circulis parallelis, vnde locorum longitudines, latitudines, diſtantia inter ſe, proindeque vniuerſa penè Geographia commodè addiſci poſſit.

## GN

23. GNASCH Hebræo nomine dicitur Vrſa minor, ſidus ad po-

lum Arcticum, quod teſte Kirchero in Oedipo Ægypt. idem ſonat, ac Gallinacum filijs ſuis.

GNOMON Græcè dicitur ſtylus ferreus in area horologij ſciotherici artificiosè locatus, qui vmbra ſua horas indicat, atque æquinoctiorum & ſolſtitiorum tempora manifeſtat: illum meritò Plinius *lib. 2. cap 72.* Solis vmbilicum vocat eſt enim menſura, & regula itineris Solis, quo mediante, quota ſit hora diei, & quantum Sol quoque die declinationis habeat, proindeque dierum longitudinem ac breuitatem facile internoſcimus. Quoniam autem Gnomon eſt regula itineris Solis, iurè. 23.

GNOMON *Geometricus* dictus eſt inſtrumentum ad regulæ formam, quo medio venamur altitudinem, ac declinationem Solis, aliorumque ſiderum, nec non etiam locorum diſtantias, cuius vſum, atque vtilitates recenſet Ignatius dantes, & Clauius in *Geometr. pract.* hinc etiam. 24.

GNONOMICA dicta eſt ea Aſtronomiæ pars, quæ per vmbram Solis & Lunæ artificiosè exceptam eorum curſus menſurat, adeoque temporis ſpatium, quod in hoc curſu labitur, oculiſque ſpectandum in horologijs ſolaribus exhibet. De hac etiam integrum volumen ſcripſit idem Clauius. 25.

GNOSSIA *Corona*: dicitur ſidus in cælo ad Borealem plagam propè Arcturum, Coronæ formam præſeferens; habet enim per circuitum ſtellas octo tam benè diſpoſitas, vt nullum planè ſidus, tam apto ſuæ formæ nomine ſit appellatum, quam iſtud. Sed de eo vide iam dicta in V. *Corona Septentrionalis.* 26.

## GO

GORGONIS *Caput*, ſeù, vt vulgò vocant, *Caput Meduſæ* dicitur apud Aſtronomos ſtella fixa violentiſſima in conſtellatione Perſei poſita, ſecunda magnitudinis, de natura Saturni, & Iouis Arabice *Ras Algol.* De qua ſic pronunciat Ptolemæus in Centiloquio propoſ. 73. *Sol vbi repertus fuerit cum capite Gorgonis, ſi neque aſpicitur à beneficia ſtella, neque benefica octauo loco præſt; Dominuſque conditionarij luminaris Marti opponetur, aut eum è quadrato percutit, nato caput truncabitur. Quod ſi luminare culminabit, corpus eius ſauciabitur: Sin copulatio à Geminis, aut Piſcibus fuerit, manus, ac pedes eius amputabuntur.* Idipſum ferè repetit in Quadrip. *lib. 4. cap. 10.* in hæc Verba. *Inſignis mutilis, aut quorum figura ſunt imperfecta, aut circa caput Meduſæ, Mars ſignificat, capite truncandos, aut membris mutilandos.* Quæ omnia expendens D. Thomas in Opuſc. 28. 27.

art. 4°. dicit. *Quod illa ſtella funerea ſunt, & monſtruoſam indiuita terminationem: propter quod ipſe Perſeus caput auerſo vultù abſciſſum tenet: ſed hoc ſicut diximus non imponit rebus neceſſitatem, ſed facilem, & mutabilem inclinationem habet.* Hæc ſanctus Doctor, cum priùs ex Ptolemæei authoritate dixiſſet, quod in his, & ſimilibus rebus coniecturalibus, non niſi communiter iudicare debemus, & poteſtates rerum conſequentes, quas propriæ rerum cauſæ frequenter excludunt: *Coniecturatio enim* inquit, *cum ſit ex ſignis mobilibus, generat habitum minoris certitudinis, quam ſit ſcientia, & opinio.* Ex occaſione autem
28. huius violentæ ſtellæ, iuuat auertere hic communem illam, ac vulgurem obiectionem quæ contra Aſtrologos fieri ſolet. Quæ enim, inquiunt ſimilitudo, quæ conſenſio inter Gorgonis caput è fabulis excerptum, & hanc ſtellam? inter canem ſidereum, ac terreſtrem: inter Scorpium ſidus, & venenoſum, qui reptat in terris? &c. Numquidne, quia antiquis fabulatoribus placuit nugas ſuas cælo inſerere, ac vel ex formæ ſimilitudine, vel alia de cauſa voluerunt cæleſtes imagines Leonis, Scorpij, Hydræ æquiuoco nomine îndigitare, propterea tranſlata eſt in ſtellas eorum natura, vt qui ſub his conſtellationibus oriuntur illorum qualitates induant, ſimilem exitum ſortiantur? Ergòne quia Gorgonis caput perhibetur à Perſeo vultu auerſo abſciſſum; quem poſteà vnà cum ipſo capite fabuloſa antiquiquitas cælo inſeruit, idcircò qui ſub hoc ſidere naſcentur, capitis periclitabuntur? Quia piſces aquatici fæcundi ſunt, propterea qui ſub Piſcium cæleſtium Aſtro naſcentur fæcundi erunt, & vice verſa ſteriles qui ſub Virgine, quia Virgo ſterilis, & infœcunda? Ita plane: Neque enim fruſtra, aut ſine conſilio antiqui illi Aſtronomi ſtellarum naturam probè callentes, eas in tot diuerſas formas ex fabulis plerumque deſumptas coadunarunt, ſed quia videbant earum naturam, & qualitates terrenis his rebus perſimiles, idcircò vt poſteri eas dignoſcerent ac penetrarent, à rerum ſimilitudine, quarum imaginem præſeferrent, vt ediſcerent voluerunt. Sic quia Leo animal, dum Sol eiuſdem nominis ſignum permeat aſſidue Febre laborat; quia canes terreſtres aguntur in rabiem caue ſidereo exoriente cum Sole, Luna in Scorpione verſante, Scorpiones in terris infenſiſſimi ſunt, Hydra ſtellis conſtat de natura Saturni, & Veneris, quæ humorum corruptrices ſunt, ac venenoſe, neſcio quem conſenſum, & ſympathiam inter illa, quamuis natura diſſita intercedere experti ſunt; proinde ad hæc & ſimilia nobis inſinuanda, naturamque eorum aperiendam, ſidera illa Leonis, Canis, Scorpij, Hydræ ſpeciem noſtris intellecti-

bus obiecerunt, quod ſanè proprium Ægyptiorum eſt ſapientiam ſuam; non niſi per hieroglyphica explicare. Sic igitur in caſu noſtro ad explicandum monſtroſum vitæ exitum, quem vt plurimum portendit cum luminaribus ſtella illa ſua prauitate in ſignis, quæ ſæpè, vt experimentis probatum eſt, obtruncationes capitis intulit, aſſumpta Gorgonis fabula, caput eius cælo affixum eſt, atque ex eo ſidus illud non incongruè denominarunt, vt eius natura, vel ex fabulis innoteſceret. Propterea (inquit D. Th.) *ipſe Perſeus caput, auerſo vultu abſciſſum tenet*, vt profectò, qui hæc viderit comprehendat ſtellas illas eſſe malignantis naturæ, & effectus eis ſimiles importare, quos res à quibus illis nomen eſt inditum, gignere conſueuerunt: ſed longiùs quam par erat ex occaſione capitis Gorgonis ab inſtituto digreſſi ſumus. Redeamus ad noſtra.

## GR

GRADVS apud Aſtronomos communiter ſignificare ſolet trigeſimam quamque partem cuiuſcumque ſigni, ſeu potiùs totius circuli trecenteſimam ſexageſimam, quod præcipuè in Zodiaco & Æquatore fit, ad habendam ſignorum aſcenſionem, & quotæ cuiuſque partis vnius circuli ad alterum correſpondentiam Similiter gradus quiſque diuiſibilis eſt in 60. partes, quas, & minuta nominant, ſeu ſcrupula. Minutum in totidem fractiones, quas vocant ſecunda: ſecunda in totidem tertia: & ſic deinceps vſque ad decem. Cuius aptiſſimæ diſtributionis rationem vide in Clauio in commentar. ad ſphæram Io. de Sacroboſco. Porrò diſtantia vnius gradus proportionalis in cælo, comprehendit in terris ſpatium ſtadiorum 500. hoc eſt milliaria 62. cum dimidio, ſecundùm Ptolemæi obſeruationem: ita vt totus terræ ambitus ſit milliariorum 22500. Recenſiores verò, qui non ſemel Oceanum ſuis nauigijs trajecerunt, & totum Orbem circumegerunt, dicunt vnicuique gradui in mari per directum reſpondere milliaria 53. ita vt ambitus terræ per circuitum amplectatur milliaria 19080. Hinc etiam ſumpta proportione venamur ambitum conuexi ſingulorum orbium cæleſtium, & quorumquiſque itineris ſingulis horis conficiat, præcipuè firmamentum, quod antiquitas ipſum primum mobile eſſe exiſtimauit. Cuius velocitas tanta eſt, vt mente concipi nequeat, ac ſpatio vnius horæ quælibet pars æquatoris, & ſtella in eo ſita, qualis eſt prima, exempli gratia, in cingulo Orionis, tantum itineris conficiat, quantum vix poſſet quis ſine vlla intermiſſione currendo peragrare in ann. 2904. etiam- 29.

ſi in dies ſingulos milliaria 40. conficeret. Qui huius rei curioſus extiterit, videat Clauium loco citato, & Blancanum *in*
30. *ſphæra mundi, lib. 4. cap. 5*

Conſiderantur etiam ab Aſtronomis, præſertim antiquioribus, certi quidam gradus in ſignis, quos vocant vacuos, plenos, lucidos, tenebroſos, maſculinos, fæmininos, puteales, fumoſos, felices, infelices, augentes fortunam, vel minuentes, neſcio prudenti ne ratione, an potius Arabum vanitate, ac figmento. Hos ego gradus, eorumque diſtributionem olim deridebam; vel eò maximè quod à recentioribus ſilentio obuoluuntur. Verum quia poſtmodum inueni Angelicum Doctorem D. Thomam eorum mentionem feciſſe *in opuſcul. de Fato*, nec propterea improbaſſe ( vt alias ſolet grauiſſimus vir in rebus ſuperſtitionem olentibus ) placuit eos & hic inſerere, neq; approbando, neque improbando, ſed ſolùm ad operis complementum, atque vt curioſorum deſiderio ſatisfacerem. Eorum aliqua ratio elucet ex fixarum natura in illis incidentium, aut ex proportionalibus diſtantijs ad puncta cardinalia, vnde ſidera influere incipiunt primas qualitates, quales ſunt fines ſecundùm Ægyptios, vt nos dicemus in V. *Termini*. item gradus fæminini, & maſculini, &c. aliorum non item, cuiuſmodi ſunt gradus puteales, pleni, vacui, fumoſi, lucidi, tenebroſi. Fortaſſis vocantur pleni, ac lucidi, in quibus ſtellæ fixæ corporaliter incidunt; ſicut è contrà tenebroſi, & vacui qui nullis circà ſtellis præditi ſunt. Licet & hoc quidem præſenti tempore obſeruare ſuperuacaneum foret ob Firmamenti peculiare motum, quo ſtellæ jam non in eadem longitudine ſunt, proindeque in iiſdem Zodiaci gradibus, ac tempore Ptolemæi, ſed longe anteceſſerunt ad grad. ferè 28. Quapropter & nouam graduum conſtitutionem conſtruere opotter. Sed & eorum, qui felices, vel infelices vocantur non ſpernendam rationem affert Cardanus *in Commentar. ad lib. 1. Quadrip. text. 61. Vbi enim*, inquit, *conueniunt fines vtriuſque benefica, ij iure cæteris feliciores cenſendi ſunt, ob vtriuſque mixtam naturam : contrà infelices habentur qui ſunt contermini finibus maleficarum; quia amba concurrunt ad eos infortunandos.* Sic ſeptimus gradus Arietis, quia eſt finis terminorum Iouis, & initium Veneris, felix jure optimo nuncupatur. E contrà grad. 26. eiuſdem Arietis infelix; quia ibi fines vtriuſque maleficæ conjunguntur : ſic diſcurrendum de reliquis, vt videre eſt in ſequenti tabella.

*Tabula Graduum Felicium, & Infelicium.* 31.

| | |
|---|---|
| In Ariete. felix grad. 7. | Infelix 26. |
| In Tauro. felix nullus | Infelix 26. |
| In Geminis. felix 15. | Infelix 25. |
| In Cancro. nullus felix, | neque infelix. |
| In Leone. felix 20. | Infelix nullus. |
| In Virgine. felix 14. | Infelix 24 & 30. |
| In Libra. felix 12. | Infelix nullus. |
| In Scorpione. felix 15. | Infelix nullus. |
| In Sagittario. felix 9. | Infelix 25. |
| In Capricorno. nullus felix | Infelix 25. |
| In Aquario. felix 21. | nullus infelix. |
| In Piſcibus. felix 9. | Infelix 30. |

Eò quia, vt diſci, contermini ſunt finibus beneficarum, aut maleficarum.

Hac etiam, vel ſanè ex conſimili ratione repertos credide-rim gradus augentes fortunam: ſuntque gr. 19. Arietis: item gr. 3. 15. 27. Tauri: 11. Geminorum: 1. 2. 3 4. Cancri. 2. 5. 7. 19. Leonis. 3. 14. 20. Virginis. 3. 5. 21. Libræ. 7. 18. 20. Scorpij. 13. 20. Sagittarij. 12. 13 14. 20. Capricorni. 7. 16. 17. 20. Aquarij: tandem gr. 13. & 20. Piſcium. Minuentes fortunam ſunt ijdem ac puteales. 32.

*Sequuntur Gradus Lucidi, & Tenebroſi.*

In Ariete grad. lucid 27. tenebroſi 2. 6. 11. 33.
In Tauro grad. lucidi. 6. 14. 25. tenebr. 2. & 29. 34.
In Geminis grad. lucid 2. 10. 20. tenebr. 6. 29.
In Cancro grad. lucid. 7. tenebr. 13. 19. 24.
In Leone grad. lucid. null. tenebr. 6. 15. 28.
In Virgine grad. lucid. 7 14. tenebr. 3. 20 29.
In Libra gr. lucid. 3. 14. 24. tenebr. 8. & 20.
In Scorpione gr. lucid. 6 & 17. tenebr: 2. 21 29.
In Sagittario grad. lucid. & tenebr. nulli.
In Capricorno gr. lucid. 9. & 17. tenebr. 4. 13. 21. 28.

O iiij

In Aquario gr. lucid. 7. 17. 28. tenebr. 3. 12.
In Piſcibus gr. lucid. 10. 20. 27. tenebr. 3. 16. 30.

*Gradus Puteales.*

35. In Ariete. 6. 11. 16. 23. 29.
In Tauro. 5. 12. 24. 25.
In Geminis. 2. 12. 17. 26. 30.
In Cancro. 12. 17. 23. 26. 30.
In Leone 6. 13. 15. 22. 23. 28.
In Virgine. 8. 13. 16. 21. 25.
In Libra. 2. 7. 20. 30.
In Scorpione. 9. 10. 22. 23 27.
In Sagittario. 7. 12. 15. 24. 27. 30.
In Capricorno. 2. 7. 17. 22 24. 28.
In Aquario. 1. 12. 17. 24. 29.
In Piſcibus. 4. 9. 24. 27. 28.

Puteales dicuntur eò quia in ijs planeta exiſtens videtur eſſe in puteo.

*Gradus Vacui & Pleni.*

36. In Ariet. gr. vac. 3. plen. 8. vac. 17. plen. 20. vac. 26. plen. 30.
In Taur. vac. 3. pl. 11. vac. 13. pl. 21 vac. 26. pl. 30.
In Gem. vac. 0. pl. 7. vac. 9. pl. 14. vac. 17 pl. 23. vac. 30.
In Cancr. vac. 6. pl 12. vac. 11. pl. 18. vac 20. pl. 29. vac. 30.
In Leon. vac. 0. pl. 7. vac. 10 pl. 14. vac. 20. pl 30.
In Virgin. vac. 5. pl. 9. vac. 11. pl. 17. vac. 23. pl 27. vac. 30.
In Libr. vac. 0. pl. 5. vac. 13. pl. 16 vac. 24 pl 27. vac 30.
In Scorp. vac. 3. pl. 8. vac. 14 pl. 20. vac. 22. pl 27. vac. 30.
In Sagitt. vac. 0. pl. 8. vac. 12. pl. 19. vac. 23. pl. 30.
In Capric. vac. 7 pl. 10. vac. 15. pl. 20. vac. 24. pl. 30.
In Aquar. vac. 4. pl. 7. vac. 13. pl. 19. vac. 22. pl. 30.
In Piſc. vac. 6. pl. 12. vac. 15. pl 19. vac. 25. pl. 28.

Atque hi ſunt gradus quos minus inanitatis habere credendum eſt, quàm alij penè innumeri, quos Arabes confinxerunt, ſunt etiam gradus Azemene, hoc eſt debilitatis corporis, quos in loco retulimus, necnon maſculini, ac fœminini: de quibus ſermo etiam fuit in V. Fœmininum.

37. Græcvs, apud nos vulgò dicitur ventus intermedius inter Septentrionem, & Subſolanum, eò quod per mediam Græciam tranſeat. Græcis Borrhapeliotes, directè oppoſitus Garbino, ſeu Notolybico. Eſt natura ſua frigidus, & ſiccus ob viciniratem Boreæ, adducens aliquando niues.

38. Grvs, ſidus in cælo ad polum antarcticum à recenſioribus de nouo cum alijs vndecim, detectum, & hoc nomine præſignatum. Continet intra ſe ſtellas tredecim, quarum præcipua eſt, quæ in oculo ſecundæ magnitudinis; ſed eſt eadem, quæ

in cauda piſcis Rotij: In longitudine totum eſt ſub ſigno Aquarij, nobis perpetuò inconſpicuum.

H A

Hadronitho *Demaluſche*, Chaldaicè dicitur Zodiacus, hoc eſt Orbis ſignorum, teſte Kirchero in Oedipo Ægygiiaco. 1.

Haia, ideſt ſerpens dicitur apud Hebræos Hydra ſidus, teſte Kyrchero, in Oedipo. Item *Hackaia*. 2.

Halon, ſeu *Halones*, Græcè dicuntur circuli illi, qui ſæpè numero apparere ſolent circà ſidera fulgorem quemdam craſſum præſeferentes, ad inſtar radiorum, qui ſanè aliud non ſunt, quàm denſati quidam vapores, & adhuc non reſoluti, in eam aëris regionem conuenientes, quæ ſubeſt ſideri quod circumire videntur, qui poſteà ab eius radijs illuſtrantur nihilò ſeciùs ac circa horizontem Atmoſphera à radijs Solis, vel jamjam emergentis, vel infrà finitorem depreſſi. Hos & areas vocauere Priſci, quia, inquit Seneca, rotunda ſunt loca terendis frugibus deſtinata, quibus iſti valdè conſimiles. Memorabilis Halonis ſuo tempore apparentis meminit Plinius, necnon & aliorum duorum Suetonius, atque Dio, ex quibus hiſtoriam accipiens Cornelius Gemma *lib. 2. de diuinis Naturæ characteriſm. cap. 9* hæc habet: *Sub imperium Auguſti Cæſaris, vt author eſt Plinius, ingens circulus circa Solem ſeu radiantibus ſtellis inſignis corona apparuit: deinde & alij duo, vt ex Suetonio patet, atque Dione; quorum alter Iridis elegantiſſima formam, alter ex ſpicis triticeis ſertum præſeferebat.* His affinia ſunt parælia, foueæ, virgæ, & alia: de quibus ſuo loco. Vide etiam quæ diximus ſub V. *Circuli*. 3. 4.

Halysis non multum diſcrepat ab Halone: eſt enim teſte Apuleio lib. de mundo catena quædam (illius verbis vtor) luminis clarioris per Solis ambitum in ſe reuertens: atque inter hanc & iridem illud intereſſe, quod Iris multicolor eſt, & ſemicirculo figurata procul à Sole, atque Luna; Catena clarior eſt, aſtrumque ambit orbe incolumi, corona non diſcolori. 5.

Hammel, ſeu *El. Hammel*, prout in loco adnotauimus, dicitur apud Arabes ſignum, & conſtellatio Arietis, teſte Kirchero in ſuo Oedipo Ægyptiaco: ſicut etiam 6.

Hammoschlusch, hoc eſt tripartitus dicitur apud Hebræos Triangulus: ſidus de quo vide in V. Delteton. 7.

Havt, & *Elhaut* ſignum, & conſtellatio Piſcium. 8.

Hapsi apud Aſtronomos dicuntur nubeculæ quædam, ſeu maculæ pendulæ ſub Luna in eius defectione naſcentes, & ſuſpenſæ ſub illa, de quibus teſtatur Vendelinus *in præf. ad Eclipſ. p. 3.* ſæpè à ſe viſas nubes quaſdam pendulas ſub Luna adhuc in 9.

tenebris conſtituta, quaſi aqua multa grauidas, quæ aliquando ob figuram, quam præſeferunt vmbræ more arcuatam exquiſitiſſimè imitantur initium, & finem Eclipſis à penumbra terræ realiter factæ, qua in re ait, deceptos fuiſſe Tychonem & alios ſæpiſſimè in Eclipſium lunarium obſeruatione.

10. Hayz, ſiue, vt alij ſcribunt *Alhayz*, apud Arabes eſt quidam acceſſus fortitudinis, ac dignitatis factus planetæ, eò quod exiſtat in ſigno ſibi ſexu conformi, atque in ſitu mundi in loco ſibi conditionario, vt ſi maſculinus, & diurnus de die reperiatur ſuprà terram, & in ſigno maſculino; ſi nocturnus & maſculinus de nocte reperiatur ſuprà terram, & in ſigno maſculino. Similiter ſi planeta ſit fœmineæ conditionis, conſtituatur in ſigno fœminino, & ſuprà terram de nocte, ſub terram interdiù, & ſi diurnus ſuprà terram de die. Sic Saturnus, exempli gratiâ, exiſtens in Leone in decima (Sole ſuprà terram exiſtente) dicitur eſſe in ſuo *Hayz*; eò quia cùm ſit maſculus, & diurnus, reperitur in ſigno ſibi in ſexu conformi, ſcilicet maſculino, & de die etiam ſuprà terram. Mars autem ad hoc vt ibidem dicatur in ſuo Hayz, debet habere Solem ſub terra, cùm ipſe ſit planeta nocturnus. Si verò planeta ſeruet quidem conditionem temporis, at non actu reperiatur in loco ſibi idoneo in ſitu mundi, vt eſſet ſi Saturnus de nocte reperiretur ſub terra, & in ſigno maſculino, Luna de die ſub terra, & in ſigno fæminino; tunc ſanè dicetur eſſe in ſuo lumine, quia eſt in loco ſibi proportionato, minimè verò in ſuo Hayz.

11. Hædi duæ ſunt ſtellæ pernicioſæ, horridæque (quales appellat Plin. *lib. 18 c. 26.*) in ſiniſtra manu Aurigæ conſiſtentes de natura Martis, & Mercurij, quartæ magnitudinis, in longitudine nunc temporis in gr. 12. & 14. Geminorum. De ijs in Oriente repertis in alicuius natiuitate, ſic perbellè cecinit Pontanus *in Vrania lib. 3.*

*Promittunt igitur duros à fronte Catones*
*Naſcentes Hædi, turpi ſed inertia mentem*
*Occupat, & molles languent in pectore curæ.*
*Triſte ſupercilium, mollis ſed degener vmbra:*
*Eſt animus luxu languens, & deſide ſomno*
*Frons ficta, obſceni mores, petulanſque libido.*
*Armorum, & deſes fuga, nobiliumque laborum.*
*Hinc mortem ſibi conciſcunt, infamis vt vmbra*
*Erret letheos non tranſmittenda per amnes.*

Quod aliter explicat Firmicus in hæc verba. Si Hædi, inquit, in alicuius natiuitate in horoſcopo reperti fuerint; natus aliud ex fronte pollicetur, aliud latenter in moribus cælabit: Erit enim auſtera facie, prolixa barba, obſtinata fronte; ita vt Ca-

ronis prorſus inſtitutum imitari videatur: ſed totum hoc fucato mentietur affectu. Quippe intrinſecus erit laſciuus, & qui latenter amorum illecebris ſemper exæſtuet, &c. Naſcuntur etiam ſub hoc ſidere ouium paſtores, quique ſilueſtri fiſtula modulantes, ruſtici carminis dulciſſimos modulos edant. Si verò in occaſu fuerint cum prauo aſpectu Saturni; nati in ipſo vitæ momento moriuntur, aut in ipſo naſcenti lumine conſtituti deficientibus Matris viribus ſtrangulantur; aut tumeſcentibus faucibus acerbum illis mortis infertur exitium. Quod ſi Mars cum ipſis in occaſu fuerit, omni beneuolarum teſtimonio deſtitutus, plecti faciet natos, aut religionis cauſa exuri. Hæc Firmicus, quæ tamen cautè intelligenda ſunt. Sed quoad aëris mutationem Hædi exorientes ventos ciere ſolent, pluuias violentas adducere, & tempeſtates in mari excitare. Vnde inimicum nauigantibus ſidus canit Germanicus.

HELIACVS *ortus*, & *occaſus*, ſtellæ apud Aſtronomos ſignificat eius emerſionem è radijs Solis, ita vt fiat conſpicua, aut cum in illos immergitur, & ampliùs videri nequit, ſiue id fiat ob Solis approximationem, vel elongationem ab ea; ſiue ipſius ſtellæ ad Solem, quod locum habet tantummodo in planetis. Quod fit ad diſtantiam plus minus 17. graduum in Luna, in cæteris autem ferè vnius ſigni. Ortum heliacum Aquarij ſic deſcribit Ouidius lib. 2 Faſtorum dum cecinit: 12.

*Iam leuis obliqua ſubſedit Aquarius vna:*
*Proximus æthereos excipe Piſcis equos.*

Menſe etenim Februario Sol exiſtit in Aquario, eumque propterea ſuo ſplendore occultat: verùm cùm ſub finem Februarij Piſces ingreditur, incipit Aquarius paulatim è Solis radijs emergere, ſicque mane ante Solis ortum fieri conſpicuus. E contra occaſum heliacum Canis intellexit Virgilius lib. 1. Georg. quando dixit:

*Candidus auratis aperit cum cornibus annum*
*Taurus, & aduerſo cedens Canis occidit aſtro.*

Quia cùm olim Canis maior exiſteret in Geminis, Sole ſibi appropinquante in Tauro, occidebat heliacè; cùm priùs enim eſſet conſpicuus, jam inde incipiebat occultari, atque in Solis radijs immergi; ita vt ampliùs videri non poſſet.

HELICE Græco nomine, ſicut etiam *Calliſto*, & *Megiſto* dicitur Vrſa maior, ſidus in cælo propè polum arcticum ex aduerſo Caſſiopeæ, ſic dictum à circumuolutione, quod diei, noctiſque ſpatio breui circumlatione circa polum voluatur. Habet ſtellas apud Ptolemæum omninò 35 hoc eſt 27. intra imaginem incluſas, octo autem extrà vagantes, & informes, licet Baierus in eo numeret tantùm 32. Cùm Keplerus obſeruaſſe ſe di- 13.

cat 56. Inter has ſeptem ſunt præcipuæ, quæ conſtituunt plauſtrum omnibus notum, ſecundæ magnitudinis, omnes præter vnam de natura Martis. Hoc ſidus Romæ ſemper conſpicuum eſt; quippe nullæ eius ſtellæ occidunt, niſi paucæ quædam infimæ notæ in ſummis pedibus. Sua amplitudine complectitur tria ſigna Cancrum videlicet, Leonem, & Virginem. Plura vide in V. *Plauſtrum*, *& Vrſa*.

14. Hellespontivs dictus eſt Cæcias ventus: de quo ſuo loco dictum, eò quod per Helleſpontum tranſeat.

15. Hemicyclvs, Græcè idem ſonat, ac Latinè ſemicirculus: potiſſimùm verò accipitur pro altera parte Epicycli planetarum, in qua directi denominantur, aut retrogradi, Occidentales, vel Orientales. Hinc etiam

16. Hemisphærivm dicitur dimidia pars ſphæræ, quæ ope alicuius magni circuli in duas æquas partes tribuatur; abſolutè verò & preſſiùs accipitur pro ea diuiſionis parte, quam præſtat horizon dirimens cælum in duo ſegmenta, quorum alterum eſt ſemper nobis conſpicuum, alterum verò, quod ſemper inferiùs latet: ita vt communiter dicatur & ſuperius, & inferius hemiſphærium; & has ſtellas in noſtro hemiſphærio, vel eſſe ſemper conſpicuas, illas autem occidere ſcilicet ſubtus horizontem ad occaſum deprimi, vel eſſe ſemper occultas.

17. Heniochvs. Vide Eniochus.

18. Heptagonvs Græcè, Latinè figura ſeptem angulorum interpretari poteſt: ea vox paſſim ab Euclide, & ab alijs Geometris vſurpatur.

19. Hercides, Græcè dicitur manus alterius Geminorum, ſtella, inquam, fixa ſecundæ magnitudinis de natura Martis, & Mercurij: veriùs tamen ipſum caput Pollucis, cùm in manu nulla ſit ſtella talis magnitudinis, & naturæ. V. *Pollux*.

20. Hercvles, apud Aſtronomos quandoque accipitur pro Engonaſi, ſeu Ingeniculatore integro ſidere conſtituto ex ſtellis 29. propè Ophincum; aliquando etiam pro altero Geminorum dicto Polluce; & ſignanter pro fixa Martia in eius capite fulgente, quæ inter regias, & violentas computatur. Sæpè enim apud ſcriptores vna ſtella, quæ in capite Engonaſis confunditur cum ea quæ in capite Pollucis eſt, ac promiſcuè *caput Herculis* vocitatur.

21. Hermippvs à Plinio dicitur Delphinus (neſcio qua ratione) quem etiam Cicero procelloſum ſidus appellat. De hoc ſatis dictum in V. *Delphin*.

22. Hespervs dicta eſt Venus Occidentalis à Sole conſtituta in prima medietate ſui Epicycli: ſicut contrà *Lucifer* cum eſt Orientalis à Sole, & mane ante ipſum exoritur exiſtens in ſecunda

mediecate Epicycli. Vide Cicero *de natura Deorum lib. 2.* de ea loquens *infima eſt*, inquit, *quinque errantium, terraque proxima ſtella Veneris, qua Latinè Lucifer dicitur cum antegraditur Solem; cum ſubſequitur autem, Heſperus.* Porrò Venus Occidentalis à Sole fortior eſt quam Orientalis, ſicut & Mercurius, & Luna, quia aucti lumine, ad differentiam ſuperiorum, qui augentur lumine, cum ſunt Orientales, minuuntur, cum fiunt Occidentales.

HETEROSCI apud Aſtronomos ſcriptores paſſim atque Coſmographos appellantur populi habitantes in Regionibus, ſeù Zonis temperatis ab Tropicis ad Circulos Arcticum & Antarcticum; quo nomine & nos venimus, eoquia experimur vmbram vnam tantum ad Septentrionem vergentem, vel econtrà qui vltrà Tropicum Capricorni degunt, ad Auſtrum, licet retineant ſemper Orientalem, atque Occidentalem: & qui immediatè ſub Tropicis habitant, vel propè ipſos ſemel in anno nullam habeant in meridie, cum Sol illis fiat verticalis. 22.

HEXAGONVM. Vide *Exagonum.*

H I

HINNICVLVS, Equi ſectio, Roſtrum Equi, &c. dicitur ſidus in cælo repræſentans caput equi mutilatum, quod habet ſtellas quatuor obſcuras de natura Saturni, Martis, & Mercurij. Vide in V. Equiculus. 23.

HIERESIM Arab. dicitur conſtellatio Cygni, quaſi roſa, vel lilium redolens. Habet ſtellas 17. cum duabus informibus, de qua in V. *Cygnus.* 24.

HIRCVS, *Capella* Arab. *Alaiot* ſidus, ſeù potius vnica ſtella primæ magnitudinis, de natura Martis, & Mercurij exiſtens in ſiniſtro humero Aurigæ, ac repræſentans Capellam lactantem duos hædos in eiuſdem manu ſiniſtra hærentes. Eſt ſidus tempeſtuoſum procelloſum, & Nautis inimicum, vt vocat Germanicus, ventos impetuoſos producens, & Mare concutiens. De eo horoſcopante in alicuius natiuitate, hæc habet Firmicus. Nati erunt nimia mentis trepidatione ſolliciti, & quorum corpus aſſiduus tremor ſemper impugnet. Hi leuibus commotionibus opprimentur, & leuibus etiam nuncijs graui timoris incurſione quaſſabuntur. Erunt tamem omnium rerum curioſi, & qui quodcumque nouum dictum fuerit, id impatienti cupiditate deſiderent; vt ſemper noua quæque curioſa deſiderij cupiditate ſectentur, eaque intelligere ſtudeant. Si verò in occaſu fuerit, ex pradijs habebunt ſubſtantiæ facultatem: ſed ſi propter læſas religiones graui pulſabuntur inuidia. Habebunt etiam ſubſtantiam, aut ex naufragijs collectam, aut ex 25.

fluminibus comparatam. Hucuſque Firmicus in hac re minimè audiendus. Oritur Romæ Hircus cum gr. 12. Arietis, occidit cum ferè 27. Cancri, ſed tamen notandum, quod habet maximam latitudinem, ſeu declinationem Borealem grad. nempe 46. adeoque fit Verticalis Andegauo, Oeniponto, Bernæ, alijſque finitimis ciuitatibus.

28. Hircvs etiam dicitur ſpecies quædam Cometæ tenuiſſimis radiorum fibris, tanquam villis quibuſdam ſtipari admodum hirci hiſpidi, & villoſi, de quo Plin. *lib. 2. cap. 25.* Græcè dicitur *Trogodes.*

29. Hircvs *Æquoris* aliquibus dictus eſt Capricornus, decimum ab Ariete ſignum, eoquod eius imago monſtrum marinum referat, & in finem abeat in piſcem. Vel forte ſic dicitur ab effectu; eſt enim ſidus æquori ominoſum, vnde & *Pelagi procella*, & imbrifer appellatur, Arabice *Elgedi*, vel *Alchantarus.*

## H O

30. Holometrvm eſt inſtrumentum Mathematicum, quo facillime omnia quæ oculis ſubijciuntur menſurari poſſunt. Eius fabricam, & vſum docet Abel Tullo eius inuentor peculiari libello hac de re edito Venetijs anno 1564.

31. Homocentricvm Græcolat. idem ſonat ac Concentricum, de quo fvſe egimus ſuo loco.

32. Homoth ex Græco Barbar. dicitur in ſphæra Barbarica tertius Decanus Capricorni competens Soli, ſignificans cupiditatem gubernandi familiam, ſuſpiciones, inſufficientiam, &c.

33. Homozona vocantur ſigna ſe inuicem intuentia paris virtutis, pariſque declinationis, quæ nos Antiſcia, ſeu parallelos declinationis diceremus. Eius vocabuli vſus fræquens eſt in ſcaligero *in Commentar. ad Manilium.*

34. Hora eſt æquale temporis ſpatium in quod dies diuiditur. Eius etymon alij hauriunt à Sole horarum diſtributoris, quem Ægyptij *Horum* vocabant: Alij à Græco vocabulo *Horizin*, quod terminare ſignificat, diſtinguere, ac diuidere: Alij ab vrina, quam Græci *τὸ οὖρον* dicunt. Ferunt enim Hermerem Triſmegiſtum horarum diſtributionem primum feciſſe, atque obſeruaſſe ab vrina ſacri cuiuſdam Animalis Cynocephali nomine, quod ſerapidi erat dicatum, nam cum obſeruaſſet animal illud ſpatio vnius diei artificialis duodecies vrinam mittere æqualibus ſemper ſpatijs interjectis, totum tempus diei reſpondens pariterque nocti, in 24. æqualia ſpatia diſpeſcuit, eò maxime quod hæc diſtributio optime reſponderet integræ circulationi primi mobilis aſcendentibus ſingulis ſpatijs temporis quindenis ſemper gradibus æquatoris; ideò inquam ab

trina Cynocephali horas æqualia iſthæc ſpacia nominauit. Vtrumque ſit, certum eſt horas 24. vt modò innui, eſſe menſuram temporis, quo Sol integro die naturali curſum ſuum abſoluit circà tellurem motu non ſuo ſed primi mobilis ab Oriente in Occidentem. Sunt autem duo horarum genera: aliæ quæ dicuntur æquales, ſeù æquinoctiales, & eſt tempus reſpondens aſcenſioni ſingulorum quindecim graduum æquatoris; ( reiecto paruo illo temporis interuallo, ferè inſenſibili, quod ſingulis addi deberet propter motum proprium Solis in Zodiaco, quî fit vt integra reuolutio primi mobilis perficiatur in horis 23. & min. 56. Solis autem in 24. quatuor minutis plus. ) Aliæ dictæ inæquales, temporariæ, naturales ac Planetariæ, & eſt duodecima quæque pars diei vel noctis artificialis; cuius ſpatio exoritur medietas cuiuslibet ſigni; quæ tempore æquinoctij tantum cum æqualibus conueniunt; cæterum alijs temporibus vel augeſcunt, vel minuuntur, prout augentur, vel decreſcunt dies aut noctes. Dicuntur etiam planetariæ, quoniam ſingulis horis inæqualibus ſingulos planetas dominari contendant Aſtrologi, facto initio à planeta diem denominante, qui præeſt primæ horæ ab exortu Solis, ac ſucceſſiuè dominium proſequentibus, reliquis planetis per ordinem diſpoſitis in hebdomada, ( cuius dipoſitionis ratio hinc ortum habuit ) vt, pro exemplo, primæ horæ ſabbati Saturno dicati dominetur Saturnus; ſecundæ Iupiter; tertiæ Mars, & ſic de ſingulis. Similiter primæ horæ noctis dominabitur Mercurius, qui proximè ſuccedit Veneri, quæ dominatum obtinuit vltimæ, & duodecimæ horæ diei artificialis; vltimæ verò horæ noctis proximè ante Solis exortum die ſequenti, Mars: itaut die dominico Soli attributo ſuccedat ipſe Sol in dominium primæ horæ diei, quæ, vt dixi ab eiuſdem ſolis exortu computanda erit. Porrò iſtarum horarum beneficio cognoſcitur arcus diurnus, & nocturnus cuiuſcumque partis Zodiaci, ſicque etiam ſingulorum planetarum, inibi exiſtentium: quot enim gradus æquatoris cum ipſa Zodiaci parte ſupra terram conſiſtente aſcendunt, erit arcus diurnus; quot ab occaſu deſcendunt ipſa in inferiori hemiſphærio commorante, conficiunt arcum nocturnum: itaut facile ſit obſeruare, quota ea ſit, quotue partibus excedat; aut excedatur ab hora æquali correſpondente ſingulis quindecim gradibus æquatoris. Sic propoſita maxima die artificiali 15. horarum; hora inæqualis diurna erit hor. 1. min. 15. Nocturna verò conſtabit 45. minutis. Hinc.

Horaria *tempora* dicta ſunt ſexta quæque pars arcus ſemidiurni, vel ſeminocturni cuiuſque partis Zodiaci, ſeù etiam arcus æquatoris correſpondens ſingulis horis inæqualibus, 35.

quas complectitur quota pars Zodiaci coaſcendens aut condeſcendens: quorum ope perficiuntur directiones ad mentem Ptolomæi, ac ſingularum domorum cæleſtium, tam ſuprà quam infrà terram exiſtentium ſit diſtributio. Nam bina horaria tempora diurna, ſeù tertia pars arcus ſemidiurni conſtituit ſpatium ſingularum domorum ſuprà terram exiſtentium: geminata item horaria tempora nocturna, ſeu tertia pars arcus ſeminocturni conſtituit quantitatem ſingularum domorum infrà terram exiſtentium. Tabulam horariorum temporum ad ſingulas Eclipticæ partes habent ferè omnes ſcriptores in introductorijs ad Ephemeridas. Si planeta habeat latitudinem, & vera eius horaria tempora venari volueris, acceptam eius declinationem ad rationem latitudinis

14. quam habet reuoca ad eclipticam, ac poſtea cum gradu illo eclipticæ accipe horaria tempora, quæ illi reſpondent in tabula, & fies voti compos. Quod ſi tanta ſit declinatio planetæ, vt excedat illam eclipticæ, vel fixarum maximam latitudinem habentium horaria tempora velis extrahere, diuide eius arcum ſemidiurnum, vel ſeminocturnum acceptum in gradibus & minutis, in ſex partes, & ſingulæ erunt horaria tempora diurna, vel nocturna. Arcus autem ſemidiurnus, vel ſeminocturnus cuiuſcumque ſideris quacumque latitudine præditi, habetur per additionem differentiæ aſcenſionalis competentis declinationi ſideris ad gr. 90. ſi quidem declinatio fuerit Borealis, vel per diminutionem ab gr. 90, ſi declinatio fuerit auſtralis: & econtra arcus ſeminocturnus habetur per additionem differentiæ aſcenſionalis ad gr. 90. ſi declinatio ſtellæ fuerit auſtralis, per ſubtractionem, ſi fuerit Borealis, & reſiduum, vel ſumma erit arcus ſemidiurnus, vel ſeminocturnus diuidendus, vt dixi in ſex partes æquales, ad hoc vt habeantur horaria tempora diurna, vel nocturna; nec-non horæ inæquales, ſeu pla-

15. netariæ, ſi gradus & minuta æquatoris conuertantur in horas, & minuta temporis, tribuendo, vt ſuprà, quindecim gradus ſingulis horis æquinoctialibus, & ſingulis minutis æquatoris

16. ſingula minuta temporis.

Horinævm vocat Ptolemæus lib. 3 cap. 14. Quadrip. motum directionis conuerſum, quo ſignificator motu primi mobilis raptus fertur in locum promiſſoris à conſequentibus ad præcedentia ſigna: docetque motu dirigendum eſſe vitæ moderatorem exiſtentem in quarta Occidentali ſupraterranea, à

17. medio videlicet cæli ad occaſum, ad ipſum occiduum finitorem, quem ſolum in eo caſu agnoſcit habere vim Anæreticam, eo quia inquit *Dominum vitæ abſcondit*. Hoc motu dirigi poſſunt omnes moderatores qui mouentur in Zodiaco, & rapiuntur.

tur motu primi mobilis circà tellurem; quales ſunt Sol, Luna, Fortunæ pars, & omnes planetæ, ſi eos dirigere placeat. Cardines verò cum ſemper conſiderentur immobiles nullo pacto dirigi poſſunt motu conuerſo, ſed tantum recto, quatenus Promiſſores motu primi mobilis rapti ferantur ad ipſos, vt optimè probat Titus in *Caleſti Philoſophia*.

HORIZON Græcè, Latinè *Finitor* dicitur Circulus magnus in ſphæra diuidens ſuperius hemiſphærium conſpicuum ab inferiori inconſpicuo; qui pro qualitate eleuationis Poli variatur; ita vt infinita propemodum concipi poſſint horizonta, ſicut & infiniti meridiani pro maiori, vel minori eleuatione Poli. Et ſi quidem neuter polorum altero magis attollatur, ſed ambo incidant in horizontalem lineam, dicitur horizon rectus, eò quia æquator rectè aſcendit, & culminat. Si verò alter polorum eleuetur, alter deprimatur, dicitur horizon obliquus, quia obliquè aſcendit æquator: & quò maior erit eleuatio Poli, eò maior erit horizontis obliquitas, & diuerſitas aſcenſionum, ita vt in maiori Poli altitudine, quæ excedere nequit gr. 90. cum ipſe Polus incidat in verticem, atque æquator ſit obliquiſſimus & in ipſum recidat horizontem, inde eſt vt ſit & parallelus, ac proinde ipſe horizon parallelus dicatur. Porrò horizon in cæleſti themate duos angulos conſtituit, Orientalem, vnde emergunt ſidera, & fiunt nobis conſpicua (qui vocatur Cardo Orientis, Aſcendens & Prima domus) & Occidentalem vbi ſidera deprimuntur ad inferius hemiſphærium, qui dicitur Cardo Occidentalis, & Septima domus. Plura ſunt horizontis officia quæ omnia diligenter enumerat Clauius *in ſphæram Io. de Sacroboſco*: potiſſimum autem eſt determinate diem, ac noctem artificialem, atque oſtendere puncta ortus, & occaſus ſiderum, nec non gradum eclipticæ cum quo quælibet ſtella oriatur, & occidat: ſicut etiam quæ ſtellæ ſint perpetuæ apparitionis, quæue continuæ occultationis. Vide etiam quæ diximus in V. *Finitor*. 38.

HOROSCOPVS Græcè dicitur Cardo Orientalis, & ea pars cæli quæ qualibet hora aſcendit ab inferiori hemiſphærio in Orientali finitore: vnde ab Aſtronomis communiter Aſcendens appellatur. Differt ab horizonte, quod hic totum circulum finitorem dicat, & vtrumque cardinem comprehendat, vt modò dictum eſt, Orientalem, atque Occidentalem: horoſcopus verò non modò denotat ſolum cardinem Orientalem, & primam domum, ſed potiſſimùm ſumitur pro gradu eclipticæ in eam lineam incidente. Ea propter ſignificat rerum initia, vitæ & corporis affectiones, temperamentum, &c. Cuius rei rationem ingenioſiſſimam affert Titus *in Caleſti Philoſophia*, 39. 40.

*lib. 1. cap. 17. concluſ. 7.* Quia videlicet Sol vitalis caloris largitor, & Luna humidi radicalis incipiunt influere has qualitates in ipſo horoſcopo, & licet ibi actu ſemper non ſint, nihilominus ſemper habent realem relationem ad hunc locum inceptionis; immò ad omnia puncta mobilia, ſicut eſt præ cæteris etiam culmen: & per hanc relationem efficiunt correſpondentem intenſionem caloris, & humiditatis: vnde ſequitur, vt ſemper horoſcopus ſit initium productionis harum qualitatum, & ſit ſemper alius terminus correlatiuus diſtantiæ luminarium à principio productionis ſuarum qualitatum. Propterea non ab re æſtimatur ab aliquibus nobilior cæli pars, & omnium angulorum potiſſimus, licet Ptolemæus ei culmen præficiat. Gaudet in horoſcopo Mercurius: Conſignificator eſt Saturnus, & ex membris humanis habet caput. Plura vide in V. *Aſcendens.*

41. Horoscopvs *Lunaris* dicitur locus ille in ſitu mundi acceptus, vnde emergit Luna, quo tempore Sol reperitur in apice Orientis; qui etiam à vulgo Aſtrologorum pars Fortunæ nuncupatur, eò quia eſt fortunarum ſignificator: & ſicut Oriens diſponit vitam, quia ab eo incipit Sol influere calorem vitalem de die, vt modò explicatum eſt; ita etiam horoſcopus Lunaris de nocte habet diſponere humidum radicale, quia inde incipit Luna qualitates naturales influere ſecundùm habitudinem, quam habet ad Solem. Quam rationem acutiſſimè etiam affert Titus *vbi ſuprà lib. 1. cap. 7.* ſic inquiens. Quoniam verò

42. de nocte præualet humiditas, hinc eſt, quod de nocte hæc pars Lunaris poſſit eſſe etiam vitæ prorogatrix: ſemper autem moderatur facultates, quia alimoniæ ſubminiſtrat materiam & humiditatem ad alendum calorem vitalem. Et paulò inferiùs ſubdit. Hinc verò patet, quàm grauiter errent, & decipiantur, qui abſque diſcrimine facultates à luminaribus, dignitates à parte Fortunæ, filios à Luna, atque alios effectus præter naturam à diſſimilibus cauſis inquirunt. Et hæc quidem de ſignificatis. Cæterum de vero huius Lunaris horoſcopi loco nouam doctrinam Philoſophiæ, & experientiæ conſonam, eius dirigendi rationem, quomodo in mundo tantum conſtituendus, & quàm deformiter errent qui eum in Zodiaco collocant, luculenter tradidimus in V. *Fortuna pars.*

43. Horoscopivm dicitur inſtrumentum planum, & rotundum, duas habens facies, quarum anterior oſtendit quantitatem diei, ac noctis, vbique locorum, & quouis anni tempore: poſterior verò habet deſcriptos circulos omnes qui ſunt in ſphæra armillari, nec-non & alios interſecantes ſingulas partes Zodiaci, eaſque in horarum circumferentias includentes. Qua

de re; quemadmodum, & de eius vſu, atque vtilitate. Vide Io. Paduanium in peculiari libello de *Horoſcopio*.

44. HVMANA *ſigna* vocantur apud Aſtronomos, non modo ea ſigna Zodiaci, quæ habent ſpeciem quaſi hominis, qualia ſunt Gemini, Virgo, Aquarius, & prima medietas Sagittarij; verum etiam ſidera, & Aſteriſmi extrà Zodiacum, qui in humana figura oculis exhibentur; vt Perſeus, Andromeda, Caſſiopea, Cepheus, Orion &c. Experientia enim compertum eſt eas ſtellas, quæ in figuram humanam conglomeratæ ſunt à ſapientiſſimis illis venerandæ antiquitatis Aſtronomis, neſcio quam cum hominibus affinitatem ſympathiam, & connexionem habere, quemadmodum ferina ſigna cum feris, quadrupedia cum quadrupedibus, venenata cum venenatis &c. vt nos etiam alibi obſeruauimus. Hinc vulgatum illud Axioma, *Congreſſum infortunarum in ſigno humano præſertim in octaua domo, mortalitatem, & peſtilentiam inducere in hominibus.* Quod vtinam proximis hiſce temporibus noſtro malo experti non fuiſſemus, peſtilentia vniverſam penè Italiam depopulante; præcipuè verò ampliſſimas vrbes, Romam, Neapolim, Genuam: quam proximè præceſſit, ac præſignavit coniunctio Saturni, & Martis in ſigno Virginis, completa die 13. Septembris anni 1654. poſt horrendam Solis eclipſim celebratam in Leone precedenti menſe Auguſto, & replicata etiam die 4. Octobris 1656. per retrogradationem Saturni in dicto ſigno: quod certè magnum quid portendebat. Sic mundi reuolutiones, directiones, tranſitus, & alia quæ accidunt in ſignis humanæ figuræ ſemper aliquid obnunciant in hominibus, aut ab hominibus eventurum, bonum, aut malum pro qualitate reuolutionum, aut directionum. Concludo igitur cum iis quæ habet Ptolemæus in centil. propoſ. 45. *Quiſquis genitura ſuæ dominatores, aut aſcendens in ſignis humanis non habet ab humanitate alienus etiam ſibi ipſi erit.*

45. HVZIMETHON Schicchardo dicitur coma Berenices, quaſi ſpicarum manipulus, ſeu faſcis.

46. HYADES Græcè, Latinè Suculæ ſtellæ fixæ ſeptem in capite Tauri exiſtentes, quarum præcipua eſt *Palilitium*, ſeu oculus Auſtralis eiuſdem Tauri, Arabicè *Aldebaran.* Stellæ ſunt famoſæ nimis & memorabiles à pluuijs, quas quoties oriuntur, & occidunt, vſque ad faſtidium procreant. Vnde Ouid. *6. Faſtor.* canit:

*Poſtera lux Hyadas taurina cornua frontis*
*Euocat, & multâ terra madeſcit aquâ.*

Incipiunt autem oriri Romæ circà feſtum ſancti Eleutherij Papæ, die 26. Maij cum grad. 6. Geminorum. De ijs in horoſ-

copo repertis ſic cecinit Pontanus in Vrania.

*Mox Hyadum chorus, eois emergit ab vndis,*
*Fratris Hya quas perpetuus dolor indidit Aſtris,*
*Non animi faciles ſomnos, non membra ſoporem*
*Abcipiunt; & cura nouo parat vſque labores.*
*Quis chorus hic ipſo naſcentibus aſtitit ortu:*
*Hos tumidos populi fauor, & plaudentia noſtra;*
*Sollicitant ferere arma inter plebemque patreſque,*
*Eſt amor: & poſitos rurſum inſtaurare tumultus,*
*Ciuileſque manus armare, & ſtringere ferrum:*
*Tantum ſeditio placet, atque hac paſcit amentes.*

In occaſu verò ait quod portendant exitum violentum, membrorum auulſionem, & his ſimilia, maximè ſi maleuolæ aſtipulauerint. Earundem ſignificata quoad aeris mutationes apud omnes habes, ſed præcipue apud Plinium.

47. Hydra ſidus in cælo ad auſtralem Plagam conſtans ſtellis 25. Ptolemæo, at Baiero 29. computatis etiam ſeptem circà, ſporadibus. Quæ omnes ferè ſunt de natura Veneris,& Saturni, propterea venenoſæ, humorum corruptrices, peſſimæ: vnde ſi cum Anæreta fuerint (maximè quæ primæ magnitudinis eſt Tychoni, Ptolemæo verò ſecundæ, dicta cor Hydræ, Arab. *Alpharad*) veneni potionem portendunt. Amplectitur totum ſidus in longitudine bonam partem Leonis, Virginis, & Libræ. Vocatur etiam ab aliquibus *Execra* ab Hydra lernæa, quod exſecto illi vno capite, tria de nouo exſurgerent. Item & *Hydrus* &c, reuera tamen.

48. Hydrus eſt nouum Aſtrum in cælo detectum in Plaga auſtrali propè polum antarcticum, nobis inuiſum, atque à recenſioribus aſtronomis inter 12. imagines, quas alijs prioribus à Ptolemæo admiſſis adiecerunt, connumeratum. Habet ſtellas omninò 15. apud Baierum, & in Keplero enumerantur 20. præter nubeculam illi vicinam, quarum præcipua eſt, quæ in oculo propè extremam fluuij, tertiæ magnitudinis, quæ eſt vicinior omnibus, polò mundi, & nunc temporis non diſtat niſi duobus ferè gradibus. In longitudine amplectitur tria ſigna Capricor. Aquar. & Piſc.

49. Hydrographia eſt facultas quæ in aquarum mariſque deſcriptione ac dimenſione verſatur, tradens quonam pacto remeari poſſit, ſinuum naturam, quibuſnam ventis pecularia loca ſubiaceant, quantum per rectam lineam vnus diſtet ab alio &c. Quæ omnia fuſè explicat Ianſſonius in ea Atlantis parte quam orbem maritimum inſcripſit.

50. Hyems dicebatur olim ea anni medietas in qua Sol in Zodiaco diſcurrens reperitur in ſignis meridionalibus, incipiendo ab

Æquinoctio autumnali vſque ad Vernum, & contactum Solis ad primum punctum Arietis. Nunc verò facta anni diuiſione in quatore tempora, dicitur ea pars, quæ mediat inter Autumnum, & Ver, omnium frigidiſſima; atque amplectitur tempus quo Sol tria ſigna perluſtrat Capricornum, Aquarium, & Piſces. Accipitur etiam hyems pro maxima elongatione Solis à vertice, vnde dicitur ſub polis perpetuò hyemare: & ſub æquatore duas eſſe hyemes, eoquia bis Sol elongatur à vertice in ſua maxima declinatione, quando reperitur in Tropicis. Hoc tempore notat Plinius *lib. 2. cap. 50.* rara eſſe fulmina, niſi in vrbe, & in toto tractu campaniæ; atque ſcithiam aliaſque finitimas regiones ob ſummum frigus immunem eſſe à fulmine: *Quoniam*, inquit, *hyeme denſatus aer nubium craſsiore corio ſpiſſatur: omniſque exhalatio rigens, ac gelida quicquid accipit ignei vaporis extinguit.* Hæc Plinius explicans ſubinde cæteras hyemis qualitates, à quibus nos recenſendis breuitatis ſtudio abſtinemus.

Hyleg, ſeù *Hylech* Arab. Latinè dimiſſor: eſtque apud Aſtrologos Planeta, vel locus in cælo, qui in hominum natiuitate vitæ moderationem ſortitur. Græcis *Apheta* dicitur: Apud nos communiter Vitæ dator. Vide ibi. Hinc 51.

Hylegialia *loca* dicuntur ea, in quibus repertus Planeta, vel pars fortunæ ſortiri poteſt vitæ moderationem; ſuntque horoſcopus à quinque gradibus ſuprà cuſpidem vſque ad 25. infrà: (licet in ſpatio crepuſculorum in quibus nouiſſimè docet Titus dirigendum eſſe Solem cum ſit vitæ moderator, poſſit etiam vltrà 25. gradus protendi, vt nos docuimus in V. Crepuſculum.) Medium cæli quod de quadrato reſpicit horoſcopum; Cardo Occidentis, qui de oppoſito: nona, quæ de trino: & vndecima, quæ de ſextili. Solum tamen aduertit Titus *in primo mobili canone 29.* in vndecima non euadere prorogatorem planetam in omni ejus ſpatio conſiſtentem, ſed tantum in prima medietate (ſecundam ipſe vocat procedendo ordine inuerſo ad rationem motus primi mobibilis) eoquia citra illam medietatem verſus duodecimam incurrit in ſemiquadratum ad horoſcopum; vnde ratione iſtius radij imperfecti & contrarij ad rationem ſextilis non poteſt ſortiri vitæ prorogationem. 52.

Hypavgvs, teſte Valla dicitur Planeta compræhenſus ſub Solis radijs hinc inde ad diſtantiam graduum 17. quæ quidem eſt maxima planetæ debilitas: nam omnis eius virtus à potentia Solis abſorbetur; & quò maior fuerit cum Sole vicinitas, eò maior erit debilitas, & eneruatio. Vide quæ diximus in V. *Combuſtus*, & in V. *Cazimi*. 53.

Hypogævm Græcè propriè dicitur aliquid ſubterraneum: 54.

Hinc apud Aſtronomos vſurpatur ad ſignificandas domos cæli ſubterraneas, ac præcipuè *Imum Cæli.*

55. Hypothenvsa apud Geometras dicitur linea recta ſubtenſa duabus lineis pariter rectis angulum rectum efformantibus, quarum tamen vna ſit maior altera: tunc quidem hypothenuſa & hanc & illam in longitudine excedat neceſſe eſt. Vide Clauium in Euclidem, vbi etiam oculis exhibet ipſam figuram inſpiciendam.

56. Hyppevs apud Plin. *lib. 2. cap 25.* dicitur Cometæ ſpecies, qui radios hinc inde equinas iubas referentes, atque in orbem ſeſe rotantes motu celerrimo, vnde & ab illis nomen ſortitus eſt: Hyppon quippè Græcè Latinè equus interpretatur.

I A

1. Iacha Arab. dicitur ſtella fixa nebuloſa informis circà Scorpionem ſequens aculeum, de natura Martis, & Lunæ conſiſtens in longitudine in gr. 23. Sagittarij, cum latitudine auſtrali ferè gr. 13. Ea in horoſcopo, aut cum luminari præſertim conditionario reperta portendit affectiones oculorum, & ſi luminare ipſum ſit Luna id longè pejus; quandoquidem ibi & circà eſt via combuſta de qua ſuprà diximus, vbi Luna maximè infortunatur.

2. Iacvlvm, Sagitta, telum, demon Meridianus, &c. dicitur ſidus in Aquila ex tranſuerſo exiſtens, de quo alibi dictum.

3. Iacvlvm etiam dicitur ſtella fixa in apice ſagittæ ſagittarij exiſtens, de natura Martis & Lunæ, itidem oculis infenſa, de qua alibi.

4. Iacvlvm item dicitur genus quoddam crinitarum qui, & *Acontiæ* vibrantur enim, inquit Plin. longa radiorum ſerie inſtar iaculi.

5. Iancos Græcè apud Ptolem. in verſione Arab. *lib. 3. cap. 7.* vbi agit de Gemellis ſignificat genituram trium fœminarum, in quam conueniant Venus, Mercurius, & Luna. Arabice *Alkatis.*

6. Iapix ventus prouincialis Calabriæ, de quo Seneca in quæſt. nautral. *lib. 5. cap. 7.* Gellius hunc Caurum eſſe exiſtimat.

7. Icnograpaia apud Geometras eſt deſcriptio areæ alicuius corporis, aut ædificij ex Geometricis præceptis facta, ad cuius normam poſtea Architectura ſuam molitionem aggreditur. Hanc nos vulgò planam domus vocamus. Vide Vitruu. lib. 1. cap. 2.

8. Icosaedrvm ex Euclide *lib. 11.* eſt figura ſolida ſub viginti triangulis æqualibus, & æquilateris compræhenſa. Quæ quidem eſt vnum ex quinque generibus corporum regularium, quæ ſic dicuntur, eoquod omnia plana quibus continentur æqualia ſunt,

æquilatera, & æquiangula. Dicuntur etiam ab aliquibus corpora Platonica, quia Plato in Tymæo quinque mundi corpora, quæ ſimplicia à Philoſophis nuncupantur, nempe Ætherem; & quatuor elementa Ignem, Aërem, Aquam, ac Terram his quinque corporibus aſſimilat. Sunt autem Cubus, Tetraedrum, Octaedrum, Dodecaedrum, & Icoſaedrum. Quorum omnium explanationem, atque figuras, vide apud Clauium *in Commentar. ab lib, 13. Elem. Euclidis.* Necnon apud Alſtedium figuras perbellè delineatas in ſua Geometria.

Ictisal, ſeu *Aliſtiſal* Arab idem ſonat ac Latinè applica- 9.
tio ad coniunctionem, eſtque cum planeta leuior exiſtens intrà
orbem ſphæræ lucis alterius ponderoſi vadit ad eum, donec
iungatur illi corpore, & in puncto, frequens eius vſus eſt in
centiloquio.

## IG

Ignis vnum ex quatuor elementis omnium pulcherrimum 10.
ac leuiſſimum, caſtitatis, & puritatis apud antiquos ſymbolum
à non gignendo dictus, quippe qui omnia ſibi obuiantia ſua
vredine, atque actiuitate abſumit, nec quicquam ex eo gignitur. Quamuis id Plinius non ità facilè affirmaret, qui *lib. 3. cap. 107.* inter omnia elementa vnius ignis fœcundam aſtruit rationem. *Cum ſe ipſe pariat*, inquit, *& minimis creſcat ſcintillis*: & aliàs vitam ipſe foueat in animantibus; vnde eum *Elementum vitæ* nominat Lactantius Firmianus. Et ſanè ſi eius qualitates attendamus, ipſum maximè actiuum aſſerere; proindeque cæteris omnibus anteire in virtute fœcunda neceſſe erit. Quandoquidem qualitates actiuæ, vt ait Philoſophus ſunt calor & frigiditas, ſicut paſſiuæ ſunt ſiccitas, & humiditas; magis autem actiuus eſt calor: Ignis autem abundat caliditate, & ſiccitate, ſed vincit in eo caliditas; ſicque conuenienter aſtruitur omnibus elementis actiuior, & fœcundior. Hinc
Albertus magnus, *Ignis*, inquit, *eſt magis forma, quam cætera* *
*elementa.* Eius locum ſuprà aerem infrà Lunæ orbem conſti-
tuere antiqui Philoſophi: At verò recenſiores ignis ſphæram 11.
de medio tollunt vel eò maximè quod totum orbem debuiſſet
incendere. Sed enim leue, ac puerile eſt argumentum, quippe vt ait Ariſt. *lib. 3. de Cœlo, & Mundo.* Vredo non ei per eſſentiam ineſt, ſed ſecundum accidens, eoquia extrà ſuam ſphæram contrarijs oppugnatur: vnde indiget pabulo quo ſuſtentetur; *contrarium enim*, (vt habet idem Philoſophus, *2. de Anima textu 43.*) contrario alitur.. Atqui ignis in ſua ſphæra contrarium vllum non habet, à quo oppugnetur, ſed eſt omninò quietus tanquam rex in ſuo regno, adeo vt ne ſtupam quidem ſi illi approximaretur ibi conſummeret. Aliam ratio-

nem ſphæræ ignis euertendæ affert Argolus in *Pandoſ. ſpharic. cap. 18.* ex refractionum doctrina. Quia, inquit, ſi per tria diaphana radij ſtellarum ad nos peruenirent, maior redderetur refractio; ſicque loca ſtellarum non apparerent vbi realiter ſunt. Sed & hæc friuola ratio eſt; immò potiùs inde ego magis concluderem ſphæram ignis. Quandoquidem refractio non accidit, niſi vbi duo diaphana denſa in vnum coeunt, per quæ tranſeunt obiecti viſibilis ſpecies, vnde in regione æthereа, ſiue cælorum ſubſtantia non accidere refractiones dicemus; cum de ijs ſermo recurret; eoquia ſubſtantia illa eſt tenuiſſima, & ſubtiliſſima. Dum igitur refractiones accidunt, ſignum eſt conuenire aerem ſimul, & ignem ad eas faciendas. Quod autem non tantæ accidant, quantas quiſque crederet, id euenit quia ſphæra ignis longe eſt aere purior, ac defæcatior ( non enim concipienda eſt flammea, aut denſior, vt eſt noſter ignis alteri materiæ applicitus, ſed longè tenuiſſima ) habens ſubſtantiam omninò diaphanam vnde eſt quod neque lucem is habeat, neque cæleſtia lumina occultare poſſit, quin probe à nobis couſpiciantur: quapropter eæ tantum refractiones accidunt, quas interiecti halitus, vna cum aere conſtituunt, & ideò omninò dicendum eſt, verè extare locum ignis ſub concauo Lunæ, longè autem noſtro defæcatioris, & purioris, cuius figura circularis eſt, vt eſt ratio omnium ſphærarum, præſertim Lunæ, & aeris illi conterminarum: aliàs inter ipſum,
12. & aerem daretur vacuum. Zabarella autem, Scaliger, & multi alij Peripathetici tenent eius figuram non eſſe ſphæricam ſed oualem, eoquia ſub polis, vbi rardior eſt motus non poteſt ita facile materia rareſieri, atque adeò ignis generari: ideoque & ibi ignem non dari aſſeuerant. Quæ tamen nec quicquam ſolidi euincunt, cum ibi materia ignis concipienda ſit noſtræ prorſus abſimilis, & eiuſdem conditionis ac totum cæli, ſeù potius Ætheris expanſum, quod amplectitur omnem æthercam, atque aëream regionem: quapropter quæ de ipſis dicuntur, debent & de ignis ſphæra concludi: ſicque & ipſum motu vniuerſiatis cieri ab Oriente in Occidentem raptum à primo mobili, quemadmodum, & Aer, & Aqua, vt ſuo loco diximus eundem motum ſequuntur.
13. Sed & non deſunt qui ſphæram ignis in inferno, hoc eſt in mundi meditullio collocant; eoquia in homine, inquiunt, qui ad Macrocoſmi typum formatus eſt in corde, hoc eſt in Microcoſmi centro calor naturalis reſidet igni reſpondens. Sed de hac re fuſiùs in V. *Infernus*.
14. IGNI aliqualem vitam tribuit Franciſcus Reſta *de Meteoris, lib. 1. tr. 5.* ſeù quaſdam vitæ operationes infrà plantas eoquod

ratio vitæ ex motu dignoſcitur. Sed de hac re etiam agemus cum de Vita Mundi.

IGNIS *fatuus* dicitur ſpecies quædam accenſionum, atque oſtentorum, quæ generantur in infima aëris regione ex materia pingui, ac viſcoſa accenſa, vel per antiperiſtaſim frigoris nocturni ambientis, vel per agitationem aëris attenuantis materiam ipſam, quæ ad motum aëris inflammatur. Et quia ſaltus quoſdam irregulares edit ad inſtar hominis fatui, idcircò ignis fatuus dictus eſt. Apparet frequenter in cæmeterijs, in patibulis, & locis huiuſmodi, vbi mortuorum corpora congeſta ſunt, aut tumulantur. Formatur enim ex copia halituum ex ipſis mortuorum corporibus erumpentium, & hac illac irregulariter diſcurrit, ſed plerumque cum apparet, ſolet inſequi fugientes, & aufugere à ſequentibus non ſine terrore, & conſternatione animi eorum, qui illius naturam probè non calleut. Aliquibus orta ſuſpicio, quod mortuorum animæ ſint, aut dæmones ea loca cuſtodientes. Verum id naturaliter accidere compertum eſt: dum enim fugimus aër poſt tergum noſtrum, ad replendum vacuum ſequitur, ſecum ducens ſuſpenſam flammam: at verò dum fugientem inſequimur fugit, quia fluctuatio aëris, quam motu violento facimus aërem ipſum qui eſt ante nos propellit, atque adeò flammam ibi conſiſtentem. 15.

IGNIS *lambens*, eſt flammula ex crinibus animalium exiliens, aut hominum capitibus adhærens, producta ex tenui exhalatione, quæ tranſpirat ex eorum corporibus ex affricatione, aut ex motu violento accenſa, & lambens non ita dicam corpora, & membra vnde exurgit, & mox euaneſcit. Is frequens eſt in felibus, & ſimilibus animantibus: ſi enim noctu, atque in tenebris crebriùs confricetur eorum dorſum, confeſtim exſurgit hæc flammula, vt mihi ſæpiſſimè contigit. Scripſit de hac re Petrus de Caſtro mihi cum primis familiaritate coniunctus in libro quem indigitauit *Ignis lambens* ex occaſione cuiuſdam Matronæ Veronenſis, cui familiaris erat hæc flammula. 16.

Ad hæc reduci poſſunt quæ ab Ethnicis & Helene, & Caſtor & Pollux dictæ fuere: craſſæ videlicet exhalationes, quæ ingruentis in mari tempeſtatis tempore in aëre accenduntur, & nauigantibus apparere ſolent, & ſi ea quidem vna ſit, & hac illac diſcurrat ominoſa eſt, & tempeſtatem indicat: ſi verò duplex & nauium malis inſidet, ſalutaris ac ſerenitatis index, vt habet Plin. lib. 2. cap. 37. *Geminæ*, inquit, *ſalutares ac proſperi curſus prænuncia, quarum aduentu fugari diram illam, ac minacem appellatamque Helenam ferunt.* Sed & contra hanc ſordidum, neſcio an ridiculum magis remedium affert Solinus in ſuo Polyhiſtore, hoc eſt ſanguinem menſtruum: ait enim de eo. *Habet* 17.

*planè id ſolum ſalutare quod auerti: ſidus Helenæ perniciosiſſimum nauigantibus*. De ijs multa habent idem Plin. loco cit. Plurarchus de placitis Philoſophorum cap. 17. Cardanus de ſubtilit. & alij paſſim. Quas quidem Cardanus exiſtimat eſſe vapores anchoris inſidentes, & alij ſuperſtitioſa multa connectunt. Reuera tamen naturales ſunt ignes & naturaliter ſerenitatem, aut tempeſtatem denunciant, nam cum aëra diſcurrunt ventorum impetus inuicem pugnantium denotant, vnde tempeſtas oritur, cum quieſcunt & malis, aut antennis adhætent ſignum eſt quod ceſſarunt venti, & iam reſolui accenſæ illę exhalationes petant. Vide qui habet Reſta de Meteoris lib....

18. IGNEA *ſigna* appellantur ſigna illa Zodiaci, quæ vincunt reliqua in qualitatibus igneis, nempe calore, & ſiccitate; eaque ſunt Leo, Aries, & Sagittarius: tria videlicet ſigna maſculina, quæ ſunt domicilia Solis, Martis, & Iouis, & conſtituunt triplicitatem igneam, cuius dominatores ſunt Sol, & Iupiter: & Sol quidem de die Iupiter verò de nocte. Mars autem ideo ab eius dominio excluſus eſt, quia, vt inquit Ptolemæus *lib. 1. cap. 16.* Solis conditioni aduerſatur. Sed ego id dixerim, & quia planeta nocturnus, & quia quamuis alioqui maſculus interdum etiam femineſcit; præpollet enim in eo magis ſiccitas quam caliditas, vt præ cæteris aduertit erudiſſimus Titus in ſua cœleſti Philoſophia *hic triangulus*, (inquit Ptolemæus) *potiſsimum ſeptentrionalis eſt, quia Iupiter ibi partem dominij tenet, qui fœcundus eſt, & flatuoſus conueniens ventis qui cientur in ſeptentrione.* Quæ autem regiones ſubſint huic triangulo vide in eodem Ptolem. *lib. 2. cap. 2.*

I M

19. IMAGINES *cæleſtes* dicuntur ſingulæ conſtellationes, & Aſteriſmi in octaua ſphæra plures ſtellas fixas intrà ſe in vnum colligatas continentes. Cum enim vetuſtiſſimi illi rerum cæleſtium obſeruatores tot ſtellarum multitudinem, varietatem, diuerſitatem viderent in firmamento conſiſtere, ſine ordine, ſine connexione, ſine aliqua vnitate; ne cuiuſquam conſideratio aliquem præteriret, atque vt certo ordine, & numero deſignari poſſent, prudentiſſimè ſtatuerunt eas in certas quaſdam imagines complicare, quæ ſingularum naturam exprimerent, ac determinatum numerum præſeferrent. Hanc enim extitiſſe cauſam imagines iſtas in cœleſtibus appingendi, teſtatur Theon in expoſitione ad Arati Phænom. Quod quidem multis ſæculis ante Chriſtum factum fuiſſe conſtat ex libro Iobi, in quo & Arcturus & Oriona, & Pleiades, & Hyades memorantur. Porrò etſi ex fabulis potiſſimum excerptæ ſint imagines, quas cælo affixerunt Aſtronomi, non tamen fabuloſa eſt, & inanis affi-

xio, aut iſtarum potiùs, quam aliarum rerum electio: ſed id magno conſilio factum eſt; perpenſis benè eorum qualitatibus, natura, influentijs fauſtis, & infauſtis combinationibus cum erraticis atque effectibus inde manantibus, quæ omnia longo vſu, longo tempore, longa experientiâ obſeruantes eorum noticiam perfectiſſimè compararunt: quam & in poſteros rerum cæleſtium amatores, per certas imagines, & hieroglyphica (vt antiquus Ægyptiorum mos eſt) deriuare, quibus ſapientibus aperta foret, inſipientibus tecta conſtituerunt. Ideò tanta ſiderum diuerſitas; ideò tot diſparatæ, & nullam connexionem ad inuicem habentes gūræ: ideò ſæpè in vna, eademque imagine, & aliæ plures omninò diſcrepantes affixæ, vt in Auriga, Hædi & Capra; & hæc quidem in humero, illi autem in vola manus: in Vultute cadente Lyra, in Aquila ſagitta: in Tauro ſuculæ, & Vegiliæ, in Cancto Præſepe, & Aſelli: in Virgine ſpica: in Vrſa Plauſtrum, & equi, &c. quia videlicet vna figura non ſat erat ad explicandam completè imaginis illius cæleſtis naturam, ac proprietates, quas omnes ex natura rerum quas imagines ipſæ referrent perſpectas eſſe voluerunt ſapientiſſimi illi Aſtroſophi. Hinc facta diſtributio omnium ſiderum in 48. imagines, duodecim in Zodiaco per quem planetæ feruntur, reliquarum extrà Zodiacum in reliquo ambitu firmamenti, cuius diſtributionis primus Author extitiſſe Anaximander mileſius fertur Olympiade 58. poſtmodum ſignis nomina affixiſſe Cleoſtratum teſtatur Plin. *lib. 2. cap. 8.* inde alijs alios nomina indidiſſe. Quibus recenſiores duodecim alias adiunxerunt circà Polum Antarcticum ab Hiſpanis naucleris, (qui ad Occidentales indos ſoluerunt, proinde omnes auſtrales oras luſtrarunt,) nouiſſimè obſeruatas, quas & nos ſuo loco cenſebimus. Itaut iam nunc omnes imagines cæleſtes ſint numero 60. omiſſis, vt Ptolemæo placuit Equiculo, quem reijcit in Pegaſum; antinoum quem ponit inter informes Aquilæ & Coma berenicis quam conſiderat ſub nomine Triches inter informes circa caudam Leonis, & hunc numerum admiſerunt Keplerus Bulliardus, & alij ac ſequuti ſunt cæleſtium Globorum ſtructores Hondius, Ianſſonius, & Bleau.

Sed redeamus ad ſtellarum per imagines ratam, prudentemque diſtributionem. Arietis ſpecies (vt à capite exordiar) iure affixa eſt primo ſigno, quia hoc cum Ariete neſcio quam habet affinitatem. Eclipſes namque Luminarium in Ariete contingentes manifeſtum effectum in arietibus, alijſque pecudibus oſtendunt. Aries totum robur habet in capite: & hoc ſignum capiti præeſt. Tandem qui ſub eo naſcuntur corporis figura, atque animi affectionibus Arieti aſſimilantur. Sequitur Tauri 11.

ſignum quod ideò tali figura expreſſum eſt, quia Tauri robur in collo: & collo etiam hoc ſignum dominatur. Tum demum homines ſub illo nati Tauri phyſiognomiam præſeferunt: ſunt etenim magnis oculis, rotunda facie, groſſo collo, ſed breui, mente ſtolidi &c. ſicque de ſingulis diſcurrendum. Quapropter benè dixit Ticho, *to 2. Progymnaſm. pag 778.* Cœleſtes imagines occultam quandam philoſophiam continere, & longè ante ipſum Ptolemæus, ſeù quicumque tandem ſit Centiloquij author *propoſ.* 9. vultus terreſtres ſubiectos eſſe vultibus cæleſtibus. Sic terreſtres canes cæleſtibus adeò ſubiecti ſunt, vt illis cum Sole exorientibus, iſti agantur in rabiem. Sole Leonis ſignum permeante Leones ardenti febre laborant. Scorpij ſidus habet quandam naturam veneficam præcipue cor & aculeus, ſimilem Scorpioni terreſtri; & quod mirum eſt, Luna ſignum illud tenente, iſte infenſiſſimus eſt, & mortiferus. Hinc tanta ſignorum diſtinctio in humana, quæ cum hominibus affinitatem habent, qualia ſunt Gemini, Virgo, Aquarius, & prima medietas Sagittarij. Ferina, vt Leo, & vltima pars eiuſdem Sagittarij. Mutilata, vt Taurus, Caput Meduſæ, equi ſectio. Vincta, vt Cepheus, & Andromeda. Venenoſa, vt Scorpio, Hydra, Serpens. Aquatica, vt Piſces Delphinus, Eridanus, Regalia, vt Corona tam Borealis, quam Auſtralis. Prolifica, vt Cancer, Capricornus, & Piſces. Sterilia, vt Gemini, Leo, & Virgo. Ruminantia, vt Aries, Taurus, Capricornus, &c. Quæ omnia, vt dixi longo vſu, & experientia comparata ſunt, & magna conſilio excogitata, vt vel ex fabulis, vel ex affixarum rerum qualitate ſtellarum omnium nobis natura innoteſceret, atque ab expanſarum cælo imaginum vultibus, velut mutis characteriſmis naturam ſiderum edoceremur.

21. Quapropter pietatem magis, quam ſapientiam, aut conſilium laudare debemus Iulij cuiuſdam Schilleri Auguſtani qui antiquas, atque ex fabulis depromptas imagines auerſatus, cælum chriſtianum fecit, ac ſidera ex Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum nominibus, aut Martyriorum inſtrumentis compellauit, prout videre eſt in Encyclopedia Io: Henrici Alſtedij, atque in Almageſto Riccioli ad calcem ſecundi tomi, proindeque ab ijs hic recenſendis abſtineo.

22. Præterea ſunt, qui in ipſa nona ſphæra, ſeù in primo mobili imagines appingant; quinimò & ſingulis ſignorum gradibus quædam, vt ita dicam, hieroglyphica cum ſuis ſignificatis reſpondentibus tribuunt: quę omnia videre eſt in ſphæra Barbarica, quæ eſt ad calcem commentariorum Ioſephi Scaligeri ad Manilium. Certè Petrus Aponenſis, qui & conciliator dictus

eſt, ſignorum, nec non ſingulorum graduum in quas illa diſtribuuntur proprietates in 360. imagines concluſit, quas in magna, ac celebri Aulæ patauinæ fornice depingi curauit, vbi etiam num extant, & ego hiſce oculis vidi: & forſan eadem ſunt, quæ in ſphæra Barbatica, licet ob temporis iniuriam, probè diſcerni non poſſit. Lucius Bellancius eas memorat *quæſt.* 5. *art.* 5. ac probat his verbis. *Sunt igitur in nona ſphæra primò imagines totius ſigni, deinde facierum, poſtea graduum, quas ſcimus: alias quoque reperiri ex natura partium cæli non eſt negandum, ſed iam dictum eſt nullam completam ſcientiam ab hominibus haberi.* Et hæc de imaginibus cæleſtibus. De quibus iterum redibit ſermo cum de primo mobili, vbi examinabimus, an verè in eo imagines vllæ ſint, aut concipi debeant.

IMAGINES *Aſtronomicæ* communiter appellantur figuræ quædam & ſigilli in certa materia puta auro, argento, cupro, aut in lapide pretioſo exſculptę & fabricatæ ſub certo ſiderum ſitu, vnde poſteà ob impreſſam à cælis virturem retineant aut retinere credantur occultam quandam, & inſitam qualitatem ad memoriam roborandam, ingenium exacuendam, ſanitatem cuſtodiendam, morbumque aliquem pellendum; qualis eſt imago Leonis in auro impreſſa, vel ſculpta, de qua teſtatur Marcilius Ficinus *lib.* 3. *de vita Cælitùs comparanda*, quod ſit aptiſſima ad morbos cardiacos nec-non ad dolores renum ſedandos, quod etiam refert Stœphlerus *in Proclum*. Dicuntur autem Aſtronomicæ, quia per Aſtronomiæ præcepta fabricantur, atque habent formam ſigni cæleſtis, vt Leonis, Scorpij, Arietis, &c. quorum naturam ac virtutes induiſſe creduntur cum primum fabricatæ ſunt. Ptolemæus earum meminit in centiloquio, dicens ſapientes ſolitos fuiſſe certas tunc imagines fabricare, quando planetæ, ſimiles in cælo facies, quaſi inferiorum exemplaria ingrediebantur. Quod etiam comprobat Hali Rodoan, in commentarijs dicens, vtilem ſerpentis imaginem confici poſſe, quado Luna cæleſtem ſerpentem ſubit, aut feliciter aſpicit Similiter Scorpionis effigiem efficacem eſſe, quando Scorpij ſignum Luna, ingreditur, ac ſignum hoc tenet vnum ex quatuor angulis. Quod in Ægypto ſuis temporibus factum teſtatur, ſeque interfuiſſe, vbi ex ſigillo Scorpionis in lapide Bezaar ita facto, imprimebatur figura in thure, quod poſteà dabatur in potum ei quem Scorpus pupugerat, & ſubito curabatur. Plura de hac re habet Ficinus ſupra citatus à cap. 12. vſque ad 20. incluſiuè. Theologi omnes communiter eas improbant, vti ſuperſtitioſas, excepto vno Caietano, qui tum in Commentar. ad ſecundam ſecundæ D. Thomæ quæſt. 96. art. 2. tum in Summa mordicùs eas defendit, aut licitas & natura- 23.

les aſſerit quandocumque non admittat certas literas, characteres, numeros, aut puncta, quæ planè ſigna ſunt ad tacitam & implicitam dæmonis inuocationem, vt bene habet D. Thomas. Cæterum imagines purè artificiales, quæ conformentur cum cæleſtibus ſignis, vt Leonis, Virginis, &c. & fabricatas in certa conſtellatione, immunes facit ab omni prorſùs ſuperſtitione. Atque in confirmationem ſui dicti affert ipſum Angelicum Doctorum *3. contra Gentes cap. 105.* vbi videtur abbrobare huiuſmodi imagines, quando ſine characteribus, & notis incognitis fiant. Quod putat Caietanus ſanctum Doctorum non retractaſſe in dicto articulo ſecundo, ſermonem de dictis imaginibus inducendo, quas dicit continere pactum tacitum cum dæmone, eoquia *neceſſe eſt*, ait, *eis inſcribi quoſdam characteres, qui naturaliter ad nil operantur.* Ergò, infert Caietanus, quæ hos characteres non habent, ſed puras imaginos cæleſtes præſeferunt, eas non excludit Angelicus Doctor, aliàs debuiſſet aliam rationem adducere, & alterius loci vbi de ijs ſermonem habuit meminiſſe, & retractaſſe. Sed & Buſtamantius apud Vecchium in obſeruationibus medicis in Sacram ſcripturam *obſeruat. 140.* exiſtimat, ſerpentem illum æneum à Moiſe fabricatum in deſerto, naturali vi potuiſſe hominibus ab ignitis ſerpentibus ictis hac ratione opitulari. Potuit enim, inquit, tali cæli climate, & configuratione conſtitui, vt non ſecus ac nonnullæ aliæ figuræ ad aliorum animalium morſum, leonum, tigridum, &c. ſic ad morſum ſerpentum, ſerpens ille æneus remedio fuerit, Deo eius fabricandi rationem Moiſi reuelante. Hæc ille. Ego verò in hoc negotio quod ad ſerpentem æneum attinet, Buſtamantio aſſentiri nullatenùs poſſum; quandoquidem ſerpens ille miraculoſus omninò extitit; & quemadmodum miraculoſi fuerunt ſerpentes immiſſi, ſic & opis, cælitus datæ; quæ non in analogia ſerpentis ænei ad Cœleſtem, ſed in myſtica ſignificatione Chriſti Redemptoris in Cruce exaltati, qui antiqui ſerpentis fraudibus mederetur, ſita erat, ſicut ipſemet dixerat in Euangelio, & ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum. Quare merito Buſtamantij opinatio ab omnibus reijcitur, & improbatur. Cæterum non negauerim, & id naturaliter fieri potuiſſe, Deo ſic diſponente fieri; ſed rem ipſe altiùs ordinabat: & ſicut ſerpenti illi æneo naturalis vis in ſerpentes à cæleſtibus poterat indidi, ſic & eadem ratione potuiſſe fabricandarum iſtarum imaginum rationem in certo ſiderum poſitu, aut ex reuelatione, aut longo vſu hominibus innouiſſe, vt naturalis omninò ſit, quamuis occulta mira earum virtus, atque efficientia: Neque enim tam ſubitò damnanda ſunt, tanquam

24.

ſuperſtitioſa, quorum naturalem operandi methodum non agnoſcimus, quia hoc & naturæ iniurioſum eſt, quæ multa bona nobis ex abdito dare voluit, & nobis ipſis inuidioſum, qui vana formidiue quæ obſcura ſunt, quæ dubia, tanquam ſuperſtitionem olentia auerſamur: quaſi modò diabolus non magis inuidus ſit noſtri boni, & naturæ dona potiùs occultare, infirmare, ſuis tricis replere ſtudeat, vt vel corrumpat, vel nobis ſuſpecta reddat; quam vltrò exhibeat, aut ſua beneficia in vniuerſum ſub ſpecie quod è natura prodeant, ignorantibus, proindeque inſontibus præſtet. Semper ergò cum dubium eſt de aliquo affectu, cuius cauſam ignoramus, num naturalis ſit, an verò ſuperſtitioſus, cenſendus eſt naturalis, vt concinunt omnes Theologi. Sanè olim ego huiuſmodi imagines deridebam non modo vti ſuperſtitioſas, ſed etiam vt euanidas, & inutiles, putabam enim, nullam imprimi poſſe virtutem rebus artificialibus à cælorum influxibus, ſed tantum rebus viuentibus, & naturalibus. At enim experientia duce edoctus ſum etiam rebus artificialibus imprimi occultam quandam virtutem à corporibus cæleſtibus, quam quandiù durant, retineant. Legeram in Centiloquio Verbo 22. Veſtes nec incidendas, nec 25. primò induendas, vbi Luna fuerit in Leone collocata. Rationem mecum ipſe quærens non inueni, ſed nec apud ſcriptores, aut alios viros doctos, quos conſului, quæ mentem firmarent: Volui periculum facere. Excluſo prius omni dæmonis adminiculo, ſi forte ſeſe ingereret, veſtem dedita opera incidendam dedi, Luna in Leone exiſtente, eodemque tempore indui: Mirum! non eâ duos integros menſes vſus ſum, cum penè tota diſciſſa, atque combuſta, perinde ac ſi in clibano extitiſſet. Cuius rei aliam cauſam tunc excogitare non potui, niſi cæleſtem conſtitutionem, & miram ſigni Leonis vredinem, quæ etiam in artificialia tunc temporis facta protenditur. Quapropter optimè dixit D. Thomas *opuſc. 28. art. 4.* anceps adhuc de naturali iſtarum imaginum virtute deque efficientia cæleſtium corporum in iſthæc artificiata, quod *ſicut radiatio periodi diſpoſitionem ordinis, & durationis imprimit rebus naturalibus; ita etiam imprimit artificiatis: propter quod figuræ imaginum magicarum ad aſpectum ſtellarum imprimuntur, & fieri permittuntur.*

Tandem concludam cum ijs quæ habet idem Caietanus in 26. ſumma. *Imaginibus*, inquit, *purè Aſtronomicis vti ad effectus ſubiectos cæleſtibus corporibus nullum peccatum eſſe videtur, quia, vt res purè naturales habentur, nec debemus ſecreta naturæ, præſertim cæleſtes influxus noſtri ingenij viribus metiri; vt priſcis Aſtronomis*

*non deferamus. Dixi autem, purè Aſtronomicas, vt nulla ſuperſtitioſa obſeruatio ſit adiuncta, aut ſuffumigationum, aut characterum; quoniam hæc conſtat non pertinere ad cæleſtes influxus, ſed ad ſecretos intellectus, quorum ſocietas nobis eſt interdicta.* Hucuſque Caietanus. Fateor tamen, vt ſuprà innui, etiam in ipſis imaginibus purè aſtronomicis poſito, quod naturaliter agant, & occulta vi à cæleſtibus mutuata, poſſe (vt credibile eſt) dæmonem ex inuidia ſe vltrò ſæpiùs immiſcere, vel eò potiſſimum, quod occultæ ſunt efficientiæ; adeoque ipſum inuidiæ æſtro percitum, geſtire occulta naturæ beneficia, aut religioſo timore nobis ſuſpecta reddere, vt ab illis abſtineamus, aut ſanè ſua aſſiſtentia, & ſuperſtitioſis vanitatibus inuoluta liberiùs exhibere. Eapropter in ijs fabricandis, aut exercendis conſulerem, magna cum cautela, & prudentia procedendum, & non niſi prius excluſa, omni quacumque dæmonis ope, aut pacto, vt puris nrturæ donis vti, nobis liberum ſit, nec vlla formidine ab illis remoueamur.

27\. IMVM *Cæli* à loci ſitu dicitur quarta domus ab Horoſcopo, & Meridianus ſubterraneus, qui & Fouea Planetarum, & Angulus terræ dicitur. Ab eo ſumuntur ſignificata de parentibus, eorumque ſtatu, de bonis immobilibus, ædificijs, fundis, aquis, fodinis metallicis, theſauris abſconditis, & ſimilibus. Vide quæ diximus in V. *Ipogon.* & in V. *Fouea.*

28\. IMPERANTIA *ſigna* appellantur ab Aſtronomis quæ, cum habeant parem cum alijs declinationem ab æquatore, ſed diuerſæ denominationis, ipſa tamen declinant ad Boream, alijs ſibi ex aduerſo reſpondentibus ad auſtrum, quæ propterea obedientia nuncupantur, quia quæ ad auſtrum deflectunt, videntur quodammodo cedere, & obedire ijs quæ ad boream, ſicut nox diei cedit, atque ſubſternitur. Quandoquidem ambo eoſdem deſcribunt parallelos, ſed in ſignis borealibus arcus diurnus eſt maior nocturno, & in auſtralibus nocturnus eſt maior diurno: veruntamen quantus eſt arcus diurnus ſignorum borealium, tantus eſt nocturnus auſtralium, & econtrà. Et ideò illa dicuntur imperantia iſta, verò obedientia. Sic Aries imperat Piſcibus, quia æqualiter ab æquatore diſtant, eoſdemque deſcribunt parallelos hincinde; itaut, primus gradus Arietis correſpondeat vltimo gradui Piſcium, ſecundus 29. &c. Taurus eadem ratione imperat
13\. Aquario: Gemini Capricorno: Cancer Sagittario: Leo Scorpioni: Virgo Libræ. Econtra

INTVENTIA

IN

INTVENTIA *ſigna* dicuntur quæ ex pari diſtantia hinc inde à tropicis ſe mutuò intuentur, proindeque eandem habent declinationem non modò numero, ſed etiam nomine: vt ſunt vltimæ partes Geminorum cum prioribus Cancri, Tauri cum Leone: Arietis cum Virgine: Sagittarij cum Capricorno: Scorpij cum Aquario: Libræ cum Piſcibus. Si enim ad inuicem conferantur, inuenientur omnes eoſdem deſcribere parallelos; *fit enim* (vt Ptolemæi verbis vtar) *per illas partes Sole meante, vt ſpatia dierum, ac noctium, itemque horarum ſibi reſpondeant.* Hæc Antiſcia primaria vocari ſolent, quemadmodum, quæ immediate ante hæc expoſuimus, ſecundaria. Titus vero expreſſiore vocabulo, parallelos declinationis appellat. Vide quæ diximus in V. *Antiſcia*, & quæ dicentur in V. *Parallelis*. 29.

INACHIDES Cyllenius. Vide *Perſeus*.

30. INCONIVNCTA *ſigna* dicuntur quæ nulla familiaritate ad inuicem copulantur: hoc eſt, neque ſe intuentur modo paulò ante dicto, neque alterum alteri obedit, aut imperat, neque ſe aliquo aſpectu reſpiciunt, vt oppoſito, quadrato, trino, aut ſextili. Talia ſunt omnia ſigna contigua, quæ non ſunt antiſcia, ſeù eoſdem deſcribentes parallelos, & conſequenter ſigna oppoſita ſibi contiguis. Rationem reddit Ptolemæus; quia, inquit, *quæ ſecunda ſunt auerſa ſunt à ſeſe, & duo ſigna continua coniuncta vnum efficiunt angulum, illa vero, quæ ſexta numerantur totum orbem in partes inæquales ſecant, cum aliæ figuræ eum in partes æquales diuidant*. Ex quibus liquet, eos, qui aſpectum ſemiſextilem admittunt ad diſtantiam 30. graduum omninò decipi, cum Ptolemæus hic talem diſtantiam nullius efficientiæ cenſeat; proindeque duo ſigna ſibi ſolum contigua vocat inconiuncta. Igitur ſigna fixa hac ratione habent inconiuncta duo ſigna hinc, & inde, præcedentia, & ſubſequentia, atque illorum oppoſita: Mobilia habent inconiuncta ſigna ſuccedentia, & illorum oppoſita, cum ad præcedentia habeant familiaritatem Antiſciorum. Communia tandem habent inconiuncta ſolum antecedentia, & eorum oppoſita, cum ad ſubſequentia proijciant ſimiliter antiſcium, vel primarium, vel ſecundarium. Sed totum hoc per ſequentem tabellam planum fiet. 31.

*Tabula Signorum inconiunctorum.*

Aries habet inconiunctum Taurum, & Scorpium.
Taurus Arietem, Geminos, Libram, & Sagittarium.
Gemini Taurum, & Scorpium.
Cancer Leonem, & Aquarium.
Leo Cancrum, Virginem, Capricornum, & Piſces.
Virgo Leonem, & Aquarium.
Libra Scorpium, & Taurum.
Scorpio Sagittarium, Libram, Arietem, & Geminos.
Sagittarius Scorpium, & Taurum.
Capricornus Leonem, & Aquarium.
Aquarius Capricornum Piſces, Cancrum, & Virginem.
Piſces tandem, Leonem, & Aquarium.

32. Porrò horum ſignorum, quæ, vt modo diximus, ideò coniuncta vocantur, quia nullo inter ſe ordine, ac familiaritate ſunt nexa, nemo ferè eſt, qui rationem habeat, atque obſeruet quænam in inferioribus hiſce, ſeù bona, ſeù mala importent: cum tamen, meo iudicio, ea maximè ſeruari debeant; atque vt bonus ordo rerum ex ordine, colligatione, & conſonantia cæleſtium corporum, quibuſcum aliquam eſſendi habent neceſſitudinem, pendet, ita & perturbatio, diſcordia, & diſcraſia ab eorundem affectionibus, mutuo diſſidio, ac diſiunctione, ſeù diſparitate naturæ, trahit originem. Etenim partium nexus, & amor, vt volebat Plato mundi anima eſt: hunc ordinem, hanc harmoniam ſi minimum turbes, & ipſum orbem turbari, confundi, infirmarique videbis, perinde ac in humano corpore ex humorum bono ordine perturbato, partiumque diuiſione, dolores, morbos, vitæ diſcrimina prodire paſſim videmus. Igitur, vt in loco fusè dicemus, omnis in inferioribus hiſce diſcordiæ, auerſionis, atque antipathiæ ratio, huic vni ſignorum nulli colligantiæ & ordini accepta ferenda eſt: vti econtrà omnis ratio ſympathiæ, amoris, concordiæ, animi propenſionis, ad ſignorum, ſiderumque familiaritates, quibuſcum ordinem cauſalitatis habent (vt habet etiam Ptolemæus *in Quadrip. lib. 4. cap. 7*) reducenda.

33. Hac etiam ratione, ni fallor, anni climacterici, ſeu ſchalares, in quibus ſemper aliqua corporum noſtrorum diſcratia expectanda eſt, prodeunt, & inconiuncta hac inconiunctorum ſignorum ſerie ordinantur. Siquidem ſingulis ſeptenarijs, ac nouenarijs recurrentibus, quoniam omnis bona ſiderum ad radicem Natalis configuratio expleta eſt, & non ſequi-

quitur acceſſus ad inconiuncta ſigna, quæ nullam cum radice natiuitatis familiaritatem habent, ideo ſequitur etiam corporis diſcratia, præcipuè verò in annis 21. 42. 49. 56. 63. in quibus vt plurimum nulla intercedere poteſt familiaritas, ac neceſſitudo Luminarium ad horoſcopum, vnde neceſſe eſt etiam vitam, deficiente rectore, abſcindi, aut plurimum quati. Quod etſi alij, ( & quidem communiter ) dominatui recurrenti Saturni naturæ inimico tribuant; probabilius tamen eſt id ortum habere à ſignis recurrentibus, ad horoſcopum, atque ad præcipua genituræ loca, præſertim Luminaria, inconiunctis.

Hinc etiam expiſcari liceat congruentiam abditiſſimi illius arcani; Cur, inquam, octimeſtris partus non ſuperuiuat? de qua re tantopere exquiſierunt ſapientiſſimi Philoſophorum, atque Aſtrologorum, ac integro inſignique volumine ſcripſit eruditiſſime Federicus Bonauentura. Equidem nugæ ſunt quæ habent Aſtrologi apud Schonerum *lib. 1. de Iudicijs*, ac latè proſequitur Natalis Comes *in Mytholog. lib. 4.* quia, inquiunt, in primo menſe dominatur Saturnus Embrioni, in ſecundo Iupiter, in tertio Mars, in quarto Sol; & tunc eſt animal rationale; poſteà Venus, inde Mercurius, in ſeptimo tandem menſe Luna; & tunc ſi naſcatur viuit, & completus eſt curſus: ſi tranſit, & venit ad octauum, regnat Saturnus, qui ſua frigiditate, & ſiccitate interficit fœtum; ſed in nono regnat Iupiter, qui naturæ fotor eſt, atque adeò maturat, & fæliciter educit fœtum, &c. Nugæ, inquam, hæc ſunt; Nam peto, cur quarto, & ( quod maximè notandum eſt ) ſexto menſe in quo ſanè maturior eſt quam in quinto fœtus editus non ſuperuiuit, cum tamen ſuperuiuat in quinto? An quia quarto menſi Sol præeſt? At ſi vllus eſt, qui vitam ſuſtentare valeat, Sol eſt, qui vitalis potentiæ fons eſt, & origo: vt proinde ſicut ipſi inquiunt, vel inde fœtus animal rationale eſſe incipit ac vitalis: Deinde cur ſexto menſe editus non ſuperuiuit? An quia illi præeſt Mercurius? at is neque naturæ inimicus eſt, nec ſi foret, vitam fœtui poſſet adimere, cum ſit minimæ actiuitatis, atque adeo vt alibi adnotauimus, vel ob id in regendæ vitæ munus in locis aphæticis conſtitutus ſubintrare non valet. Cur decimo menſe, & vndecimo editus viuit ( nam & multæ mulieres decem, vndecim, & eo ampliùs menſibus vtero gerentes viſæ ſunt ) cum tamen ex eorum doctrina Mars naturæ infenſiſſimus in regimen deberet venire? Mitto alias validiſſimas rationes quas abunde congerit Gotifridus *in l. Inteſtat, &c.* atque idem Bonau. *lib. 7. cap. 14.* 34.

Sed & Franciſcus Valeſius *in Controuerſ. M. d. lib. 2. cap. 10.* 35.

rum eſt Luſtrum, quia eo tempore venientes nuncij prouinciarum ad ferendum tributum cum magna pompa, & comitatu vrbem luſtrabant. Olim hic cyclus annorum numerari incipiebat à die 24. Septembris. Nunc autem poſt correctionem Gregorianam incipit à Ianuario.

Quod ſi quis quolibet anno currente indictionem venari voluerit, ſic facili iure præſtabit. Annis à Natiuitate Domini excurſis adijciat tres: deinde productum diuidat per quinque, & quod reſiduum fuerit ex quotiente erit indictio illius anni. Quod ſi nihil ſuperſit; ſignum erit, quod eo anno indictio eſt 15. & complementum cycli. Sic exempli gratia: Anno currenti 1660. addo 3. & fient 1663. ſummam diuido per 15 & prouenient in quotiente 108. & adhuc reſiduum erit 13 hæc igitur erit indictio præſentis anni. Quod memoriæ ergo non nemo his verſibus expreſſit.

*Si tribus adiunctis Domini diuiſeris annos,*
*Per ter quinque datur indictio certificata.*

Et hæc quidem de indictione, eiuſque inſtituendæ ratione.

INDVS ſidus in Cælo ad polum Antarcticum, nobis inconſpicuum à recenſioribus vnà cum alijs vndecim detectum non ita pridem, atque in hominis indi formam, manu tenentis jaculum, figuratum: ſtellas habet 13. quintæ & ſextæ magnitudinis ſub ſigno Capricorni.

39. INFERNVS: & hic noſtræ molitionis ſubiectum. Eſt enim Vniuerſi iſtius centrum, (unde Iſydoro dictus tanquam *intus furnus*, ideſt niger.) Locus omnium infimus, obſcurus, & abiectiſſimus, in quem perinde atque in humano corpore viſcera, & vmbilicus, omnes mundi ſordes, & retrimenta, tanquam in propriam ſedem abijcienda ſunt peracto finali iudicio, vt ex Baſilio aduertit D. Thomas *in 4. Sentent. diſtinct. 47. qu. 2. art.* 5. Ea propter condignus dæmonum, & damnatorum carcer vbi perpetuò morabuntur æternis ignibus addicti. Ex eo verus locus ſiderum procul quacumque parallaxis deuiatione, obſeruari exquiſitiſſimè poſſet, ni telluris denſitas, obuiaret. Leſſius exiſtimat eius diametrum non excedere vnius milliarij belgici menſuram: quippe, ait circumferentia eius tantæ amplitudinis erit, vt oprimè capax eſſe poſſit tot millium corporum, quot planè vero ſimiliter coniectari poſſumus, futuros eſſe damnatos. Putat enim eos ibi locandos poſt acceptam Iudicis ſententiam illam *Ite maledicti in ignem æternum*, tanquam muriaticos piſces in dolio, ita vt alter alterum premat, nec vllum aliud ſpatium ſit, quod non corporibus repleatur. Franciſcus Ribera in *Apocalypſ. cap. 14* probabiliter coniectat inferni diametrum eſſe longam ducentis italicis milliarijs,

atque ex eo deducit, quod ibi effuſus dicitur ſanguis laci iræ Dei ad ſtadia 1600. alij aliter opinantur: quæ res ſanè difficilis eſt definiri; cum id neque ex ſcripturis, neque ex Mathematicis obſeruationibus colligi poſſit, ſed pendeat ex mero conditoris beneplacito. Cæterum ibi tria ſunt receptacula, vt communis SS. Patrum, & Eccleſiæ traditio eſt: quorum inferius, quod Mundi meditullium includit, damnatorum ſupplicio eſt deſtinatum; aliud, quod iſtud immediatè ambit, expiandis animabus ad Cœleſtem gloriam tandem migraturis addictum eſt: Tertium amplius, & ſpatioſius, qui Limbus SS. Patrum, & puerorum cum originali macula decedentium dictus eſt, vbi neque ignis, & fortaſſis neque tenebræ ſunt, ſed locus eſt valdè amœnus, aliquali luce ex terræ hiatibus tranſpirante perfuſus, diſtatque à ſuperficie terræ iuxta Bonardi obſeruationes milliarijs 37.48. cum quadrante.

Porrò Inferni, & Purgatorij loca vero, atque elementari igne eſſe repleta, teſtantur ſæpiſſimè ſacræ paginæ, & communis omnium Catholicorum ſenſus. Vt videre eſt apud Bellarmin. *tom. 1. de Purg. lib. 2. cap. 11.* & licet Damaſ. *de fide Ortod. lib. 4. cap. 28.* aſſerat *Æternum ignem cum materia inſtar huiuſce noſtri conſtare:* & D. Greg. Papa *lib. 15. Moral. cap.* 17. eum vocat incorporeum; tamen intelligendi ſunt non quod eiuſdem ſubſtantiæ, ac naturæ non ſit: proindeque verè immaterialis, & incorporeus ſit, ſed quod corporeo pabulo non egeat vt conſeruetur, neque materia, vt accendatur: cum alioqui idem Greg. *lib. 4 Dialogorum cap. 29.* percontanti Petro num ignis gehennæ ſit corporeus an incorporeus, reſpondet *Ignem gehennæ corporeum eſſe non ambigo, in quo certum eſt corpora cruciari.* Vnde oportet amanuenſium, vel librariorum fuiſſe errorem quod in moralibus habetur, *incorporeus*, & verius ſcribi debuiſſe corporeum, vt habet idem Bellarm. ac D. Thomas, qui *in 4. ſentent. diſt. 44. qu. 3.* hunc locum citans ponit, corporeus: & latè explicat dictum Greg. & excuſat Damaſcenum, inquiens eum non negaſſe ignem inferni materialem eſſe quoad ſubſtantiam, ſed quoad punitionis effectum, punit enim corpora ſpirituali quadam actione, cum ea nec diſſoluat nec conſummat, ſed incorruptibiliter cruciet, & ipſas animas ſpirituales modo quodam ineffabili, & imperceptibili. Quod quomodo fiat variè, & late explicant Theologi, ad quos cum res noſtra non interſit lectorem remitto. Eſt igitur abſque dubio ignis gehennæ eiuſdem rationis cum noſtro, licet longè horribilior, ac potentior. Quinimò non defuere Philoſophi, qui dicerent ignis ſphæram, & locum illi connaturalem eſſe in Mundi centro, hoc eſt in Inferno; vel ex eo probantes, 40.

quod in Macrocoſmo, eum locum occupare debet, quem in Microcoſmo vitalis calor, cui eſt in corde, hoc eſt in hominis meditullio ſedes. Tum quia ignis natura, inquiunt, eſt ſummè mobilis, & vndequaque diffugiens: debuit ergò habere locum in medio vniuerſorum, vnde probè calorem ſuum vndequaque transfunderet, atque in arcta, vt ita dicam, cuſtodia ita detineretur, vt non facilè diſſipari poſſet. Ita diſcurrebant Pythagorici, quibus modò nonnulli recenſioribus addicti ſunt.

41. Sed enim ſiue ignis Inferni ibi ſit tanquam in propria, ac naturali ſede, ſiue ex conditoris arbitrio (neque enim quod ab initio ab ipſo naturæ authore conſtitutum fuit, ab ipſo naturæ ordine alienum eſſe cenſendum eſt.) An autem adhuc lumine præditus ſit magna eſt inter Theologos ac SS. Patres controuerſia. Negat Chriſoſthomus, Ambroſ. Theodoretus, Athanas. Cyrillus, Proſper Aquitanus, Baſilius, Innocentius, & alij communiter. Affirmat autem Gregor. lib. 9 Moral. cap. 39. dicens illum non ad conſolationem, ſed ad maiorem terrorem lucere, luce tamen ſuboſcura & nigricante, quale eſt lumen tædarum quod potius terrorem incutit quam delectat: ſubſcribit Iſidorus lib. 4. de ſummo bono, cap. 31. inquiens *Ignem gehennæ ad aliquid lumen habere, & ad aliquid non habere, hoc eſt habere lumen ad damnationem, vt videant impij vnde doleant & non habere ad conſolationem, ne videant, vnde gaudeant.* Neque in hoc ſunt contrarij Ambroſ. & Innocentius vbi ſupra, quorum poſterior dicit inter alios damnatorum cruciatos vnam eſſe viſionem dæmonum, qui videbuntur in excuſſione ſcintillarum de igne aſcendentium. Et ſanè ſi ignis ille naturalis, & corporeus eſt, illum ijdem prorſus qualitatibus præditum, quibus noſter iſte vſualis ignis eſt affirmare oportet; niſi quod ibi maior actiuitas, maior vrendi vis, quam in hac telluris ſuperficie, vbi aëris ambientis facilitate, ac frigore plurimum debilitatur. atque obtunditur (quod videre eſt in clibano, alijſque vndique conſtipatis ignibus, qui potentiùs agunt quam reliqui.) Ob id, nil mirum, ſi ſubterranei ignes, & qui paſſim è montibus eructant, tam violenti ſint, vt penè diuerſæ ab noſtro, ſpeciei eſſe videantur, ob idque à nonnullis eiuſdem rationis, atque infernalis eſſe credantur. Quod ego non detrectauerim; immò certo certius habeo, hos terræ hiatus, vnde paſſim videmus ignes erumpere aliud non eſſe quam Inferni ſpiracula, vnde ignis ille euaporat, & quandoque accenſus eructat, & vicinas regiones deuaſtat. Tales ſunt ſulphureæ Puteolorum venæ ignem, & fumum perpetuò eructantes: Veſuuius mons prope Neapolim: Æthna in Sicilia;

Arequipa in Peruano regno: Hecla mons in Iſlandia: Pittacia in Perſide: alijque quos referunt Plinius, Maiolus & alij. Quod tum ratio naturalis ſuadet, tum frequentiſſimæ hiſtoriæ; ac plurium Philoſophorum auctoritas. Ratio, inquam, quia ignis quicumque naturaliter euaporare petit, & quoddam ſpiraculum, vnde exhalare queat, & fumum traijcere, ergò id etiam infernali competet, qui ſanè per huiuſmodi terræ hiatus exhalat. Accedunt hiſtoriæ. Refert enim Henricus Kermannus *in lib. de mirac. mortuor* in Tutingia apud montem Ferrariam extare quandam voraginem, ſeu terræ hiatum, qui horriſonus eſt, & communiter reputatur eſſe oſtium quoddam Inferni; eoquod ſæpiſſimè ex eo audiuntur clamores, & vlulatus animarum, & circà ipſum ignes quoſdam apparere. Simile quid refert, Surius de Hecla Iſlandiæ monte, Pompilius Azzelus *de rebus natural. lib. 5. cap. 16.* Olaus magnus Saxo Grammaticus. Brocardus, & alij multi. Claudianus etiam Poëta *in Rufin. lib. 10.* meminit cuiuſdam loci in Hybernia, qui nunc creditur eſſe Vorago illa, quam idcircò vulgo appellent *Puteum S. Patricij*, vnde auditur frequens luctus, & eiulatus animarum. Sic enim ait.

*Eſt locus extremum, qua pandit Gallia littus,*
*Oceani prætextus aquis, quo fertur Vlyſſes,*
*Sanguine libato populum mouiſſe ſilentum.*
*Illic vmbrarum tenui ſtridore volantum,*
*Flebilis auditur queſtus ſimulachra colcni,*
*Pallida, defunctaſque vident migrare figuras.*

Huius rei ampliorem hiſtoriam, & quomodo precibus S. Patricij Hybernorum Apoſtoli ad aliquam infernalium tormentorum cognitionem populis ingerendam, vt à malis patrandis auocarentur, fuerit ei à Chriſto Domino ſibi viſibiliter apparente monſtrata quædam ſpelunca rotunda, & obſcura, quam qui ingrederentur referrent, ibi ſe immania tormenta perpeſſos, & vidiſſe foueas quaſdam, & oſtia inferni, per quæ damnati proijciebantur: qui, inquam, huius rei vberiorem notitiam volet pluraque teſtimonia, videat Franciſcum Reſtam *de Meteoris lib. 1. Tract. 4. cap. 4.*

Denique in hanc ſententiam inclinant, vel certè apertè veniunt multi ex SS. Patribus, Auguſtinus, Gregorius, Bernardus, Iſidorus, Tertullianus, Bonauentura, Petrus Damianus, Bernardinus Senenſis, & alij. Vt iam modò nonnihil temeritatis habeat affirmare huiuſmodi igniuomos montes, & antra non eſſe Inferni oſtia, & ignis ibi exiſtentis euaporamenta ſi non ad aliud, certè ad hoc vnum ab Authore Naturæ in varijs terreni orbis locis aperta, vt homines inde ediſcerent, ſeo eſſ-

cum vbi impiorum animæ poſt mortem puniuntur, ſicque à patrandis criminibus arceantur, quod & Pythagoras, quamuis Ethnicus intellexit inquiens ignes hos ſubterraneos cruciare animas improborum.

42. Infortuna dicitur Planeta maleficus Saturnus, qui nuncupatur infortuna maior, & Mars infortuna minor; eo quod loca in quibus reperiuntur, infortunent. Similiter infortuna dicitur quicumque alius planeta qui ab iſtis infortunetur. Vide in V. *Fortuna.*

43. Ingenicvlvs, Hercules, Engonaſis: ſidus in Cælo ad Borealem plagam, hominem repræſentans, qui dextro genu nixus, ſiniſtro pede draconis Caput opprimere videtur. Continet ſtellas 29. de quibus diximus ſub V. *Engonaſis.*

44. Ingressvs apud Aſtronomos, præſertim Ptolem. *cap. vlt. Quadripartiti*, ſignificat familiaritatem quandam, quam ſidera quotidianis lationibus, præſertim in annua reuolutione acquirant, cum locis directionis, ſeù radicalibus tum ſui, tum aliorum Prorogatorum Quandoquidam ingreſſus beneficarum ſemper proſunt vt benè aduertit Titus in cæleſti Philoſophia *lib. 3. cap. 11.* maximè in conuenienti familiaritate maleficarum ſemper obſunt. Præcipuè verò ingreſſus valent ad eliciendos ad actum effectus illos, qui ſunt in potentia proxima præordinari per motum directionis, ſi modo effectus ſint naturæ ſuæ conformes: ſin minus illos retardant, aut diminuunt. Sunt autem ingreſſus in duplici differentia, vt idem
45. Titus obſeruat: alij actiui qui fiunt à ſtellis actiuam virtutem habentibus, quando ingrediuntur aut corpore, aut radio loca directionum, & progreſſuum moderatorum; nam tunc agit in ipſos moderatores: alij paſſiui, qui fiunt ab ipſis moderatoribus, Sole videlicet, Luna, aſcendente, medio cæli, ac fortunæ parte, quando ingrediuntur ad familiaritates locorum directionis, & progreſſuum Aſtrorum omnium quæ virtutem actiuam habeant: tunc enim ipſi Prorogatores patiuntur vt ita dicam ab Aſtris, & recipiunt effectus illorum. Porrò quos effectus habeant in hiſce inferioribus ingreſſus tam actiui, quam paſſiui, ingenioſiſſimè explicat Titus loco citato.

46. Interlvnivm dicitur tempus illud, quo Luna ſilet: hoc eſt ſub radijs Solis exiſtens à nulla nobis parte conſpicua ſit, ſed supernè tantummodo in parte Soli obuia illuſtratur: quod quidem tempus complectitur aliquid Lunæ veteris, & aliquid nouæ; cum vetus, antequam Soli iungatur corpore, ad ipſum accedens non amplius apparet; & noua ab ipſo recedens non adhuc conſpicua eſt. Interlunij tempore ſi ſata ſerantur ea non eſſe vermiculis obnoxia teſtatur Plin. *lib. 18. cap. 17.*

INTERROGATIONES, ſeù *Quæſtiones Aſtrologicæ* dicuntur quæ ex naturali, vt aiunt impulſu de re aliqua fiunt Aſtrologo coniectori, vt inde is ex figura cæli ad momentum quæſtionis erecta prædicat, quid de tali re futurum ſit. De ijs multa vanè ſcripſerunt Arabes, & Iudæi, quos inter ex profeſſo Hali Aben-Ragel, & Guido Bonatus. Non-nulla etiam verba ad hanc rem habet Centiloquij Author, vt vel inde euidenter appareat, non eſſe id Ptolemæi opus, qui in nullo ſuorum operum eas vnquam admiſit, aut admiſiſſe videtur. Et quidem ſi ſi qua eſt in rebus Aſtrologicis vanitas, & dementia, hæc ſummum apicem tenet. Neque enim naturalis ratio elucet, quomodo cum fortuito interrogantis occurſu connexionem vllam habeat cæli poſitus; quomodo hic & rem futuram indicet, & interrogantem ad ſciſcitandnm impellat; vt benè diſcurrit Titus in cæleſti Philoſophia *lib. 1. cap. 6.* Namque, ait ipſe, res futuræ habent naturales ſuas cauſas dependentes à radice Natalis, vel à diutnis lationibus, quæ non cohærent cum præſenti ſiderum habitudine, quæ mouet noſtra phantaſmata: opus eſt enim, vt inter ſigna, & res ſignificatas ſit aliqua connexio. Denique explicari non poteſt quomodo ex eadem cæli figura ad momentum factæ interrogationis erecta prædici vni ex præliantibus, aut dimicantibus mors, alteri victoria; ſi profectò eodem tempore, & in ijſdem circumſtantijs ab ambobus fiat interrogatio. Sed hanc vanitatem fusè imbrobat Cardanus non vno in loco ſuorum operum. Maius ſanè fundamentum habent Electiones [illegible]tum in certo ſiderum poſitu factæ, quippe quæ nec ratione, neque experimentis carent. Sed & hæ quoque cum radice natiuitatis conferendæ ſunt, & inde, vt feliciter exeant aggrediendæ. 47.

INVERSARIF apud Arabes eſt oppoſitum *Mutatil*, cum videlicet Planeta exiſtens in corde alterius, & agglutinatus ei vſque ad minutum ſeparatur ab eo vel ad gradum vnum. Ptolemæus in verſione Arabica Hali Rodoan. 48.

## IR

IRIS Græcè denotat arcum illum cæleſtem, qui aduerſo Sole formatur in nube roſcida, vel in minutiſſimis aquæ cadentis guttulis, in quibus tanquam in ſpeculo excipiantur ſolares radij, in orbem diffuſi, ac miram illam repræſentent colorum varietatem ſua ſpecie mentes hominum præſtringentem, atque in Dei laudem trahentem. Vnde Eccl. 43. dicitur *Vide arcum & benedic Deum qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo.* Hinc etiam antiquis Thaumantias, hoc eſt admi- 49.

rationis Filia dicta eſt, ac Deorum nuncia credita. Formatur autem duo tempore ſiue à Sole, ſiue à Luna ( licet hæc rarò admodum iridem faciat, eamque vnius coloris, & ſemper albicantem ) per refractionem ſolarium radiorum in dicta nube caua, & ex parte diaphana, ex parte autem opaca, vnde pro diuerſitate incidentiæ radiorum cauſetur diuerſitas illa apparentiæ, & colorum. Vt plurimum autem in ſolari Iride tres colores apparere ſolent. Puniceus, viridis & purpureus: & quidem ex parte arcus exteriori, puniceus, ex parte interiori purpureus, mediùs autem viridis; quia cum in parte extima ſit minor opacitas, ſit color flauus, ſeù puniceus: econtrà quia in parte interiori eſt maxima opacitas ſit color purpureus: in medio verò, quia eſt moderata opacitas, ideò radij ſolares coeunt in colorem viridem. Et quoniam ſolares radij in orbem diffunduntur, ideò orbicularis eſt colorum apparentia: ſemper autem in Solis oppoſito; itavt centrum arcus ſit ex diametro oppoſitus centro Solis. Et idcircò numquam apparet niſi ſemicirculus; & quò ſol depreſſior eſt, & horizonti proximior, eò maiorem arcum efformat, & contrà quò elatior eò minorem. Hinc ferè ſemper cum ſe præbet Iris inſpiciendam, id fit matutino, vel veſpertino tempore. In meridie verò ferè numquam, niſi fortè in hyeme, quo tempore ſol humilis valdè eſt, & magis horizonti, quam vertici noſtro proximus, vnde & viſibilem arcum efformare poteſt. Immò & quandoque accidit, vt Sole in linea meridiana exiſtente duæ, & quandoque plures Irides hinc inde Orientem verſus, & Occidentem formentur, licet eæ valdè debiles, ac depreſſæ, ſi videlicet duæ nubes hinc-
50. inde cauæ, & vdæ ſolaribus radijs illuſtrentur Eius præſagia apud ruſticos refert Cælius Rhodiginus in hæc verba. *Si enim*, inquit, *fuerit color rubeus in albente, fertilitatem præſignat, quia talis color ſit ex materiæ raritate; rara autem materia à Sole facilè reſoluitur, & ideò non ſequuntur copioſæ pluuiæ quibus agrorum feracitas nimium impeditur. Quando color viridis maior eſt reliquis ſignificat olei, & oliuarum vbertatem. Denique cum color puniceus vicerit, frumenti copiam; cum purpureus, reliquorum fructuum, pollicetur.* Hucuſque Cælius. Mizaldus *arcanorum lib. 2.* ex Plin. & Ruell. refert arbores fieri odoratiores ſi in
51. eas apparens Iris incubuerit Cæterum generaliter Iris eſt ſerenitatis index, vel etiam pluuiæ mox futuræ pro temporum diuerſitate. Nam ſi matutino tempore appareat, & non præmiſſa pluuia, ſignificat ſolem incipere iam reſolutionem nubium, quam neceſſariò pluuia comitatur: econtra ſi veſpertino tempore, & poſt pluuiam indicat ſolem nubium reſolutionem perficere, & complere, quam mox ſerenum tempus con-

ſequitur. Vnde ab ipſomet Conditore Deo poſt diluuim poſita eſt in ſignum ſerenitatis, & fœderis, inter ipſum & homines, ne deinceps aquis diluuij perderet omnem carnem. Quod quidem myſticè explicat de Chriſti humanitate Iacobus Epiſcopus Chriſtopolitanus in expoſitione Cantici Habacuc in illa verba *ſuſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus, quæ loquutus es.* Dices, qualiter Deus Pater ſit inſtar Solis fontis, 52.
& principij omnis lucis diuinitatis, *qui debebat imprimere imaginem ſuam in nube humanitatis, id eſt mittere filium ſuum, qui eſt imago Patris in carnem; qui debebat latere in nube humanitatis: in qua perſona ſunt tres ſubſtantiæ, ſcilicet Verbum, Anima, & Caro, ex quibus conſtituitur vnica perſona ſub vnico eſſe perſonali, & diuino. Qui quidem arcus diuinus debebat fugare omnem tempeſtatem, & totum diluuium peccatorum, & ſedare omnes tenebras veteris pacti, & inducere lucem, & ſerenitatem gratiæ. Ad quem arcum ſapiens pater non amplius debebat recordari veteris pacti: immò Deus reſpiciens illum arcum qui eſt filius incarnatus, illicò recordatur fœderis promiſſi inter ipſum, & genus humanum. Et ſic Pater reſpiciens illum arcum in cruce recordatus fœderis promiſſi remiſit pactum toti generi humano.* Hucuſque Epiſcopus Chriſtopolitanus piè quidem, & eruditè nimis. Sed longè à noſtro inſtituto aberrauimus. Hæc ſufficiant.

IRINA Virgarum ſpecies apud Ariſt. ab Inde dicta pluuiæ certum præſagium: de qua vide in V. *Virga.* 53.

## IS

ISARITHMI Græcè ſignificant prima numerorum elementa quæ in decem figuris continentur, quas nos in *V. Abaculi* explicauimus ab *Iſag*, quod initium, & *rythmos* qui numerum denotat, deriuatum. Porro *Iſorythma* numero paria ſignificat, ab *Iſo*, quod eſt æquale. Hinc *Iſomaros* dicitur quod æquales continet partes. Sic 54.

ISAGONIVS eſt figura Geometrica æqualibus angulis conſtans. 55.

ISOPERIMETRÆ figuræ, quæ æqualem habent circumferentiam, & his ſimilia. pari ratione. 56.

ISOMÆRINOS ſæpiſſimè apud ſcriptores Græcanicos dicitur Æquator, & Circulus æquinoctialis, eoquod æquet diebus noctes, & æquales diuidatur in partes. 57.

ISIS etiam Græcè præcipuè apud Hermetem dicitur ſtella fixa in Canis aure ſiniſtra. At Aueno audit Virginis ſidus. 58.

ISOSCELES eſt figura Geometrica triangularis, quæ duo tantum latera habeat æqualia, tertium verò neutro æquale, ſed aut 59.

*Tabula Signorum inconiunctorum.*

Aries habet inconiunctum Taurum, & Scorpium.
Taurus Arietem, Geminos, Libram, & Sagittarium.
Gemini Taurum, & Scorpium.
Cancer Leonem, & Aquarium.
Leo Cancrum, Virginem, Capticornum, & Piſces.
Virgo Leonem, & Aquarium.
Libra Scorpium, & Taurum.
Scorpio Sagittarium, Libram, Arietem, & Geminos.
Sagittarius Scorpium, & Taurum.
Capticornus Leonem, & Aquarium.
Aquarius Capricornum Piſces, Cancrum, & Virginem.
Piſces tandem, Leonem, & Aquarium.

32. Portò horum ſignorum, quæ, vt modo diximus, ideò coniuncta vocantur, quia nullo inter ſe ordine, ac familiaritate ſunt nexa, nemo ferè eſt, qui rationem habeat, atque obſeruet quænam in inferioribus hiſce, ſeù bona, ſeù mala importent: cum tamen, meo iudicio, ea maximè ſeruari debeant; atque vt bonus ordo rerum ex ordine, colligatione, & conſonantia cæleſtium corporum, quibuſcum aliquam eſſendi habent neceſſitudinem, pendet, ita & perturbatio, diſcordia, & diſcraſia ab eorundem affectionibus, mutuo diſſidio, ac diſiunctione, ſeù diſparitate naturæ, trahit originem. Etenim partium nexus, & amor, vt volebat Plato mundi anima eſt: hunc ordinem, hanc harmoniam ſi minimum turbes, & ipſum orbem turbari, confundi, infirmarique videbis, perinde ac in humano corpore ex humorum bono ordine perturbato, partiumque diuiſione, dolores, morbos, vitæ diſcrimina prodire paſſim videmus. Igitur, vt in loco fusè dicemus, omnis in inferioribus hiſce diſcordiæ, auerſionis, atque antipathiæ ratio, huic vni ſignorum nulli colligantiæ & ordini accepta ferenda eſt: vti econtrà omnis ratio ſympathiæ, amoris, concordiæ, animi propenſionis, ad ſignorum, ſiderumque familiaritates, quibuſcum ordinem cauſalitatis habent (vt habet etiam Ptolemæus *in Quadrip. lib. 4. cap. 7*) reducenda.

33. Hac etiam ratione, ni fallor, anni climacterici, ſeu ſchalares, in quibus ſemper aliqua corporum noſtrorum diſcratia expectanda eſt, prodeunt, & inconiuncta hac inconiunctorum ſignorum ſerie ordinantur. Siquidem ſingulis ſeptenarijs, ac nouenarijs recurrentibus, quoniam omnis bona ſiderum ad radicem Natalis configuratio expleta eſt, & non ſequi-

quitur acceſſus ad inconiuncta ſigna, quæ nullam cum radice natiuitatis familiaritatem habent, ideo ſequitur etiam corporis diſcratia, præcipuè verò in annis 21. 42. 49. 56. 63. in quibus vt plurimum nulla intercedere poteſt familiaritas, ac neceſſitudo Luminarium ad horoſcopum, vnde neceſſe eſt etiam vitam, deficiente rectore, abſcindi, aut plurimum quati. Quod etſi alij, (& quidem communiter) dominatui recurrenti Saturni naturæ inimico tribuant; probabilius tamen eſt id ortum habere à ſignis recurrentibus, ad horoſcopum, atque ad præcipua geniture loca, præſertim Luminaria, inconiunctis.

Hinc etiam expiſcari liceat congruentiam abditiſſimi illius arcani; Cur, inquam, octimeſtris partus non ſuperuiuat? de qua re tantopere exquiſierunt ſapientiſſimi Philoſophorum, atque Aſtrologorum, ac integro inſigniqué volumine ſcripſit eruditiſſime Federicus Bonauentura. Equidem nugæ ſunt quæ habent Aſtrologi apud Schonerum *lib. 1. de Iudicijs*, ac latè proſequitur Natalis Comes *in Mytholog. lib. 4.* quia, inquiunt, in primo menſe dominatur Saturnus Embrioni, in ſecundo Iupiter, in tertio Mars, in quarto Sol; & tunc eſt animal rationale; poſteà Venus, inde Mercurius, in ſeptimo tandem menſe Luna; & tunc ſi naſcatur viuit, & completus eſt curſus: ſi tranſit, & venit ad octauum, regnat Saturnus, qui ſua frigiditate, & ſiccitate interficit fœtum; ſed in nono regnat Iupiter, qui naturæ fotor eſt, atque adeò maturat, & fœliciter educit fœtum, &c. Nugæ, inquam, hæc ſunt; Nam peto, cur quarto, & (quod maximè notandum eſt) ſexto menſe in quo ſanè maturior eſt quam in quinto fœtus editus non ſuperuiuit, cum tamen ſuperuiuat in quinto? An quia quarto menſi Sol præeſt? At ſi vllus eſt, qui vitam ſuſtentare valeat, Sol eſt, qui vitalis potentiæ fons eſt, & origo: vt proinde ſicut ipſi inquiunt, vel inde fœtus animal rationale eſſe incipit ac vitalis: Deinde cur ſexto menſe editus non ſuperuiuit? An quia illi præeſt Mercurius? at is neque naturæ inimicus eſt, nec ſi foret, vitam fœtui poſſet adimere, cum ſit minimæ actiuitatis, atque adeo vt alibi adnotauimus, vel ob id in regendæ vitæ munus in locis aphæticis conſtitutus ſubintrare non valet. Cur decimo menſe, & vndecimo editus viuit (nam & multæ mulieres decem, vndecim, & eo ampliùs menſibus vtero gerentes viſæ ſunt) cum tamen ex eorum doctrina Mars naturæ infenſiſſimus in regimen deberet venire? Mitto alias validiſſimas rationes quas abunde congerit Gotifridus *in l. Inteſtat, &c.* atque idem Bonau. *lib. 7. cap. 14.* 34.

Sed & Franciſcus Valeſius *in Controuerſ. M. d. lib. 2. cap. 10.* 35.

ex Hyppocrrte, alijſque Medicis aliam ingenioſiſſimam rationem affert, cur Octimeſtris partus non ſuperuiuat, ex ratione videlicet conceptionis, & conformationis. *Nam mutationes*, inquit, *præcipua, quæ contingunt fætibus, certis quibuſdam temporibus, dum in vtero geruntur, ſunt figuratio, & motus, & partus: horum temporum ad ſe inuicem eſt proportio: hoc tempus motus duplum eſt temporis figurationis; & tempus partus eſt triplum temporis motus. Igitur pendet tempus partus à tempore figurationis, cuius non eſt ſimplex terminus, ſed varius: atque proinde tam multi ſunt termini partus humani, vt & ſeptimo, & nono, & vndecimo fieri, & duodecimo contingat; quia & quod multò magis mirandum quartodecimo etiam vt inquit Auicenna 3. lib. Fen. 21. niſi fortè detrahenda fides ei eſt, quia ex relatu loquebatur: ita enim inquit. Et iam dixit mihi fidelis quidam, quandam mulierem peperiſſe quartodecimo menſe; & benè dixit. Termini figurationis, vt apud Hippocratem videre eſt lib. de alimento, ſunt nunc 30. nunc 35. nunc 40. nunc 50. dies: quo loco, eam quam diximus proportionem obſeruat Hippocrates: nam eos qui 35 figurantur, 70 moueri, & 210. edi tradidit. Ex his itaque terminis licet colligere partus naturalis terminum eſſe ſeptimum menſem, qui conſtat 210. diebus, & nonum, qui completur 270. diebus: qui terminus fit ex 45. bis ſumptis, atque conſtituentibus 90. ad motum, atque ex illis rurſum ter ſumptis ad exitum. Poteſt verò etiam in principio ſeptimi menſis edi, quando ſcilicet ſolis 30 diebus figuratur fœtus: mouetur enim 60. diebus, & editur 180. quod eſt anni dimidium & principium ſeptimi: atque etiam in vndecimo editur qui configuratur 50 mouetur ſiquidem 100. & editur 300 atque ita, aut citiùs, aut tardiùs, proùt citò, aut tardè figuratur. Tamen nullus octauo menſe editur; nam qui 40. figuratur (figurantur autem pauciſſimi) his bis centum, & 40. editur qui quatuor iam dies ex nono menſe deſumpſit. Conſtant enim ſinguli menſes ex 29. diebus cum dimidio.* Hæc Valeſius, ex Barbarorum Medicorum placitis. Verum, vt benè ipſemet obſeruat, hæc ratio, etſi alioqui ingenioſiſſima plurimum claudicat. Nam quod fœtus formari poſſint quadrageſimo die docuit Hippocrates *loco cit.* Nunc ſi qui formantur quadraginta diebus, opus eſt, vt in octo menſibus matureſcat atque in lucem edantur. Quod ſi tamen aliquam partem ex nono menſe velis deſumere, iam inuenies, eos, qui ſpatio 35. dierum figurantur, octauo ad amuſſim menſe edi.

30. Quod ideò concludendum eſt, nullam eſſe, quæ mentem magis affirmet, atque ad verum collineet, rationem, quam quæ deſumitur ex ordine, & connexione ſignorum ad id quod conceptus tempore horoſcopum, ſeù alium quemuis locum,

qui vitam regendam, ſubſtentandamque ſuſcepit, occupabat. Siquidem, quia quarto, ſexto, octauo menſe ſuccedit in regimen ſignum, quod nulla familiaritate ſigno horoſcopo conceptionis præſidenti coniunctum eſt, ideò nulla vitæ prorogatio expectanda, bene verò cum ſigna contingunt, quæ cum radicali aliquo ordine, ac familiaritate nectuntur, qualia ſunt, quæ quinto, ſeptimo, nono, & reliquis menſibus, ex neceſſitate ſubintrant. Denique hæc eadem ratio arriſiſſe videtur Plutarcho *lib. 5. de placitis Philoſophorum cap. 18.* vbi hæc habet. *Mathematici*, inquit, *octo menſes ad quemuis partum inſociabiles aiunt, ſeptem ſociabiles, quæ incidunt in ſtellas domibus caleſtibus dominantes, & ſub ſe natis vitam infælicem, ac non longæuam portendunt. Sunt autem inſociabilia, quorum vnum cum altero octauum numeratur, vt Aries ad Scorpium, Taurus ad Sagittarium, &c. Hinc fieri, vt ſeptimo, vel decimo menſe in lucem edita vitalia ſint; octauo nati, ob diſſidium mundi pereant.* Hæc Plutarchus, cui aſtipulari videtur etiam Fracaſtorius *de Sympathia cap. 1.* aſſerens omnem huius rei rationem refundendam eſſe in ſympathiam menſium, adeoque ſignorum, atque antipathiam.

INDICTIO eſt certus quidam annorum numerus & compu- 37.
tus deſcribi ſolitus in Principum Diplomatibus, & ſcripturis publicis ad dignoſcenda recurrentia tempora, ſicut Olympiades, Luſtra, & ſimilia: amplectitur enim reuolutionem quindecim annorum, qua expleta, iterum reditur ad vnitatem. Ortum habuit, & nomen ſortita eſt ab indictione Veſtigalium, ac tributorum, quam Romani Principes olim vniuerſo orbi imperitantes populis publicè faciebant. Cum enim comperiſſent, difficile admodum eſſe ab remotiſſimis mundi plagis venire ſingulis annis Romam ſubiectarum prouinciarum legatos ad ſoluenda tributa, ſtatuerunt, vt ſingulis quinquennijs ſingula ſoluerentur, & in quindecim totis annis compleretur tota indicti veſtigalis ſolutio: itaut in primo quinquennio apportarent pro tributo ferrum, pro fabricandis armis: in ſecundo argentum pro ſtipendijs militaribus copijs erogandis: in tertio aurum pro Deorum ſimulachris fabricandis: & ſic ſemper poſt aurum, quod in quintodecimo quoque anno ferebatur, incipiebat quinquennium deputatum ad apportandum ferrum; ſicque noua indictio, quaſi nouus quidam temporis circuitus incipiebat, vnde nomen huic ſpatio datum eſt, quod in publicis annalibus deſcribebatur, ac ſucceſſiuè poſtea in ſcripturis publicis regiſtrari ſemper conſueuit, & etiam num eius vſus viget, licet alioqui eius ratio cum Romani Imperij ſceptro iam exciderit. Prædictum autem ſpatium quinque annorum voca-

tum eſt Luſtrum, quia eo tempore venientes nuncij prouinciarum ad ferendum tributum cum magna pompa, & comitatu vrbem luſtrabant. Olim hic cyclus annorum numerari incipiebat à die 24. Septembris. Nunc autem poſt correctionem Gregorianam incipit à Ianuario.

Quod ſi quis quolibet anno currente indictionem venari voluerit, ſic facili iure præſtabit. Annis à Natiuitate Domini excurſis adijciat tres: deinde productum diuidat per quinque, & quod reſiduum fuerit ex quotiente erit indictio illius anni. Quod ſi nihil ſuperſit; ſignum erit, quod eo anno indictio eſt 15. & complementum cycli. Sic exempli gratia: Anno currenti 1660. addo 3. & fient 1663. ſummam diuido per 15 & prouenient in quotiente 108. & adhuc reſiduum erit 13. hæc igitur erit indictio præſentis anni. Quod memoriæ ergo non nemo his verſibus expreſſit.

*Si tribus adiunctis Domini diuiſeris annos,*
*Per ter quinque datur indictio certificata.*

Et hæc quidem de indictione, eiuſque inſtituendæ ratione.

INDVS ſidus in Cælo ad polum Antarcticum, nobis inconſpicuum à recenſioribus vnà cum alijs vndecim detectum non ita pridem, atque in hominis indi formam, manu tenentis jaculum, figuratum: ſtellas habet 13. quintæ & ſextæ magnitudinis ſub ſigno Capricorni.

39. INFERNVS: & hic noſtræ molitionis ſubiectum. Eſt enim Vniuerſi iſtius centrum, (unde Iſydoro dictus tanquam *intus furnus*, ideſt niger.) Locus omnium infimus, obſcurus, & abiectiſſimus, in quem perinde atque in humano corpore viſcera, & vmbilicus, omnes mundi ſordes, & retrimenta, tanquam in propriam ſedem abijcienda ſunt peracto finali iudicio, vt ex Baſilio aduertit D. Thomas *in 4. Sentent. diſtinct. 47. qu. 2. art. 5.* Ea propter condignus dæmonum, & damnatorum carcer vbi perpetuò morabuntur æternis ignibus addicti. Ex eo verus locus ſiderum procul quacumque parallaxis deuiatione, obſeruari exquiſitiſſimè poſſet, ni telluris denſitas, obuiaret. Leſſius exiſtimat eius diametrum non excedere vnius milliarij belgici menſuram: quippe, ait circumferentia eius tantæ amplitudinis erit, vt optimè capax eſſe poſſit tot millium corporum, quot planè vero ſimiliter coniectari poſſumus, futuros eſſe damnatos. Putat enim eos ibi locandos poſt acceptam Iudicis ſententiam illam *Ite maledicti in ignem æternum*, tanquam muriaticos piſces in dolio, ita vt alter alterum premat, nec vllum aliud ſpatium ſit, quod non corporibus repleatur. Franciſcus Ribera in *Apocalypſ. cap. 14* probabiliter coniectat inferni diametrum eſſe longam ducentis italicis milliarijs,

atque ex eo deducit, quod ibi effuſus dicitur ſanguis laci iræ Dei ad ſtadia 1600. alij aliter opinantur: quæ res ſanè difficilis eſt definiri; cum id neque ex ſcripturis, neque ex Mathematicis obſeruationibus colligi poſſit, ſed pendeat ex mero conditoris beneplacito. Cæterum ibi tria ſunt receptacula, vt communis SS. Patrum, & Eccleſiæ traditio eſt: quorum inferius, quod Mundi meditullium includit, damnatorum ſupplicio eſt deſtinatum; aliud, quod iſtud immediatè ambit, expiandis animabus ad Cœleſtem gloriam tandem migraturis addictum eſt: Tertium amplius, & ſpatioſius, qui Limbus SS. Patrum, & puerorum cum originali macula decedentium dictus eſt, vbi neque ignis, & fortaſſis neque tenebræ ſunt, ſed locus eſt valdè amœnus, aliquali luce ex terræ hiatibus tranſpirante perfuſus, diſtatque à ſuperficie terræ iuxta Bonardi obſeruationes milliarijs 37.48. cum quadrante.

Porrò Inferni, & Purgatorij loca vero, atque elementari 40. igne eſſe repleta, teſtantur ſæpiſſimè ſacræ paginæ, & communis omnium Catholicorum ſenſus. Vt videre eſt apud Bellarmin. *tom.1. de Purg. lib. 2. cap. 11.* & licet Damaſ. *de fide Ortod. lib. 4. cap. 28.* aſſerat *Æternum ignem cum materia inſtar huiuſce noſtri conſtare:* & D. Greg. Papa *lib. 15. Moral. cap. 17.* eum vocat incorporeum; tamen intelligendi ſunt non quod eiuſdem ſubſtantiæ, ac naturæ non ſit: proindeque verè immaterialis, & incorporeus ſit, ſed quod corporeo pabulo non egeat vt conſeruetur, neque materia, vt accendatur: cum alioqui idem Greg. *lib. 4 Dialogorum cap. 29.* percontanti Petro num ignis gehennæ ſit corporeus an incorporeus, reſpondet *Ignem gehennæ corporeum eſſe non ambigo, in quo certum eſt corpora cruciari.* Vnde oportet amanuenſium, vel librariorum fuiſſe errorem quod in moralibus habetur, *incorporeus*, & verius ſcribi debuiſſe corporeum, vt habet idem Bellarm. ac D. Thomas, qui *in 4. ſentent. diſt. 44. qu. 3.* hunc locum citans ponit, corporeus: & latè explicat dictum Greg. & excuſat Damaſcenum, inquiens eum non negaſſe ignem inferni materialem eſſe quoad ſubſtantiam, ſed quoad punitionis effectum, punit enim corpora ſpirituali quadam actione, cum ea nec diſſoluat nec conſummat, ſed incorruptibiliter cruciet, & ipſas animas ſpirituales modo quodam ineffabili, & imperceptibili. Quod quomodo fiat variè, & latè explicant Theologi, ad quos cum res noſtra non interſit lectorem remitto. Eſt igitur abſque dubio ignis gehennæ eiuſdem rationis cum noſtro, licet longè horribilior, ac potentior. Quinimò non defuere Philoſophi, qui dicerent ignis ſphæram, & locum illi connaturalem eſſe in Mundi centro, hoc eſt in Inferno; vel ex eo probantes,

quod in Macrocoſmo, eum locum occupare debet, quem in Microcoſmo vitalis calor, cui eſt in corde, hoc eſt in hominis meditullio ſedes. Tum quia ignis natura, inquiunt, eſt ſummè mobilis, & vndequaque diffugiens: debuit ergò habere locum in medio vniuerſorum, vnde probè calorem ſuum vndequaque transfunderet, atque in arcta, vt ita dicam, cuſtodia ita detineretur, vt non facilè diſſipari poſſet. Ita diſcurrebant Pythagorici, quibus modò nonnulli recenſioribus addicti ſunt.

41. Sed enim ſiue ignis Inferni ibi ſit tanquam in propria, ac naturali ſede, ſiue ex conditoris arbitrio (neque enim quod ab initio ab ipſo naturæ authore conſtitutum fuit, ab ipſo naturæ ordine alienum eſſe cenſendum eſt.) An autem adhuc lumine præditus ſit magna eſt inter Theologos ac SS. Patres controuerſia. Negat Chriſoſthomus, Ambroſ. Theodoretus, Athanas. Cyrillus, Proſper Aquitanus, Baſilius, Innocentius, & alij communiter. Affirmat autem Gregor. lib. 9 Moral. cap. 39. dicens illum non ad conſolationem, ſed ad maiorem terrorem lucere, luce tamen ſuboſcura & nigricante, quale eſt lumen tædarum quod potius terrorem incutit quam delectat: ſubſcribit Iſidorus lib. 4. de ſummo bono, cap. 31 inquiens *Ignem gehennæ ad aliquid lumen habere, & ad aliquid non habere, hoc eſt habere lumen ad damnationem, vt videant impij vnde doleant & non habere ad conſolationem, ne videant, vnde gaudeant.* Neque in hoc ſunt contrarij Ambroſ. & Innocentius vbi ſupra, quorum poſterior dicit inter alios damnatorum cruciatos vnam eſſe viſionem dæmonum, qui videbuntur in excuſſione ſcintillarum de igne aſcendentium. Et ſanè ſi ignis ille naturalis, & corporeus eſt, illum ijdem prorſus qualitatibus præditum, quibus noſter iſte vſualis ignis eſt affirmare oporter; niſi quod ibi maior actiuitas, maior vrendi vis, quam in hac telluris ſuperficie, vbi aëris ambientis facilitate, ac frigore plurimum debilitatur. atque obtunditur (quod videre eſt in clibano, alijſque vndique conſtipatis ignibus, qui potentiùs agunt quam reliqui.) Ob id, nil mirum, ſi ſubterranei ignes, & qui paſſim è montibus eructant, tam violenti ſint, vt penè diuerſæ ab noſtro, ſpeciei eſſe videantur, ob idque à nonnullis eiuſdem rationis, atque infernalis eſſe credantur. Quod ego non detrectauerim; immò certo certius habeo, hos terræ hiatus, vnde paſſim videmus ignes erumpere aliud non eſſe quam Inferni ſpiracula, vnde ignis ille euapotat, & quandoque accenſus eructat, & vicinas regiones deuaſtat. Tales ſunt ſulphureæ Puteolorum venæ ignem, & fumum perpetuò eructantes: Veſuuius mons prope Neapolim: Æthna in Sicilia;

Arequipa in Peruano regno: Hecla mons in Iſlandia: Pittacia in Perſide: alijque quos referunt Plinius, Maiolus & alij. Quod tum ratio naturalis ſuadet, tum frequentiſſimæ hiſtoriæ; ac plurium Philoſophorum auctoritas. Ratio, inquam, quia ignis quicumque naturaliter euaporare petit, & quoddam ſpiraculum, vnde exhalare queat, & fumum traijcere, ergò id etiam infernali competet, qui ſanè per huiuſmodi terræ hiatus exhalat. Accedunt hiſtoriæ. Refert enim Henricus Kermannus *in lib. de mirac. mortuor* in Turingia apud montem Ferrariam extare quandam voraginem, ſeu terræ hiatum, qui horriſonus eſt, & communiter reputatur eſſe oſtium quoddam Inferni; eoquod ſæpiſſimè ex eo audiuntur clamores, & vlulatus animarum, & circà ipſum ignes quoſdam apparere. Simile quid refert Surius de Hecla Iſlandiæ monte, Pompilius Azzelus *de rebus natural. lib. 5. cap. 16.* Olaus magnus Saxo Grammaticus. Brocardus, & alij multi. Claudianus etiam Poëta *in Rufin. lib. 10.* meminit cuiuſdam loci in Hybernia, qui nunc creditur eſſe Vorago illa, quam idcircò vulgo appellent *Puteum S. Patricij*, vnde auditur frequens luctus, & eiulatus animarum. Sic enim ait.

*Eſt locus extremum, qua pandit Gallia littus,*
*Oceani prætextus aquis, quo fertur Vlyſſes,*
*Sanguine libato populum mouiſſe ſilentum.*
*Illic vmbrarum tenui ſtridore volantum,*
*Flebilis auditur queſtus ſimulachra coloni,*
*Pallida, defunctaſque vident migrare figuras.*

Huius rei ampliorem hiſtoriam, & quomodo precibus S. Patricij Hybernorum Apoſtoli ad aliquam infernalium tormentorum cognitionem populis ingerendam, vt à malis patrandis auocarentur, fuerit ei à Chriſto Domino ſibi viſibiliter apparente monſtrata quædam ſpelunca rotunda, & obſcura, quam qui ingrederentur referrent, ibi ſe immania tormenta perpeſſos, & vidiſſe foueas quaſdam, & oſtia inferni, per quæ damnati proijciebantur: qui, inquam, huius rei vberiorem notitiam volet pluraque teſtimonia, videat Franciſcum Reſtam *de Meteoris lib. 1. Tract. 4. cap. 4.*

Denique in hanc ſententiam inclinant, vel certè apertè veniunt multi ex SS. Patribus, Auguſtinus, Gregorius, Bernardus, Iſidorus, Tertullianus, Bonauentura, Petrus Damianus, Bernardinus Senenſis, & alij. Vt iam modò nonnihil temeritatis habeat affirmare huiuſmodi igniuomos montes, & antra non eſſe Inferni oſtia, & ignis ibi exiſtentis euaporamenta ſi non ad aliud, certè ad hoc vnum ab Authore Naturæ in varijs terreni orbis locis aperta, vt homines inde diſcerent, leo eſſ-

cum vbi impiorum animæ poſt mortem puniuntur, ſicque à patrandis criminibus arceantur, quod & Pythagoras, quamuis Ethnicus intellexit inquiens ignes hos ſubterraneos cruciare animas improborum.

42. INFORTVNA dicitur Planeta maleficus Saturnus, qui nuncupatur infortuna maior, & Mars infortuna minor; eo quod loca in quibus reperiuntur, infortunent. Similiter infortuna dicitur quicumque alius planeta qui ab iſtis infortunetur. Vide in V. *Fortuna*.

43. INGENICVLVS, Hercules, Engonaſis: ſidus in Cælo ad Borealem plagam, hominem repræſentans, qui dextro genu nixus, ſiniſtro pede draconis Caput opprimere videtur. Continet ſtellas 29. de quibus diximus ſub V. *Engonaſis*.

44. INGRESSVS apud Aſtronomos, præſertim Ptolem. *cap. vlt. Quadripartiti*, ſignificat familiaritatem quandam, quam ſidera quotidianis lationibus, præſertim in annua reuolutione acquirant, cum locis directionis, ſeu radicalibus tum ſui, tum aliorum Prorogatorum Quandoquidam ingreſſus beneficarum ſemper proſunt vt benè aduertit Titus in cæleſti Philoſophia *lib.* 3. *cap.* 11. maximè in conuenienti familiaritate maleficarum ſemper obſunt. Præcipuè verò ingreſſus valent ad eliciendos ad actum effectus illos, qui ſunt in potentia proxima præordinati per motum directionis, ſi modo effectus ſint naturæ ſuæ conformes: ſin minus illos retardant, aut diminuunt. Sunt autem ingreſſus in duplici differentia, vt idem

45. Titus obſeruat: alij actiui qui fiunt à ſtellis actiuam virtutem habentibus, quando ingrediuntur aut corpore, aut radio loca directionum, & progreſſuum moderatorum; nam tunc agit in ipſos moderatores: alij paſſiui, qui fiunt ab ipſis moderatoribus, Sole videlicet, Luna, aſcendente, medio cæli, ac fortunæ parte, quando ingrediuntur ad familiaritates locorum directionis, & progreſſuum Aſtrorum omnium quæ virtutem actiuam habeant: tunc enim ipſi Prorogatores patiuntur vt ita dicam ab Aſtris, & recipiunt effectus illorum. Porrò quos effectus habeant in hiſce inferioribus ingreſſus tam actiui, quam paſſiui, ingenioſiſſimè explicat Titus loco citato.

46. INTERLVNIVM dicitur tempus illud, quo Luna ſilet: hoc eſt ſub radijs Solis exiſtens à nulla nobis parte conſpicua fit, ſed ſupernè tantummodo in parte Soli obuia illuſtratur: quod quidem tempus complectitur aliquid Lunæ veteris, & aliquid nouæ; cum vetus, antequam Soli iungatur corpore, ad ipſum accedens non amplius appareat; & noua ab ipſo recedens non adhuc conſpicua eſt. Interlunij tempore ſi ſata ſerantur ea non eſſe vermiculis obnoxia teſtatur Plin. *lib.* 18. *cap.* 17.

INTERROGATIONES, ſeù *Quæſtiones Aſtrologicæ* dicuntur quæ ex naturali, vt aiunt impulſu de re aliqua fiunt Aſtrologo coniectori, vt inde is ex figura cæli ad momentum quæſtionis erecta prædicat, quid de tali re futurum ſit. De ijs multa vanè ſcripſerunt Arabes, & Iudæi, quos inter ex profeſſo Hali Aben-Ragel, & Guido Bonatus. Non-nulla etiam verba ad hanc rem habet Centiloquij Author, vt vel inde euidenter appareat, non eſſe id Ptolemæi opus, qui in nullo ſuorum operum eas vnquam admiſit, aut admiſiſſe videtur. Et quidem ſi ſi qua eſt in rebus Aſtrologicis vanitas, & dementia, hæc ſummum apicem tenet. Neque enim naturalis ratio elucet, quomodo cum fortuito interrogantis occurſu connexionem vllam habeat cæli poſitus; quomodo hic & rem futuram indicet, & interrogantem ad ſciſcitandum impellat; vt benè diſcutrit Titus in cæleſti Philoſophia *lib. 1. cap. 6.* Namque, ait ipſe, res futuræ habent naturales ſuas cauſas dependentes à radice Natalis, vel à diurnis lationibus, quæ non cohærent cum præſenti ſiderum habitudine, quæ mouet noſtra phantaſmata: opus eſt enim, vt inter ſigna, & res ſignificatas ſit aliqua connexio. Denique explicari non poteſt quomodo ex eadem cæli figura ad momentum factæ interrogationis erecta prædici vni ex præliantibus, aut dimicantibus mors, alteri victoria; ſi profectò eodem tempore, & in ijſdem circumſtantijs ab ambobus fiat interrogatio. Sed hanc vanitatem fusè imbrobat Cardanus non vno in loco ſuorum operum. Maius ſanè fundamentum habent Electiones [illegible]um in certo ſiderum poſitu factæ, quippe quæ nec ratione, neque experimentis carent. Sed & hæ quoque cum radice natiuitatis conferendæ ſunt, & inde, vt feliciter exeant aggrediendæ. 47.

INVERSARIF apud Arabes eſt oppoſitum *Mutatil*, cum videlicet Planeta exiſtens in corde alterius, & agglutinatus ei vſque ad minutum ſeparatur ab eo vel ad gradum vnum. Ptolemæus in verſione Arabica Hali Rodoan. 48.

## IR

IRIS Græcè denotat arcum illum cæleſtem, qui aduerſo Sole formatur in nube roſcida, vel in minutiſſimis aquæ cadentis guttulis, in quibus tanquam in ſpeculo excipiantur ſolares radij, in orbem diffuſi, ac miram illam repræſentent colorum varietatem ſua ſpecie mentes hominum præſtringentem, atque in Dei laudem trahentem. Vnde Eccl. 41. dicitur *Vide arcum & benedic Deum qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo.* Hinc etiam antiquis Thaumantias, hoc eſt admi- 49.

rationis Filia dicta eſt, ac Deorum nuncia credita. Formatur autem duo tempore ſiue à Sole, ſiue à Luna (licet hæc rarò admodum iridem faciat, eamque vnius coloris, & ſemper albicantem) per refractionem ſolarium radiorum in dicta nube caua, & ex parte diaphana, ex parte autem opaca, vnde pro diuerſitate incidentiæ radiorum cauſetur diuerſitas illa apparentiæ, & colorum. Vt plurimum autem in ſolari Iride tres colores apparere ſolent. Puniceus, viridis & purpureus: & quidem ex parte arcus exteriori, puniceus, ex parte interiori purpureus, mediùs autem viridis; quia cum in parte extima ſit minor opacitas, ſit color flauus, ſeù puniceus: econtrà quia in parte interiori eſt maxima opacitas ſit color purpureus: in medio verò, quia eſt moderata opacitas, ideò radij ſolares coeunt in colorem viridem. Et quoniam ſolares radij in orbem diffunduntur, ideò orbicularis eſt colorum apparentia: ſemper autem in Solis oppoſito; itavt centrum arcus ſit ex diametro oppoſitus centro Solis. Et idcircò numquam apparet niſi ſemicirculus; & quò ſol depreſſior eſt, & horizonti proximior, eò maiorem arcum efformat, & contrà quò elatior eò minorem. Hinc ferè ſemper cum ſe præbet Iris inſpiciendam, id fit matutino, vel veſpertino tempore. In meridie verò ferè numquam, niſi fortè in hyeme, quo tempore ſol humilis valdè eſt, & magis horizonti, quam vertici noſtro proximus, vnde & viſibilem arcum efformare poteſt. Immò & quandoque accidit, vt Sole in linea meridiana exiſtente duæ, & quandoque plures Irides hinc inde Orientem verſus, & Occidentem formentur, licet eæ valdè debiles, ac depreſſæ, ſi videlicet duæ nubes hinc-
50. inde eauæ, & vdæ ſolaribus radijs illuſtrentur Eius præſagia apud ruſticos refert Cælius Rhodiginus in hæc verba. *Si enim*, inquit, *fuerit color rubeus in albente, fertilitatem præſignat, quia talis color ſit ex materia raritate; rara autem materia a Sole facilè reſoluitur, & ideò non ſequuntur copioſæ pluuiæ quibus agrorum feracitas nimium impeditur. Quando color viridis maior eſt reliquis ſignificat oles, & oliuarum vbertatem. Denique cum color puniceus vicerit, frumenti copiam; cum purpureus, reliquorum fructuum, pollicetur.* Hucuſque Cælius. Mizaldus *arcanorum lib. 2.* ex Plin. & Ruell. refert arbores fieri odoratiores ſi in
51. eas apparens Iris incubuerit Cæterum generaliter Iris eſt ſerenitatis index, vel etiam pluuiæ mox futuræ pro temporum diuerſitate. Nam ſi matutino tempore appareat, & non præmiſſa pluuia, ſignificat ſolem incipere iam reſolutionem nubium, quam neceſſariò pluuia comitatur: econtra ſi veſpertino tempore, & poſt pluuiam indicat ſolem nubium reſolutionem perficere, & complere, quam mox ſerenum tempus con-

ſequitur. Vnde ab ipſomet Conditore Deo poſt diluuim poſita eſt in ſignum ſerenitatis, & fœderis, inter ipſum & homines, ne deinceps aquis diluuij perderet omnem carnem. Quod quidem myſticè explicat de Chriſti humanitate Iacobus Epiſcopus Chriſtopolitanus in expoſitione Cantici Habacuc in illa verba *ſuſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus, quæ loquutus es.* Dices, qualiter Deus Pater ſit inſtar Solis fontis, 52.
& principij omnis lucis diuinitatis, *qui debebat imprimere imaginem ſuam in nube humanitatis, ideſt mittere filium ſuum, qui eſt imago Patris in carnem; qui debebat latere in nube humanitatis: in qua perſona ſunt tres ſubſtantiæ, ſcilicet Verbum, Anima, & Caro, ex quibus conſtituitur vnica perſona ſub vnico eſſe perſonali, & diuino. Qui quidem arcus diuinus debebat fugare omnem tempeſtatem, & totum diluuium peccatorum, & ſedare omnes tenebras veteris pacti, & inducere lucem, & ſerenitatem gratiæ. Ad quem arcum ſapiens pater non amplius debebat recordari veteris pacti: immò Deus reſpiciens illum arcum qui eſt filius incarnatus, illicò recordatur fœderis promiſſi inter ipſum, & genus humanum. Et ſic Pater reſpiciens illum arcum in cruce recordatus fœderis promiſſi remiſit pactum toti generi humano.* Hucuſque Epiſcopus Chriſtopolitanus piè quidem, & eruditè nimis. Sed longè à noſtro inſtituto aberrauimus. Hæc ſufficiant.

IRINA Virgarum ſpecies apud Ariſt. ab Inde dicta pluuiæ 53.
certum præſagium: de qua vide in V. *Virga*.

## I S

ISARITHMI Græcè ſignificant prima numerorum elementa 54.
quæ in decem figuris continentur, quas nos in *V. Abaculi* explicauimus ab *Iſag*, quod initium, & *rythmos* qui numerum denotat, deriuatum. Porro *Iſoryſthma* numero paria ſignificat, ab *Iſo*, quod eſt æquale. Hinc *Iſomaros* dicitur quod æquales continet partes. Sic

ISAGONIVS eſt figura Geometrica æqualibus angulis con- 55.
ſtans.

ISOPERIMETRÆ figuræ, quæ æqualem habent circumfe- 56.
rentiam, & his ſimilia. pari ratione.

ISOMÆRINOS ſæpiſſimè apud ſcriptores Græcanicos dici- 57.
tur Æquator, & Circulus æquinoctialis, eoquod æquet diebus noctes, & æquales diuidatur in partes.

ISIS etiam Græcè præcipuè apud Hermetem dicitur ſtella 58.
fixa in Canis aure ſiniſtra. At Auieno audit Virginis ſidus.

ISOSCELES eſt figura Geometrica triangularis, quæ duo tan- 59.
tum latera habeat æqualia, tertium verò neutro æquale, ſed aut

maius, aut minus: Angulos autem duos æquales omninò habere debet, reliquum, aut obtuſum, aut certè alijs duobus magis acutum. Vnde eſt, quod duæ ſpecies Trianguli Iſoſceles dari poſſint, alterum, cuius tertium latus ſit reliquis duobus maius, ſicque reliqua duo, cum ſe tangunt efforment angulum obtuſum: alterum, cuius latus tertium ſit minus vtrouis æqualium, ſicque iſta deſinant in augulum magis acutum. Vide demonſtrationes apad Euclidem.

## I V

60. IVGVLA ſidus in Cælo, quod notiore vocabulo dicitur Orion ſtellas habens 38. de quo ſuo loco. Dictum à Iugulo, quod præſeferre videntur tres ſtellæ conſtitutæ in medio, & ſupra duas alias ſatis claras, quas Orionis humeros nuncuparunt. Hinc Plaut. in Amph. Orionem intelligens, *Neque Iugula*, inquit, *neque Veſperugo, neque Vergiliæ occidunt.* Propriè verò, & magis ſtrictæ Iugularum nomine veniunt tres ſtellæ in cingulo Orionis conſiſtentes in linea recta ad æquatorem, ſecundæ magnitudinis, quarum quæ ad Auſtrum declinat, habet naturam Saturni, & Veneris; reliquæ duæ ſunt de natura eiuſdem Saturni, & Iouis. Sunt ſtellæ tempeſtuoſæ quæ ventos mouent fulgura, & tonitrua. De ijs exorientibus in alicuius Natiuitate Pontanus in Vrania dicit, quod faciunt Venatorem, Militem ſtrenuum, maximè ſi Mars aſpexerit, & Iupiter benigno radio affulſerit. Fœmina etiam ſub Iugulis nata erit ferox, intrepida, venationi, & armis addicta.

*Tantum adeò Iugularum ortus per tela, cruoremque*
*In ſiluis, in ſpeluncis, & in æquore ſæuit.*

Si Saturnus malè aſpexerit, portendit naufragium, & diram mortem in ſomnis. Occidentes verò cum Marte poſito propè Aſellos maiora portendunt mala, & funeſtiſſimum exitum. At ſi Mercurius, & Luna hæc loca inſederint, morietur placida morte in ſomnis.

61. IVGVLÆ etiam apud Manilium dicuntur duo Aſelli in pectore Cancri conſiſtentes, de quibus ſuo loco dictum.

62. IVGVM Ptolemæo & Cicerone dicitur Libræ ſidus; neſcimus qua ratione.

63. IVPITER olim *Iouis* à iuuando dictus quaſi Iuuans Pater. Planeta maſculinus, ac diurnus vnus ex ſeptem erraticis ſtellis proximè ſuprà Martem ſub Saturno collocatus: à nobis enim cum longius abſit, atque inter duo extrema & frigoris & caliditatis conſtitutus, neque exſiccare, neque excalefacere nimium poteſt, quinimò eorum exceſſiuas qualitates obtundit, ipſeque interim caliditatem, humiditatemque moderatam facit, quæ ad vitæ munia obeunda apprimè idonea ſunt. Patitur

Eclipſim à Sole, à Luna, & à Marte: à reliquis minimè occultatur. Complet circuitum ſuum in annis 12. & diebus ferè 312. habens pro Centro ſolem, vt Tycho diligentiſſimus Aſtronomus obſeruauit.

Obſeruatæ ſunt non ità pridem à Galilæo primùm, mox ab alijs ope Teleſcopij aliæ quatuor ſtellulæ circà Iouem illum comitantes, atque aſſidua vertigine conſtipantes; quippe aliquando ab eo remouentur, aliquando magis approximantur, aliquando etiam modò omnes, modo aliquæ ſub eius corpore occultantur, quod indicio eſt, ipſas moueri in Epicyclo circà ipſum: nec quidem æqualiter; nam primam, & viciniorem obſeruatum eſt complere circuitum circa Iouem die vno, & hor. circiter 18. ſecundam diebus tribus cum horis ferè 13. tertiam diebus 7. & hor. 4. quartam tandem diebus ſexdecim, cum horis 18. quæ & ipſæ illuminantur à Sole non ſecus ac corpus Iouis, atque eclipſantur ab ipſo Ioue, quando interponitur inter ipſas, & Solem, qui propterea ad ipſas nequit lucem ſuam tranſmittere. Eclipſantur etiam quoad nos, quando videlicet Iupiter ſe interponit inter ipſas, & noſtrum obtutum; ſicut etiam quando ipſæ immediate ſub Ioue conſtituuntur videri nequeunt ob nimiam Iouis claritatem. Has ſtellas Iouis comites Galilæus primus detector Mediceis Etruriæ Principibus dedicauit, atque ab ijs mutuato nomine. *Mediceas* appellauit. 64.

At enim verò ipſum Iouis corpus obſeruatum eſt, non eſſe vndequaque clarum, ſed habere duas maculas inſtar Zonarum, quibus circumuoluatur, quæ quoniam modò rectæ, modò tranſuerſæ apparent, argumento ſunt, ipſum Iouis corpus in gyrum rotari, quemadmodum de Sole, *in Roſa Vrſina*, aliiſque planetis alibi dicitur. Cæterum quoad ſignificata, Iupiter denotat prudentiam, temperantiam, liberalitatem, magnanimitatem, modeſtiam, manſuetudinem, &c. Præeſt viris Eccleſiaſticis, Prælatis, Epiſcopis, Aduocatis, Religioſis, Nobilibus, Præfectis Prouinciarum, &c. Ex membris humanis dominatur Iecori, ſanguini, pulmoni, tactui, carni, iecoriſque humoribus. Morbos inducit, qui ex flatibus fætore, aut ſanguinis putrefactione oriuntur: vt pleuram, Cardiacam, Anginam, Apoplexiam, ſpaſmum, ſiue conuulſionem, & ſtuporem, inflammationes hæpatis, dolorem capitis, & ſimilia. 65.

## IX

IXIONIS ROTA dicitur ab aliquibus Corona Auſtralis, ſidus ad auſtralem plagam tredecim ſtellas habens conſpicuas in longitudine ſub ſigno Libræ, de qua ſatis abundè diſcimus ſuo loco. 66.

## K.

Kabar, ſeu *Elkabar* Elſcheer Chaldaice Latinè Canis ma-
1. ior ſidus, ita Kircherus in Oedipo.
Kachitichi Græcè Latinè interpræratur Mala fortuna.
2. Apud Aſtronomos hac notione ſignatur ſexta domus ab Ho-
roſcopo cadens ab angulo Imi Cæli, locus infœlix, & om-
nium locorum cæli abiectiſſimus: quippequi, & cadens, &
ſubterraneus, & nulla familiaritate cum horoſcopo copulatur.
Ideò ex ea ſumuntur ſignificationes de nati valetudine, infir-
mitate, futuris morbis, ac vitijs corporis, alijſque malis bo-
nam corporis conſtitutionem, ac temperiem infeſtantibus.
Significat etiam ſeruos, ancillas, animalia minora, & com-
moda, vel incommoda, quæ inde percepturus ſit natus. Ha-
bet debilitatis quatuor partes: colorem ſibi vendicat nigrum,
& gaudet in ea Mars.
Kalb. Arabicè idem ſonat, ac meditullium, penetralia,
3. Cor. Vnde Kalb Alatrab idem valet, ac Cor ſcorpij. Kalb Al-
pharad, ac Latinè cor hydræ. Kalb Eleced, Cor Leonis, &
ſic diſcurre. Quorum omnium naturam & qualitates ſi quæris
vide ſub propijs nominibus.
Kaytos vel cum articulo *Elkaytos* Arab. idem ſonat ac La-
4. tinè Cetus, balena, &c. ſidus in auſtrali plaga continens apud
Ptolemæum ſtellas 22 apud Keplerum 21. & apud Bayerum 27.
in eo præcipuà Natis, quæ etiam Mandibula dicitur, Arab.
Menchar: Tum Lucidior, & auſtralior in cauda dicta Deneb
Kaytos: tandem media in Ventre, Baten ſiue Bata-Kaytos
omnes de natura Saturni.
Kalvrops, ſeù Alkalurops. Arab. dicitur haſtile Bootis
5. ſtella fixa de qua in V. Ceginus.
Kenen Satvrni dicitur in ſphæra barbarica, tertius De-
6. canus Sagittarij manens ſub dominatu Saturni, habenſque ſi-
gnificare obſtinationem in propoſito contradicendi, dexterita-
tem in malis rixis, & factis abominabilibus.
Kertho Chaldaicè dicitur ſignum, & conſtellatio Sagit-
7. tarij apud Hebræos autem *Keſcheth*. Teſtis eſt Kircherus in
Oedipo Ægypriaco.
8. Kesil ſeu *Kiſil* Hebraicè dicitur ſidus Orionis, de quo vi-
de in V. Iugula. Item
Ketpholt svmman corrupto nomine *Garaclos* Chaldaicè
9. dicitur Hercules ſeu fixa ſecundæ magnitudinis in capite alte-
rius Geminorum exiſtens: dicitur etiam *Abrachaleus* de qua
vide ibi.

KIMACH Hebraicè teſte Kirchero audiunt Hyades ſtellæ in capite Tauri. 10.

KOCLASMENON Chaldaice hoc eſt diſcus paruus teſte eodem Kirchero dicitur Corona borea, ſidus de quo alibi dictum. 11.

KVS apud Hebræos idem ſonat ac *Poculum*; vnde ab ſcriptoribus rerum cæleſtium accipitur pro Cratere ſidere poſito ſupra dorſum Hydræ, de quo alibi dictum. 12.

Reliqua quære ſub litera C.

## L A

LABANAH apud Hæbreos ſcriptores dicitur Luna luminare minus ab albedine. V in V. Luna. 1.

LACTEA VIA, Circulus lacteus Galaxia,&c. dicitur in cælo callis ſubalbicans & ſubobcurus, candori lactis perſimilis exiſtens, vt creditur, in Firmamento,& totum illud complectens ad modum circuli, vt præſertim ſerena nocte videre eſt, tranſiens per ſigna Geminorum,& Sagittarij; item per Caſſiopeam, Cygnum, Aquilam, Aurigam, & Perſeum, de eo ſatis fuſe diximus in V. *Galaxia*. 2.

LÆLAPS apud Apuleium, & Ariſt *lib. de Mundo cap. 3.* dicitur Ventus de genere procellarum, qui infernè ſpirans ſurſum verſus repentè conuoluitur. Huic affinis eſt ſtrobilus & Anaphyſema qui dicitur ventus ſublimè ſeſe rapiens cum è ſpecu depreſſo flatus emicuerit, aut è terra in hyatum deſcendente: Vide in V. *Typhon*. *Lalaps* item apud Ricciol. dicitur aliquibus canis maior ſirius, de quo alibi dictum. 3.

LAMPAS, & *Facula* vulgò ab Aſtronomis appellatur Pallilitium, ſeù Aldebaran ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Martis in oculo auſtrali Tauri conſiſtens, eoquod magnitudine ſua, atque fulgore igneo velut lampas reſplendeat. 4.

LAMPADES etiàm apud Plin. *lib. 2. cap. 25*: & *26*. dicuntur ſpecies quædam Cometarum, ſeu ignitarum accenſionum, quæ fulgore ſuo faces ardentes imitantur. Has ipſe teſtatur non niſi cum decidunt, viſas, qualis quæ, Germanico Cæſare gladiatorum ſpectaculum edente, præter ora populi in meridie tranſcurrit. Has in duplici ait eſſe differentia, alias, quas ſimpliciter faces appellet, quæ veſtigia longa faciunt, priore ardente parte: alias *Bolides* dictas, perpetuò ardentes, ac longiorem trahentes limitem, qualis fuit quæ Mutinenſibus malis viſa eſt. Hæc Plinius. Vide in V. *Cometes*. 5.

LANCEA Vide iaculum, ignitæ impreſſionis ſpecies. 5.

LAR, *Thuribulum*, *Ara* dictum eſt ſidus in cælo ad auſtralem 6.

plagam ſub ſigno libræ ſeptem ſtellis formatum, quæ ſunt de natura Veneris, & parum Mercurij. De eo ſcribit Pontanus in Vrania, quod ſi in alicuius natiuitate reperiatur aſcendens, facit ſacris addictum, ſacerdotalibus infulis præfulgentem, præſertim ſi Iouis ſidus benignè affulgeat. In Occidente verò cum prauo Martis, aut Saturni aſpectu facit ſacrilegos, & prophanos debito igne mulctati. Quodſi Iupiter adſtet, hæc omnia prohibet: quinimò facit religioſum clauſtralem, votis obligatum numini, & ſacris ritibus incombentem.

8. LARGITIO, teſte Abraham Auenare eſt quædam erectio, & vitium ſtabilimentum planetæ exiſtentis in puteo, aut in depreſſione, & ei alius iungatur, qui ſit amicus, vel diſpoſitor loci, in quo ille reperiatur: tunc enim dicitur largiri illi ſuum iuuamen, & eripere illum à puteo, vel ſua eiectione.

9. LATERCVLVS, Græco nomine *Doſis* apud Geometras dicitur id quod latitudine, & craſſitudine caret; eſt tamen præditum longitudine. Vide Vallam.

10. LATERONES dicuntur planetæ conſtipantes Luminaria; qui profectò ſint illis ad latus, ac ſuo munimine fulciant: alio nomine ſtipatores, & ſatellites. Et hæc planetarum ad luminaria conſtitutio dicitur *Ductoria, Doryphoria*, noſtro vocabulo, ſatellitium, quæ quonam pacto fiat vide in eodem verbo. Præterea Latrones dicuntur aliæ ſtellæ nuper à Galilæo ope Teleſcopij detectæ in Saturno duæ, quæ ipſum quandoque oualem figuram habere demonſtrant; nec-non in Ioue quatuor ſatis conſpicuæ, quæ circà ipſum feruntur, ab eo mediceas nuncupatas. Sed de hac re ſatis dictum ſuo loco.

11. LATIO apud Aſtronomos idem valet, ac motus: Vnde lationes ſunt non modò vniuerſales ſiderum circuitiones, quas in dies ſingulos perficiunt ab Oriente in Occidentem per motum vniuerſalem primi mobilis, ſed etiam eo nomine veniunt omnes motus ſiderum quotidiani, quibus influunt in hanc materiam ſublunatem. Qua de re vide quæ habet Titus *in cæleſti Philoſophia lib. 3. cap. 10.*

13. LATITVDO apud Aſtronomos appellatur deuiatio Planetæ, ſiue alterius aſtri ab Ecliptica, & orbita Solis verſus alterutrum polorum Zodiaci; itaut quo maior ſit deuiatio, eò maior ſit latitudo: quæ etiam à plaga ad quam deflectit denominationem ſumit; ſicque auſtralis dicitur quæ ad polum auſtralem flectit, borealis, quæ ad Borealem: eo prorſus pacto ac diximus de declinatione; niſi quod hæc ſit deuiatio ab æquatore verſus alterutrum polorum Mundi, latitudo vero vt dixi, deuiatio ab Ecliptica verſus alterutrum polorum ipſius Eclipticæ. Porrò ſol nullam habet latitudinem, cum perpetuo incedat

in Ecliptica: in reliquis planetis ea maior, quam nouem graduum hincinde eſſe non poteſt. Hinc Zodiacus latus hincinde totidem gradibus ab nouis Aſtronomis aſtruitur, cum tamen antiqui, qui Martis, & Veneris peragrationem non benè nouerunt, ſex tantum graduum latitudinem illi hinc inde conſtituerint. At verò in fixis ea maior, ac maior eſſe poteſt, quò magis ſe ab Ecliptica elongauerint, atque ad eiuſdem polos acceſſerint: Maior tamen 90. gradibus eſſe non poteſt; cum non plus diſtent ab Ecliptica ipſi eiuſdem poli. Maxima latitudo planetarum tam borealis, quam auſtralis ex Tychonicis obſeruationibus ea eſt, vt Saturnus ad boream non magis accedat, quam gr. 2. min. 48. ad auſtrum gr. 2. min. 49. Iupiter ad polum arcticum gr. 1. min. 38. ad antarcticum gr. 1. min. 40. Mars ad boream gr. 4. min. 31. ad Auſtrum gr. 6. min. 47. Venus hinc inde ab Ecliptica deflectat gr. 9. min. 2. Mercurius ſimiliter hinc inde gr. 3 min. 33. Luna tamen in quadraturis cum Sole gr. 5. min. 17. in oppoſitione verò & coniunctione gr. 4. m 18. Vbi ſunt in maxima latitudine dicuntur eſſe in ventre ſui Draconis; vbi nullam habent, ſed incidunt in Eclipticam ſunt in ſuis nodis, qui dicuntur communiter caput & cauda Draconis, prout in loco obſeruatum eſt.

LATITVDO apud Geographos, eſt diſtantia æquatoris à vertice alicuius regionis, aut ciuitatis: ita vt tanta dicatur eſſe latitudo loci illius, quanta eſt inter eius verticem, & æquatorem; numeruſque graduum interceptus ſit latitudinis menſura. Porrò latitudo regionum conuenit cum eleuatione poli ſuprà horizontem; & eleuatio æquatoris ſuprà horizontem conuenit cum diſtantia poli à vertice; cum enim polus diſtet ab æquatore gr. 90. totidem intercipiantur inter verticem, & horizontem; hinc eſt vt reſiduum ad gr. 90. quos ſibi vendicat eleuatio poli, ſit diſtantia eiuſdem poli à vertice, & econtrà reſiduum ad maiorem altitudinem æquatoris ſuprà horizontem ſit eius diſtantia à vertice, tanta certe, quanta eſt eleuatio poli: propterea ſæpè à ſcriptoribus eleuatio poli cum latitudine regionis confunditur. 13.

LATITVDO *ortiua*, vel *occidua* ſtellæ, aut cuiuſuis partis Eclipticæ apud Aſtronomos eſt eiuſdem deuiatio à punctis æquinoctialibus, ſeù ab ijs horizontis punctis, vnde puncta æquinoctialia oriuntur, & occidunt: itaut arcus horizontis interceptus inter puncta ortus, & occaſus æquatoris, & puncta ortus, & occaſus alicuius ſideris dicatur eius latitudo, ſiue etiam amplitudo ortiua, vel occidua quæ quidem æquales ſunt inter ſe; & ex ijs venamur quantitatem arcus diurni ſiderum, itaut quò maior ſit amplitudo ortiua, vel occidua, eò maior 14.

ſit differentia arcus diurni à nocturno: & ſi quidem ea ſit verſus auſtrum, arguat maiorem arcum nocturnum, quam diurnum; ſi verò verſus Septentrionem, maior ſit arcus diurnus quam nocturnus. In ipſis autem punctis ortus, & occaſus æquatoris nulla eſt latitudo, atque adeò arcus nocturni, ac diurni ſiderum ſunt omninò æquales.

## LE

15. Lelaps apud Ricciol. dicitur ab aliquibus canis maior ſidus, de quo alibi dictum, Arab *Schear Eliemini.*

16. Leo vnum ex duodecim Zodiaci ſignis quintum ab Ariete (Arab. *Eleced*, ſeu *Eſſed*) Domicilium Solis, vbi hic maximum æſtum facit, ſic dictum à ſimilitudine quam habet cum Leone animali in natura, & effectibus, & quia Sole in hoc ſigno exiſtente, leones maximè afficiantur, & continuis febribus caleant. Eſt ſignum fixum, calidum, & ſiccum triplicitatis igneæ, ferale, ſterile, &c. Dominatur cordi, ſtomacho, dorſo, lateribus, ac diaphragmati: proindeque noxium eſt potiones ſumere Sole, vel Luna in eò exiſtentibus, item & ſanguinem mittere: ſicut etiam Luna ibidem commorante nouas veſtes induere, vt Ptolemæus habet in centiloquio, probatque D. Thomas *in opuſc.* 18. *cap.* 4. & nos alibi obſeruauimus.

Porrò Leonis ſidus in octaua ſphæra receſſit à loco ſuo ſub
17. primo mobili ad 13. ferè gradus, eſtque nunc magis temperatum quam tempore Ptolemæi. Habet ſtelles omninò 27. Ptolemæo vltrà informes 8. at Keplero 40, & adhuc Baiero 43. inter quas Regulum ſecundæ quidem magnitudinis, ſed ob ſui præſtantiam inter primas computatum ferè in Ecliptica: item & caudam primæ magnitudinis, & aliam in capite ſecundæ, de quibus omnibus peculiaris redibit ſermo.

18. Lepus ſidus in octaua ſphæra ad auſtralem plagam ſub genibus orionis habens ſtellas duodecim de natura Saturni, & Mercurij omnes in longitudine ſub Geminorum ſigno. Is in horoſcopo, inquit Pontanus facit hominem miræ celeritatis, quique in curſu brauium ſit obtenturus: erit quippe toto corpore flexilis, & agilis, idque eò maximè ſi affulſerit Mars. Quod ſi Mercurius aſtipulauerit, erit adhuc geſticulator, egregius luſor, & luctator eximius, ſi Venus, erit mimus, ſaltator, ac muſicus. Si Luna cum bono aſpectu Saturni, erit nouarum artium inuentor. At ſi malo radio iſte ſolus aſpexerit, edicit derelictionem patrij ſoli & nullam curam ſuorum. Si verò in occaſu repertus fuerit, & ſi benè irradiatus, nihilomi-

nus non ſine labore alimenta ſibi comparabit: ſi adhuc maleuolæ hoſtili radio conſenſerint exponent periculo, quod à feris, & canibus ſit diſcerpendus. Concludit tandem Pontanus.

*Hæc leporem nam fata manent: hinc nomen & Aſtro.*

Lesathi Arab. vel potiùs *Leſſaa*, teſte Kirchero in Oedipo, dicitur ſtella fixa antecedens aculeum Scorpij, quaſi morſus Scorpij. 19.

Levconoti dicuntur venti auſtrini de genere etheſiarum, ſic dicti, vt author eſt Theophraſtus, ab affectu, quippe præter auſtri naturam, quam referunt, reddunt cælum album & ſerenum: licet ſtrabo aduertat ipſos non eſſe omninò ſerenitatis latores, ſed aliquando nubes etiam quamuis paruas adducere. 20.

Levis dicitur planeta alteri comparatus, qui curſu ipſo ſit tardior, vt Luna reſpectu omnium planetarum, Sol reſpectu trium ſuperiorum &c. Abſolutè verò tres inferiores Venus, Mercurius, & Luna dicuntur leues; ſuperiores viceuerſa ponderoſi, quia vt plurimum motus diurnus iſtorum non adæquat curſum reliquorum, licet, quandoque Venus & Mercurius, cum fiunt retrogradi, vel ſunt ſtationarij ab illis in motu vincantur. 21.

## L I

Libanotvs. Vide *Lybanotus*. 22.

Liberalitas apud Aſtronomos vſurpatur pro ſignificanda mutua duorum planetarum beneficentia, & fulcimento; quando videlicet alter eorum fuerit in domo, aut exaltatione alterius, etiam ſi radius non intercedat; ſit tamen inter ipſos commutatio dignitatum, & receptio mutua; vt eſſet ſi Venus in Scorpione, Mars in libra reperirentur. 23.

Libra vnum ex duodecim Zodiaci ſignis Arieti ex diametro oppoſitum, ſic dictum, eoquod Sole in æquinoctio autumnali in ipſo exiſtente dies noctibvs æquales ſint, quaſi in ſtatera librati. Eſt ſignum aereum calidum, & humidum, mobile, pulchrum, domicilium Veneris, & exaltatio Saturni; propter quod inter violenta computatur: præeſt lumbis; renibus, & inferioribus ventris. Libræ ſidus in octaua ſphæra incipit nunc temporis à gr. 6. Scorpij & protenditur vſque ad gr. 27. formatur ex ſtellis octo ſecundum Ptolemævm, exceptis 9. quas linquit informes, Keplerus autem in eo enumerat omninò 18. omnes ferè de natura Saturni, & Martis, quarum præcipua eſt quæ in lance auſtrali ſecundæ magnitudinis inter regias computata. Priores eius partes ſiccæ admodum ſunt; mediæ temperatæ, poſteriores humidæ, & aquoſæ. Quæ in 24.

Boream flectunt, ventoſæ, quæ ad auſtrum mortiferæ, & peſtilentes. Hoc ſub ſidere nati, ſiue mares ſint, ſiue fœminæ pulchra facie ſunt, planis capillis, moribus placidis, ſed vt plurimum mortis ſuæ cauſa erunt, ut habet Ptolemæus *in Centiloquio V.* 37.

35. LIMBVS apud Aſtronomos dicitur extremum labium aſtrolabij, ſiue alterius conſimilis inſtrumenti Geometrici, in cuius plano deſcriptæ ſunt horæ poſt meridiem, gradus æquatoris in 360. partes diſſecti, ac ſingulis horarum diuiſionibus reſpondentes, Ventorum nomina, & alia huiuſmodi, cuius beneficio tam iſtorum flatus dignoſcimus, tum etiam Aſtrorum altitudinem dimetimur, ſicut etiam

36. LIMBVS SS. Patrum. Vide Infernus, ſinus Abrahæ.

37. LINDA ſeu *linea fiducia* dicitur regula lineam deſignans per medium Aſtrolabij tranſeuntem, atque ad extremum limbum porrectam ad altitudines ſiderum dimetiendas, quam alio nomine Dioptram, Alhidadam, Mediclinium appellamus.

38. LINEA ab Geometricis, definitur, quod ſit *Longitudo omnis latitudinis expers*, quam, vt imaginemur, proponunt nobis, vt punctum concipiamus omnis dimenſionis incapax è loco in locum moueri. Vnde eſt, quod alij dixerint lineam aliud planè non eſſe, quam puncti fluxum. Hinc lineæ termini ſunt duo puncta, quibus concluditur, & terminatur: non quod neceſſariò omnis linea terminos habeat, cum nec circularis vllum admittat, nec infinitè protenſa, ſi ea dari poſſet, ſed quia quælibet linea habens extremã, in ſuis terminis puncta admittat, & in quacumque lineæ parte concepta duo puncta ſic in illa hinc inde velut terminos deſignant. Linearum aliæ rectæ ſunt, aliæ curuæ: item aliæ parallelæ aliæ in angulum deſinentes: Parallelæ ſunt quæ etiamſi in infinitum protendantur, nunquam tamen ad ſui contactum peruenient, atque angulum efficient: non ſic quouis modo decliues Hinc denominantur anguli rectilinei, curuilinei, &c. quorum naturam alibi explicuimus.

39. LINEA *incidentia* eſt radius à luminoſo corpore exiliens atque ad alicuius ſuperficiei punctum terminatus, & punctum illud dicimus etiam punctum incidentiæ. Eius cognitio præcipuè neceſſaria eſt ad Eclipſis magnitudinem, ac durationem venandam.

40. LINEA *medij motus* eſt linea recta terminans medium motum, aut locum ſideris: quæ in Epicyclo concipitur ducta ab centro mundi ad eiuſdem ſideris centrum; in eccentrico autem à centro eccentrici per centrum ſtellæ tranſiens vſque in Eclipticam.

Linea autem *veri motus*, vel *apparentis* eſt linea recta ducta à centro terræ per centrum ſideris vſque ad Eclipticam, vel ſane à ſuperficie terræ. Qua de re vide Ricciol. in Almageſto *lib. 10. ſect. 6. cap. 2.* 31.

## LO

Logarythmica eſt pars Arithmeticæ, quæ per logarythmos hoc eſt per numeros abſolutos tradit facilem methodum ſoluendi triangula præſertim ſphærica, & ex ſolutione docet condere tabulas aſtronomicas: ſiquidem ope illius regula illa celebris aurea dicta per quam facile abſoluitur ſola additione facta numerorum artificialium, & multò citiùs res expeditur, quam per tabulas ſinuum tangentium & ſecantium. De qua re vide etiam ipſum Ricciol. to. 2. Almageſti lib. 1. trigonometrico. Hinc 32.

Logarithmi ſunt numeri artificiales ab Arithmeticis eo ſtudio excogitati, vt ſubſtituti loco numerorum naturalium, apti ſint in iјs manifeſtare quancumque differentiam progreſſiuam. Seruant enim eaſdem differentias numerales, ſeù mauis dicam, ſeruant in ſeipſis ſemper, & conſtantiſſimè eandem progreſſionem arithmeticam, quandiù illi, quorum loco ſunt conſtituti ſeruāt progreſſionem geométricam. Hinc eſt, vt quando 4 numeri habent proportionem ad inuicem, ſumma logarithmorum primi, & vltimi numeri fit æqualis ſummæ mediorum. vt ſi v. g. ſtatuantur duo numeri 4. & 8. quorum alter eſt altero duplo maior, inde fit, vt eadem proportio ſit inter omnes numeros duplo maiores ad inuicem: ſicque inter 5. & 10. inter 12. & 24. inter 24. & 48 inter 50. & 100. & ſic deinceps eadem proportio ſemper ſeruetur: Quapropter logarithmi num. 4. & 10. 4. & 24. 4. & 48. 4. & 100. &c. ſimul iuncti æquales inueniuntur aggrpgato logarithmorum 8 & 5. 8. & 12. 8. & 24. 8. & 50. &c. eoquia, vt dictum eſt, eadem proportio arithmatica ſeruatur in logarithmir, quæ geometricè inuenitur in numeris naturalibus, quorum loco illi ſubſtituuntur. Ex quo fit, vt magna vtilitas eorum ope arithmeticis cedat, magnumque temporis lucrum: Quod enim per regulam auream faſtidioſo calculo, ac longo nimis circuitu per multiplicationem, ac diuiſionem fit, vt tandem inueniatur quartus numerus ignorus ex tribus notis; id per logarithmos vna & ſimplici operatione perficitur. Nam ſi duo numeri multiplicandi ſint, acceptis eorum logarithmis, habetur intentum ſola additione. Si alter il alterum diuidendus; id per logarithmos fit ſola ſubtractione. Quinimò ſi adhibetur reſiduum logarithmi, quod *complementum arithmeticum* vocant, exhibebunt multiplica- 33.

tionem, ac diuiſionem iam factam ſola expunctione primæ figuræ: quod ſanè ingens operæ compendium eſt, magnum laboris leuamen, dignumque magnæ illius aureæ regulæ operam fruſtrare laudem aſſequi, palmam praeripere.

Idcircò ad maiorem commoditatem, quò numerorum naturalium fractiones penè inſenſibiles fiant, logarithmus numeri 1. ab inuentoribus artis ſtatutus eſt 0. logarithmus 10. 10000000. logarithm. 100. 20000000 logarithm. 1000. 30000000. & ſic de reliquis progrediendo in infinitum, obſeruando ſemper quod prima figura logarithmi, quæ ideò appellatur *Caracteriſtica*, ſit in numero vno minor figuris, quibus numerus naturalis conſiſtit, vt ſi numerus propoſitus ſit ſex figurarum, prima figura logarithmi ſit 7. ſi conſtet ille decem figuris prima logarithmi ſit 9. &c. eoquia numerum eius implet numerus figurarum logarithmi ſic conſtituti.

Porrò logarithmi alij conſtituti ſunt pro numeris naturalibus abſolutè ſumptis, alij pro numeris arcuum circuli, ſeu angulorum, quos arcus ipſi metiuntur, vicemque gerunt ac ſibi officium felicius aſſumunt, quod eſt proprium tabulæ ſinuum, tangentium, & ſecantium. Quandoquidem accipiuntur logarithmi duorum mediorum ſinuum, ſeu tangentium, aut ſecantium, quibus ſimul iunctis, ſi ex ſumma ſubtrahatur logarithmus primi numeri, reliquum erit logarithmus quarti quem quærimus, è regione cuius in tabulis ſinuum, tangentium, & ſecantium habetur numerus quartus quæſitus. Extant tabulæ abſolutiſſimæ logarithmorum iam numerorum naturalium ab vnitate ad 10000. quam ſinuum, & tangentium è regione ipſarum tabularum, magno cum laboris fœnore editæ nuper ab Adriano Vlacq. Hagæ comitum anno 1661. vbi vnico ictu oculi habentur, & gradus, & minuta arcuum; & ſinus, tangentes atque ſecantes, & regione ipſarum eorum logarithmi, vt iam nil deſit ſtudioſo Trignometriæ, quin omnem triangulorum reſolutionem facili iure aſſequi poſſit, nec faſtidioſo labore teneri. Qui plura hac de re volet adeat Arithmeticam logarithmicam Henrici Briggij, vbi tota natura, fundamentum, & excellentiſſimus vſus logarithmorum in omnibus quæſtionibus Arithmeticis, & Geometricis luculentiſſimè demonſtratur.

34. LOGISTICA item pars eſt Arithmeticæ, quæ regulas ſupputandi, multiplicandi, & partiendi applicat gradibus ſignorum, circulorum, & angulorum: nec non & diebus horiſque atque ipſorum graduum, horarumque minutis, ſeu ſexagenis, & ſexagenarum ſexagenis vſque ad decima.

35. LONGITVDO apud Aſtronomos attenditur in Zodiaco à pri-

mo gradu Arietis ad extremum Piſcium; idque per circulos tranſeuntes per polos Zodiaci, & ſingulos eius gradus ad loca oppoſita: itaut arcus Eclipticæ interceptus inter primum gradum Arietis, & circulum illum, qui tranſit per centrum ſtellæ ſit quantitas longitudinis ipſius ſtellæ, & quæ magis à dicto puncto diſtiterit, maiori dicenda ſit prædita longitudine.

LONGITVDO apud Geographos eſt arcus æquatoris interceptus inter Meridianum alicuius loci, aut ciuitatis, & primum conſtitutum in Occidente non procul ab inſulis fortunatis. Vnde maior, vel minor diſtantia vnius loci à dictis inſulis ſiue alterius ab altero, auſpicatur à numero graduum interceptorum: ſinguli autem gradus æquatoris inferunt diſtantiam milliariorum 13. licet in locis, quæ ab æquatore deflectunt ſingulis gradibus, (quoniam ſemper magis, ac magis reſtringuntur, quò maior ſit ad polos approximatio) minor etiam reſpondeat diſtantia. Ex differentia etiam longitudinis apparet, an locus ſit altero Orientalior, vel Occidentalior: quò enim maior longitudo erit vnius loci, eo is erit Orientalior, ac proinde in eo Sol citiùs orietur in horizonte, citiùs ad meridiem vadit citiùs etiam ad occaſum deprimitur. Porrò vnde verius computanda ſit longitudo, vide in V. Azorum inſulæ. 36.

## L V

LVCIFER dicitur Venus Orientalis à Sole, & matutina, quaſi lucem ferens: idque non modo, quia cum matutina eſt ſua luce noctis tenebras fugat, ſed potiſſimum, quia Solis prodroma exiſtens, lucis fontem iamiam aduentantem præſignat. ſicut econtrà Heſperus appellatur quando veſpertina eſt, & Occidentalis à Sole. 37.

LVMEN, ſuo vocabulo ſatis notum, eſt præcipua dos corporum cæleſtium, atque vnicum, & ſingulare inſtrumentum, quo agunt in hæc inferiora. Neque enim admittenda eſt vlla quæcunque tandem ea ſit occulta cælorum influentia, quando hoc vnum, ſeſolo, ſufficiens eſt ad producendas omnes primas qualitates, quibus vniuerſum genus naturalium effectuum attinguntur, prout egregiè demonſtrat Titus in cœleſti Philoſophia; docueruntque ante ipſum Auerroës, Georgius Agricola, & Franciſcus Piccolomineus. Porrò luminis omnis fons, & origo Sol, qui illud poſteà cæteris ſideribus fænerat. Hæc dein lumen ipſum ſuis qualitatibus alterantia varietatem iſtam effectuum pariunt, quos videmus, cuius diſſimilitudinis cauſa partim eſt lucis ipſius intenſio, & extenſio, quæ ſunt 38.

primæ, & præcipuæ luminis proprietates, partim colores, quos in Aſtris videmus, & quibus reuerà pollent, vt probat idem Titus. Vnde & Saturnus coloris plumbei eſt; Iupiter cærulei; Mars candentis; Sol aurei; Venus crocei; Mercurius cæſij, & mixti, Luna tandem albicantis, & argentei, vt vel ipſis
39. lippis oculis conſtat. Ex hac ergò colorum diuerſitate diuerſitas, & præpollentia ſingularum qualitatum, diuerſitas etiam, & varietas iſta effectuum, quam videmus dimanat. An autem lumen aſtrorum agat in hæc ſublunaria ſecundum ſuam intenſionem, & extenſionem veram, an potiùs apparentem, dubium eſt maximum inter Philoſophos. At enim ſi non ratione, ſaltem experientia, & ex effectibus ipſis concludere debemus, ſidera operari in hæc ſublunaria ſecundum illum gradum intenſionis, & quantitatem extenſionis lucis, non quibus ipſa reuerà pollent, ſed quibus attingunt corpora paſſibilia; quæ quò magis à ſideribus remouentur, quo minùs eorum lucem participant, eò minùs in ſe recipiunt ſiderum impreſſiones. Videmus id clariſſimè in Luna quæ ſilens, ſiue Soli coniuncta, nulli dubium, quin in ſe maius, atque intenſius lumen participet, quam cum illi oppoſita; & nihilominus maioribus viribus pollet in iſthæc inferiora cum à Sole diſcedit, proindeque lumine ſemper creſcens nobis apparet à coniunctione ad oppoſitionem, quam cùm ad ipſum accedens, quoad ad nos ſenſim lumen deperdit. Videmus in Eclipſibus, quæ non afficiunt ea loca, in quibus nullatenus conſpiciuntur: Videmus tandem in nouis Phænomenis, quæ non agunt niſi in eas prouincias, in quibus apparent. Cæterum lucis intenſio, & extenſio quoad nos cauſæ ſunt omnium primarum qualitatum in inferioribus hiſce: & ab intenſione quidem procedunt qualitates actiuæ, & ab extenſione paſſiuæ; itaut ex acceſſu, & propinquitate ſiderum ſequatur augmentatio luminis ſecundum extenſionem, & ex augmentatione ſecundum extenſum ſequatur etiam maior intenſio luminis ſecundum gradus, ſaltem in effectibus. Ex augmentatione luminis præcisè in intenſione, ſequitur augmentum caloris, ſicut econtrà ex diminutione intenſionis lucis frigiditas: & ex maiore extenſione lucis ſequitur augmentum humiditatis; ſicut ex minore extenſione
40. ſiccitas. Hinc quatuor illæ coniugationes & modi influendi ſiderum in augmento luminis, & propè eſſe, in decremento, & propè eſſe, in augmento, & longè eſſe, in decremento, & longè eſſe; quibus conſtituuntur quatuor anni tempora, quatuor primarum qualitatum coniugationes, quibus elementa conſtant, quibus vniuerſum mixtorum genus coagmentatur. Hinc Philoſophus 2. *de Generat. textu.* 56. huic vni cæleſtium

luminum perpetuæ viciſſitudini cauſam ortus & interitus rerum. Sed de hac re vide quæ fuſius & eruditè nimis habet Titus *in Cœleſti Philoſophia integro libro primo.*

Lvminaria non modò Apud Aſtronomos, ſed & apud omnes ferè ſcriptores vocantur anthonomaſticè præcipua cæli lumina, Sol videlicet, & Luna bina iſta diuinitatis ſimulachra, Mundi faces, orbis ornamenta, ac rerum omnium vita vel ipſis brutis animantibus nota. Ea ſic dicta ſunt ob luminis redundantiam: qua ratione Geneſis 1. dicitur feciſſe Deum ab initio duo luminaria magna, Solem, vt præeſſet diei, & Lunam vt præeſſet nocti. Non quod ea in comparatione cæterorum aſtrorum admodum grandia ſint, (quandoquidem certum eſt Lunam ipſo terreſtri globo minorem eſſe, proindeque omnibus aſtris tam fixis, quam erraticis excepto Mercurio, vt mox dicemus, & Sole maiorem faciant aliqui canem ſirium) ſed quod lumine ſtellas omnes ante-eant, Sol quidem lucis intenſione, vnde in ipſo præualent qualitates actiuæ, Luna verò einſdem lucis extenſione & qualitatibus paſſiuis. Hinc benè dixit Centiloquij author *verbo 86 Solem eſſe fontem vitalis potentiæ, Lunam naturalis*, quia perfectò Sol in viuentibus eſt caloris innati author, Luna humidi radicalis; vnde & adminiſtrant materiam, & formam materialem in cunctis rebus, & diſponunt qualitates cæleſtes in mixtis, reducentes eas ad actum, & coadiuuantes cauſas immediatas ad productionem ſuorum effectuum, quos omnes virtute continent, & potentia: Itaque omnis animantium vita à luminaribus pendet tanquam à cauſis vniuerſalibus, & æquiuocis ſubordinatis tamen cauſæ primæ, & vniuerſaliſſimæ, quæ concurſu generali ad omnes effectus naturales concurrit, datque ipſis cauſis ſecundis poſſe, & operari. Verumtamen inter cauſas ſecundas luminaria quandam ſibi vniuerſalem agendi vendicant principatum: & ſic quidem cum beneficis copulentur producunt animalia, & mixta de eorum natura, ſcilicet temperata, in commodum, atque vtilitatem humani generis, ſi verò cum maleficis congrediantur, concurrunt ad productionem animalium pernicioſorum mixtis quibuſque bonis hoſtilium, & infenſorum, ad aëris corruptelam, fructuum perniciem, terræ ſterilitatem, &c. vnde peſtilentiæ, fames, morbi & alia huiuſmodi mala deriuant: & hinc etiam patet, quomodo ex luminarium defectibus potiſſimum hæc mala oriantur, quia, (vt bene aduertit Titus *lib. 1. cap. 14.* atque ex authoritate ſacræ Congregationis explicat & confirmat doctiſſimus Pater Auerſa in notis, & declarationibus præfixis ad eiuſdem Titi opera) Luminaria inter cauſas ſecundas ſunt vniuerſales moderatores,

41.

42.

ſignificatores ac largitores omnium bonorum: vnde nil mirum, ſi impedita in deliquijs eorum luce, impediatur etiam aliquatenus actio, & influxus, ex quo demum eueniant morbi aëris corruptela, ſterilitas terræ, caloris innati defectus, humidi radicalis extinctio, & alia id genus, quæ deficientibus cauſis primarijs arguunt etiam effectuum conſequentiam. Quapropter iure, & conſequenter arguens magnus ille Areopagita in magno illo, ac præternaturali Luminarium defectu in paſſione Domini exclamaſſe fertur: *Aut Deus natura patitur, aut mundi machina diſſoluetur*, quia videlicet ſine peculiari Dei aſſiſtentia, & miraculo mundi machina diù conſiſtere non potuiſſet, quandiù à luminaribus, ac Sole præſertim tanto tempore obſcurato, lucem adeoque vitam, haurire non ei foret permiſſum Sed de hac re ſatis: Plura cum de ipſis luminaribus ſingillatim redibit ſermo.

43. *In ſuo lumine* dici ſolet eſſe Planeta cum eſt in loco ſuæ naturæ conformi, hoc eſt, vt diurnus ſit de die ſuprà terram, & de nocte ſub terra: ſicut econtrà nocturnus de nocte ſit ſupra terram, & de die ſub terra: & inſuper ſit in loco aptò ad rem quæ per ipſum naturaliter ſignificetur.

44. Lvna luminare minus ſic dicta quaſi contracti à lucuna eo quod cum Sole aliquando luceat, vel vt placet Iſidoro à Lucina, abiecta media ſillaba, vna ex ſeptem erraticis proximior terræ, planeta fœmininus, ac nocturnus, quippequi (vt paulò ante dictum eſt) cum habeat lumen à Sole mutuatum, & extenſum magis, quam intenſum vincit in qualitatibus paſſiuis, atque in humiditate: & ideò, vt Sol præeſt cordi, ſpiritibus, ſanguini, &c. ita & Luna præeſt cerebro, viſceribus, pituitæ, & quemadmodum Sol potentiæ vitalis ſcaturigo eſt, ita Luna potentiæ naturalis. Quantam verò in terris actiuitatem habeat Luna, nemo eſt, qui non videat: vnde meritò à D. Ambroſio in Hexamer. *Mater roris, decor noctis, miniſtra humoris, maris dominatrix, menſura temporis, motrix aeris Solis*, denique *Æmula* appellatur. Idque oritur tum ex eius propinquitate ad terram, tum etiam ex maiori conſiſtentia: plus enim quam reliqui planetæ ſuprà terram conſiſtit, motu ſuo reſiſtens motui primi mobilis, atque vna ferè integra hora plus alijs noſtrum hemiſphærium perluſtrans. Perficit enim curſum ſuum in Zodiaco ſpatio dierum 27. hor. 7. min. 41. cum alias quouſque ad Solem iterum feratur, requirantur dies 29. hor. 12. min. 44. Hinc triplex menſis, & Lunarium viciſſitudinum momenta tria à ſcriptoribus communiter aſſignantur. Periodicus, ſeù peragrationis, in quo Luna complet integram reuolutionem in Zodiaco, & reuertitur ad idem

punctum, vnde diſceſſerat; ſynodicus, ſeu coniunctionalis, & eſt quem modò explicaui, in quo à Sole diſcedens, iterum ad ipſum reuertitur, vt ei corpore iungatur; ac tertius, quem dicunt apparitionis, ſeù illuminationis in quo Luna viſibilis eſt, & lumen ſuum exerit, quod fit ſpatio dierum 26. hor. 12. reliquis tribus diebus ſilens, quæ cauſa omnis motionis in hiſce inferioribus, vt præ cæteris obſeruat Plinius *lib. 2. cap. 99*. Cæterum Lunare corpus ſphæricum eſt, denſum, opacumque, nulla præditum luce, ſed tota quam habet à Sole mutuata: Hinc pro diuerſo, ac multiplici ad Solem poſitu, aſpectus, ac figuræ diuerſitas, quas *Phaſes* dixere. Nam quamuis perpetuò eius medietas illuſtretur à Sole, & eò magis quò Soli vicinior; (vt enim habetur ex opticis, ſphæra maior luminoſa intenſiùs, & ampliùs lumen ſuum communicat ſphæræ minori è proximo illi obiectæ, quam è longinquo,) nihilominus non eodem modo ſemper à nobis conſpicitur, ſed pro diuerſa ad terram habitudine, modò tota obſcura (quod in Solari defectione, maximè obſeruari poteſt, vbi conſpicitur quidem Lunare corpus Soli aduerſum, ſed prorſus obſcurum, cum ea medietas nobis obuerſa à ſolaribus radijs minimè attingatur, ſed ea tantum, quæ nobis inconſpicua eſt,) modò corniculata, modò dichotoma, modò demum in Solis oppoſitione, plena, & eâ parte totâ, quæ nobis offertur, tota etiam illuminata conſpicitur. Quod autem etiam in plenilunio aliquæ maculæ, ſeù eius particulæ minùs illuſtratæ videantur, exiſtimauit Plinius *lib. 2. cap. 9.* eas aliud non eſſe, quam *terra raptas cum humore ſordes*. Arceſila verò partes aduſtas, & nigras. Tales econtrà partes humidiores, quibus igneus orbis attemperatur; ſicut inquit etiam Diodorus in Catena: *Luna temperat ignis æſtum, ne orbem conſummat, & perdat:* Philolaus, eas montes, ac ſyluas autumat: alij demum putant id oriri ex telluris effigie imbutæ aliqua luce à Sole illi communicata (quod ego ſanè non item inficias) quam poſteà Luna tanquam ſpeculum in ſe reciperet, ac referret. Verum ex hoc neceſſariò ſequeretur, in varijs horizontis partibus, & pro diuerſa telluris ad Lunam habitudine variandas fore huiuſmodi maculas; quod tamen experientia falſitatis euincit; cum ſemper, & vbique locorum ipſa eandem formam retineat. Quare concludendum eſt, eas nil aliud eſſe, quam partes denſiores, preſſiores, & rudiores ipſius corporis Lunaris, quæ Solis lumen excipere æquè non poſſunt, ac quæ magis planæ ac læuigatæ: Quod etiam in tellure à Solis radijs illuſtrata fieri credendum eſt. Hinc diuerſitas illa aſpectuum; maria, montes, valles, fluuios, campos

46. aliaque id genus referentium. Nam qui dicunt Lunam eſſe corpus terreum ibique habitatores degere, atque animantia quæ hac illac diſcuriant, (vti protrita fronte vidiſſe ſe iactat Dauid Fabritius apud argolum) planè delirant. Non defuere tamen non ex antiquis modò, vt refert Cicero Quæſt. Academ. lib. 4. ſed ex recentioribus multi, qui opinati ſunt Lunam eſſe habitationi hominum valdè idoneam; quod ego non omninò improbarem; maximè quod reſpirationi, (quæ totum negotium faceſſit) ſatis eſſe poteſt leuiſſimum illud expanſum, quod eiuſdem rationis, ac noſter iſte aër, *ſuprà* diximus eſſe: licet longè puriùs ac ſubtiliùs. At enim de factò ibi homines viuerè, ac pecudes, proindeque habitatores illos *Antichthones*, hoc eſt, in altera oppoſita terra habitantes, vt volebat Macrobius *in ſomnium ſcipionis cap. 11.* error intolerabilis eſt in fide catholica, vel ad minùs temeritas magna, vt aduertit Tannerus *in diſſertat. de Cælo quæſt. 4.* ſequeretur enim homines eſſe non ex Adamo progenitos, proindeque nec à Chriſto redemptos. Quod ſi quis eatenùs id affirmaret, quatenus vellet, Paradiſum illam voluptatis, hortum deliciarum Dei manu conſitum, & plantatum, in quo poſitus fuit primus homo ab initio ſuæ conditionis, & à quo tandem eiectus eſt poſt peccatum in hanc terram ærumnis, & miſerijs plenam: hanc inquam paradiſum in Lunæ globo concipere, vbi nunc ſanctiſſimi illi viri Henoch, & Elias miraculosè tranſlati, loco depoſiti degant, iucundiſſimamque vitam ducant, quoadusque Mundi finis, & prædicationis tempus adueniat; id etſi nouum, non ideò tamen intolerabile dicerem, nec ſacræ ſcripturæ, aut Fidei dogmatibus vllo modo repugnans, prout fusè examinabimus ſuo loco, in verbo *Paradiſus terreſtris*, quantum rei dignitas exigit.

47. Cæterum Luna ambitu ſuo comprehendit milliar. 21600. cum ſemidiameter eius ſit milliar. 3440. Eius Cælum, ſeù regio expanſi quod occupat, & per quam diuagatur, eſt lata milliar. 27520. Quod vel ex eo liquet, quia videmus ipſam in perigæo conſtitutam diſtare à centro telluris ſemidiametr. terræ 52. in apogæo verò ſemidiametr. 60. inde eſt quod tota regio eius expanſi eſt ſemidiametr. 8. quæ in milliaria conuerſæ faciunt ſummam milliar. 27520 Denique Luna in Genethliacis ſignificat itinera, genus fæmininum, plebem, animi qualitates, humidi radicalis abundantiam, & his

48. ſimilia de quibus alibi videbitur ſermo.

LVNÆ *manſiones*, ſeù *ſtationes* ſunt partes quædam Zodiaci quas Luna curſu ſuo peragrans ob congreſſum cum ſtellis fixis inibi conſiſtentibus imbuitur earumdem bonis, vel malis qua-

litatibus, quibus proinde affectam, obſeruauit antiquitas, varios diuerſoſque influendi modos induere in iſthæc inferiora Earum origo vti ab initio bona, innocens, naturalis, rationi atque experientiæ conformis fuit; ſic poſt modum Ægyptiorum vanitatibus deprauata, nullum eſt in tota Aſtrologia commentum, cui in vanitate cedat. Copti eas ſuo gentili vocabulo quaſi Lunæ diuerſoria, ſeu habitacula nominant, alij Deorum ſtationes, rectius cum Kirchero dixeris, Dæmoniorum ſtabula, cum tot tantiſque ſuperſtitionibus ſint referta. Et quoniam Luna curſum ſuum perficit diebus ferè 28. ideò ſingulis diebus ſingulas manſiones conſtituerunt, ſingulis proprias notiones, ac certa rerum ſignificata attribuentes, & quod magis mireris, ſingulis ſuos genios, ſeù dæmones adminiſtros præficientes. Placet hic ad lectorum curioſitatem leuandam ex Kircheri Oedipo, prout in eorum monumentis iacent, tranſcribere: inde eas nitori ſuo redditas, atque ab Argolo ad iſthuc tempus diligentiſſimè ſupputatas exponere, quoniam, vt dixi, omni ſuperſtitione abiecta ad ſolum naturaliter conſideratæ ex diuerſo Lunæ cum ſtellis fixis congreſſu, experientia duce plurimum valent in rerum electionibus.

Ergò Prima Lunæ manſio, quam Ægyptij ſtationem piſcis dixerunt à ventre Ceti ſtella videlicet fixa dè natura Saturni, quæ incidebat in eam, proindeque *infeſtationis inimicorum* appellabant, cuique genium præficiebant nemine *Kiacel*, computabatur olim ab initio Arietis vſque ad 12. gradum eiuſdem. Hanc modò Argolus temperatam vocat, ac figit in gr. 22. Arietis; dicitque eſſe idoneam ad medicinam laxatiuam ſumendam, atque iter quodcumque arripiendum.

Statio, quam antiqui *reconciliationis Principum* appellabant, dantes ei pro genio *Hiaiel* computabatur à 12. gradu Arietis, vſque ad 25. ob fixam in capite eiuſdem Arietis. Moderni autem eam conſtituunt in gr. 4. Tauri, quam dicunt aptam ad ſerendum plantandum, atque iter faciendum per aquam, verum purgationibus inopportunam. II.

Statio, quam Ægyptij vocabant *proſperitatis, & bonæ fortunæ* præfecto ei genio *Ginchiael*, erat olim à gr. 25. Arietis, vbi incidebat triangulum propè ventrem Ceti. Nunc autem eſt in gr. 17. Tauri, & eam vice verſa vocat Argolus humidam, afferentem mala in itineribus. III.

Statio eſt in Pleiadibus, eſtque apud Arabes ſtatio inimicitiæ, & vindictæ dicta ſuo gentili vocabulo Altarich, cuius genius dicebatur Delhaicel. Hanc recenſiores vocant temperatè humidam, proindeque bonam ad ſerendum, plantandum, iterque faciendū per aquas, & eam conſtituunt, in gr. 30. Tauri. IV.

v. Statio poſita eſt in Aldebaram, ſeu oculo auſtrali Tauri, quam vocabant Hori maiorem, fauoris magnatum cui dabant pro genio Huaiel. Apud Argolum dicitur ſicca, congruens itineribus, medicinisque ſumendis. Computatur nunc in gr. 13. Geminorum.

vi. Statio antiquis dicebatur clauſtrum formabaturque à duabus ſtellis Geminorum, quarum altera vocatur propus altera Ras Algienſe (de quibus ſuo loco dictum) proindeque ſtatio beneuolentiæ, & amoris nuncupata, cui genium præficiebant nomine *Phigiacel*. Nunc autem eſt in gr. 26. Geminorum, atque apud Argolum dicitur temperata, ſed ad nihil idonea ob ſtellas maleficas in ea ſitas.

vii. Dicitur ſtatio acquiſitionis bonorum, quam Abenragel ſcapulas Geminorum vocat ab ſtellis in ea contentis, eamque computat à gr. 18. vſque ad 30. Geminorum, dando ei pro genio Ziſaiel. Argolus verò nunc eam figit in gr. 9. Cancri, dicitque humidam, atque adeo bonam ad ſerendum, arandum, ſed infenſam itineri niſi aggrediantur per aquas.

viii. Ægyptijs dicta Cubitus Hili, alijs Cubitus Leonis, incipiebat ab initio Cancri, & protendebatur vſque ad gr. 13. eiuſdem ſigni. Genius eius erat Hathaiel, dicebaturque victoriæ in bello. Ea nunc eſt in 22. Cancri, quam dicit Argolus nubiloſam, temperatam, aptam ad medicinam ſumendam, iterque arripiendum.

ix. Dicta Alnuthreh Statio infirmitatum, conſtituitur ab Antiquis in Aſellis à gr. 13. vſque ad 26. Cancri, cuius Genius dicebatur Tiaiel. Argolus eam figit in gr. 8. Leonis ac dicit ſiccam, ad omnia in opportunam.

x. Arab. dicta Eltarph, felicitatis partus, computabatur olim à gr. 26. Cancri vſque ad gr. 9. Leonis: cui genius præficiebatur Biacel. Nunc autem figitur in gr. 17. Leonis, diciturque humida, proindeque ad plantandum apta, ſed itineri non idonea.

xi. Arabibus dicebatur Elgielbe; Latine frons computata à gr. 9. Leonis vſque ad 21. Genius eius dictus eſt Kekaiel. Argolus eam conſtituit in gr. 30. Leonis, dicitque temperatè frigidam, bonam ad iter, plantandum, ſerendum, ſed ſumendis medicinis incongruam.

xii. Apud Ægyptios dicta *Alcharkah*, alijs *Alzabre* ſtatio ſeparationis amicitiæ, numerata à gr. 21. Leonis vſque ad gr. 4. Virginis, præfixo ei Genio Laaiel. Nunc verò eadem figitur in gr. 13. Virginis, eamque vocat Argolus humidam, bonam ad ædificandum, plantandum, ſed ad cætera inopportunam.

xiii. Antiquis

Antiquis dicta ſtatio amoris Arab. Alſzarphet à gr. 4. Virginis vſque ad 18. genius eius dicitur..... Argolus hanc conſtituit in gr. 26. Virginis aitque eſſe temperatam, bonam ad ſerendum, arandum, iter arripiendum. XIII.

Dicta ſtatio latrantis. ( forſan à Cane ) Arab. Algaua à gr. 18. vſque ad finem Virginis, cuius Genius dictus eſt Kakuaiel. Statio diuortij, ab Argolo dicitur temperata, bona ad ſeminandum, plantandum, medicinam ſumendam: ſed ad iter peſſima: conſtituitur ab eo in gr. 9. Libræ. XIV.

Statio altitudinis nuncupata, acquiſitionis amicorum Arab. Alſamak, cui genius aſſignabatur Kekaiel computata ab initio Libræ vſque ad gr. 13. Nunc autem eſt in 21. Libræ, eſtque humida; in qua bonum fodere puteos, at non iter arripere. XV.

Dicta Statio propitiationis lucri, & mercimoniæ Arab. Algaphra computata à gr. 13. vſque ad 26. Libræ, Genicum habebat nomine Aklaiel. Argolus eam figit in gr. 4. Scorp. eandemque vocat frigidam, & humidam, malamque manſionem in omnibus. XVI.

Dicta Statio Latrociniorum Arab. Alzananach, olim computabatur à gr. 26. Libræ ad 9. Scorpij, ſub genio Papaiel. Nunc autem eſt in gr. 17. Scorpij, vocaturque humida, bona ad emendas beſtias, ſed non ad iter. XVII.

Dicta Corona Arab. Eclil. à 9. Scorpij ad 21. Statio infirmitatum cui genius erat nomine Miſraiel. Ab Argolo dicitur ſicca, bona ad ædificandum, ſerendum, plantandum, atque ad nauigandum, computatur modo in gr. 30. Scorpij. XVIII.

Antiquis dicebatur cor, quia erat prope cor Scorpij, Statio recuperationis ſanitatis ſub genio Kephaiel à gr. 21. Scorp. vſque ad 4. Sagittarij. Nunc verò eſt in gr. 13 eiuſdem ſigni, humida, bona ad ſerendum, plantandum, iter aggrediendum. XIX.

Dicta ſancta Arab. Alſchaulet, Statio Venationis quæ genium ſortiebatur nomine Rezaiel, à gr. 4. vſque ad 17. Sagittarij. Argolus eam figit in gr. 28. Sagittar. vocatque humidam, ad beſtias, ſiue pretio ſiue venatione comparandas apprimè idoneam. XX.

Arab. dicta Elnaim, hoc eſt Statio gratiæ, & iucunditatis, ſeù quod laram produceret ſegetem, habebat genium dictum Setatiel à gr. 17. vſque ad finem Sagittar. Nunc autem eſt in gr. 8. Capricorni, diciturque ab Argolo temperata, bona ad ædificandum, ſerendum, fundos, & terras emendum. XXI.

Olim computabatur ab initio Capricorni vſque ad 15. dicta Statio fugæ & exilij, Arab. Elbldeh, ſub genio Tetaiel. Argolus eam dicit humidam, aptam ad nauigandum, atque ad medicinas ſumendas, conſtituitur autem nunc in gr. 22. Capric. XXII.

XXIII. Dicta Brachium ſacrificij, Arab. Saadeldabakh Statio deſtructionis, & expilationis computata à gr. 13. ad 26. Capric. ſub genio Tetzaiel. Nunc autem eſt in gr. 4. Aquarij, temperata apta ad medicinas, nec-non ad iter.

XXIV. Statio fœcunditatis gregum beatitudo ſeù brachium abſortum nuncupata, Arab. Saadelbelaa ſub genio Kachaiel à gr. 29. Capric. vſque ad 9. Aquarij ſita in ipſa fixa caudæ Capricorni, nunc autem eſt in gr. 17. Aquarij temperata, medicinis ſumendis optima.

XXV. Statio affluentiæ bonorum terræ dicta beatitudo beatitudinum, ſeù brachium brachiorum Arab. Saad Elſaand, alijs Phem Elhaut, hoc eſt os piſcis, computabatur à gr. 9. vſque ad 21. Aquarij: Genius eius erat Dedaliel. Argolus verò eam figit in gr. 26. Aquarij, ac dicit ſiccam, bonam ad iter, atque ad fundandum,

XXVI. Dicta, brachium abſconditum, Arab. Saad Elachbich Statio voluptatum ſub genio nomine Szaſzaiel computata ad gr. 21. Aquar. ad 4. Piſcium. Nunc autem eſt in gr. 13. Piſcium diciturque ab Argolo ſicca, medicinis vtilis, ad alia verò infauſta.

XXVII. Statio ſiccitatis dicta prioris germinationis Arab. Alphara Elmakodden, à gr. 4. vſque ad 17. Piſcium, cui genius affigebatur dictus Taſſaiel, à recenſioribus conſtituitur in gr. 26. Piſcium, appellaturque humida, bona ad medicinas ſumendas.

XXVIII. Tandem Statio ab antiquis dicta poſterioris germinationis Arab Alphara Elinuchar computata à gr. 17. vſque ad finem Piſcium ſub regimine genij Haichaziel; dicta etiam ſtatio inundationum. Hæc modo eſt in gr. 8. Arietis, diciturque ab Argolo temperata, bona ad ſerendum, atque ad medicandum.

Atque hæ ſunt manſiones Lunæ aſtu dæmonis, Ægyptiorum nugamentis, & mille ſuperſtitionibus deprauatæ, quò ars Alioqui bona experimentis, viribuſque naturalibus ſiderum nixa deturparetur, & vel religionis ergò homines ab eius vſu abſterrerentur, vel eam vltrò capeſſerent cum pietatis diſcrimine. Hoc, inquam, eſt bonum ſemen ſemitatum in agro, cui inimicus homo liuore percitus, ſuperſeminauit zizania: ſed non ideò eradicanda, ne ſimul cum eis eradicemus, & triticum, adeoque bona naturæ à nobis remoueamus, ſtudio ſuperſtitionis vitandæ: quin potius ſinamus vtraque creſcere: tum ſegregatis, reſecatiſque omnibus vanitatibus, quæ purè naturalia ſunt colligamus, atque ijs in bonum noſtrum vtamur.

49. LVPVS, Fera, Beſtia Centauri, Arab. *Eſſeda*, in tabulis perſicis *bridemiſ*, Hæbeis autem *Nemer*, ideſt *Pardus*. Sidus in

cælo ad auſtralem plagam ſub ſigno Libræ conſtans ſtellis 29. de natura Maleficarum. Vide fuſius in verbo *Beſtia Cantauri.*

Lvx eſt qualitas quædam corporis lucidi ei propria ab eoque intrinſecè emanans: vnde differt à lumine, quod eſt quid poſterius ab ipſa luce productum per effluxum radiorum ab ipſa luce ad alia corpora luminis receptiua quale eſt quod in aëre, ſeù alio quouis diaphano producitur per reflexionem radiorum ab ipſa luce emanantium, vel quod etiam videmus in corporibus opacis, ſed leuigatis, in quibus recipitur lumen à luce primigenia deriuatum, ac præcipuè in ſideribus lumen ſuum à Sole mutuantibus. Quare lux propriè dicitur Soli competere omnis luminis fonti, lumen verò ſideribus. Radius verò eſt inſtrumentum proximum, quo ipſa lux ſe communicat, & lumen gignit, licet ſæpiſſimè etiam lux cum lumine conuertatur. De qua re vide quæ eruditè habet Kircherus in libro Artis magnæ lucis, & vmbræ. 50.

Lux etiam quandoque accipitur pro ipſis ſtellis: ſic Cicero in Arati Phænom.

*Illa, quæ fulgent luces ex hore coruſco,*
*Sunt inter partes gelidas Aquilone locatas,*
*Atque inter ſpatium, & lati veſtigia Solis.*

## L Y

Lybicvs ventus, idem, qui Africus, vnus ex ventis Occidentalibus, lateralis Fauonio, oppoſitus directè Cæciæ, ſpirans ab occaſu bruniali, ſic dictus, à Lybia per quam ſpirando tranſit. Eſt de natura ſua frigidus, & humidus, pluuioſus, ac tempeſtatis index, de eo ſcribit Plinius, vt alibi obſeruatum eſt, quod flatu ſuo facit pecudes fœmineam prolem concipere. Vide in V. *Africus.* 51.

Lybanotvs ventus item Lateralis, ſed adiacens Auſtro dictas etiam Auſtro-Africus, directè oppoſitus Aquiloni. Eſt de natura ſua calidus, ſed magis humidus, pluuioſus, noxius, & morbificus, habet ſibi collaterales Ypolybanorum adiacentem Notolibico ad occaſum, Meſolybanorum verò ad Auſtrum ipſi vento Cardinali immediatum. 52.

Lyra Vultur cadens, Fidicula Græcis *Chelys* Arab. verò Vvega, &c. ſidus in octaua ſphæra ad borealem plagam, habens ſtellas decem de natura Veneris, & Mercurij, quarum potiſſima eſt, quæ Arabicè dicitur *Brinek* primæ magnitudinis, exiſtens nunc in gr. 11. Capricorni cum latitudine bor. ferè gr. 62. Hæc oritur Romæ circà Kalendas Nouembris cum gr. 10. Scorpij. occidit verò cum vltimo gradu Aquarij; 53.

quo tempore pluuias, & humiditates affert; ſicut etiam cum Saturno aera nubiloſum, & aquoſum: Cum Mercurio verò ſubitam mutationem in humiditate, ac ventorum flatus. De ea in alicuius Natiuitate horoſcopante ſic loquitur Firmicus *lib. 8. cap. 6.* Nati erunt æqui, recti, cupidi, & ad omne æquitatis officium apti, ſcelerumque vindices, & quibus publica iudicia, quæſtioneſque credantur. Si verò hunc locum Saturnus quacumque irradiatione reſpexerit, tortores erunt, carnifices, & qui malos homines prono ſtudio proſequantur. At ſi in Occidente reperiatur, nati publicis tormentis lacerati, aut ignibus exuſti ſeu tortione legitima peribunt. Præſertim ſi hunc locum Mars, Saturnus ve reſpexerint. Hæc Firmicus. Præterea Fidicula cum luminaribus, Ioue, aut parte fortunæ in idoneis figuræ locis, aut in ſecunda domo reperta magnas felicitates affert, magnaſque diuitias. Vide adhuc quæ diximus in V. Fidicula.

Explicit L.

## MA

1. MAGIA olim ſcientia ſiderum dicebatur per ſe alioqui bona innocens, & naturalis, qua ex cognitione, & mutua applicatione naturalium virium, atque influxuum, quibus ſidera pollent, tradebatur ratio mirabilia operandi, quæ naturæ miracula appellantur. De hac Philo in lib. de ſpecialibus legibus ſic loquitur. *Veram Magiam hoc eſt perſpectiuam ſcientiam, per quam natuæ opera cernuntur clarius vt honeſtam, expetendamque non plebeij ſolum ſectantur, ſed etiam Reges Regum maximi, præſertim Perſici tam curioſi harum artium, vt regnare non liceat, niſi cum magis verſato familiariter.* Vnde & Magi dicti ſunt tres Reges Orientales, qui ex ſiderum contemplatione in Saluatoris ortu nouum Regem natum intelligentes, in Bethleem ad ipſum adorandum venerunt. Verùm poſteà ipſa ſiderali ſcientia ab Arabibus deprauata, ac ſuperſtitionibus multis referta, Magiæ nomen iamiam malè audire cæpit, ac tandem dicta eſt ars omnium ſceleſtiſſima, quæ relictis veræ Philoſophiæ præceptis ſolo dæmonum commercio gaudet, eiuſque adminiculo mira quidem ſed infauda, ſeu verè, ſeu illuſoriè operatur. Huius auctorem facit Plinius Zoroaſtrem, quem refert vicies centum millia verſuum de hac pernitioſiſſima arte ſcripſiſſe. Cæterum magiam legitimam, & naturalem dicit idem Plinius conflari ex Medicina, ex Aſtrologia, atque ex Religione. Plura qui volet conſulat Oedipum Ægyptiacum Kircheri *tom. 2.*

2. MAGISTRALIS VENTVS vulgò Nautarum dictus eſt Borro-

lybicus vnus ex quatuor intermedijs, inter Septentrionem, & Fauonium, eoquod ſit veluti nauigatoriæ artis magiſter: ab eo enim primum velificatio inſtituta fuit in mari Mediterraneo vt author eſt Plinius. Naturam eius abunde tradidimus in V. *Borrolybicus.*

MALEVENTVM dictus eſt etiam Circius ob ſui malignitatem: vnde etiam Oppido illi maxime obnoxio idem nomen ceſſit olim, licet poſteà verſo in bonum omine Beneuentum fuerit appellatum. 3.

MALEFICÆ antonomaſtice dictæ ſunt duæ erraticæ malignantis naturæ, atque humano generi, quin & viuentibus omnibus inimicæ, Mars videlicet & Saturnus, ſicut viceuerſa beneficæ Iupiter, & Venus ob bona, quæ ſecum afferunt. 4.

MALFELCARE Chaldaicè dicitur Corona Gnoſſia, ſidus in cælo propè Bootem, de quo vide ſuo loco. 5.

MAMARETH apud Arabes idem valet ac apud nos eleuatio, ſiue ſupereminentia ſiderum ſuper ſidera, quando exiſtentibus in aliqua familiaritate coniunctis, alterum eorum vincit, & maioribus fortitudinum calculis pollet, tunc illud dicitur eſſe in Mamareth ſuper aliud, frequens huius vocabuli vſus in Albumaſar, nec-non in alijs ſcriptoribus Arabibus. Porrò in quo verè conſiſtat huiuſmodi ſiderum prærogatiua ex diuerſorum placitis abundè diximus in V. *Eleuatio.* 6.

MANDIBVLA *Ceti*, vide *Menchar.* 7.

MANIPVLVS *ſpicarum*, ſeù etiam *faſcis* dicta eſt Arabibus teſte ſchicchardo, Coma Beneniees, ſuo gentili vocabulo *Huzimethon*, de qua vide quæ diximus in V. *Coma.*

MANNA, quod & Ros Syriacus, & mel aereum dici ſolet liquor eſt dulciſſimus virtute ſiderum ex vapore tenui & mixta quadam exhalatione concretus. De quo plura dicemus in V. *Ros*, quoniam eiuſdem rationis eſt, & à calore inſito dulcedinem illam, & ſpiſſitudinem contrahit. Vide ibi. 8.

MANVCODIATA Indorum vocabulo dicitur Auis Paradiſiaca, ſidus nouum ad auſtralem plagam nobis inuiſum, dictum etiam Apus, conſtans ſtellis 11. infimæ notæ. 9.

MAPPÆ apud tam Geographos, quam Aſtronomos vocantur duo globi materiales, ac ſolidi, in quorum altero deſcriptæ ſint omnes imagines octauæ ſphæræ cum ſuis ſtellis exquiſitiſſimè calculatis, referentes eum poſitum ſub primo mobili, (cujus circuli poli, diuiſiones Zodiaci, & alia eiuſmodi ibi etiam ſint delineata,) eundem ſitum, eandem diſtantiam ad inuicem, quam nunc temporis in cælo ſidera habent: in altero verò delineatus ſit vniuerſus orbis terrarum cum ſuis prouincijs, maribus, inſulis promontorijs amni- 10.

bur vnaquæque pars ſub proprijs parallelis, ac Zonis; vt facilè cuique ſit vnico intuitu obſeruare in vno, quam longitudinem, latitudinem, poli eleuationem quiſque locus, aut ciuitas habeat, quam longè diſtet ab altera, quæ loca ſint ſibi oppoſita, quæ Antiſcia, quæ Periſcia, &c. in altero, ſtellas omnes in cælo dignoſcere, ſuis nominibus compellare, earum ſitum habere, diſtrantiam quam ad inuicem habeant metiri, quæ ſtella ſingulis locis ſit verticalis, quæ ſingulis momentis oriatur, cælum culminet, & in occaſum uergat, cum quo gradu Zodiaci ſingulæ ad quamcumque poli eleuationem aſcendant, cum quoue occidant; quæ ſemper lateant, quæ ſint perpetuæ apparitionis, &c. quæ omnia, niſi mapparum ope, longo ſtudio, atque indefeſſis laboribus vix comparari poſſent. Inter has præſtant quas Hondius, Ianſſonius, & Bleù nuper diligentiſſimè fabricarunt adiectis etiam nouis Aſtris cælo affixis, nec-non prouincijs in auſtrali plaga vſque adhuc non detectis.

12. MARAT *Muſalſeleth* hoc eſt mulier cathenata Arabicè dicitur Andromedæ, ſidus ad Borealem plagam conſtans ſtellis 27. ſecundum nouas Baieri obſeruationes, de natura Veneris, & Mercurij, de quo ſuo loco dictum, ſed enim hic non prætereundum quod de hoc ſidere horoſcopante in alicuius ortu venuſtè habet Manilius *in Aſtronom. lib.* 5. ſic enim canit.

*Quiſquis in Andromedæ ſurgentis tempore ponto,*
*Naſcitur, immitis veniet, pœnaque miniſter:*
*Carceris, & duri cuſtos, quo ſtante ſuperbo*
*Proſtratæ iaceant miſerorum in limine matres;*
*Per noctéſque patres cupiant extrema ſuorum*
*Oſcula, & in proprias animam transferre medullas;*
*Carnificiſque venit mortem ducentis imago,*
*Accenſiſque rogis, & ſtricta ſæpè ſecuri,*
*Supplicium vectigal erit, qui denique poſſit,*
*pendentem è ſcopulis ipſam ſpectare puellam.*

Nec mirum (etſi aliàs Manilius more poëtico diffundatur) quandoquidem hoc eſt ſidus infauſtum deſtinans ad carceres, calamitates, ſupplicia, vnde eam ob rem ſidus vinctum dicitur, & mulieris ad ſupplicium deſtinatæ imaginem præ ſe ferre voluerunt, qui eius naturam ab initio rimati ſunt.

13. MARGHAB hoc eſt currus Arab. dicitur ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Martis, & Iouis exiſtens in prima ala, ſeù potiùs in Scapulis Pegaſi in longitudine gr. 18.

Piſcium cum latitudine Boreali gr. 19. quam magni faciunt Aſtronomi tum in mutationibus aeris obſeruandis, tum in directionibus.

14. MARCHEB. Item alia ſtella fixa quartæ quidam magnitudinis, ſed valdè præſignis in medio ſcuti Argonauis fulgens de natura Iouis, & Saturni, exiſtens nunc in gr. 29. Cancri cum latitudine meridiana grad. ferè 47. Ea in horoſcopo, vel horoſcopus ad eam directus affert cordis hilaritatem, prudentiam, grauitatem, itinera honorata, iniuriarum patientiam atque amicitiam cum Iouialibus, & Saturninis non ſine acceſſione honoris, & opum. Oritur Romæ cum gr. 26. Leonis, occidit cum 7. Geminorum.

15. MARE. Vide Aqua.

16. MARFIC Arab. hoc eſt reclinatorium, vel *Marfikon* ideſt Axilla, teſte teſte Schikhardo in ſua Vranometria, dicitur ſtella fixa tertiæ magnitudinis, quæ eſt media in manu Heniochi de natura Martis, & Mercurij, de qua vide in V. *Auriga*.

17. MARS Planeta maſculinus & nocturnus, vt pote calidus, & ſiccus, ſed vincens in ſiccitate (ideò vt notat Titus effæminatus) proximè ſub Ioue ſupra Solem conſiſtens, curſum ſuum abſoluit ſpatio duorum ferè annorum ſolarium: Habet pro centro Solem, vt reliqui planetæ, excepta Luna, ſemper circa illum ſeſe ipſum rotando; ideoque ita eſt cum eiuſdem Solis circulo deferente diſpoſitus, vt cum fuerit illi achronycè oppoſitus, videatur infrà ipſum terræ vicinior, corpore prægrandis, itaut ipſam Veneremlferè exæquet, ac maiorem habet parallaxim quam ipſe Sol, minutorum videlicet quatuor, vt ego ſemel & iterum obſeruaui. Hinc per deſcenſum 18. eius in imam abſidem ſuis orbis magna illi fit caloris intenſio in æſtate, ac remiſſio frigoris in hyeme: terræ enim approximatus vires ſuas valdè exerit, & intendit: ſicut econtrà oppoſitum experimur quando reperitur in Apogæo valdè à terra remotus; eſt enim differentia in diametris 1 68. quæ in milliaria italica conuerſæ faciunt ſummam 16902 0. Vt proinde nil mirum ſit, ſi tanta diuerſitas inſit. Affirmat Keplerus *in Epitom. lib. 6.* Martem aliquando videri dichotomum in quadraturis ad Solem, quod & in Ioue, atque in Saturno euenire putat, eo maximè quod certum eſt reliquis planetis in- 19. ferioribus id competere. Fontana in eius medio maculam nigram obſeruaſſe ſe refert, cuius ſchema exhibet in ſuis obſeruationibus tr. 6. cap. 1. vnde & probabile eſt, hanc eſſe ſtellulam eius comitem, & quemadmodum duo ſuperiores

Iupiter & Saturnus ſuos ſtipatores habent, ac minores planetulas, qui ipſos circumdent, ſic & in Marte idipſum credendum eſt: Qua de re extat teſtimonium, licet non adeò firmum Antonij Mariæ Rietæ *lib. 4. radij ſideromyſt.* vbi hæc habet. *Martem fortè vti ſæpè obſeruauimus, ſuis comitibus certo tempore furtiuè ſtipatum.* & cap. 4. de hac re valdè dubitat, anceps meo iudicio, an quæ viderit circà ipſum ſtellæ fixæ fuerint, an vero proprij Martis ſatellites. Cæterum Mars
20. dicitur infortuna minor naturæ humanæ ac viventibus omnibus inimicus, vt pote, qui ſua vredine & ſiccitate humorem natiuum abſumit, & tollit: quod etiam indicat color eius rufus, ſuboſcurus & igneus. In genethliacis facit hominem ad iracundiam pronum, rubris, & candentibus oculis, capillitio flauum, inceſſu violentum, cui pontica, & amara placeant. Dominatur auditui ſiniſtro, renibus, bili, felli, inteſtinis, & ſedi. Cauſat morbos, qui ex bile, & torrefacto ſanguine ortum trahunt; vt febres ardentes, acutas, hæmorragiam, phrænesim, maniam pthiſim, ictericiam flauam, diſſenterias, eriſipilas, exanthemata, & ſimilia. Habet ſub ſe milites, Duces, Capitaneos, Chirurgos, Medicos, tonſores, venatores, pyratas, carnifices, fabros, qui ferrum, & ignita opera tractent. In morbis maximè noxia eſt Lunæ cum Marte coniunctio, minus verò quadratus, vel oppoſitio, ſicut etiam plus nocet Mars Orientalis, quam Occidentalis.

21. Masachf Chaldaice dicitur ſignum Libræ ſeptimum ab Ariete illique directè oppoſitum, vt teſtatur Kircherus in Oedipo, Hebraicè autem *Miznaim* hoc eſt bilanx.

22. Mascvla conditio, ſicut & *Fœminina* verè, & realiter eſt in corporibus, ac ſignis cœleſtibus, vt erudiriſſimè probat Titus in Cœleſti Philoſophia *lib. 1. cap. 11.* non quidem quoad realem ſexus diſtinctionem, ſed quoad qualitatum cùm actiuarum, tum paſſiuarum diuerſitatem. Etenim cum maſcula vis in eo conſiſtat, vt actiuis qualitatibus polleat ſubiectum quod maſculinum dicimus, paſſiuis quod fœmininum; hinc eſt, vt quæ ſigna, quæue ſidera in qualitatibus actiuis (ſunt ea, vt alibi ex Philoſopho obſeruauimus Calor, & Frigiditas) vincunt, ſumpta ad ſexum analogia dicantur iure maſcula uirtute prædita, quæ verò vincunt in humiditate aut ſiccitate, appellen-
23. tur fœminea. Porrò in Planetis hæc ſexus diſtinctio, & præpollentia qualitatum ex colore, adeoque ex intenſio-

ne, & extenſione lucis dignoſcitur; in ſignis verò à punctis cardinalibus, atque ab diſtantia proportionali reliquorum ſignorum ab illis, vnde fit initium productionis huiuſmodi qualitatum tam actiuarum, quam paſſiuarum. Ex Luminaribus conſtat Solem habere virtutem actiuam ratione caloris, & intenſionis maximæ ſuæ lucis; Lunam econtrà abundare in humiditate ac paſſiuam virtutem habere ratione extenſionis ſuæ lucis, (licet enim in ambobus videre ſit intenſionem, & extenſionem lucis, tamen nulli dubium eſt, in Sole præualere intenſionem, in Luna extenſionem cum intenſio lucis in hac ſit valde exilis) idcircò hæc fœminea eſt, ille maſculus, Iupiter, & Venus temperatam naturam habent ex calido, & humido, quod indicant colores quibus præditi ſunt, croceus, & cæruleus: ſed in cæruleo præponderat calor humiditati, ideo Iupiter cæruleus apparens maſculus eſt, Venus croceum colorem habet, in quo humiditas calorem vincit, ideò fœminina, Saturnus, & Mars intemperatam naturam habent, ille quidem ex frigore, & ſiccitate conflatam, hic ex calore, & ſiccitate, (quod arguit ipſorum calor plumbeus, & igneus) ideò maſculini ambo, ſed quia in Marte vincit quandoque ſiccitas, quæ qualitas paſſiua eſt, ideò, vt alibi obſeruauimus, nocturnus, atque effæminatus. Mercurius ancipitis eſt naturæ pro qualitate eorum, cum quibus congreditur: quia tamen ſe ſolo eſt frigidus, & ſiccus, ſed magis frigidus, ideò maſculam conditionem ſortitur.

Pari etiam ratione in ſignis Zodiaci diſcurrendum; Quandoquidem ea maſcula virtute potiri debent, à quibus eſt initium productionis qualitatum actiuarum; ea fœminea dici debent, vnde originem trahunt qualitates paſſiuæ: Atqui à punctis cardinalibus videmus ſidera incipere influentiam primarum quatuor qualitatum: Ab Tropicis humiditatem & ſiccitatem; ab æquinoctialibus punctis calorem, & frigiditatem. Igitur quia Aries, & Libra initia ſunt productionis qualitatum actiuarum; actiua ſunt, & maſculina: Cancer, & Capricornus, quia initium faciunt productioni qualitatum paſſiuarum, paſſiua ſigna ſunt, & fœminina. In reliquis ſignis vniformiter diſcurrendum per habitudinem, & proportionalem diſtantiam à dictis cardinibus vnde fit initium productionis primarum quatuor qualitatum. Gemini, Leo, Sagittarius, & Aquarius habent aſpectus, & proportionales diſtantias ad Arietem, & Libram: Ergò 24.

vincunt in qualitatibus actiuis, ac proinde maſculina ſigna dicenda ſunt, Taurus, Virgo, Scorpio, & Piſces habent habitudinem, & familiaritatem cum Cancro, & Capricorno: igitur vincunt in qualitatibus paſſiuis, atque adeò fœminina ſunt. Vide quæ fuſiùs habet Titus loco citato.

25. MASVROTH Chaldaicè dicitur Zodiacus apud Cerdam, apud Kircherum verò in Oedipo Ægyptiaco *Andronitho demaluſche* hoc eſt orbis ſignorum. Vide in V. *Zodiacus*.

26. MATER dicitur à Latinis facies interior Aſtrolabij ſeù caua pars, quæ limbo extrinſecus definita, intrinſecus amplectitur timpana, ſeù tabulas, & voluellum reſpondens ad ſingulas partes in planitie limbi deſcriptas: dicta eſt quaſi mater quæ tabulas intrà ſe perinde ac fœtus in vtero gerat.

27. MATHEMATICA, ſeù *Matheſis* ſcientiarum omnium nobiliſſima, & quæ iure optimo mater omnium dici poteſt, quippe quæ in ſummo certitudinis apice ſita vniuerſa, quæ quanta ſunt amplitudine ſua complectitur, & ſcrutatur à Græco verbo *μάθησις* quod diſciplinam ſonat, originem duxit. ſolæ enim mathematicæ facultates ad inſerendam animo diſciplinam idoneæ ſunt, ſolæ ſcientiæ nomen merentur: quia ſolæ procedunt per demonſtrationes, ac principia nota ſolæ ex principijs per ſe notis procedũt ad cognitionem eorum quæ minus nota ſunt, vt & ipſa fiant nota, & manifeſta, eaque cognitione parta procedunt vlterius ad inueſtigationem aliorum quæ adhuc minus nota erant, vt ea quoque manifeſta reddantur, donec tandem admirabilem, ac certam rerum intelligentiam conſequamur: quod profectò aliæ facultates non præſtant, vt Philoſophia, Logica, Metaphyſica, &c. quæ non per principia nota, ſed per argumentationes & ſyllogiſmos procedunt, ſuaque obiecta probant, non ſupponunt probata. Eius obiectum, circà quod verſatur eſt quantum ſub ratione extenſi, & vt aptum eſt menſurare alia quanta, & ipſum viciſſim per alia menſuretur per proportionalem comparationem ad inuicem. Et quoniam quantum conſiderari poteſt præcisè prout habet rationem menſuræ proportioniſque vt ſic ſine vllo reſpectu ad materiam quantam, & vt tale eſt obiectum Geometriæ, quæ præſcindit à ratione quantorum, & ſolum conſiderat illa quatenus extenſa ſunt, vel conſiderari poteſt cum reſpectu ad materiam quantam, & ſic vel ſiſtit incontemplatione, & menſuratione partium orbis terrarum, & vocatur Geographia vel menſurat & maria dicitur Hydrographia, vel materalium rerum aceruos vt fru-

mentum, & liquida vt oleum, & pondera, & alia huiuſmodi, & hæc eſt Geodæſia, vel contemplatur quantum per figuras colores, & radios viſuales medio lumine, & appellatur perſpectiua: vel denique ſe extollit ad quantitatem cæli, eiuſque vaſtitatem, motus ſiderumque affectiones rimatur, & ex hac inueſtigatione conſtituitur Aſtronomia. Rurſus omnis quantitas conſiderari poteſt, vel vt eſt continua, vel diſcreta: vt continua eſt obiectum, vt dixi, Geometriæ: vt diſcreta fundat Arithmeticam, quæ in numerorum contemplatione verſatur, totam ſupputandi, multiplicandi, & diuidendi rationem diligentiſſimè tradens. Et hæc etiam ſi non iam in numeris per ſe ſiſtit, ſed vlterius progreditur ad comparationem eorum ad inuicem diſpertiendo tempus per certum numerorum rythmum, & conſonantiam iam fundat Muſicam, quæ tempus per quaſdam notas, & ſonorum interpolationes ita patitur, vt ad idem temporis ſpatium diuerſæ reſpondeant modulationes, & vocum concentus & harmonia. Igitur Mathe- 28.
maticæ diſciplinæ in quatuor præcipua membra diuidi poſſunt, Geometriam, Arithmeticam, Aſtronomiam, & Muſicam. Si enim abſolutè conſiderant quantum continuum, prout præſcindit à materia quanta, vel eius mobilitate, aut immobilitate retinet nomen vniuerſale Geometriæ: Si numerum diſcretum conſiderat, dicitur Arithmetica: ſi fertur in quantitatem continuam nobiliſſimam, quæque adhuc regulari ordine per temporis ſpatia volutatur, atque harmoniam quandam ſeruat, quales ſunt cœleſtes orbes, & Aſtra; vocatur Aſtronomia: ſi adhuc quantitas diſcreta cum hac proportione ad tempus conſideratur, per certos modulorum ſonos efformando dulciſſimam harmoniam, hoc eſt officium proprium Muſices. Alias diuiſiones Matheſis ex Proclo, alijſque inſignibus Mathematicis affert Clauius in Prolegomenis ad Commentaria ſuper Elementa Euclidis, quas nos huc aſportare ſuperuacaneum duximus, maximè quia ſuis in locis, vbi ſermo inciderit, eas hic (quod noſtrum inſtitutum eſt) ſummo ore libamus.

29.
Matvtini apud Aſtronomos appellantur ſex errones Planetæ Orientales à Sole, cum matutino tempore, Sole cardinem Orientalem tenente, ipſi ſuprà terram conſpiciuntur. Sicut econtrà Veſpertini, cum ſunt Occidentales à Sole, & Veſpere, Sole ad occaſum vergente, ipſi nihilominus ſupra Solem ſunt, & noſtrum adhuc hemiſphærium luſtrant. Porro tres ſuperiores dicuntur fortiores à Ptolemeo cum ſunt Orientales, & matutini, ſicut etiam reliqui tres inferiores cum ſunt Occidentales, & veſpertini. Rationem perpulchram

huius diuerſitatis affert Titus in Cœleſti Philoſophia lib. 1. cap.14. Quia, inquit, ſuperiores matutini, & inferiores veſpertini in his ſtatibus deſcendunt ab Apogæo ſui Epicycli: quare augentur lumine, atque ad nos approximantur, veſpertini verò ſuperiores, & matutini inferiores aſcendunt à Perigæo ad Apagæum ſui Epicicli; quare minuuntur lumine, & longè à nobis fiunt: idcircò iure ſuperiores Orientales & matutini, nec-non inferiores Occidentales, & veſpertini fortiores ſunt, quoniam ambo, licet per diuerſam habitudinem ad Solem, iiſdem qualitatibus pollent, maioreſque vires aſſumunt.

## M E

30. Mediatio, teſte Abraham Auenarre, eſt quædam paſſio adueniens planetæ cum ſeparatur ab infortuna, & iungitur alteri infortunæ, aut corpore, aut aſpectu. Idque ſiue fortuna ſit, vel malefica in ſigno præcedente, ſiue malefica in ſigno ſibi poſteriore. Verum tamen eſt, quòd ſi Sol aſpiciat planetam inter duas maleficas medium conſiſtentem, multum illi de tali infortunio remouebit.

31. Mediceæ stellæ ſunt quatuor erronis Iouis comites nuper à Galilæo inſigni mathematico detectæ, atque ab Mediceis Principibus, quibus eas dicatas voluit, honoris titulo appellatæ. Viſuntur clarè noſtro æuo ope Teleſcopij, modo Ioui propinquiores, modò remotiores, modo duo, modo tres, modò omnes quatuor, modò etiam nullæ: quod argumento eſt, ipſos in ſuis paruis orbibns moueri circà ipſum Iouem, quem pro centro retinent, ac proinde occultari, quando incidunt in eius vmbram, vel ſupra ipſum conſtituuntur: quî fit, vt ob Iouis corpus ſeſe inter ipſos, & noſtrum viſum interponentis videri non poſſint, de eorum motu multa diximus in Ioue: plura qui volet videat ipſum Galilæum in nuncio ſidereo.

32. Mediclinivm ab aliquibus appellatur quæ apud Græcos Dioptra, linea videlicet fiduciæ, & index in medio Aſtrolabij, quaſi in medio clinij collocatum. Vocatur etiam radius, quia eſt veluti radius rectà ad partes circunferentię terminans, ſiue quia per eum ſtellarum radius tranſiens, earum ſitum, & altitudinem à terra demonſtat.

33. Medivm Cæli dicitur ab Aſtronomis culmen, & meridianum ſupraterraneum, quod etiam dicitur Cor cæli, Domus regia, decima ab Horoſcopo, vbi planetæ, & ſidera ſunt in maiori altitudine quam obtinere poſſunt, proindeque directiores emittunt radios, validioreſque exſerunt vires. Vnde

meritò à Ptolemæo præficitur ipſi horoſcopo. Significat dignitates Imperia, Magiſtratus, Officia publica, opificium, nec non & matrem; qua ratione dictum eſt in V. *Culmen*. Gaudet in ea Sol, qui ibi conſtitutus ſicut & Iupiter, plurimum fortunatur: econtrà infortunæ ibi pernicioſæ euadunt,& nimis infenſæ.

Meelef Arab. idem valet ac præſepè, ſignificat enim nebuloſam in pectore cancri conſiſtentem de qua ſuo loco. 34.

Medvsæ Capvt. Vide in V. Algol, & Gorgonis caput. 35.

Mel liquor ſuauiſſimus ſatis notus, cæli ſudor, ſiderumque ſaliua, vt vocant, eſt tenuis vapor aliqua leui exhalatione immixtum atque à ſi ſideribus in vnum coagulatus, de eo fuſe egimus in V. *Ros*. 36.

Memesciath Arab. hoc eſt mulus Clitellatus, dicitur Auriga ſidus in cælo ad Borealem plagam, de quo ſæpius dictum eſt. 37.

Menchar, item Arab. dicitur Natis, ſeu Mandibula Ceti ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Saturni exiſtens nunc temporis in gr. 10. Tauri cum latitudine meridiana gr. ferè 13. Oritur Romæ cum primo gradu Geminorum, & occidit cum 4. Tauri. Vide amplius in V. *Cetus*. 38.

Menoides Græcè dicitur Luna corniculata, cum primum è radijs ſolis emergit, ac ſe viſibilem præbet ſecundo ferè die poteſt Nouilunium. 39.

Mercvrivs. ſtella eſt erratica omnium minima, ſed pellucida & coruſca nimis, quæ circà Solem tamquam eius ſtipator vna cum Venere perpetuò voluitur, & circumfertur, neque ab ipſo vnquam elongatur pluſquam grad. 28. Eius orbis conſtituitur ſupra Lunam, licet recenſiores in ipſo Solis deferente ipſum collocent, neque ei proprium orbem attribuant, ſed ſolum Epicyclum, qui fit vt quandoque etiam ſupra ipſum Solem conſtituatur, vbi inuiſibilis redditur. Natura illius variabilis eſt pro planetarum quibus cum miſcetur, varietate: ex ſe tamen ſiccus eſt ob Solis vicinitatem, & frequentem combuſtionem. Eſt motor ventorum; atque in Genethliacis benè collocatus præſertim in Virgine domicilio, & exaltatione ſua, aut in domibus Saturni facit ingenio promptiſſimos & excellentes, vt notat Ptolemæus in centiloquio, & probat Angelicus Doctor, licet natura inſtabiles, callidos, aſtutos,non adeò ſincerè actiones ſuas tractantes: forma autem ac temperatura corporis gracili, colore pallido tendente ad nigredinem, pulchris oculis, ſed mobilibus, ſupercilijs iunctis,facie anguſta, longis digitis, paſſibus breuibus, & celeriter incedentes, corpore denique puſillos, vt ipſe, qui terra vnde 40.

vicesies minor eſt. Dominatur linguæ, ſermoni, phantaſiæ,
neruis, ſpiritibus, menti, ac rationi. Habet ſub ſe mercatores,
Nuncios, Cancellarios, Scriptores, Mathematicos, Arithme-
ticos, & id genus homines. Quoad morbos, malè poſitus cauſ-
ſat cerebri affectus, maniam, delirium, epilepſiam, impedimen-
tum ſenſus communis, linguæ defectus, iuſſim, & his ſimilia.
41. Cæterum quæ de Mercurio ab Aſtronomis præſertim anti-
quioribus traduntur minus certa ſunt, ac quæ de reliquis pla-
netis; cum enim à Sole parum digrediatur, & ſit quantitate
omnium minimus, rarò admodum obſeruari poteſt, ob Solis
vicinitatem & vapores qui horizontem ambiunt; quandoqui-
dem non niſi propè horizontem mane, & veſpere eum videre
licet; idque rariſſimè cum eum à Sole ad 20. ferè gradus elon-
gati contingit.

Meridianvs eſt Circulus magnus conceptus in Cælo, qui
42. tranſeat per polos mundi, & verticem capitis noſtri; quique
in ſphæra materiali cæteris circulis ſupereminet, ſuſtinetque
axem mundi, circa quem reliqui voluantur. Inde dicitur, quod
Sol motu primi mobilis ad eum delatus vbique locorum, &
quocumque anni tempore meridiem efficit. Proindeque eius
ope dignoſcitur quantitas diei ac noctis, artificialis, punctum
meridiei, & mediæ noctis, arcus ſemidiurnus, & ſeminoctur-
nus cuiuſcumque ſideris, maior altitudo, quam quouis tem-
pore habere poſſit ſupra terram, & alia, quæ enumerat Cla-
uius in ſphæram Io: de ſacro boſco. Aſtronomi omnes, quem-
admodum Hiſpani, Galli, & multæ nationes Septentrionales
incipiunt computare diem à meridiano, ſeù ab eo temporis
puncto, quo Sol meridianum tenet, non ab occaſu, vt nos
Itali facimus, neque ab ortu Solis, vt Ægyptij, & Mahumera-
ni. vbi pro diuerſitate horizontum magis, ac magis obliquo-
rum diuerſa eſt etiam magiſque obliquior ratio aſcenſionum.
At verò in Meridiano omnes partes eclipticæ, æquè aſcen-
dunt, ac cælum mediant, atque adeo in eo vbique locorum ea-
43. dem eſt aſcenſio cuiuſcumque gradus Zodiaci. Porrò ſicut hori-
zonta diuerſa ſunt, & pro locorum diuerſitate infinita prope-
modum concipi poſſunt; ita & Meridiani: nihilominus Coſmo-
graphi centum tantum, & octaginta meridianos circa tellurem
deſcribunt, quos & Azimutha, ſeù circulos verticales Arabes
vocant, quorum ſinguli tranſeunt per polos mundi, & binos
gradus æquatoris ſibi ad inuicem oppoſitos: quinimò in Mappis
mundi duodecim tantum deſcribi ſolent, qui totum terræ tra-
ctum in 24. partes æquales diſpercunt, adeo vt inter duos pro-
ximos, quindecim gradus æquatoris intercipiantur, quantum
videlicet requiritur ad vnam horam conſtituendam: vnde

cognoſcitur diuerſitas locorum, & quot horis citiùs in vna ciuitate meridies efficiatur quam in alia. Nam ſi vna ciuitas ab altera remoueatur verſus ortum tribus ex his duodecim meridianis, ſignum eſt quod tribus horis priùs ibi Sol oriatur, meridieſque fiat & nox quam in altera, & ſic de ſingulis. Hæc verò diſtantia, & differentia Meridianorum dicitur Longitudo, 44.
quæ computari ſolet ab Inſulis fortunatis ſitis in Occidente, verſus Orientem; itaut quò maior fuerit longitudo, & arcus æquatoris interceptus inter vtrumque meridianū, eius inquam loci, de quo quærimus, & dictarum inſularum, eò ipſe locus ſit Orientalior, priuſque dies accidat, ac meridies. Verùm recentiores Aſtronomi, qui tranſacto ſæculo nauigijs ſuis intimas Occidentis oras penetrarunt, experientia didicerunt, verum Occidens computandum eſſe ab inſulis Azorum non longè ab Hieron Promentorio: ac proinde ibi conſtituendum eſſe primum Meridianum, qua de re vide quæ diximus in V. *Azorum inſulæ.*

Merops Græcè dicitur Aquila ſidus in cælo ad borealem 45.
plagam intra Galaxiam propè Delphinum, & Cygnum. Ea cum Sole, vel Marte exoriens producit niues cum intentiſſimo frigore, cum Mercurio ventos commouet: Occidens verò matutino tempore procreat Auſtrum, & calorem magnum. Vide quæ diximus in V. *Aquila.*

Mesangvo Chaldaicè idem valet ac decachordum: vnde apud Chaldæos Aſtronomos eo nomine appellatur Lyra ſitus 46.
quod Ptolemæo decem ſtellis conſtat, quod prorſus chordæ conſtituunt Pſalterium decachordum. Alio nomine dicitur *Aſanges.* Reliqua vide in V. *Lyra.*

Mescimach Alaazel Hebraicè, ſeu potius Chaldaicè dicitur ſpica Virginis, vt author eſt Abraham Iudæus in ſuo intro- 47.
ductorio ſtella inquam fixa primæ magnitudinis, benigniſſima, de natura Veneris, & Mercurij Arabicè *Azimech.* Hæc cū Mercurio congrediens ventos mouet, & facit ſubitam mutationem in aëre: ſicut etiam cum Saturno impetuoſos imbres generat, & tonitrua, Vide alia eius ſignificata ſub alijs nominibus.

Mesen Græcè dicitur Ventus intermedius inter Septentrio-
nem & ſubſolanum, alio nomine Borrapeliotes, noſtris verò, 48.
quia per Græciam tranſit, Græcus. Eius naturam, & conditiones, vide in Borrapeliote.

Mesaqvilo, Meſocorus, Meſocircius, Meſeurus, &c. dicun-
tur quartæ ventorum, ſeù venti minores collaterales ad læuam 49.
Aquiloni, Coro, Circio, Euro, &c. ſicut econtra Ypaquilo Ypocorus, Ypocircius, Ypoeurus, &c. qui ventis hiſce lateralibus adſtant ad dexteram. De quibus omnibus cum de Ventis in

generali, ſermonem inſtituemus.

50. Meteora, quæ *fructus ſiderum* nominat Paracelſus ſunt mixta imperfecta, eiuſdem quidem ſubſtantiæ, ac ipſa elementa prima videlicet rerum ſemina; verum vi ſiderum in ſublime elata accidentaliter immutantur, vel adinuicem transformantur, itaut iam non elementarem formam retinere videantur; ſed aliã longe diuerſam, & ſublimiorẽ ipſis etiam perfectis mixtis; quales ſunt Cometę, Virgæ, Trabes & his ſimilia, vel ſi frigida, grando, nix glacies, pruina, &c. qua poſtquam aliquandiu durauerũt in priſtinam elementorum ſuorum formam reuertuntur. Appellantur etiã Aëræ impreſſiones, quia incerta aëris regione ex primarum qualitatum coïtione, & pugna, inſtar ceræ facilè imprimuntur, facileque etiam euaneſcunt. Eorum cauſa materialis Paracelſo eſt ſulphur, ſal & Mercurius (& ipſa quidem

51. imperfecta mixta) reliquis verò Philoſophis Vapor, & Exhalatio: Et hæc quidem vtpote calida, & ſicca, atque igneæ naturæ, eleuatur in ſupremam aëris regionem; ibique ſi multa ſit, craſſa, & viſcoſa condenſatur in ſidus, quod vulgò Cometam vocamus, tandiù durans, quouſque ab concepto igne abſumatur: ſi exilis, & gracilis eſt, tranſmutatur in faculas; ſi nimium tenuis in ſtellas, quas cadentes appellitamus; ſi ſaltus edat dum ignem concipit, caprarum exilientium formam ſumit: ſi extendatur in longum, & aliqua ex parte craſſeſcat, trabs, columna, ciaculum, prout ijs magis aſſimilatur, dicitur: ſi volatum edat, & ſpeciem quandam Draconis aſſumat, Draco volans nominatur: ſi cadaueribus, ac detruncatis hominum capitibus aſſideat, ignis fatui nomen habet: ſi ex attritis animalium pilis, & crinibus aſſurgat, ignis lambentis nomine exprimitur: ſi demum malo, & antennis nauium adhæreat, Caſtor, & Pollux antiquis, nobis verò ſancti Elmi fauſta lumina appellantur. Hæc, inquam, omnia ab exhalatione procedunt, quæ aliud planè non eſt, quam terreæ partes, ſed leuiores, ſed rariores, quæ ſurſum elatæ facilè alterantur, ac ignem concipiunt, & ardent, quoaduſque reſoluta eorum materia in priſtinam formam reuertantur, vel in aliud, elementum, puta aërem vel ignem tranſmutentur.

52. Vapor autem partes aqueæ ſunt item ſubtiliores, ac rariores, quæ in mediam aëris regionem elatæ modo condenſantur in nubes modò eliquantur in imbres, modò tenuantur in nebulas, modo rigeſcunt in grandines, modo ſpiſſantur in niues: ac pro diuerſo ſiderum poſitu diuerſas formas accidentales induentes miram hanc Meteororum diuerſitatem faciunt, atque Vniuerſum nouo iſto productionum genere exornant. Quod ſi tandem, iuncto fœdere, vapor, & exhalatio in vnum coeant reſultant

reſultant inde Mineralia, & foſſilia, vt Aurum, Argentum, lapides pretioſi, &c. humanæ cupiditatis, atque auaritiæ ſubiectum, reuerà tamen longè viliora, quam cætera mixta perfecta, plantæ, animalia, homo.

Ex his liquet in quo differant vapor, & exhalatio: Ambo 53.
enim vi ſiderum, præcipuè verò ſolis è terra proſiliunt, atque in ſublime trahuntur; ſed enim hæc, vtpote calida & ſicca ſurſum euehitur, atque in ignem vt plurimum tranſmutatur, vel in aërem, vnde venti exſurgunt: ille verò habet calorem mixtum humiditati, quæ tamen paulatim calorem debilitat, itavt vapor ille nequeat ſurſum in ſupremam aëris regionem aſcendere, ſed in media tantum conſiſtat, ibique tandem calore extincto, vel ſanè extenuato conuertatur in imbres, niues, nebulas, aliaque ſuperius enumerata. Hæc omnia ex Ariſt. 1. *Meteor. cap* 4.

*Metonicus Annus*. Vide Annus.

*Micromèga* eſt inſtrumentum geometricum repreſentans 54.
ſextam partem quadrantis hoc eſt gr. 15. deſcriptos in limbo, cuius ope rerum diſtantiæ, & altitudines metiuntur. Eius vſum abunde tradit peculiari libro Lucius Scaranus inuentor.

*Micros Contàratos*. teſte Kirchero, dicitur ſpica Vir- 55.
ginis ad differentiam Arcturi, qui dicitur Magnus Contaratus.

Miles apud Aſtronomos, ſeù potiùs Meteorologicos eſt 56.
ſpecies quædam Cometæ criniti, & caudati de natura Veneris, magnitudine ſua, ac lucis fulgore ferè Lunam exæquans, qui quando apparet diù conſpicuus eſt,& ſolet quandoque peragrare totum Zodiacum. Habet ſignificare ſectas, contentiones, fœmineum ſexum, & adoleſcentes. Item magnas ariditates, aëris corruptelam, humorum turbationem, & quæ inde proueniunt mala: Idque maximè portendit in locis, ad qua tetenderit eius cauda. Talem apparuiſſe ferunt, cum Xerſes Perſarum Rex in Græciam traiecit.

Minutum, et scrupulum apud Aſtronomos dicitur mi- 57.
nima, & ſexageſima quæque pars fractionis integri gradus, aut horæ: itavt quælibet hora, vel gradus æquatoris, aut Zodiaci diuidatur in ſexaginta minuta: quodlibet minutum in ſexaginta ſecunda, vt vocant: Secunda adhuuc in totidem Tertia: & ſic deinceps vſque ad Decima, & ſi quis volet vſque in infinitum. Vide quæ diximus in V. *Gradus*.

Mirach arab. dicitur Cingulus, ſeu Vmbilicus Andro- 58.

madæ, ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Veneris; nō abs re tali nomine inſignita, quippe quæ ſi in alicuius horoſcopo reperta fuerit, facit eum ad luxus, ac libidines propenſum, atque ob id adducit infamiam, & pericula. Cum ſole exoriens affert tempus turbidum; & aquoſum: Cum Saturno frigus magnum, nebulas, pluuias, & pro temporum conditione niues.

59. MIRACH etiam per analogiam dictus eſt Cingulus Cæli hoc eſt Zodiacus: idque præſertim in Planiſphærio, vbi deſcriptus cingulum planè refert.

60. MIXTA apud Philoſophos dicuntur corpora non ſimplicia qualia ſunt elementa, ſed quæ ex ipſis coagmentantur. Siquidem *Mixtio* (vt inquit Ariſt. primo de Gener. text. 90.) *eſt miſcibilium alteratorum vnio*. Per quod intelligit quatuor elementa ad inuicem pugnantia contrariis qualitatibus, quibus pollent, itavt ex pugna mixta omnia prodeant. Qui fit, vt quodlibet mixtum reſultans omnes quatuor qualitates in ſe contineat, cum aliàs pura elementa duplici tantum ſibique propriis potiantur. Quod [illegible]ius docet idem Ariſt. 2. *lib. textu* 48. dicens ex qualitatibus elementorum inuicem pugnantibus corrumpi excellentias qualitatum, & reſultare mixtum. Et hinc eſt, vt id obiter dicam, viuentium alimentum mixtum aliquod debere eſſe, non pura elementa, quemadmodum docuit Ariſt. *de ſenſu cap.* 4 quoniam qualitates elementorum cum potentiores ſint, non poſſunt à viuentium qualitatibus quæ debiliores ſunt alterari, atque adeo in ſuam ſubſtantiam tranſmutari, benè verò mixtorum præſertim perfectorum, quorum qualitates facile vinci poſſint, ſicque in viuentium alimentum tranſire.

61. Verum Titus in Cælesti Philoſophia *lib.* 1. *cap.* 8 & alibi ** ſæpè eruditiſſimè oſtendit mixtorum virtutes, & admirabiles qualitates non eſſe elementares, neque ab elementis emanare; ſed omninò cæleſtes eſſe, atque à cæleſti lumine ortum ducere: præcipuè verò calorem innatum, & humidum radicale in viuentibus deriuare à lumine ſolis, & Lunæ, concurrentibus etiam aliis aſtris, à quibus fit diſtinctio, diuerſitas, conuenientia & diſconuenientia in naturis animalium, cæterorumque mixtorum. Vnde Luminaria, inquit, cum infortunis habent producere animalia, mixtaque perniciosa, & è contraria mixtis optimis, ac perfectis: cum fortunis verò producunt mixta temperatæ naturæ, humano generi conducentia, ſalutifera, atque viuentium conſeruationi apprimè idonea. Hinc magna illa cœleſtium corporum cum terreſtribus harmonia, quam Mundi ſpiritum Pla-

to, Noſque vulgò ſympathiam, Antipathiamque vocamus, de qua eruditiſſimos Dialogos vndecim ſcripſit Antonius Mizaldus medicus Moluciensis, introducens bellè Æſculapium, & Vraniam colloquentes. Etenim quamquam ſi de primis qualitatibus, quæ temperamentum conſequuntur loquamur, nulli dubium, quin ex elementares ſint, atque ex mixtione elementorum reſultent, vt modò dicebamus; nihilominus quoad occultas quaſdam virtutes, quibus altiùs potiuntur, tum etiam quoad ipſorum miſcibilium admirabilem vnionem, neſcio quid cælitus in ſe ipſa mixta contineant, Quandoquidem videmus in eis miram quamdam varietatem, admirandoſque effectus, qui non ab elementorum commixtione, quorum naturam longè exuperant, ſed à ſuperiori quadam virtute pródeant, neceſſe eſt. Vnde enimuerò effectus illi mirabiles, quos eædem qualitates in clementis, aliiſque mixtis, ne digito quidem tenus, poſſunt attingere? Vnde ſimilitudo illa temperamenti, quæ proinde ſi ab elementis exhauriretur, eandem conuenientiam qualitatum, eandem graduum intenſionem mixta deberent opppidò participare? Et tamen reipſa non modò non eandem, uel ſimilem, ſed natura, actiuitate, virtute longè diuerſam videmus.

Quæ quidem omnia clarè innuunt, non ex ſola elementorum permixtione reſultare mixta; (ſi enim ea ſola inuicem copules, iam non mixtum per ſe reſultat, ſed compoſitum per accidens, & confuſio) ſed ex cælesti quadam inſita qualitate, elementaribus quidem per ſimili, ſed enim longe ſublimiori, & altioris ordinis, quæ miros hos faciat prodire effectus, quos qualitates purè elementares, quamtumuis intenſiores aſſequi omninò non poſſunt. Sic Mineralia cuncta, (quæ tamen à vulgo Philoſophorum inter mixta perfecta minimè annumerantur) ſic vegetabilia, ſic Venena plurima mirabilia operantur, quæ non alia mixta, quæ non ipſa elementa, quamtumuis maiori qualitatum intenſione præſtantia. Cicuta ſua frigiditate perimit, ac natiuum calorem extinguit; at non glacies, licet in ſummo frigida, vt ipſa docet experientia, notauitque Philoſophus 2. de generat. text. 21. Ei ſua caliditate vinum occurrit, vt author eſt Plinius lib. 14. cap. 5. ſed non cætera mixta, quamtumuis longè calidiora. Hidrargyrus deleterium eſt ob exceſſum frigidi, & ſicci; quem tamen exceſſum longè maiorem videre eſt in aliis mixtis, quin & in ipſo elemento terræ; & nihilominus hæc naturæ inimica non ſunt, imò potius fouent, conſeruant, & tellus plantis alimenta ſufficit.

63. Aconitum venenorum omnium violentiſſimum eſſe conſtat, & naturæ cuiuis exitiale; ea tamen eſt veneni huius conditio, vt deleteriis omnibus tam frigida quam calida qualitate pollentibus ſit aduerſum, atque (vt Plinij verbis vtar lib. 27. cap. 2.) *hominem occidat, niſi inuenerit, quod in homine perimat: cum eo ſolo colluctatur, velut pari intus inuento: ſola hæc pugna eſt, cui venenum in viſceribus reperit; mirumque exitialia per ſe ambo cùm ſint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo ſuperſit.* Quod & in cornu Vnicornis, in Lapide Bezaar, atque, vt ſimplicia corpora præteream in Theriaca, & Mitridatico paſſim videmus, quæ contra omnia nobis venena opitulantur.

64. Conſtat igitur miram hanc mixtorum virtutem non ab elementaribus qualitatibus ortum ducere, ſed ab cælorum impreſſa virtute, corporibuſque cæleſtibus quibuſcum affinitatem contrahunt deriuare. Sic Sapphyrus, Praſſius, Mentha, Artemiſia, Mandragora, Iouiam, atque Saturniam naturam referunt, atque aſſimilantur Hirco ſtellæ fixæ poſitæ in Auriga. Sic Smaragdi virtutes à Spica Virginis aſſerunt deriuatas: ſic Beryllus, & Achates virtutes ſuas trahunt acceptas ab vtroque Cane ſidereo; propter quod gratiam gerentibus præſtare feruntur: Sic Iaſpis Arcturo ſubeſt: &c. quorum longam ſeriem, virtutes, & cum Aſtris vnde illas hauriunt admirabilem connexionem congerit Marſilius Ficinus eruditus æque ac pius author *in libro de Vita cælitus comparanda cap.* 8. & alibi paſſim. Nobis hæc attigiſſe tantum ſuperſit

65. Mobilia signa apud Aſtronomos eadem ſunt quæ Cardinalia, à quibus videlicet fiunt temporum mutationes in Vere, Æſtate, Autumno, & Hyeme, eò dicta, quod motionis temporum argumenta, ſunt & tranſitus vnius in aliam è quatuor primis qualitatibus prædominantem: Ea ſunt Aries, Cancer, Libra, & Capricornus, quorum ſingula ſingulos anni quadrantes ab alio dirimunt, & diſpeſcunt; & Aries quidem ac Libra inducunt Ver & Autumnum; Cancer, verò & Capriconus Æſtatem, & Hyemem, ſingulis ſuis propriis qualitatibus præpollentibus. Porrò hæc ſigna ſicut in cæleſtibus ſunt initia mutationum, ita & in inferioribus hiſce mutabilitatem pariunt, ac mutationum indicia ſunt, ſicut econtra fixa, ſtabilitatis.

66. Moderatòres appellantur apud Aſtronomos præcipui rerum ſignificatores, planetæ, vel alia loca in cælo, quæ ex certa conſtitutione ac poſitu aliquid ſpecialiùs regere habent, & moderari: proindeque ſe habent tanquam ſubie-

ctum paſſibile reſpectu actiuitatis aliorum ſiderum : itavt eorum interſit moderari, & ſignificare res in ſuo genere, & ità quidem, vt vnuſquiſque rem ſibi commiſſam, vt ita dicam, regat, nec vllo pacto ſeſe immiſceat in iis quæ ad alium ſpectant; ſiderum verò occurſantium, (quæ etiam Promiſſores dicuntur) ſit ſpecificare rem per moderatorem ſignificatam, & coarctare ad certam ſpeciem, de ſui natura, ſiue beneficam, ſiue maleficam, bonam, aut malam, ſic, exempli gratia, Horoſcopus eſt vniuerſalis Moderator vitæ, affectionum corporis, valetudinis, infirmitatum, &c. proindeque in omni occurſu aſtrorum recipit aliquam alterationem in ordine ad iſta ſignificata, de natura tamen, & qualitate Aſtri occurſantis, itavt ſi fuerit occurſans malefica, mala in eo genere, ſi benefica bona ſignificet in iis quæ nuper enumerauimus. Sic Saturnus, eiuſve aſpectus hoſtilis ad horoſcopum adducit mala in vita, & valetudine de natura & qualitate ipſius, vt atræ bilis commotiones, febres chronicas, frigidas, lentas, pericula ſaturnina, &c. ſic Mars febres acutas, ardentes, flauæ bilis exceſſum, pericula ignis ignitorum, &c. Sic Iupiter contrà benè affectus, & ex benigno radio affert alacritatem, firmam corporis valetudinem, acceſſiones ex Iouialibus, &c. male affectus & hoſtili radio occurſans cauſat pleuritides, Anginam ſpaſmum, Cardiacam, Apoplexiam, dolorem capitis & ſimilia.

Porrò quinque tantum rerum moderatores ſtatuit Ptolemæus, vtrumque Luminare, Horoſcopum, Cæli Culmen, & Partem fortunæ; quoniam exiſtimat omnia accidentia in vita humana tam intrinſecùs in valetudine, corporiſque & animi affectionibus, quam in bonis, maliſque extrinſecùs aduentantibus, ab iis quinque æquè bene demonſtrari poſſe, regi, & complecti. Sol etenim caloris innati naturalis ſignificator eſt, & origo: Luna humidi radicalis; Horoſcopus corporis, & animi affectionum, Medium Cæli gloriæ, dignitatum, honorum, opificij, Pars fortunæ diuitiarum, aliarumque acceſſionum, vt alias demonſtratum eſt: Vnde nil planè reſtare videtur, quod non ab horum aliquo naturaliter, & iure ſuo ſignificari poſſit. 67.

Verum Argolus, & plerique recentiores contendunt tum reliquos cardines, imò, & omnes cæleſtes domos, tum etiam omnes erraticas poſſe munus moderationis obire in rebus, quæ ſunt de eorum naturà, & quorum ſunt ſignificatores; poſſunt enim, inquiunt recipere impreſſiones aliorum ſiderum occurſantium; atque adeò plurima accidentia tam proſpera, quam aduerſa per ſuas directiones inducere, 68.

quorum ne vmbratilis quidem notitia à dictis quinque primis rerum moderatoribus auſpicatur. Nec illis deficit, aut experientia: Cum enim in Metheorologicis alij quinque Planetæ poſſint eſſe rerum ſignificatores, non elucet cur eadem prærogatiua non gaudeant & in omnibus. Sanè Ptolemæus ipſe cum de electione Aphetæ ſeù Vitæ Moderatoris verba facit, docet vt quando Sol, & Luna non reperiuntur in locis idoneis, Apheticis, eligi debeat in Vitæ prorogatorem planeta ille qui in cæleſti figura plures dignitates habuerit in locis Luminarium, Aſcendentis, Partis Fortunæ, & præcedentis proximè ante Natiuitatem coniunctionis aut oppoſitionis Luminarium. Si igitur in hoc caſu vitæ moderandæ rationem ſuſcipere poteſt planeta talibus prærogatiuis præditus. & in aliorum defectu, cur non & in iis quæ naturaliter ſignificare habet dirigi poterit? ſi is, cur non & alij? Argolus teſtatur ſe ſumma felicitate eorum directiones in genethliacis perfeciſſe, ſicut etiam ſecundæ domus pro diuitiis, & ſubdit, quod ſi Profeſſores aliarum Domorum cuſpides dirigerent, non omninò ſpernenda comperirent. Liberum ſit cuique rei periculum facere; & quantum huiuſmodi directiones aliorum planetarum valeat perſcrutaris. Sufficiat nobis inſinuaſſe.

19. Monumenæ Ægyptiorvm dicuntur ſymbola, & Figuræ ab Ægyptiis in Nona ſphæra confictæ, applicitæque ad ſingulos ſignorum decanos, nec non & gradus eorum naturam referentes, & explicantes. Pro qua re ſciendum eſt, ex Kirchero in Oedipo Ægyptiaco *part. 2. tom. 2 claſſ. 7 in Digreſſione Num cælum liber ſit, &c.* Multorum Arabum, & Hebræorum ſententiam, ſeù amentiam eſſe cælum omne non modo ſideribus in inferiora iſthæc influentibus eſſe conſperſum, ſed & diuerſis ſymbolis characteribus, & imaginibus eſſe delineatum, in quibus tanquam in libro deſcriptæ ſint omnes actiones humanæ, & quæ futura ſint & quæ facta; in cuius rei probationem mirum eſt quam enormiter torqueant plurima loca ſacræ ſcripturæ vt illud Iſa. 34. vbi dicitur, *complicabuntur cæli ſicut liber.* Pſalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Item Gen. 1. vbi dicitur: *In principio creauit Deus cælum, & terram.* legunt ex Hebræo *litteram cæli, & litteram terræ* ſeu *ſcripturam cæli* Authores præcipui huius deliramenti ex Hebræis ſunt Akibam, author neſcio cuius libri Ietſiræ, Rambam Abenezra, & alij; ſuffragantur ex Latinis Cornelius Agrippa de occulta Philoſophia, Paracelſus, Robertus de fluctibus, Poſtellus, & Ciccus; neſcio quis, Calaber Aſtrologus, cognomento

Eſculanus, qui *in Commentariis ſuper Centiloq. Ptolomæi* de huiuſmodi Cæli characteriſmis ſermonem ingerens, hæc habet. *Sententia communis ſapientum aſtrologorum eſt, quod non ſolum octaua ſphæra, ſed & nona, & decima ſint tanquam tabulæ variis configurationibus imaginibus, & notis depictæ: nam in ſigno Arietis eſt imago iuuenis formoſi, & in ſigno Virginis imago Virginis geſtantis puerum, & in cæteris ſignis, & partibus cæli ſunt diuerſæ effigies, & characteres, & litteræ demonſtrantes nobis cauſas horum inferiorum; de quibus intelligenda eſt illa ſententia Patriarchæ Iacob. Legi in tabulis cœli quæcumque contingent vobis. Hæ autem figuræ non ſunt otioſæ, ſed influunt diuerſos effectus in hunc mundum.* Et idcircò dicit *Ptolomæus in hac parte Centiloquij* VVLTVS *huius ſeculi ſubiecti ſunt vultibus corporum ſuperiorum, ideſt figurationibus & aſpectibus imaginum; quæ inſunt corporibus cæleſtibus.* Sed & hic planè delirat: ſequitur. *Et quamquam iſtæ figuræ non poſſint ab omnibus indifferenter videri, tamen ab his, qui acutiſſimum viſum, & purgatiſſimum animum habent, certis temporibus, & in clariſſima noctis ſerenitate conſpici poſſunt. Vnde ex horum obſeruatione collecta fuit à ſapientibus ars illa, quæ Notoria appellatur, cuius virtute iidem ſapientes multa miranda experimenta fecerunt ad hominum vtilitatem: ſculpebant enim, vel in metallis, vel in lapidibus electis, vel in gummi, vel in cera, vel argilla imprimebant notas figurarum cæleſtium, quas in tacœli viderant, & nomina angelorum addebant, quos Deo reuelante cognouerant, præeſſe figuris illis, & ſic ex horum ſculptura & impreſſione multos admirabiles effectus ad laudem* Dei, *& beneficium hominum operabantur. Sed poſtea quidem corruptores huius artis adiecerunt ei quaſdam figuras, & notas infernales, quæ in regione damnatorum inueniri dicebant, & nomina Dæmonum, ex quibus Diabolo ſuadente firmabant imagines ad inducendum libidinem, diſcordias, homicidia, furta, ægitudines, faſcinationes veneficia, maleficia, &c. & ideò propter hanc corruptionem accidit eidem, vt ars per ſe bona propter ſuperadditam malitiam fuerit damnata, & prohibita.* Hucuſque Ciccus apud Sixtum ſenenſem in Bibliotheca ſancta *tom. 1. lib. 2* vbi incidit ſermo de libro quodam Apocrypho intitulato *Harratio Ioſeph*, quem citat, & magnificat Origenes pluribus in locis, ſed præſertim *in explanationibus Geneſis*, vbi ſic ait: *Vniuerſum cœlum eſt quaſi liber quidam apertus omnia futura in ſe conſcripta continens; idcirco in oratione Ioſeph ſic in-*

*telligi poteſt, quod à Iacob ad filios dicitur legi in tabulis cæli quæcumque contingent vobis, & filiis veſtris*

70. Sed aliud eſt cælum eſſe, veluti librum, in quo ex vario ſiderum poſitu configuratione, & habitudine, aſtrologica coniectura prænoſci poſſint quæ futura ſint, præſertim ſecundum naturalem ordinem cauſarum ſecundarum: aliud in eo veris notis, & quibuſdam characteriſmis aliquid eſſe impreſſum, quod à ſapientibus legi poſſit. Aliud eſt quod Ptolemæus vult de ſubiectione, & reſpondentia vultuum horum inferiorum vultibus corporum cæleſtium, hoc eſt imaginibus octauæ ſphæræ, ob ſympathiam, & connexionem ſublunarium cum ſtellis ſiſus, vt nos ſuprà tetigimus; aliud has imagines verè cælo inſerere, protritaque fronte aſſeuerare, eas viſſibiles eſſe. Sanè Poſtellus in commentarium ad ſupracitatum librum Ieſiræ neſcio nùm ſtolidè magis quam impiè hæc effutierit. *Si dixero in Cælo me vidiſſe in ipſis ſacræ linguæ characteribus ab Eſdra primum pulchrè expoſitis ea omnia, quæ ſunt in natura rerum conſtituta, vt vidi non explicitè, ſed implicitè vix vllus mihi crediderit: teſtis tamen mihi eſt Deus & Chriſtus eius, quod non mentior.* Sed & Kircherus refert, & exponit oculis contemplandum pulchrum quidem, & curioſum ipſius Cæli ſchematiſmum dictis characteribus delineatum à neſcio quo Gaffarello relatum in libro cui titulus gallicè *les curioſitez inoüyes* hoc eſt, curioſitates inauditæ quem Alphabetum benè vanitatis arguit idem Kircherus *ibi cap. 7. pag. 222.* Nobis eadem nugamenta retuliſſe, perinde ac refelliſſe ſit: Quandoquidem nemo ſanæ mentis erit, qui hæc audiens illicò non contemnat. At enim hic me temperare non poſſum quin grauiter indigner Calabro illi ſuperiùs relato, qui rem alioqui grauem & ſummis philoſophis dignam ſuis philateriis mititur eleuare, & paucis multa concludens, aut hominibus illudere vult, aut errores multos artificioſo aſtu ſtudet obtrudere. Imprimis artem illam Notoriam peſſimam damnatam, nunquam non perfidam ſuperſtitione ac Dæmone plenam, tanquam cælitus miſſam ab initio innocentem, & licitam aſtruit. Mox imagines aſtronomicas artificiales cum cæleſtibus confundit, eaſque vel eò ſuſpectas facit, quod ſuperſtitionibus refert, ac ſuſpectis rebus annectit. Demum tranſit ab imaginibus octauæ ſpheræ de quibus loquitur Ptolemęus in Centiloquio, ad imagines phantaſticas, & ſuo cerebro dignas, quæ nullam realem efficientiam habere poſſunt, quia neque lumine præditæ partes Zodiaci ſunt, neque vlla actiuitate, vt alibi monſtratum eſt. Atque

impudentiſſime imponit cum ait eas certis temporibus, ac determinatis hominibus fieri manifeſtas. Quare cachinnis excipiendus eſt impudentiſſimus circulator, ac dignis increpationibus coercendus.

Mo CHLEK Arab. dicitur ſtella fixa in cauda ſcorpionis, quę proximè antecedit aculeum, quam tamen Kircherus in Oedipo affirmat melius vocari *Leſſaa Elaakrab*. 71.

MOTVS eſt paſſio, & proprietas cæleſtium corporum, quem qui negaret, ſenſu & ratione carere cenſendus eſſet. Per eum enim orbis vniuerſus conſiſtit, & ſi minimum quid cælorum motus ſiſteret, & ceſſaret, ceſſaret etiam rerum ordo, quilibet alius motus, adeoque generatio, & corruptio rerum neceſſe eſſet, vt author eſt Abulenſis, ac D. Thomas *in* 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 2. *ar.* 3. & alij, communiter tam ex Patribus, quam ex Theologis, & Philoſophis. Nùm verò cælorum motus ſit cauſa productionis rerum, an dicenda tantum conditio, controuerſia magna eſt inter Philoſophos. Capreolus *in* 2. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 1 & *in* 4. *diſtinct.* 44. *quæſt.* 4. Bannes aliique multi exiſtimant motum cæli non tantum eſſe conditionem, ſed & rationem agendi ſiderum, quo veluti inſtrumentali cauſa inferiora iſthæc exagitent: Verum Durandus, ac nouiſſimè Titus in cæleſti Philoſophia, longè veriùs ſuſtinent, motum eſſe ſolum conditionem applicantem cæli virtutem, quæ demum ſolo lumine communicatur; atque ex longè & propè fieri ſiderum, fiat maior, vel minor intenſio, & extenſio Lucis; ad cuius rationem poſteà effectus reſultat. Id quod & ratio ſuadet, & experientia euincit (quandoquidem motus localis nil addit reale rebus motis) & denique Ariſtoteles ipſe ſua authoritate confirmat, 2. *de Generat. text.* 55. ſic dicens.. *Motum eatenus eſſe cauſam generationis, & corruptionis, quatenus eſt cauſa acceſſus, & receſſus ſolis.* 72.

Quod autem motus in hac regione elementari ſit cauſa caloris, id non arguit, etiam cælorum motum eundem effectũ producere: tum quia calor ex perfricatione corporum profilit, quorum alterum ſaltem ſit ſolidum, ſecus autem ex motu corporum pure fluxilium, (vt patet in ventis, qui aliud non ſunt, quam aeris motio maximè violenta, & tamen natura ſua frigidi ſunt, vt in loco dicemus: cælorum autem ſubſtantia longè fluxilior eſt quam aër) tum etiam quia cælorum motus ſemper æqualis eſt, & æqualiter concitatus: vnde ſemper æqualem calorem deberet producere tam ratione locorum, quam temporum, quod ta- 73.

men falſum eſſe videmus. Demum quia regiones aëris ſuperiores frigidiores ſunt, quam infima, & terræ vicinior, cum tamen ſi verum eſſet, quod cælorum motus calorem in ſublunaribus hiſce produceret, maiorem vtique atque intentiorem ibi quam iſthic deberet efficere: quò enim paſſum proximius eſt agenti, eò validius patitur; ac virtus illius intenditur. Quod cum reipſa minimè experiamur, concludendum eſt, cælorum motus nil aliud efficere in hæc ſublunaria, quam applicare, ac diffundere lumen ſiderum, pro cuius diuerſa applicatione diuerſi etiam producuntur effectus. Itaque motus eſt præcipuum inſtrumentum luminis aſtrorum, quo mediante lumen ipſum diffunditur, euaditque aptum ad tot genera effectuum producenda.

Porrò duplicem motum cæleſtium corporum communiter
74. aſſerunt omnes tam Philoſophi, quam Aſtronomi, alterum raptus, & vniuerſalem, quo ſimul omnia rapiuntur à Nona, ſiue quæcumque tandem ea ſit, poſtrema omnium infrà Empyreum, ſphæra, concitatiſſimo motu ab Oriente in Occidentem, ſpatio ferè 24. horarum: alterum proprium cuiuſque orbis, qui ſit modò explicato contrarius, & eo ferantur in partes orientaliores, quo quiſque orbis, aut planeta ſtatuto tempore periodum ſuam perficit in Zodiaco. Hinc duo mobilium genera: Alterum quod antonomaſticè dicitur.

75. *Primum Mobile*, quod eſt ſupradicta nona ſphæra, vel decima, aut etiam vndecima, quæ in quam reliquas omnes complectitur, & ſimul trahit ab ortu ad occaſum ſuper polos mundi reuolutionem ſuam perficiens ſpatio integræ diei naturalis, & hoc cælum ſolo motu dignoſcitur, quippe nullæ in eo ſtellæ, nullæ imagines, nullæ lineationes aut characteres (vt aliqui ſomniantes volebant, quos non ita pridē cùm de Monomeriis egimus deridentes reiecimus) ſed ſigna, & circuli, quos in eo imaginamur, fictitij ſunt, & vel ab Firmamento, & octaua ſphæra, quam olim ob motus tarditatem cum nona ſphæra confundebant, vel ab effectibus illi tributi. Cæterum inſenſibile eſt, vnde & ignoratur, quanta ſit eius craſſities, & conuexi amplitudo. Aliqui verò Aſtronomi, inter quos videtur eſſe Tycho, vt apparet ex eiuſdem Epiſtolis exiſtimant, nullum eſſe cælum Anaſtron, atque ad ſolum motum quempiam efficiendum addictum. Quapropter probabiliter putant, diurnam mundi conuerſionem à nullo primo mobili prout ab aliis diſtincto fieri ſed à tota cæleſti regione, hoc eſt totum ætherem ſimul

moueri in polis mundi propria virtute ab Oriente in Occidentem: in quo interim ſidera omnia, & Planetæ propriis motibus ab occaſu in ortum ſuper polos Zodiaci ferantur, quaſi contrà primum mobile, vel ſanè, vt ego aliàs explicaui, lentius ob ſui reſiſtentiam ab ipſo primo mobili rapiantur qui idcirco.

*Secundi Mobiles*, appellantur ad differentiam primi motus, ſuntque ſiue orbes ſingulorum planetarum, necnon octaua ſphæra fixarum, ſiue ipſa ſiderum corpora, quæ nitantur contrà motum primi mobilis in conſequentia ſigna ab Occidente in Orientem ſuper polos Zodiaci ſtatis temporibus ſingulis integrum Zodiacum permeantibus. Et Firmamentum quidem id præſtat in annis 36000. ſeu, vt volunt recenſiores ſpatio annorum 4900. ſingulis 70. annis vnum tantum gradum aſſequendo: Saturnus totam ſuam circulationem complet in annis triginta: Iupiter in duodecim: Mars in duobus: Sol, Venus, Mercurius ferè in vno: Luna tandem ſpatio dierum 27. hor. 7. min. 41. ſunt tamen qui aſſerunt cælum ipſum non moueri, ſed Aſtra in ipſo, tanquam aues in aëre; quippe vnum tantum cælum admittunt, illudque fluidum, & vagum inſtar aëris habens magnam craſſitiem, in cuius determinatis ſpatiis ſidera conſtituantur: quæ poſteà per eius ambitum moueantur, cauſentque hanc apparentiarum varietatem: in qua opinione eſt Aretius *de Generat. diſp. 2. quæſt. 27. Sect.* 7. aitque in ea etiam fuiſſe antiquos Patres Chryſoſtomum, Origenem, Euſebium, Emiſenum, Diodorum Tarſenſem, & alios. Verum ego etſi certo certius habeam cælum eſſe fluidum idque omninò vnum; non tamen in hoc conuenire poſſum, vt illud abſoluiè immobile aſtruant, ſed exiſtimo ipſum, ſeu potius omne ætheteæ regionis expanſum, quod complectitur totum id, quod inter nos, & cælum Empyreum intercipitur. vnico motu ab Oriente in Occidentem moueri, ſecumque trahere ſidera in eius craſſitie in determinatis quæq; ſpatiis conſtituta, quo pacto mouetur etiam aër, & noua Phænomena, ſeu Cometæ in eo geniti; ita tamen, vt hæc ex ſe minimè moueantur, ſed partes cæli, & aëris in quibus reperiuntur, quæ ſecum poſtea ſidera inibi conſtituta ſua violentia rapiant, & circumducunt. Et partes quidem ſuperiores velocius, inferiores verò lentiùs, & lentius in infinitum quò magis ad terram approximantur, ac longè fiunt à primo motore ſemper magis, ac magis huius impulſi reſiſtentes. Neque enim aliter ſaluari poſſunt & fixarum motus ſemper æqua-

lis, & æqualis ſemper inter ipſas diſtantia, & motus omnium cæleſtium corporum ab Oriente in Occidentem, & inſuper inferiorum quo magis à primo mobili remouentur eo maior contranitentia, niſi dicamus: ſupra ipſas fixas verè eſſe aliquam partem cæli quæ moueatur ociſſimè, & circulationem ſuam complet ſpatio 24. horarum, redeundo ad idem punctum, vnde diſceſſerat, pars vbi fixæ conſiſtunt, quia inferior aliquanto ſeriùs moueatur, ita tamen, vt fixas omnes imaginemur in eadem à terra diſtantia, & ſucceſſiuè planetæ in partibus vlterioribus collocentur, ac ſimul cum illis moueantur, ſiuè ſerius, ſiuè citius prout magis vel minus à primo motore elongantur. Quod autem ſidera videamus moueri non ſuper polos mundi, vt mouentur ipſæ partes cæli, in quibus tamquam in continente moueri dicimus, ſed ſuper polos Zodiaci, quod ſolum probare poteſt peculiarem ſingulis motum (& magni facit Clauius) id non efficit, ſed dico id prouenire ex diſpoſitione ſuarum orbitarum, & reſpectu quem habent ad diuerſos polos, vt aliqualiter concipere eſt in rotis alicuius currus, quæ etſi omnes vno motu raptus ferantur, omnes ab vno temone regantur, diuerſas tamen orbitas imprimunt, ad diuerſaſque metas contendunt, quod multo magis concipi poteſt in ipſis ſideribus, quæ licet rapta, non ſunt tamen ita alligata cælo, vt rotæ currus.

77. Cæterũ hæc ſententia de vnico motu ſiderũ non eſt adeò noua, vt in eam etiam non conuenerint multi ex antiquioribus in primiſq; Auetroës & Alpetraſius: ſequuti ſunt poſteà Alexander Achillinus, *lib. 1. de Orbibus*, Franciſcus Patritius, Io: Antonius Delphinus, ac nouiſſime Paulus Areſius, *lib. 1. de Generat. diſp. 6. quæſt. 45. Sect. 3.* ac Titus in Cæleſti Philoſophia, *lib. 3 cap 1.* Docentes id repugnare, & neque per diuinam potentiam fieri poſſe, vt, idem corpus, niſi replicetur, ad duos oppoſitos terminos moueatur. Quod igitur ſidera ſingulis diebus vniformiter moueantur ad partes Occidentaliores, & inſuper ſtatis temporibus, vt ſol integro anno, Mars in duobus, &c. Moueantur ad partes Orientaliores perficientes integrum Zodiacum, id procedit, vt dictum eſt, à maiori, & maiori ipſorum reſiſtentia ad impulſum illi datum à primo mobili: quod adhuc tali pacto luculentius explicabimus. Rapit primum mobile, ſiue alios cælos, ſiue alias eiuſdem cæli partes in quibus ſidera fixa ſunt; ſed quoniam virtus impulſiua, quò tendit in aliquid remotius eò remiſſior eſt,

non poteſt orbis ſolis, exempli gratia tantâ velocitate moueri, quantâ partes, & orbes ſuperiores, ipſumque primum mobile: hinc eſt, vt ipſe, ſol non poſſit in vna circulatione adequare motum primi mobilis, ſed poſt ipſum remanet retrò ferè vnum gradum. At enim primum mobile, & partes ſuperiores non expectant curſum ſolis compleri, ſed expleta vna integra circulatione incipiunt mox ſecundam: & cum etiam in ea ſeriùs moueatur ſol, in hac ſecunda primi mobilis circulatione ipſe remanet retrò duos gradus; in tertia tres, & ſic de reliquis, ita vt quo tempore ſol facit 365. circulationes circà tellurem ſpatio vnius anni, inueniatur primum mobile perfeciſſe 366. circulationes, vnâ plùs ipſo ſole, quam vt iſte adæquet requiritur adhuc ſpatium vnius anni. Hinc motus ille directorius, quo ſidera occurſantia ad moderatores feruntur tanto temporis ſpatio, quantum intereſt æquatoris inter vtrumque; itavt motus ſolis in æquatore ſingulis diebus, ſit menſura directionum vnius anni, vt ſuo loco diximus. Cæterum, vt ad rem noſtram reuertamur, qui primi obſeruarunt, ſolem, & alia ſidera magis, ac magis, & ſucceſſiuè ſemper remanere poſt primum mobile, dixerunt, ipſa moueri propriis motibus in partes oppoſitas, cum ſanè id non ſit verè in oppoſitam partem moueri, ſed potius lentiùs ad eandem partem ad quam primum mobile nititur ferri.

Nihilominus cum in re parùm referat, an hic Planetarum motus ſit vnus, & lentior, an potius duplex, iſque alter alteri contrarius, præſtat in hoc morem gerere antiquo, & communi loquendi vſui, quo facilius res aſtronomicæ explicantur; ſicque vt ratum ſupponere, duobus motibus moueri ſidera, iuxta duplicem ſituum permutationem quam reuerà in dies ſingulos faciunt, altera quidem circà Mundum, quam *Primam lationem* nominat Ariſtoteles 2. *de Generat. text. 56.* altera in Zodiaco, quam *Secundam lationem* dicit; atque ad has refert cauſam perpetuitatis ortus, & interitus rerum. Quinimò, vt benè aduertit Titus, dici poteſt, tot eſſe motus in cælo, quot modis aſtra permutant reſpectus ergà partes telluris; qui tamen reſpectus habent relationem ad modum patiendi rerum: Nihilominus ex authoritate Ptolemæi, traditione Antiquorum, obſeruatione, & ratione Philoſophica quatuor tantum motus poſſunt conſtitui, qui ſint præcipui. Motus ſolis, qui directorius appellatur: Motus Lunæ qui Progreſſio: Motus quotidianus ſiderum reſpectiuus ad loca directionum, & progreſſionum, quem ingreſſum nominat Ptolæmus; & 78

Motus quotidianus reſpectiuus ad loca Natalis ſiue inceptionis rerum, quem ſimiliter tranſitum vocat; de quibus omnibus ſuo loco.

79. MOTLATUM ſeù MITLATUM, teſte Kirchero Arabice dicitur Triangulum ſidus in cælo conſtans ſtellis 4. vel vt placet Baiero 5. de natura Mercurij, cuius in horoſcopo eſt afferte ſublime ingenium. Hebraicè dicitur *Humoſchlùſch.* id eſt, *tri partitus.*

80. MOZNAÌM, ſeù MIZNAÌM, apud Hebræos idem ſonat ac *Bilanxe*, denotatque Libræ ſidus, ſeù ſignum in cælo ſeptimum ab Ariete, illique directè oppoſitum, vnde incipit auſtralis ſemicirculus ſignorum.

81. MUNDUS, appellatur Vniuerſum hoc conſtans ex regione elementari & ætherea complectens quidquid in rerum natura exiſtit, ſuoque loco diſponitur: Vnde Cicero *lib.* 2. *de Natura Deorum. Mundus*, inquit, *eſt quaſi communis Deorum, atque hominum Domus, atque vtrorumque Vrbs.* Et author lib. de Mundo ad Alex. *Eſt compages* inquit, *è cælo, terraque coagmentata, & ex iis naturis, quæ inter ea continentur.* Græci *Coſmon* appellant, ab ornatu; eſt enim hæc Mundi machina perfecta, & abſoluta rerum omnium diſpoſitio, & ornamentum. Hinc etiam à Latinis ab ortu, & mundo muliebri dictus eſt, eoquod nil ſit eo mundius, & ornatius; vt aduertit Plin. *lib.* 2. *cap.* 4. Quandoquidem ſecundum omnes ſui partes tam perfectus eſt, tam ſuis omnibus numeris abſolutus, vt, neque eo perfectiorem fieri poſſe; aſſerat D. Th. *prima parte quæſt.* 25. *art* 6. neque minimum quid addi poſſit, quod non eius ordinem, & proportionem corrumpat, vt in Cythara corrumptitur melos, ſi vel vna chorda plus debito intendatur. In eo enim videre eſt rerum omnium genera ſuis quæque locis aptè diſpoſita, & ordinata: Cælos ob materiæ nobilitatem, ob luminis claritatem, molis immenſitatem ſuper omnia conſtitutos: Terram vtpote elementum omnium grauius, & vilius in centro ſitam: mox aquam, mox aërem, inde ignem. In eo omne genus viuentium: Corporea, Incorrea, Mixta. In eo inanimata; in eo tertij ordinis entia, quæ ſenſu prædita ſint, necne, iure ambigeres. Videmus in eo entia per ſe ſtantia, quæ idcircò vocitamus ſubſtantias; in eo ſubſtantiæ inhærentia accidentia. Habet inſuper ad gignendum nunquam deficientem materiam, elementa: in iis ipſis, quæ generantur admirabilem connexionem, varietatem, vt vel ipſa cuiuis Atheo ſatis ſit ad Conditoris ſui notitiam ingerendam, cum nullo pacto credendum

ſit, tam concinnam rerum omnium ſeriem caſu è nihilo emerſiſſe; ſed eſſe ſupremam quandam mentem, quæ cuncta crearit, ordinet, & gubernet. Quare [illegible] optimo Triſmegiſtus: *Tota*, inquit, *Mundi conſpiratio*, *& rerum pulcherrimus ordo contemplandi Dei ſuggerit materiam: Eſt enim Orbis velut Liber Diuinitate plenus*, *& ſpeculum Diuinorum.*

Porrò eius immenſitatem quis explicare poterit? cum eius gyrus ſola Empyrei cæli extima ſuperficie definiatur, & huius amplitudo tanta ſit, vt vix ex comparatione ad Firmamentum, cuius ſolum notitiam habemus, concipi poſſit; & primi mobilis craſſities, quæ ex proportionne ad alias ſphæras, penè in infinitum protenſa credenda eſt, nos prorſus lateat? Blancanus in ſua Sphæra exiſtimat totum gyrum Mundani Orbis ex conuexo tantum Firmamenti conſideratum continere ádminus ſemidiametros terræ 14000. & conſequenter milliar. 301412000. Hinc Primi Mobilis, hinc Cæli Empyrei conuexum licet conijcere, cum Firmamentum ad Cælum Empyreum comparatum ſe habeat vt Terra ad ipſum Firmamentum, proindeque vt punctum. 82.

Mundos plurimos eoſque perfectiores, & perfectiores in infinitũ à Diuina omnipotentia, quæ infinita eſt creari poſſe vt ſatis conſtat, ita & vnum tantum de facto conditum eſſe, certum eſt ex fide. In eo autem adhuc duplicem mundum conſiderare eſt, magnum, quem Græci *Macrocoſmum* appellant, quo nomine veniunt creata omnia, Cælum, terra, Cæleſteſque, terrenæque naturæ, ſicque etiam Angeli, vt obſeruat Poſſidonius. & paruum, hoc eſt hominem, quem Philoſophus 8. Phyſic. *Microcoſmum* dixit, eo quod ſit in omnibus Macrocoſmo ſimilis: ſicut & iſte Deo, qui propterea Mundus Archetypus appellatus eſt, quod ad eius ſimilitudinem mundus vterque ſenſibilis eſt formatus. Qua etiam ratione Mundum hunc magnum ſphærica figura præditum aduertit Io: de Sacroboſco, vt Creatoris ſui ſpecimen exhiberet, quem definit Triſmegiſtus, eſſe *Circulum, cuius centrum vbique eſt, circumferentia nuſquam.* Vnde Boëth. 3. *de Conſol. metr.* 9. ſic eum interpellando canit. 83.

*Tu cuncta ſuperno*
*Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe*
*Mundum mente gerens ſimilique in imagine formans.*

Exiſtimauit Philoſophus Mundum fuiſſe ab æterno eo quod nullam viderit rationem, cur in vna potiùs differentia temporis condi debuerit, quam in alia. Debi[illegible] ſanè 84.

argumentum : cum ad id ſatis eſſe potuerit ſimplex Conditoris voluntas. Sed nec ab æterno extitiſſe, aut fieri potuiſſe, conuinc[...] ipſa æternitatis ratio, quæ nulli enti creato connaturalis eſſe poteſt, ac ſucceſſiuus motus competens cælis, qui neceſſariò initium habere debet. Sanè ex iugi terreſtris Globi corroſione, aquarumque alluuione putat Blancanus euidenter probari poſſe Mundum aliquando initium habuiſſe: alias Oceanus debuiſſet iam terram operuiſſe. Sed quidquid ſit de hoc; certum eſt de fide, Mundum fuiſſe creatum in tempore, ex Gen. 1, *In principio creauit Deus cælum, & terram.* In qua tamen differentia temporis, ignoramus. D. Hieronymus, Ambroſ. Baſil. aliique Patres exiſtimant illum conditum fuiſſe in verè, ſole exiſtente in primo gradu Arietis, atque in Cæli culmine, cuius Naturalitium Thema affert Petrus Aliacenſis conſtituens omnes planetas in ſuis domiciliis. Hebræi, Chaldæi, Arabes opinantur Mundum in Autumno creatum in ipſa media nocte, aſcendente primo gradu Cancri. Ægyptij, cum quibus Nicepſo, & Petoſyris ipſorum reges ſapientiſſimi tradunt, ipſum in Æſtate creatum ſole in medio Leonis ſigno, locato; atque in cuſpide ſecundæ domus, aſcendentibus totidem gradibus Cancri, & cum ipſis Luna eius ſigni Domina, cæteriſque Planetis in centris domiciliorum ſuorum conſtitutis. Vt cumque ſit, certum eſt diuinare omnes, nec certò ad metam collineare. lib. 3. cap. 1. *Neque enim* (vt rectè Firmius) *aliquis interfuit eo tempore, quo Mundus Diuinæ mentis, & prouidi Numinis ratione formatus eſt; nec euſque ſe intentio potuit humanæ fragilitatis extendere, vt originem Mundi facili poſſet ratione concipere, aut explicare.*

85. Quantò etiam tempore duraturus ſit, pariter ignoramus. Et hoc ſapientiſſimè nos latere voluit Diuina Numinis prouidentia, vt ſollicitudo teneret anxios, ſemperque paratos. Sanè (vt varios hæreticorum errores prætercam, quos refert, & confutat optimè Bellarminus de Romano Pont. lib. 3. cap. 3.) ab Apoſtolorum vſque temporibus inſtare extremum diem, conſtans opinatio fuit; Ioannes in Apocal. *tempus prope eſſe*, ait, & in Epiſt. 1. *nouiſſimam horam eſſe*, & *Antichriſtum iam veniſſe* teſtatur. Hieronymus Iuſtinus Martyr, Irenæus, Hilarius, aliique Patres Mundum ſex mille annis duraturum dixere: Chryſoſtomus, Cyrillus, & Hippolytus his addunt quingentos adhuc annos, quorum fundamenta & congruentias affert Sixtus Senenſis in *Biblioth. ſancta lib. 5. to. 2. annot. 190.* addens hanc eandem

eandem opinionem de ſex mille annis inualuiſſe etiam apud Gentiles Hydaſpen, Triſmegiſtum, & Sybillas: apud Hebræos autem extare antiquiſſimam traditionem Eliæ cuiuſdam magni nominis Rabini in libris Talmudicis, quæ Latinè ſic ſe habet. *Sex millia annorum erit mundus, & iterum deſtruetur: Duo millia inanitatis, duo millia legis, duo millia dierum Meſſiæ*, vt taceam quæ *in* 14. *cap.* 4. Eſdræ habentur adeſſe iam finem mundanæ durationis, & è duodecim partibus, iam ab eius tempore decimam, & dimidium exceſſiſſe, nam præterquam liber iſte inter Apocryphos ab Eccleſia computatur, ſi id verum eſſet, oportebat iam Mundum deſiiſſe ab hinc mille ſexcentis annis: Alij ex motu octauæ ſphæræ, qui non completur, niſi in 36000. annis colligunt mundi ætatem totidem annorum eſſe, vt nos alibi obſeruauimus. Sed enim verò quicquam certi hac in re definire temerarium foret, quippe vt ait Dominus Marci 16. *Non eſt noſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Expectemus igitur cum timore, ſollicitudine, & tremore diem Domini, ne fortè cum minus credimus veniens nos inueniat imparatos.

Cæterum ex rerum mirabili connexione Mundum eſſe animatum, non anima tantum ſenſitiua, ſed & rationali opinati ſunt Plato in Philælo, Triſmagiſtus, Pithagoras aliique Philoſophi, neque enim aliter ſaluari poſſe putabant hanc ordinatiſſimam creaturarum ſeriem, & partium quantumuis etherogancarum perinde atque in humano corpore harmoniam, ſine magna quadam anima intrinſecùs informante, quæ omnia benè ordinet, diſponat, ac nectat, quo ſenſu loquutus eſt Poëtarum princeps dum cecinit. 86

*Omneſque infuſa per artus*
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

& alibi.

*Lunæ lucentem globum, Titaniaque aſtra*
*Spiritus intùs alit.*

In hac etiam ſententia fuere olim Philo Iudæus *in libro de ſomniis*, & Origenes 1 *Periarchon. cap.* 7. quoad mundi nobiliorem partem, quales ſunt Cæli, & Aſtra: nec ab ea abhorret D. Aug. *lib.* 2. *in Geneſ. cap* 18. & Caiet. explicans illud, *Pſal.* 135. *Fecit cælos in intellectu, hoc eſt,* inquit, *intellectuales: quod eſt verum, vel quantum ad ſubſtantiam cælorum, ſi ſunt animati: vt multi philoſophi rationabiliter putant, vel quoad motum, quia motus eorum pro-*

*cu:dubio intellectualis eſt , hoc eſt ab intellectu.* Hæc Caietanus.

87. Verum, etſi id non ineptè, falsò tamen aſſertum, conſtat modò ex Concilio Conſtantinopolitano V. vbi anathemate feriuntur quotquot dixerint, *Cælum, & Solem, & Lunam, & Stellas animatas quaſdam eſſe, & mobiles virtutes.* An autem ibi Anima in vniuerſum remoueatur à cælis, atque ſideribus, an verò ſolum rationalis, dubium magnum eſt. Certè D. Thomas, etſi hanc materiam ex inſtituto pertractans *in pag. 1. quæſt. 70 art. 3.* dicat paruam, vel nullam differentiam inueniri in re; ſed in voce tantum in hac controuerſia, concludatque corpora cæleſtia non niſi æquiuocè animata dici ab iis inferioribus, quibus conjungitur anima vt forma, illis verò, vt motor tantum, nihilominùs in 2. contra Gentes cap. 71. vult ex Ariſt. neceſſariò ponendam eſſe in cælis aliquam animam, quæ illis intrinſecè vniatur vt forma; aitque parum ſpectare ad Catholicam veritatem diſquirere num cæli animati ſint, an non. Ad auctoritatem verò Concilij ſupra allatam reſpondet, eam vel non eſſe authenticam, vel ſanè intelligendam eſſe de Anima rationali, ſecùs autem de alia ſpecie omninò diuerſa.

Et quidem aliquam mundi formam ſubſtantialem, quæ
88. hanc rerum compagem intrinſecùs nectat, diffiteri non poſſumus, ni velimus Vniuerſum hoc aggregatum per accidens nominare, quo nihil ineptius: ipſe ordo, & conſenſus partium clarè indicat eſſe aliquid interiùs, quod omnia vniat, & ſubſtantialiter compleat: Ipſa Macrocoſmi ad Microcoſmum analogia id apertè ſuadet: quandoquidem, vt aduertit Picus in *Eptaplo* ipſe Mundus à Moïſe magnus homo appellatur; *Nam ſi homo*, inquit, *eſt paruus Mundus; vtique Mundus eſt magnus homo.* Præterea cælos ab intrinſeca forma moueri, abſque vlla temeritatis nota doceri poſſe, aſſerit Raynaudus in Theologia naturali, *diſput. 2 quæſt. 1. art. 1* id olim plures Philoſophi atque inſignes Aſtronomi docuerunt; & ex recentioribus Longomontanus, Keplerus, Bulliardus, Tycho, Nierembergenſis, Baranzanus, & alij; ex quibus Tycho, Keplerus, & Baranzanus adhuc illis vitam attribuunt, ſed longè ab aliis viuentibus differentem, homine quidem inferiorem, cum in hoc Anima à Deo immediate veniat, & creetur, reliquis autem abſoluiè perfectiorem, & in ſuperiori ordine. Si ergò cælis vitam concedunt iſti, cur non potiùs eandem nos toti Mundo impertiamur? Si illis animam quamdam ſpecie ab rationali, ac ſenſitiua diuerſam, quam iure dice-

xis locomotricem, aſſignant, cur non eadem prorſus anima totum mundum debeat informare; proindeque habeat cælis conferre motum, brutis animantibus vitam, cæteris partibus connexionem, atque conſenſum, quando videmus, hæc omnia vnam animam rationalem in homine, hoc eſt in mundo paruo præſtare? Et mirum eſt quam acriter Recenſiores fere omnes in hanc Mundi formam conſpirent: & quando nouis formis effictis, nouorumque entium varietate Mundum iſtum exornant, hunc ipſum propria forma exutum planè audeant deformare. Enimuerò quæ maior deformitas, quam in tam grandi corpore incomplexio? quid abſurdius, quam Vniuerſum hoc aggregatum per accidens dicere? Etenim ſi ex conſenſu, & connexione, quam habent inter ſe partes vnius corporis, arguimus illud corpus naturale eſſe ſua forma ſubſtantiali præditum; quæ verò ſibi accidentaliter tantum adhærent, hanc conſenſus ſocietatem minimè admittere; ſi ex vnitate per ſe, perfectionem alicuius entis colligimus, qua ratione debeamus affirmare mundum, cæteroqui adeò perfectum vt dicatur in ſe genere perfectiorem fieri non potuiſſe, hac præcipua & maxima perfectione carere, vt non ſit quid perſe exiſtens, ſed aggregatum per accidens, cuius partes ſine forma ſubſtantiali intrinſecus inhærente, remanerent naturaliter incompactæ perindè ac partes domus, cui non habet artifex tribuere vnitatem, niſi tantum incomplexam, atque accidentalem; & alias maiorem conſenſum, & ſympathiam videmus inter cælum, & terram, quam inter partes vnius corporis naturalis? Si autem ſtante tali conſenſu & ſympathia inter partes iſtius vaſti corporis dicimus eas non habere vnam formam communem, non eſt ratio cur non dicamus lapides, plantas, cætera omnia eſſe vnum quid aggregatum per accidens. Quis autem hæc cogitans ſibi perſuadeat Auctorem Naturæ, qui perfectiſſimè omnia operatur, quique ſingulis rebus peculiarem indidit formam, Naturam ipſam, hoc eſt rerum omnium congeriem, & ſuum opus maximum effeciſſe cum accidentali tantum vnione inter partes, eaſque reliquiſſe ſubſtantialiter inconnexas? Ex his igitur, aliiſque permultis, quæ abundè congerit Reſta, *lib. 2. tract 2. cap. 5 de Meteoris*, concludendum eſt, aliquam mundi formam neceſſariò admittendam eſſe: An autem ea adhuc vitalis ſit, id ipſe affirmare non audet; ſed tamen ex iis, quæ huc vſque diximus, tum etiam ex mox infrà dicendis manifeſtè conuincitur.

Equidem Vita, ex communi omnium Philoſophorum,

89. Theologorumque acceptione definitur eſſe *Principium intrinſecum ſui motus.* Ea enim ex Ariſtotele dicuntur viuere, quæ conſtituta in ſua naturali diſpoſitione ſeſe ab intrinſeco principio mouent: & in 2. *de Anima* diſtinguit viuere in quatuor genera: ſcilicet alimento vti, ſentire, moueri ſecundum locum, & intelligere. Quod aſſumens D. Thomas, 1 *part quaſt.* 18 *art.* 2. in reſponſ. ad primum ait, ideo Philoſophum id egiſſe, quia in iſtis inferioribus quatuor ſunt genera viuentium, quædam, quæ habent naturam ſolum ad vtendum alimento, & ad conſequentia, quæ ſunt augmentum, & generatio: hæc ad conſeruationem ſpeciei illud ad indiuidui; quædam ad ſentiendum vt patet in animalibus immobilibus ſecundum locum, ſicut ſunt oſtrea, & conchilia: quædam verò cum his vlteriùs ad ſe mouendum ſecundum locum vti ſunt animalia perfecta, quadrupedia, volatilia, &c. quædam verò vlterius ad intelligendum, ſicut homines. Ita tamen, vt ſolus motus ab intrinſeco ſit ratio vitæ, & ex ſolo motu intrinſeco, ſiue imperfectè ſumatur, prout dicit operationem intrinſecam, qualia ſunt intelligere, & ſentire, ſiue perfectè pro motu locali ab intrinſeca virtute proueniente, vita manifeſtetur: quemadmodum idem D. Thomas explicat *quaſt.* 75. *art.* 1. *in corpore.* Porrò ex ſingulis ſpeciebus motus ſeorſim diuerſæ viuentium ſpecies conſtituuntur, & ex ſingulis vita argui poteſt. Non quod plures rationes vitæ in vno eodemque ſubiecto reperiri non poſſint, vt patet in animalibus perfectis, & in homine, ſed quod ſingulæ ad rationem vitæ ſufficiant: Sic ſola intellectio in Angelis conſtituit rationem vitæ intellectualis, ſola ſenſatio in conchiliis rationem vitæ ſenſitiuæ; ſola vegetatio in plantis vitæ vegetatiuæ, & ſola demum in cælis, (ſi ab intrinſeco mouentur) vitæ loco motiuæ. Quemadmodum etiam in animalibus perfectis datur triplex ratio vitæ, vegetabilis, ſenſitiuæ, & loco motiuæ, & in homine adhuc etiam intellectiua, quæ omnes ab vna anima rationali tanquam à principio intrinſeco actuante corpus ad vitam, originem trahunt. Quod autem ex ſingulis ſpeciebus motus arguatur ratio vitæ, manifeſtè oſtendit S. Doctor loco citato *art.* 1. *in corpore.* Ait enim. *Ex his, quæ manifeſtè viuunt, accipere poſſumus quorum ſit viuere. Viuere autem manifeſtè animalibus conuenit: dicitur enim in lib. de vegetabilibus quod vita in animalibus manifeſta eſt. Vnde ſecundum illud oportet diſtinguere viuentia à non viuentibus* (aduertas Lector) *ſecundum quod animalia dicuntur viuere. Hoc autem eſt in quo*

*primò manifeſtatur vita, & in quo vltimò remanet. Primò autem dicimus animal viuere, quando incipit ex ſe motum habere, & tamdiù iudicatur animal viuere, quandiù talis motus in eo apparet: quando verò iam ex ſe non habet aliquem motum, ſed mouetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ: Ex quo patet illa propriè ſunt viuentia, quæ ſeipſa ſecundum aliquam ſpeciem mouent, ſiue accipiatur motus propriè, ſicut motus dicitur actus imperfecti id eſt exiſtentis in potentia. ſiue motus accipiatur communiter prout dicitur actus perfecti, prout intelligere, & ſentire*, (in iis profectò quæ motum localem non habent) *dicitur moueri.* Huc vſque D. Thomas. Ex quibus manifeſtè liquet, ſolum motum intrinſecum eſſe de ratione vitæ, quia ſine intellectione, ſine ſenſatione, ſine vegetatione, ſine motu locali, non autem ſine vllo prorſus motu, ſiue prout eſt actus perfecti, ſiue prout imperfecti poteſt, dari aliquod viuens.

His igitur conſtitutis manifeſtè euincitur vita Mundi: 90. habet enim duplicem rationem motus, & prout eſt actus perfecti ſcilicet ab intrinſeco operari, & prout eſt actus imperfecti hoc eſt motus localis, atque ad hunc ab intrinſeco ſe moueri. Agunt enim cæleſtia corpora in iſta inferiora ea producendo, corrumpendo alterando viuificando, agunt ſingulæ partes adinuicem in ordine ad conſeruationem totius. Item mouentur cæli motu ipſis maximè proprio, & connaturali, & non eſt ratio cur ad intelligentias recurramus, cum motus extrinſecus & violentus non ſit mobilium perfectiuus: cælorum autem motus eſt eorum maxima perfectio, ſeu potiùs totius Mundi, ex quo rerum ordo ſeruatur & Mundus ipſe conſiſtit: & ſi demum minimùm motus iſte ceſſaret, Mundus ipſe mox confeſtim deficeret, vt Philoſophi omnes conueniunt, & probat Abulenſis *in cap.* 10. *Ioſue.* vel ex eo oſtendens magnitudinem Imperij Ioſue, quo ſimul, & ſolem ſtetiſſe fecit, & Naturæ ordinem præteruertit, occurrens miraculo, ne orbis prout res poſtulauerat, deperiret. Mouentur elementa contrà propriam naturam, nulla exteriori vi adhibita, ad replendum vacuum, atque ad conſeruandam rerum connexionem, quæ perinde atque in animantibus vitam ſuſtentat, cum alioqui diſcontinuatio partium vitæ diſcrimen inducat, & mortem: quod etſi in ipſis ſeorſim vitam non arguat, vt benè infert D. Th. *loco cit.* arguit tamen in toto quatenus habet intrinſecam virtutem ſuas partes mouendi, quæ ſi non eſſent connexæ, ſi non in vnam vitam mundi, conſeruandam conſ-

piraret, fruſtrà contenderent contra inſitam cuique natu-
ram, perinde & reliqua membra in homine ad conſerua-
tionem totius. Atqui, vt auctor eſt idem D. Thomas 2. 2. *qu.*
1 9. *art.* 1. *Illa dicuntur viuentia, quæ ex ſeipſis mouentur,
ſeu operantur, illud autem maximè conuenit alicui per ſeip-
ſum, quod eſt proprium ei, & ad quod maximè inclinatur.*

Præterea motus cæli, vt idem S. Doctor ait, 1. *part. quæſt.*
91. 18. *art.* 1. eſt in vniuerſo corporalium naturarum; ſicut mo-
tus cordis in animali, quo conſeruatur vita. Et in opuſc. 35.
de motu cordis in Animali ſic ait: Forma autem nobiliſſi-
ma in inferioribus eſt anima quia maximè accedit ad ſi-
militudinem motus cæli: vnde & motus ipſam conſequens
ſimilimus eſt motui cæli: ſic enim eſt motus cordis in ani-
mali ſicut motus cæli in mundo. Ergò ſicut in animali vita
præcipuè eſt in corde, ità in vniuerſo vita præcipuè eſt in
corporibus cæleſtibus: ſicut à corde vita eſt originatiuè in
animali, & ad reliqua mẽbra diffunditur, ita ex acceſſu, & re-
ceſſu corporũ cæleſtiũ imponitur rebus initiũ, & finis eſſẽdi:
& ſicut ceſsãte motu cordis in animali hoc illico deperiret, ita
ceſſante motu cæli, vniuerſum naturaliter, & ipſum deficeret.

Et hic tandem eſt Alexandri gladius tot gordianos no-
92. dos in vniuerſa Philoſophia reſcindens: hoc Ariadnæ fi-
lum nos manuducens ad tot difficultatum inextricabiles
aditus ſuperandos: hæc inquam Mundi vita; quâ ſemel
admiſsâ ſtatim vniuerſa Naturæ arcana intelliguntur, qua
demptâ in mille errorum lapſus inpingimus. Quî enim-
verò intelligi poterit ſol vitalis potentiæ author, & viuen-
tium omnium fons, & origo, quamdiù in ipſo, ſeù in vni-
uerſo vitam negabimus? Quomodo ex acceſſu, & receſſu
ſiderum in Zodiaco generatio, & corruptio rerum in infe-
rioribus hiſce cauſetur? Vnde inſectis, aliiſque impefectis
animantibus, quæque non per generationem ab alio eiuſ-
dem ſpeciei viuenre, ſed ex putri proſiliunt, vita commu-
nicatur, ſi non è cælis, ſideribuſque hauritur? Profectò,
aut ad cauſam primam recurrendum, quod turpe eſt Phiſo-
pho, quando ad cauſas ſecundas poteſt confugere, eaſque
quæ in omnium opinione ad rerum productiones concur-
runt, aut ad ſpecies ſeparatas Platonis, aut ad vitam mun-
di ſuperiorem; ni velimus aliud abſurdum maius admitte-
re, poſſe, inquam, cælos vitam, quam in ſe non haberent,
alteri communicare; proindeque effectum ſe nobiliorem
producere. Quonam igitur pacto ſol omnium vita eſſet
omnia ſuo acceſſu viuificaret, quando ipſe vita careret?

At enim inquies, ex hoc iam Mundus magnum quoddam

animal foret: Sol, Luna, ſideraque omnia Animantia fo- 93.
rent ſenſu, & vegetatione prædita, quando ipſa ad animalium vegetabilium, ac ſenſitiuorum productionem, tanquam cauſæ immediatæ, ac principales concurrerent, quod nemo vnquam dixerit, & manifeſtè reiicitur à Concilio Conſtantinopolitano ſuprà relato: & inſuper nullum gradum ſenſationis, aut vegetationis in ipſis videmus.

Fateor, hoc maximum, ac difficillimum in tota hac controuerſia argumentum. At non tanti apud me eſt, vt præ- 94.
ponderet aliis; cæteroqui euidentibus demonſtrationibus modò allatis, euincentibus Mundi vitam. Scio equidem Thomam Campanellam lib. de ſenſu, & Magia rerum, totum in eo eſſe, vt contendat, Mundum eſſe viuam Dei ſtatuam, omneſque illius partes ſenſu, alias clariore, alias obtuſiore præditas: Et in Epilogo Operis in fine, poſt quam elementa, lapides, plantas, ſuo modo ſentire dixit, in hæc verba concludit. *Mundus ergò totus eſt ſenſus, vita, anima, corpus, ſtatua Dei altiſſimi ad ipſius condita gloriam.* Verum, etſi ego Mundum viuere vita propriè dicta, quæ ſit omni vita, (excepta intellectuali, quæ eſt per intellectum, ac voluntatem, qua viuit etiam homo per animam rationalem à Deo immediate infuſam) ſuperior, deique omnibus viuentibus, etiam homini quoad vitam animalem, qua nutritur, & ſentit, viuere, & moueri, conſtanti animo affirmem; tamen non per hoc, ipſum vaſtum aliquod animal dicere audeo, nec ſi adhuc auſim, conceſſero. Etenim; *Animal*, propriè denotat viuens ſenſu, & cognitione præditum: iuxtà quam acceptionem Ariſt. *lib. de Vita, & Morte*, ait, Plantam viuere quidem, ſed non eſſe Animal. *Plantæ enim*, inquit, *viuunt quidem, non habent autem ſenſum: per ſentire autem, animal à non animali determinamus.* Sic igitur, viuit cælum, viuunt ſidera, viuit vniuerſus Orbis, ſed animantia non ſunt, quia ſenſu, & ratione carent. Nec, quia hos gradus viuendi non habent, dicenda ſunt cæteris viuentibus imperfectiora: Quandoquidem vegetatio, & ſenſatio ſunt imperfectiones quædam viuentium, ſine quibus melius quidem in ſuo genere vita fruerentur: at enim vegetatio in inferioribus hiſce neceſſaria eſt ad ſpeciei, atque indiuidui conſeruationem; ſenſus autem in animalibus ad ſibi conducentia proſequenda, & incommoda fugienda. Vnde ex hoc tantum rationem animalitatis excludere videtur D. Thomas à cælis, atque ab vniuerſo Mundo, ait enim loco cit. *art. 3. ad 3. Vita in iſtis inferioribus recipitur in natura corruptibili, quæ indiget & generatione*

*ad conſeruationem ſpeciei, & alimento ad conſeruationem indiuidui: & propter hoc in iſtis inferioribus non inuenetur vita ſine anima vegetabili, ſed hoc non habet locum in incorruptibilibus*: & *art.* 1. *in reſponſione ad primum argumentum*, quo inferebatur omnium rerum naturalium proprium eſſe viuere; vltrò fatetur, quod *ſi totum vniuerſum corporale eſſet vnum animal, ita quod iſte motus eſſet à mouente intrinſeco, vt quidam poſuerunt, ſequeretur, quod motus eſſet vita omnium naturalium corporum*. Similiter ratio ſenſus impertinens eſt ad vitam, & potius paſſio & imperfectio, quam perfectio. Ait enim Philoſophus, *in lib. de Somno, & Vigilia*, quod iis conuenit ſenſus, in quibus eſt triſtari, & gaudere, concupiſcere, & odiſſe: plantis autem nihil horum ineſſe, vnde conuenienter iis à Natura inditus non eſt ſenſus: ſupra quod D. Thomas in commento. *Complexio*, inquit, *plantarum in nutrimento, & augmento, & his ſimilia melius fiunt ſine ſenſu, quam cum ſenſu: ergo plantæ non habent ſenſum, cum natura ſemper faciat quod melius eſt.* Cum igitur iſti gradus vitæ potius ſint imperfectiones, & defectus naturæ, quam perfectiones, & Sol, Aſtra, & mundus non indigeant generatione, & nutritione ad conſeruationem ſpeciei vel indiuidui, & adhuc non habeant aliquod ad ſui eſſe conducens, vel ad ſui eſſe contrarium, quod amore proſequi debeant, aut odio; iure illis à Natura neque ſenſu, neque vegetatione prouiſum, ſed ſolum vitâ quadam ſuperiore, quæ omnem vitam inferiorum eminenter contineat, & colligitur ex motu perfectiſſimo, qui eſt circularis, & ab intrinſeco, potens naturaliter in æuum protrahi, & motum cæteris viuentibus participare. Alioquin ſi gradus huiuſmodi vitæ, vegetatio inquam & ſenſatio abſoluté, & ſimpliciter dicerent rationem vitæ perfectiorem, quæ non in aliquo eminenter contineretur, poſſet etiam dici, quod vita hominis eſt perfectior vita Angeli, quia viuit, nedum intellectualiter, vt ille, ſed adhuc vita ſenſitiua, & vegetabili. Sicut igitur vita Angeli eſt perfectior vita hominis, etiamſi non ſit vegetabilis, & ſenſibilis, ita etiam vita Mundi eſt perfectior omnibus viuentibus inferioribus, atque adeo plantis, & animalibus, etiamſi ſenſum, & vegetationem non habeat. Qui quidem gradus vitæ in talibus viuentibus dicunt perfectionem, at non in ſuperioribus, quæ tali modo viuendi non indigent.

91. Igitur pro coronide huius nobiliſſimæ Controuerſiæ, concludendum eſt, vniuerſum hoc vnum quid eſſe, per ſe

ſubſiſtens, ſua vniuerſali forma præditum, eâque ſubſtantiali, & perfectiſſimâ, quæ det quidem toti, cunctiſque eius partibus, atque animantibus vitam, non tamen ipſum mundum, aut præcipuas eius partes, nempe cælum, ſidera, elementa, animantes denominet: & quia ſenſu, & vegetatione carent, proindeque, vt ait Conc. Conſtantinop. omninò animantes non ſunt, Non tamen ex hoc ſequitur vitam Mundi præcipuarumque eius partium non eſſe cæteris viuentibus, etiam ipſo homine ſecundum gradus vegetationis, nutricationis, & ſenſationis, ſuperiorem, atque vniuerſaliorem; non autem ſecundum gradum intellectiui, in quo homo ſpiritualis eſt; ac minimè à cælorum influxibus pendet. Viuit ergo Mundus, cælum, ſidera, gradu quodam vitæ ſuperiore, cui profectò parem, aut ſimilem in inferioribus hiſce non ſit inuenire: ſed omnis ipſorum vitæ ratio, & gradus eminenter in vita mundi eſt, & ab ipſa tanquam vniuerſali, & æquiuoca cauſa deriuat; vnde eſt etiam virtus ad cauſandam hanc rerum varietatem. Et hoc, vt benè habet D. Tho. *part. q.* 105. *art.* 3 *inquantum hæc* (ſcilicet cæleſtia corpora) *vniuerſali virtute cõtinẽt in ſe quidquid in inferioribus generatur & quia* (*vt paulò ante dixerat, quidquid in iſtis inferioribus generat, & mouet ad ſpeciem, eſt inſtrumentũ caleſtis corporis.* Igitur cæleſtia corpora ſunt cauſæ ſuperiores, ac principales vitæ, omniſque motionis inferiorum ad certas ſpecies: & quà talia in ſe ipſis eodem, ſed longè nobiliore gradu vitæ prædita ſint, neceſſe eſt.

MVNIR, ſeù, vt alij legunt, *Mumir*, Arabicè dicitur quaſi pupilla lucida Coronæ Gnoſſiæ, ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura veneris, & Mercurij, quã ob ſui pulchritudinẽ veriſque apperitionem quam ortu ſuo facit cæli pupillam, ſertum aperitionẽm que dixerunt. Vide fuſiùs in *V. Corona.* 96.

MVSATOR, dicitur à Cicerone ſagitta ſidus apud Aquilam conſtans ſtellis quinque de quibus vide in *V. Sagitta.* 97.

MVSCA, ſeù, *Apis* ſidus in cælo ad polum Antarcticum nobis inuiſum, & nuper à nouis Aſtronomis ad Auſtrales plagas appulſis cum aliis vndecim obſeruatum, continens quatuor ſtellas infimæ noiæ: Eſt nunc in longitudine ſub ſigno Scorpij incidens in ipſum Antarcticum circulum: Apud Indos *Muia.* 98.

MVSCIDA EQVI, Arabicè *Alpheratz*, vulguò dicitur ſtella fixa tertiæ magnitudinis in rictu Pegaſi exiſtens, de natura mixta Martis, Iouis, & Veneris de qua vide iam dicta in *V. Alpheratz.* 99.

MVSICA, vna eſt ex quatuor præcipuis Matheſis diuiſio- 100

nibus Arithmeticæ ſubalterna, facultas nempe, vt inquit Boëthius, quæ multitudine ad aliud relata rationes numerales concretas habet ad ſonos & voces. Dicta eſt à Græco verbo Mos, quod æquam rationem, atque harmoniam ſonat; vel potiùs à Muſis, quibus olim familiaris erat. Habet pro obiecto numerum ſeû quantitatem diſcretam prout ad alteram relatam: confert enim temporis momenta ad ſonorum modulos, & inde eos artificiosè nectit, & copulat, vt dulciſſima harmonia, atque ordinatiſſimum melos auribus noſtris inſonet. Eius nobilitatem vel inde licet colligere, quod in diuinis laudibus decantandis, Numineque propitiando, ab ipſo religionis exordio ad hæc vſque tempora religioſè ſit ſemper adhibita: vnde Iobi 38. dicitur: *Vbi eras quado ponebam fundamenta terræ: cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei?* Adeovt de ipſo Dite referant Fabulæ Poëtarum, quod ſit Orphei cantibus emollitus: Nec mirùm, cum eius ordo vt cæleſtis Hierarchiæ ſymbolum eſt, ita & inferis illatus vbi nullus ordo eſt, ſed confuſio, eorum conditionem anteuertere ſatis eſt. Porrò quanta ſit Muſices efficacia in immutandis affectibus, ac paſſionibus animi mitigandis, luculenter explicat Seneca. Caſſiodorus, & Auguſtinus, qui lib. contra Iulianum, Ciceronis teſtimonium adducens, refert Pithagoram ſpondeûm in ſono canentem tarditate modorum, & grauitate cantus furentem aliquorum iuuenum petulantiam abegiſſe: & iure quidem, nam ars hæc ita animas ſibi reddit intentas, vt quemadmodum loquitur Caſſiodorus,) nil àliud cogitare poſſint; ſed depoſita omni cura mentis induant grauitatem.

Hinc ob diuerſas animorum commotiones, quas ſuis mo-
101 dulis ſuſcitare poteſt Diuina iſthæc facultas, quatuor melodiæ ſpecies diſtinxit Philoſophus ad diuerſos affectus tendentes- *Miſtolidiſcam*, quæ ad compaſſionem mouet; *Lidiſcam*, quæ animos emollit ad concupiſcentiam: D*oriſcam*, quæ mentem erigit ad fortitudinem, atque virilitatem: & *Frigiſcam*, quæ rigidior cæteris incitat ad dura conſilia, promouetque ſeueritatem. Habet etiam tonos, diuerſaſque conſonantiarum diſſonantiarumque rationes, quas Diateſſeron, Diapente, Diapaſon appellant: ac ſimiliter tria melorum genera Diatonicum, Chromaticum, Enharmonicum, de quibus omnibus, aliiſque Muſices diuiſionibus, vide Ficinum in Platonis Conuiuio *Orat. 3. cap. 3.* Guidonem, & Iacobum Fabrum in Elemen. Muſic. *lib. 3. & 4* Nobis eas tetigiſſe ſufficiat.

Mvta signa ſunt quæ præſeferunt figuram Animalium voce carentium, qualia ſunt Cancer, Scorpio, & Piſces: ſicut econtrà vocem habentia perhibentur eſſe tum humana, Gemini, Virgo, Libra, Sagittarius, & Aquarius, tum ferina, quæ etiam raucà dicuntur, brutorum videlicet vocalium formam habentia, vt Aries, Taurus, Leo, Capricornus. Horum maxima conſideratio habetur in Genethliacis, quoad vitia, & impedimenta linguæ, de qua re Ptolemæus lib. 3. Quadrip. cap. 17. 102

Mvtatit arab. idem ſonat ac latinè agglutinatus; cum videlicet Planeta ita eſt alteri iunctus, vt nec in minuto quidem aberret. Hoc vocabulo frequenter vtitur Ptolemæus in Quadrip. ex verſione arabica, & Hali eius commentator. 103

Mvtatlvm arab. Vide in V. *Motlatum*. 104

Mvtilata signa ſunt quæ membrum aliquod ſeù etiam corpus mutilum repræſentant, vt Taurus, Equi ſectio, Caput Meduſæ, quæ quidem, vt benè obſeruat Titus in Cæleſti Philoſophia *lib.* 2. *cap.* 3. hanc habent naturam & influendi vim, vt ferè ſemper inducant membrorum inciſionem, ſi Vitæ moderatoribus infeliciter ſe habentibus in Natali, per directionem poſteà miſceantur. Hinc Ptolemæus in *Quadrip. lib.* 4. *cap.* 10 vbi de genere mortis agit, *In ſignis mutilis*, inquit, *aut quorum figuræ ſunt imperfectæ, aut circà caput Meduſæ Mars ſignificat capite truncandos, aut membris mutilandos.* Quod D. Thomas obſeruauit *opuſc.* 28. *art* 3. dicens, *quod ſtellæ illæ funereæ ſunt, & monſtruoſam indicant vitæ terminationem.* Vide quæ diximus in V. *Gorgonis caput.* 105

## N.

Nablon schaliaf ſeù etiam *Neſcuſſackat* teſte ſchichardo Chaldaicè dicitur Lyra ſidus in Cœlo, de quo ſæpius dictum eſt. 1.

Naasch Laazar hoc eſt *Feretrum Lazari* dicitur apud Chriſtianos arabes Plauſtrum, vt teſtatur Kircherus in Oedipo, eo quod non minus plauſtrum, quam Feretrum repræſentare videantur ſtellæ quatuor magis conſpicuæ in Vrſa, quæ quatuor plauſtri rotas effingunt. Schillerus autem, qui ex hoc occaſionem ſumpſit omnes cœleſtes imagines transmutandi, atque ex Diuorum nominibus appellandi, hoc ipſum Aſtrum vocat Petri Nauiculam. 2.

Nadir apud Arabes ſignificat punctum Cæli ſub terra oppoſitum diametraliter vertici capitis noſtri, quod ipſi pariter gentili ſuo vocabulo Zenith appellant: itavt ambo ſint 3.

veluti poli horizontis, & diſtent ab eodem hinc inde gr. 90. ac proinde neceſſario incidant in ipſum meridianum, Zenith quidem ſuprà terram, Nadir autem ſub terra. Et quam propoitionem vnum eorum habeat ad æquatorem & alterum polorum Mundi, eandem vice verſa habeat alterum ad oppoſitum polum, & aduerſam æquatoris partem.

4. NAHAR, ALCHARNER teſte Kirchero in Oedipo arabice dicitur Fluuius Eridanus ſidus ad auſtralem plagam conſtans ſtellis triginta tribus, de quo plura diximus ſuo loco.

5. NARIS CETI ſeù etiam *Mandibula Ceti* vulgò dicitur ſtella fixa ſecundæ magnitudinis valdè præſignis, de natura Saturni, exiſtens in rictuCeti, atque in longitudine ſub gr. 10. Tauri arab. dicta *Menchar*.

6. NATIVITAS, Natalitium thema, ſeù etiam Natiuitatis figura dicitur vulgò apud Aſtrologos conſtitutio Cæli erecta ad punctum Natiuitatis alicuius hominis, aut etiam initium alicuius rei. Quale autem dicendum ſit verum punctum Natiuitatis, diſputatum eſt luculenter in V. *Geneſis*.

7. NATVRA, etſi ſecundum varias acceptiones plura ſignificet, quæ ad noſtrum inſtitutum non pertinent, primo tamen loco, & ex ſui notione appellat generationem viuentium ex inſita ſibi à Creatore vi naturaliter, hoc eſt nullatenus alterata, conſtituto ſibi primitùs ordine prodeuntium: vnde dicta eſt Natura quaſi *Naſcitura*, græcis autem expreſſiore vocabulo *Phyſis* & naturale dicitur quidquid non violentè, non caſu, non artificioſè, non denique præter naturæ curſum emanat. Adeo vt iam Naturæ nomine proprie, & vniuerſaliſſimè veniat congeries illa cauſarum ſecundarum, ex indita ſibi à Creatore virtute neceſſariò operantium, quæ ſui varietate pulcherrimum hunc rerum ordinem conſtituunt, atque à Deo ita præordinatæ ſunt, vt nulla vi, nullo planè artificio, nullo humanæ voluntatis adminiculo ex ſe ſuos effectus promant, ac naturali ordine progrediantur: cuius admirabilem curſum demirans D. Auguſt. lib. 8. in Geneſim. *Quod enim*, inquit *maius*, *mirabiliuſque ſpectaculum eſt*, *aut vbi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui poteſt*, *quam cùm poſitis ſeminibus*, *plantatis ſurculis*, *tranſlatis arbuſtulis*, *inſitis malleolis*, *tanquam interrogatur quaque vis radicis & germinis*, *quid poſſit*, *quidve non poſſit; vnde poſſit*, *vnde non poſſit?* *quid in ea valeat numerorum inuiſibilis*, *interiorque potentia*, *quid extrinſecùs adhibita diligentia*, *inque ipſa conſideratione perſpicere*, *quia neque qui plantat eſt aliquid*, *neque qui rigat*, *ſed qui incrementum dat Deus*: *quia & illud*

*operis, quod accedit extrinſecus, per illum accedit, quem nihilominus creauit, & quem regit atque ordinat inuiſibiliter Deus? Hinc iam in ipſum mundum velut in quamdam magnam arborem rerum oculus cogitationis attollitur, atque in ipſo quoque gemina operatio prouidentiæ reperitur partim Naturalis, partim Voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei adminiſtrationem, qua etiam lignis, & herbis dat incrementum, voluntaria verò per angelorum opera, & hominum. Secũdum illam primam cæleſtia ſuperiùs ordinari, inferiùſque terreſtria, luminaria, ſideraque fulgere, diei, noctiſque vices agitari, aquis terram fundatã interlui, atque circumlui, aërem altiùs ſuperfundi, arbuſta, & animalia concipi, & naſci, creſcere, & ſeneſcere, occidere, & quidquid aliud in rebus interiori, naturalique motu geritur: In hac autem altera ſigna dari, doceri, & diſcere, agros coli, ſocietates adminiſtrari, artes exerceri, & quæque alia, ſiue in ſuperna ſocietate aguntur, ſiue in hac terrena atque mortali, ita vt bonis conſulatur, & per neſcientes malos: inque ipſo homine eandem geminam prouidentiæ vigere potentiam: primò erga corpus naturale ſcilicet eo motu quo fit, quo creſcit, quo ſeneſcit; voluntarium vero quoad victum, tegumentum, curationemque conſulitur.* Hucuſque D. Auguſt. Ex quibus liquet, duo eſſe rerum principia; naturam, & voluntatem; eaque ambo à Diuina prouidentia regi, promoueri, diſponi, atque etiam ſuperiori potentia impediri poſſe: Verum in ſuo curſu relicta Naturam neceſſariò operari, Voluntatem liberè, ac naturæ curſum diſponere poſſe, coadiuuare, & aliquatenns impedire hinc quæ à natura pure & abſque voluntatis adminiculo prodeunt, naturalia; quæ à ſola voluntate nihil ſubfamulante Natura, purè voluntaria: quæ verò à voluntate provt applicat actiua paſſiuis, impedimenta remouet, naturam ipſam ad operandum diſponit artificialia dicuntur Quod, & obſeruauit ipſemet Auguſtinus paulòpoſt ſubdens: *Sicut autem in arbore id quod agit agricultura forinſecus, vt illud proficiat, quod geritur* (à natura) *intrinſecus; ſic in homine ſecundum corpus, ei quod intrinſecus agit natura, ſeruit extrinſecus medicina: quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi incuria, hoc ad animam diſcendi ſegnitia. Et quod ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus victus exitiabilis, hoc ad animam perſuaſio iniquitatis.*

Porrò inter naturales cauſas principem ſibi locum vendicant corpora cæleſtia, quæ ſua vniuerſali potentia in omnia iſthæc ſublunaria agunt, ſuis influxibus producunt, 8.

conſeruant, immutant, alterant, perdunt: neque eorum actiuitas tolli vel impediri poteſt ab humana voluntate, aut ab vllis cauſis inferioribus, ſed tantum à Cauſa prima Deo; atque adeò vel ob id cæteris omnibus præſtant. Benè verò poteſt homo eorum naturam, qualitates, effectus, inalterabilem agendi vim callens excolere in ipſis inferioribus, applicare, præuertere, declinare, ſicut dixit Ptolemæus in Centiloquio *Verbo* 8, *Sapiens anima*, inquit, *confert cæleſti operationi, quemadmodum optimus Agrico'a arando, expurgandoque confert Naturæ.* Igitur non poteſt homo facere, vt Aſtra ſuos naturales virtutes non exerant, effectus ſibi proprios non producant, qualitates maleficas, aut beneficas, quibus intrinſecus potiuntur exuant, & contrarias induant, poteſt verò aliquatenus in cauſis inferioribus eas alterando, impediendo, aut etiam deſtruendo, ſicque totaliter eorum effectus præuertere.

9. Sic non poteſt homo vllo modo Eclipſim futuram impedire, neque effectus, inde naturaliter emanaturos: non poteſt, exempli gratia, æſtum nimium ex congreſſu ſolis, & Martis ſequuturum præuertere, niues, pluuias, ventos, aëris infectiones, &c. poteſt autem in naturis inferioribus, vt ædificando ſuper ſolum, ne herbas germinet, exſiccando ſtagna, ne aërem corrumpant; recidendo arbores ne fructus proferant. Sic etiam aſtris ſubfamulando eorum operationi conferre, vt ſubminiſtrare materiam, vel remouere, ſeſe contrà prauas ſiderum influentias præmunire, bonis ſubſternere, diſponere, & paſſibilem applicare tempore præuiſæ ſterilitatis (vt fecit Ioſeph Patriarcha) magnam frumenti vim in horrea comportare, in bonis ſiderum configurationibus terram excolere, maria exſulcare; in malis domi conſiſtere, atque à labore inutili abſtinere, &c. Concludam igitur cum iis quæ appoſitè ad hanc rem habet Kircherus in *Arte Magna Lucis & Vmbræ lib. 6. part. 3. cap. 2. Natura*, inquit, *duobus principiis regitur, natura, & voluntate: Natura ſubiecta eſt ſideribus, voluntas libera, & ideò effectus, & operationes purè naturales ſideribus planè obediunt tanquam cauſis neceſſariis, vt ſanitas, vel infirmitas; longa, vel breuis hominum vita, &c. alia quæ purè voluntaria, vt ſpeculari, docere, actus virtutum aut vitiorum: alia mixta, vt facere iter, comedere, &c. Vtrum autem iter commodum futurum ſit, necne, à ſideribus pendet, aëriſque conſtitutione. Si quis igitur perfectè cognoſceret influxus ſiderum corpori noſtro congruum, vel incongruum, haud dubiè de fortunato, vel infortunato itineris ſtatu certò*

*iudicare poſſet : item de ſanitate, de morbo, &c. Item de ſucceſſu negotij cum principe. Verum cum hęc difficulter fieri poſſint, & ſciri, hinc electionum harum notitia, niſi experientiis fulciatur, vt plurimum fallax eſt.* Hæc Kircherus. Ex quibus patet quid ars, ſeu humanum ingenium, quid Natura poſſit, quidve homo ex rerum natura probè cognita aggredi poſſit, quid demum fruſtrà, quid etiam temerè aggrediatur.

Navbarach, ſiuè *Naubahàr* arab. idem ſonat, ac Nouenariæ Dominus. Vide in V. *Anaubarach.* 10.

Navis vulgò audit ſidus ad auſtralem plagam conſtans ſtellis 63. vt liquet ex accuratiſſimis nouorum Aſtronomorum obſeruationibus, omnibus ferè de natura Saturni, & Iouis, quorum præcipua eſt Canopus in temone conſiſtens primi honoris arab. *Rubail*, cui proximè accedit dicta Marcheb in medio ſcuti poſita. Hoc ſidus à ſchillero immutatum fuit in Arcam Noë. Hebraicè autem dicitur *Sephina.* 11.

Nebolassid apud Fetzanos, Maroccenſes, cæteroſque Nubianos aſtrologos appellatur Cauda Leonis, ſtella fixa primæ magnitudinis, de qua ſatis dictum eſt ſuo loco. 12.

Nebvlosæ stellæ ſunt fixæ quædam obtuſo lumine, pallenti, & ſuboſcuro micantes: eò dictæ vel quia nebulas quaſdam ſpecie ſua præſeferunt, (quales præcipuè ſunt duæ magnæ & ſatis conſpicuæ ad polum Antarcticum) vel ſanè, quia nebulas generant, & cum ſole occidentes aerem nebuloſum reddunt, vt obſeruarunt Ptolemæus & Plinius, in Preſepi, exiſtente in pectore Cancri, in ea, quæ eſt in oculo Sagittarij, ſed præſertim videre eſt in ea, quæ ſequitur aculeum ſcorpij. Idque, vt obſeruat Titus lib. I. cap. 12. quia earum nebuloſitas parem, & conſimilem effectum parit in hiſce inferioribus. Hinc etiam experientia compertum eſt, vt quandocumque cum Luminaribus in alicuius geneſi congrediantur, ſemper cæcitatem, nebulas, aut aliud vitium in oculis importent; quod ipſa naturalis ratio ſuadet, Nam earum lux valdè exilis, ac debilis eſt, ac proinde non mirum, ſi oculorum lucem adimant, aut obtundant, quando ipſis luminaribus, à quibus lumen in oculos deriuatur congreſſu fiant infenſæ. 13.

Nemer hoc eſt Pardus hæbreorum lingua dicitur Lupus ſidus de quo alibi dictum. 14.

Neomenivm græcè idem valet, ac Nouilunium, de quo mox infrà. 15.

Nepa Ciceroni, & aliis idem eſt ac Scorpij ſidus forte à 16.

Chelis dictum; eandem etiam ob rationem.

18. Nepa, Afrorum linguâ dicitur Cancer aliud ſidus, quod in nominibus ſæpe cum Scorpione confunditur.

19. Neschir, Hebraïcè dicitur Aquila.

20. Nigear, (teſte Iunctino in Sphæram Io: de Sacroboſco) apud Arabes ſcriptores dicitur axis Mundi, qui ad eiuſdem polos terminatur, & concipitur tranſire per centrum terræ, Vide in *V. Axis.*

21. Nigra, ſeù *Niger*, appellatur ſpecies quædam Cometæ nigri coloris, ſeù potiùs plumbei, & ſuboſcuri de natura, & conditione Saturni, ac proinde vt in colore, ita & in qualitatibus ei omninò perſimilis. Significat enim cum apparuerit anni inopiam, diuturnas locuſtas, & alia id genus animalia pernicioſa, peſtilentiam, febres chronicas, &c. Adducit etiam nebulas, nimbos, glacies, niues, & in hominibus Saturninis ſolitudinis, auſteritatis, inuidiæ, obſtinationis, auaritiæ incitamentum, & incrementum.

22. Nitach, Arab. ſeù potius Chaldaicè ſignficat Zodiacum, & circulum ſignorum. Vnde Alchabitius ita incipit librum ſuum, *Nitach, id eſt circulus ſignorum diuiditur in duodecim parteſ æquales, &c.* Vide quæ fuſius dicenda ſunt in *V. Zodiacus*

23. Nitura, pro Genitura, ſeù Natalitio Themate per Apocopen ſæpiſſimè ab aliquibus vſurpatur. Vide *Iſiderum.*

24. Nocturnum ſignum, vel etiam Planeta denominatur in quo præponderant qualitates paſſiuæ, quales ſunt humiditas, & ſiccitas: ſicut è contrà Diurna dicuntur ſigna & planetæ in quibus abundant qualitates actiuæ: qua de re vide quæ diximus in *V. Diurnus.*

25. Nodi vocantur ab Aſtronomis interſectiones orbitarum ſolis, & ſingulorum planetarum latitudinem habentium, vbi videlicet orbitæ planetarum incidunt in Eclypticam in duobus punctis oppoſitis, & Nodus quidem boreus dicitur punctum in quo Planeta è latitudine auſtrali tranſit in borealem; Auſtrinus verò vbi à borea deſcendit ad Auſtrum. Qui etiam ex forma quam referunt caput, & cauda Draconis dicuntur; Item Attollens, ſeu euehens; atque deprimens. Vbi autem Planetæ maximam latitudinem habent appellatur venter Draconis, quia & hic in ventre latior eſt, quam in extremitatibus. Porrò Nodi iſti permutant locum in Zodiaco, quemadmodum ipſi Planetæ ſed gradiuntur contrà ſucceſſionem ſignorum. Et trium quidem ſuperiorum Nodi inſenſibiliter mouentur; inferiorum verò non

non item, ſed ad ſingulos ferè minutum vnum, quinimò nodi Lunares ad ſua ferè minuta, vt patet in Ephemeridibus, ac tabulis ſecundorum mobilium.

Habent in Genethliacis nodi maximam ſignificationem quoad formam corporis, quam plerumque deturpant, ſi cum Luminaribus, vel infortunis fuerint reperti, præſertim in Angulis, & in ſignis detruncatis; vel curuis; qualia ſunt Aries, Taurus, Cancer, Scorpio, & Capricornus. Vnde Nati euadent gibbi, ſtrabi, claudi, contorti, vel quouis modo debilitati, vt habet Ptolemæus lib. 3. cap. 17. 271

NONA SPHÆRA communiter dicitur Primum Mobile, quod conſtituitur ſupra octauam ſphæram, ſeù Cælum ſtellarum, quod ſecum trahit omnes inferiores ſphæras ab oriente in occidentem curſu concitatiſſimo reuolutionem ſuam perficiens ſpatio ferè 24. horarum. Alij autem hanc nonam ſphæram admittunt diſtinctam à Primo mobili, quin, & Decimam, quas vocant librationis, ſeù trepidationis; quam in vident in Firmamento; obſeruarunt enim ipſum præter motum vniuerſalitatis, & proprium, moueri irregulariter ab ſeptentrione in Auſtrum, & ab Auſtro ad Septentrionem ſub coluro ſolſtitiorum primi mobilis, vltrò citróque: rurſus moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum ſub Ecliptica, & ſuper polos eiuſdem: Quare cum tot motus comperiantur in firmamento, atque in planetis, nec duos modò explicatos poſſe haberi dicant ex ſe, aut à primo mobili, ex vulgato illo axiomate corpus vnum ſimplex natura ſua vno tantum ſimplici motu moueri poſſe intrinſecè, ab extrinſeco verò pluribus, conſequenter, & hanc nonam ſphæram admittunt, quæ dat moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum ſuper polos Zodiaci per minuta 14. annorum 1716. vt dicunt ſpatio, & rurſus Decimam; quæ det moueri à ſeptentrione in Auſtrum ſub coluro ſolſtitiorum per minuta 24. ſpatio annorum 3432. Qua de re uide Clauium, & Blancanum *in ſphæra mundi lib* 18. *c.* 7. Ego vero hos motus diſtinctos, proindeque diſtinctas ſphæras admittere nullatenus poſſum, quoniã repugnat vnũ & idem nobile duobus motibus contrariis moueri, quo pacto eſſent huiuſmodi motus trepidationis, qui prorſus fictitij ſunt, & optimè ſaluantur apparentiæ ſiderum, irregularitates, &c. in ſola cæli fluxibilitate, & vnico tantum motu ab oriente in occidentem regulariter tamen irregulari ſecundùm omnes cæli partes remotiores, & remotiores à prima virtute motrice. Vide quæ fusè diximus in V. *Motus*.

NOTA PELIOTES ventus eſt vnus ex quatuor intermediis 28.

æquè ſpirans inter meridiem, & ortum, aliis *Euronotus* dictus à noſtris vulgò *Syrouus*, eo quod per mediam ſyriam tranſeat, opponitur directè Borrolybico, ſeu Magiſtrali. Eius qualitas eſt valdè debilis, & ſilens, humidior tamen quam in Euro, & ſæpè in auſtri naturam degenerat; qui licet pluuiam non afferat, facit tamen tempus valdè turbidum, aquoſum, & replet aërem caligine, atque obſcuritate. Excitari ſolet hic ventus à ſole exoriente cum ſtellis fixis ſitis in cornu, & cauda Arietis, in nexu, & Ventre Piſcium, Fornaham, Vmbilico Andromedæ, & quæ ſunt in Cæto. Similiter à Mercurio, (qui ventorum generalis eſt motor) congrediente cum dictis ſtellis, atque inſuper cum Lyra, Scheat, Pleiadibus, Lucida Hidræ, Hebuloſa in oculo Sagittarij, ac denique tribus ſtellis exiſtentibus in fronte Scorpij. Plura de eius natura, & qualitatibus vide apud Vitruuium *lib.* 1 *cap.* 6.

29. Notolibicvs eſt item Ventus alius intermedius ſpirans ex æquo inter meridiem, & occaſum, oppoſitus Meſe, ſeu Borrhapelioſi: apud nos vulgò Libeuius, ſeù Garbinus dicitur, eo quod acer ſit, & peruerſæ naturæ, tum etiam quia tempus ſerenum in turbidum, ac pluuioſum ſemper conuertit. Natura ſua eſt humidus, morboſus, tempeſtuoſus præſertim verò Liguſtico mari infenſus.

30. Nότvs græcè idem quod Auſter Ventus vnus ex quatuor cardinalibus ſpirans à puncto meridiei oppoſitus directè ſeptentrioni. Eſt de natura ſua calidus, & humidus morboſus, noxius (vnde & nomen à nocendo hauſit) & ſolet morbos multos excitare, vt febres putridas, pleuritides, &c. & ſi diù abſque interpolatione ſpirauerit inducere ſolet peſtilentiam, vt ſæpius obſeruatum eſt, & refert Abraham Gorlnitz in compendio Geographico. Ratio autem naturalis eſt, quia corpora per ipſum efficiuntur humida, & calida, atque ob id putredini maximè obnoxia: vnde exurgit peſtis, quæ aliud planè non eſt quam corruptio ſanguinis circa cor. Hinc Ouidius.

*Letiferis calidi ſpirarunt æſtibus auſtri.*

Flare ſolet potiſſimum in occaſu veſpertino Arcturi, Pleiadum, atque Sirij; nec non in occaſu matutino Hyadum, & Coronæ Gnoſſiæ: quo tempore, inquit Plinius lib. 18. c. 33. *Materiam, vineamque, agricola ne tractes: humidus, & æſtuoſus Italiæ eſt: Africæ quidem incendia cum ſerenitate affert.* cuius rei rationem reddidimus in V. Auſter. Idem teſtatur *in lib.* 2. *cap.* 45. huic vento eſſe rupem quamdam in Cyrenaica prouincia ſacram, quam profanum ſit attrectare ho-

minis manu, confeſtim auſtro voluente arenas. Vide adhuc quæ diximus in dicto verbo *Auſter*.

Notivs Pisci-,ſeu *Auſtrinus* dicitur ſidus in cœlo ad Auſtralem plagam piſcis magni figuram præſeferens atque ambitu ſuo complectens ſtellas duodecim omnes ferè de natura Saturni, vel Veneris, quarum præcipua eſt quæ in ore, & eſt eadem quæ in vltima effuſione aquæ Aquarij dicta *Fornahand* primæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij. Hoc ſidus in Horoſcopo, inquit Pontanus; facit eximium natatorem & venatorem. In occaſu verò mortem indicit in aquis, aut per belluarum ing̃uiem. Propè ipſum ſunt aliquot ſporades de natura item Saturni. 31

Novenariæ quid ſint, & quis earum Dominus Vide in V. *Anaubarach*. 32

Novilvnivm dicitur tempus illud, quo Luna ſilet, eſtque in coniunctione ſolis, eo quia vetere decedente,noua quaſi ſuccedit. Eius momentum ſi quis obſeruare volet, videbit planè in lixiuio, vel etiam in aqua cuius plenum ſit vas vitreum, aut argenteum, atque in fundo vaſis conſiſtant quieti cineres oleæ, vel vitis: Nam cum primum Luna Solis diametrum intrat, mox cineres ex ſeipſis exiliunt, turbant aquam, & in gyrum vertuntur, nec ad priſtinam quietem redeunt, quoad vſque Luna perfectè de diſco ſolis exierit: quod ego ſemel & iterum obſeruaui. 33

Dies etiam Nouilunij artificiosè per numeros, & Epactam facile internoſci poterit. Quandoquidem, ſi Epactæ currenti numerum Calendarum ac dierum qui à Martio præterito vſque ad præſentem diem effluxerunt, adieceris; atque à 30. [quæ integra Lunario eſt) numerum productum detraxeris, relinquetur numerus dierum, poſt quos celebrabitur Luminarium ſynodus. Quodſi productus numerus tricenarium excefferit, tunc deme ab eo triginta,& quod ſupereſt ruſus à triginta ſubtrahe, & mox Nouilunij dies emerget. 34

Nox dicitur tempus illud, quo ſol inferius hemiſphærium luſtrat à cardine occidentis per Imum Cæli ad Cardinem Orientis tendens: ſicut econtrà dies eſt cum ſol emergit ex horizonte, & graditur per Medium Cæli ad Occidentem, quovſque in ipſum mergatur. Eius porrò quantitatem metitur arcus æquatoris nocturnus, ſicut & diei diurnus, qui inter vtrumque cardinem intercipitur, aut ſub terra, aut ſuprà terram, accepta pro ſingulis quindenis gradibus integra hora. Et nox quidem diuiditur in ſeptem ſpatia, quæ ſunt Veſper, Crepuſculum, Conticinium, In- 35

nibus Arithmeticæ ſubalterna, facultas nempe, vt inquit Boëthius, quæ multitudine ad aliud relata rationes numerales concretas habet ad ſonos & voces. Dicta eſt à Græco verbo Mos, quod æquam rationem, atque harmoniam ſonat; vel potiùs à Muſis, quibus olim familiaris erat. Habet pro obiecto numerum ſeû quantitatem diſcretam prout ad alteram relatam: confert enim temporis momenta ad ſonorum modulos, & inde eos artificiosè nectit, & copulat, vt dulciſſima harmonia, atque ordinatiſſimum melos auribus noſtris inſonet. Eius nobilitatem vel inde licet colligere, quod in diuinis laudibus decantandis, Numineque propitiando, ab ipſo religionis exordio ad hæc vſque tempora religiosè ſit ſemper adhibita: vnde Iobi 38. dicitur: *Vbi eras quado ponebam fundamenta terræ: cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei?* Adeovt de ipſo Dite referant Fabulæ Poëtarum, quod ſit Orphei cantibus emollitus: Nec mirùm, cum eius ordo vt cæleſtis Hierarchiæ ſymbolum eſt, ita & inferis illatus vbi nullus ordo eſt, ſed confuſio, eorum conditionem anteuertere ſatis eſt. Porrò quanta ſit Muſices efficacia in immutandis affectibus, ac paſſionibus animi mitigandis, luculenter explicat Seneca: Caſſiodorus, & Auguſtinus, qui lib. contra Iulianum, Ciceronis teſtimonium adducens, refert Pithagoram ſpondeùm in ſono canentem tarditare modorum, & grauitate cantus furentem aliquorum iuuenum petulantiam àbegiſſe: & iure quidem, nam ars hæc ita animas ſibi reddit intentas, vt quemadmodum loquitur Caſſiodorus,) nil àliud cogitare poſſint; ſed depoſita omni cura mentis induant grauitatem.

Hinc ob diuerſas animorum commotiones, quas ſuis mo-
101 dulis ſuſcitare poteſt Diuina iſthæc facultas, quatuor melodiæ ſpecies diſtinxit Philoſophus ad diuerſos affectus tendentes- *Miſtolidiſcam*, quæ ad compaſſionem mouet; *Lidiſcam*, quæ animos emollit ad concupiſcentiam: *Doriſcam*, quæ mentem erigit ad fortitudinem, atque virilitatem: & *Frigiſcam*, quæ rigidior cæteris incitat ad dura conſilia, promouetque ſeueritatem. Habet etiam tonos, diuerſaſque conſonantiarum diſſonantiarumque rationes, quas Diateſſeron, Diapente, Diapaſon appellant: ac ſimiliter tria melorum genera Diatonicum, Chromaticum, Enharmonicum, de quibus omnibus, aliiſque Muſices diuiſionibus, vide Ficinum in Platonis Conuiuio *Orat.* 3. *cap.* 3. Guidonem, & Iacobum Fabrum in Elemen. Muſic. *lib.* 3. & 4 Nobis ea tetigiſſe ſufficiat.

Mvta signa ſunt quæ præſeferunt figuram Animalium 102
voce carentium, qualia ſunt Cancer, Scorpio, & Piſces: ſicut econtrà vocem habentia perhibentur eſſe tum humana, Gemini, Virgo, Libra, Sagittarius, & Aquarius, tum ferina, quæ etiam raucá dicuntur, brutorum videlicet vocalium formam habentia, vt Aries, Taurus, Leo, Capricornus. Horum maxima conſideratio habetur in Genethliacis, quoad vitia, & impedimenta linguæ, de qua re Ptolemæus lib. 3. Quadrip. cap. 17.

Mvtatil arab. idem ſonat ac latinè agglutinatus; cum vi- 103
delicet Planeta ita eſt alteri iunctus, vt nec in minuto quidem aberret. Hoc vocabulo frequenter vtitur Ptolemæus in Quadrip. ex verſione arabica, & Hali eius commentator.

Mvtatlvm arab. Vide in V. *Motlatum.* 104

Mvtilata signa ſunt quæ membrum aliquod ſeù etiam 105
corpus mutilum repræſentant, vt Taurus, Equi ſectio, Caput Meduſæ, quæ quidem, vt benè obſeruat Titus in Cæleſti Philoſophia *lib. 2. cap. 3.* hanc habent naturam & influendi vim, vt ferè ſemper inducant membrorum inciſionem, ſi Vitæ moderatoribus infeliciter ſe habentibus in Natali, per directionem poſteà miſceantur. Hinc Ptolemæus in *Quadrip. lib. 4. cap.* 10 vbi de genere mortis agit, *In ſignis mutilis*, inquit, *aut quorum figurà ſunt imperfecta, aut circà caput Meduſa Mars ſignificat capite truncandos, aut membris mutilandos.* Quod D. Thomas obſeruauit *opuſc. 28. art 3.* dicens, *quod ſtella illa funerea ſunt, & monſtruoſam indicant vita terminationem.* Vide quæ diximus in V. *Gorgonis caput.*

## N.

Nablon schaliaf ſeù etiam *Neſcuſſackat* teſte ſchie- 1.
chardo Chaldaicè dicitur Lyra ſidus in Cœlo, de quo ſæpius dictum eſt.

Naasch Laazar hoc eſt *Feretrum Lazari* dicitur apud 2.
Chriſtianos arabes Plauſtrum, vt teſtatur Kircherus in Oedipo, eo quod non minus plauſtrum, quam Feretrum repræſentare videantur ſtellæ quatuor magis conſpicuæ in Vrſa, quæ quatuor plauſtri rotas effingunt. Schillerus autem, qui ex hoc occaſionem ſumpſit omnes cœleſtes imagines tranſmutandi, atque ex Diuorum nominibus appellandi, hoc ipſum Aſtrum vocat Petri Nauiculam.

Nadir apud Arabes ſignificat punctum Cæli ſub terra 3.
oppoſitum diametraliter vertici capitis noſtri, quod ipſi pariter gentili ſuo vocabulo Zenith appellant; itavt ambo ſint

veluti poli horizontis, & diſtent ab eodem hinc inde gr. 90. ac proinde neceſſario incidant in ipſum meridianum, Zenith quidem ſuprà terram, Nadir autem ſub terra. Et quam propoitionem vnum eorum habeat ad æquatorem & alterum polorum Mundi, eandem vice verſa habeat alterum ad oppoſitum polum, & aduerſam æquatoris partem.

4. Nahar, Alcharner teſte Kirchero in Oedipo arabice dicitur Fluuius Eridanus ſidus ad auſtralem plagam conſtans ſtellis triginta tribus, de quo plura diximus ſuo loco.

5. Nakis Ceti ſeu etiam *Mandibula Ceti* vulgò dicitur ſtella fixa ſecundæ magnitudinis valdè præſignis, de natura Saturni, exiſtens in rictu Ceti, atque in longitudine ſub gr. 10. Tauri arab. dicta *Menchar*.

6. Nativitas, Natalitium thema, ſeù etiam Natiuitatis figura dicitur vulgò apud Aſtrologos conſtitutio Cæli erecta ad punctum Natiuitatis alicuius hominis, aut etiam initium alicuius rei. Quale aùtem dicendum ſit verum punctum Natiuitatis, diſputatum eſt luculenter in V. *Geneſis*.

7. Natvra, etſi ſecundum varias acceptiones plura ſignificet, quæ ad noſtrum inſtitutum non pertinent, primo tamen loco, & ex ſui notione appellat generationem viuentium ex inſita ſibi à Creatore vi naturaliter, hoc eſt nullatenus alterata, conſtituto ſibi primitùs ordine prodeuntium: vnde dicta eſt Natura quaſi *Naſcitura*, græcis autem expreſſiore vocabulo *Phyſis* & naturale dicitur quidquid non violentè, non caſu, non artificioſè, non denique præter naturæ curſum emanat. Adeo vt iam Naturæ nomine proprie, & vniuerſaliſſimè veniat congeries illa cauſarum ſecundarum, ex indita ſibi à Creatore virtute neceſſariò operantium, quæ ſui varietate pulcherrimum hunc rerum ordinem conſtituunt, atque à Deo ita præordinatæ ſunt, vt nulla vi, nullo planè artificio, nullo humanæ voluntatis adminiculo ex ſe ſuos effectus promant, ac naturali ordine progrediantur: cuius admirabilem curſum demirans D. Auguſt. lib. 8. in Geneſim. *Quod enim*, inquit *maius*, *mirabiliuſque ſpectaculum eſt*, *aut vbi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui poteſt*, *quam cùm poſitis ſeminibus*, *plantatis ſurculis*, *tranſlatis arbuſtulis*, *inſitis malleolis*, *tanquam interrogatur quæque vis radicis & germinis*, *quid poſſit*, *quidve non poſſit*; *vnde poſſit*, *vnde non poſſit*? *quid in ea valeat numerorum inuiſibilis*, *interiorque potentia*, *quid extrinſecùs adhibita diligentia*, *inque ipſa conſideratione perſpicere*, *quia neque qui plantat eſt aliquid*, *neque qui rigat*, *ſed qui incrementum dat Deus*: *quia & illud*

*operis, quod accedit extrinſecus, per illum accedit, quem nihilominus creauit, & quem regit atque ordinat inuiſibiliter Deus? Hinc iam in ipſum mundum velut in quamdam magnam arborem rerum oculus cogitationis attollitur, atque in ipſo quoque gemina operatio prouidentia reperitur partim Naturalis, partim Voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei adminiſtrationem, qua etiam lignis, & herbis dat incrementum, voluntaria verò per angelorum opera, & hominum. Secũdum illam primam caleſtia ſuperiùs ordinari, inferiùſque terreſtria, luminaria, ſideraque fulgere, diei, noctiſque vices agitari, aquis terram fundatã interlui, atque circumlui, aërem altiùs ſuperfundi, arbuſta, & animalia concipi, & naſci, creſcere, & ſeneſcere, occidere, & quidquid aliud in rebus interiori, naturalique motu geritur: In hac autem altera ſigna dari, doceri, & diſcere, agros coli, ſocietates adminiſtrari, artes exerceri, & quaque alia, ſiue in ſuperna ſocietate aguntur, ſiue in hac terrena atque mortali, ita vt benis conſulatur, & per neſcientes malos: inque ipſo homine eandem geminam prouidentia vigere potentiam: primò erga corpus naturale ſcilicet eo motu quo fit; que creſcit, quo ſeneſcit; voluntarium vero quoad victum, tegumentum, curationemque conſulitur.* Hucuſque D. Auguſt. Ex quibus liquet, duo eſſe rerum principia; naturam, & voluntatem; eaque ambo à Diuina prouidentia regi, promoueri, diſponi, atque etiam ſuperioti potentia impediri poſſe: Verum in ſuo curſu relicta Naturam neceſſariò operari, Voluntatem liberè, ac naturæ curſum diſponere poſſe, coadiuuare, & aliquatenns impedire hinc quæ à natura pure & abſque voluntatis adminiculo prodeunt, naturalia; quæ à ſola voluntate nihil ſubfamulante Natura, purè voluntaria: quæ verò à voluntate provt applicat actiua paſſiuis, impedimenta remouet, naturam ipſam ad operandum diſponit artificialia dicuntur Quod, & obſeruauit ipſemet Auguſtinus paulòpoſt ſubdens: *Sicut autem in arbore id quod agit agricultura forinſecus, vt illud proficiat, quod geritur* (à natura) *intrinſecus; ſic in homine ſecundum corpus, ei quod intrinſecus agit natura, ſeruit extrinſecus medicina: quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi incuria, hoc ad animam diſcendi ſeruitia. Et quod ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus victus exitiabilis, hoc ad animam perſuaſio iniquitatis.*

Porrò inter naturales cauſas principem ſibi locum vendicant corpora cæleſtia, quæ ſua vniuerſali potentia in omnia iſthæc ſublunaria agunt, ſuis influxibus producunt, 8.

conſeruant, immutant, alterant, perdunt: neque eorum actiuitas tolli vel impediri poteſt ab humana voluntate, aut ab vllis cauſis inferioribus, ſed tantum à Cauſa prima Deo, atque adeò vel ob id cæteris omnibus præſtant. Benè verò poteſt homo eorum naturam, qualitates, effectus, inalterabilem agendi vim callens excolere in ipſis inferioribus, applicare, præuertere, declinare, ſicut dixit Ptolemæus in Centiloquio *Verbo 8, Sapiens anima*, inquit, *confert cœleſti operationi, quemadmodum optimus Agrico'a arando, expurgandoque confert Naturæ.* Igitur non poteſt homo facere, vt Aſtra ſuos naturales virtutes non exerant, effectus ſibi proprios non producant, qualitates maleficas, aut beneficas, quibus intrinſecus potiuntur exuant, & contrarias induant, poteſt verò aliquatenus in cauſis inferioribus eas alterando, impediendo, aut etiam deſtruendo, ſicque totaliter eorum effectus præuertere.

9. Sic non poteſt homo vllo modo Eclipſim futuram impedire, neque effectus, inde naturaliter emanaturos: non poteſt, exempli gratia, æſtum nimium ex congreſſu ſolis, & Martis ſequuturum præuertere, niues, pluuias, ventos, aëris infectiones, &c. poteſt autem in naturis inferioribus, vt ædificando ſuper ſolum, ne herbas germinet, exſiccando ſtagna, ne aërem corrumpant; recidendo arbores ne fructus proferant. Sic etiam aſtris ſubfamulando eorum operationi conferre, vt ſubminiſtrare materiam, vel remouere, ſeſe contrà prauas ſiderum influentias præmunire, bonis ſubſternere, diſponere, & paſſibilem applicare tempore præuiſæ ſterilitatis (vt fecit Ioſeph Patriarcha) magnam frumenti vim in horrea comportare, in bonis ſiderum configurationibus terram excolere, maria exſulcare; in malis domi conſiſtere, atque à labore inutili abſtinere, &c. Concludam igitur cum iis quæ appoſitè ad hanc rem habet Kircherus in *Arte Magna Lucis & Vmbræ lib. 6. part. 3. cap. 2. Natura*, inquit, *duobus principiis regitur, natura, & voluntate: Natura ſubiecta eſt ſideribus, voluntas libera, & ideò effectus, & operationes purè naturales ſideribus planè obediunt tanquam cauſis neceſſariis, vt ſanitas, vel infirmitas; longa, vel breuis hominum vita, &c. alia quæ purè voluntaria, vt ſpeculari, docere, actus virtutum aut vitiorum: alia mixta, vt facere iter, comedere, &c. Vtrum autem iter commodum futurum ſit, necne, à ſideribus pendet, aeriſque conſtitutione. Si quis igitur perfectè cognoſceret influxus ſiderum corpori noſtro congruum, vel incongruum, haud dubiè de fortunato, vel infortunato itineris ſtatu certò*

*iudicare poſſet : item de ſanitate, de morbo, &c. Item de ſucceſſu negotij cum principe. Verum cum hęc difficulter fieri poſſint, & ſciri, hinc electionum harum notitia, niſi experientiis fulciatur, vt plurimum fallax eſt.* Hæc Kircherus. Ex quibus patet quid ars, ſeu humanum ingenium, quid Natura poſſit, quidve homo ex rerum natura probè cognita aggredi poſſit, quid demum fruſtrà, quid etiam temerè aggrediatur.

Navbarach, ſiuè *Naubahàr* arab. idem ſonat, ac Nouenariæ Dominus. Vide in V. *Anaubarach.* 10.

Navis vulgò audit ſidus ad auſtralem plagam conſtans ſtellis 63. vt liquet ex accuratiſſimis nouorum Aſtronomorum obſeruationibus, omnibus ferè de natura Saturni, & Iouis, quorum præcipua eſt Canopus in temone conſiſtens primi honoris arab. *Rubail*, cui proximè accedit dicta Marcheb in medio ſcuti poſita. Hoc ſidus à ſchillero immutatum fuit in Arcam Noë. Hebraicè autem dicitur *Sephina.* 11.

Nebolassid apud Fetzanos, Maroccenſes, cæteroſque Nubianos aſtrologos appellatur Cauda Leonis, ſtella fixa primæ magnitudinis, de qua ſatis dictum eſt ſuo loco. 12.

Nebvlosæ stellæ ſunt fixæ quædam obtuſo lumine, pallenti, & ſuboſcuro micantes: eò dictæ vel quia nebulas quaſdam ſpecie ſua præſeferunt, (quales præcipuè ſunt duæ magnæ & ſatis conſpicuæ ad polum Antarcticum) vel ſanè, quia nebulas generant, & cum ſole occidentes aerem nebuloſum reddunt, vt obſeruarunt Ptolemæus & Plinius, in Preſepi, exiſtente in pectore Cancri, in ea, quæ eſt in oculo Sagittarij, ſed præſertim videre eſt in ea, quæ ſequitur aculeum ſcorpij. Idque, vt obſeruat Titus lib. 1. cap. 12. quia earum nebuloſitas parem, & conſimilem effectum parit in hiſce inferioribus. Hinc etiam experientia compertum eſt, vt quandocumque cum Luminaribus in alicuius geneſi congrediantur, ſemper cæcitatem, nebulas, aut aliud vitium in oculis importent; quod ipſa naturalis ratio ſuadet, Nam earum lux valdè exilis, ac debilis eſt, ac proinde non mirum, ſi oculorum lucem adimant, aut obtundant, quando ipſis luminaribus, à quibus lumen in oculos deriuatur congreſſu fiant infenſæ. 13.

Nimer hoc eſt Pardus hæbreorum lingua dicitur Lupus ſidus de quo alibi dictum. 14.

Neomenivm græcè idem valet, ac Nouilunium, de quo mox infrà. 15.

Nepa Ciceroni, & aliis idem eſt ac Scorpij ſidus forte à 16.

Chelis dictum; eandem etiam ob rationem.

18. Nepa, Afrorum linguà dicitur Cancer aliud ſidus, quod in nominibus ſæpe cum Scorpione confunditur.

19. Neſcher, Hebraïcè dicitur Aquila.

20. Nigear, (teſte Iunctino in Sphæram Io: de Sacroboſco) apud Arabes ſcriptores dicitur axis Mundi, qui ad eiuſdem polos terminatur, & concipitur tranſire per centrum terræ, Vide in *V. Axis.*

21. Nigra, ſeù *Niger*, appellatur ſpecies quædam Cometæ nigri coloris, ſeù potiùs plumbei, & ſuboſcuri de natura, & conditione Saturni, ac proinde vt in colore, ita & in qualitatibus ei omninò perſimilis. Significat enim cum apparuerit anni inopiam, diuturnas locuſtas, & alia id genus animalia pernicioſa, peſtilentiam, febres chronicas, &c. Adducit etiam nebulas, nimbos, glacies, niues, & in hominibus Saturninis ſolitudinis, auſteritatis, inuidiæ, obſtinationis, auaritiæ incitamentum, & incrementum.

22. Nitach, Arab. ſeù potius Chaldaicè ſignificat Zodiacum, & circulum ſignorum. Vnde Alchabitius ita incipit librum ſuum, *Nitach, id eſt circulus ſignorum diuiditur in duodecim partes æquales, &c.* Vide quæ fuſius dicenda ſunt in *V. Zodiacus*

23. Nitvra, pro Genitura, ſeù Natalitio Themate per Apocopen ſæpiſſimè ab aliquibus vſurpatur. Vide *Iſiderum.*

24. Noctnrnvm ſignum, vel etiam Planeta denominatur in quo præponderant qualitates paſſiuæ, quales ſunt humiditas, & ſiccitas: ſicut è contrà Diurna dicuntur ſigna & planetæ in quibus abundant qualitates actiuæ: qua de re vide quæ diximus in *V. Diurnus.*

25. Nodi vocantur ab Aſtronomis interſectiones orbitarum ſolis, & ſingulorum planetarum latitudinem habentium, vbi videlicet orbitæ planetarum incidunt in Eclypticam in duobus punctis oppoſitis, & Nodus quidem boreus dicitur punctum in quo Planeta è latitudine auſtrali tranſit in borealem; Auſtrinus verò vbi à borea deſcendit ad Auſtrum. Qui etiam ex forma quam referunt caput, & cauda Draconis dicuntur; Item Attollens, ſeu euehens; atque deprimens. Vbi autem Planetæ maximam latitudinem habent appellatur venter Draconis, quia & hic in ventre latior eſt, quam in extremitatibus. Porrò Nodi iſti permutant locum in Zodiaco, quemadmodum ipſi Planetæ ſed gradiuntur contrà ſucceſſionem ſignorum. Et trium quidem ſuperiorum Nodi inſenſibiliter mouentur; inferiorum verò non

non item, ſed ad ſingulos ferè minutum vnum, quinimò nodi Lunares ad ſua ferè minuta, vt patet in Ephemeridibus, ac tabulis ſecundorum mobilium.

Habent in Genethliacis nodi maximam ſignificationem quoad formam corporis, quam plerumque deturpant, ſi cum Luminaribus, vel infortunis fuerint reperti, præſertim in Angulis, & in ſignis detruncatis; vel curuis; qualia ſunt Aries, Taurus, Cancer, Scorpio, & Capricornus. Vnde Nati euadent gibbi, ſtrabi, claudi, contorti, vel quouis modo debilitati, vt habet Ptolemæus lib. 3. cap. 17. 371

NONA SPHÆRA communiter dicitur Primum Mobile, quod conſtituitur ſupra octauam ſphæram, ſeù Cælum ſtellarum, quod ſecum trahit omnes inferiores ſphæras ab oriente in occidentem curſu concitatiſſimo reuolutionem ſuam perficiens ſpatio ferè 24. horarum. Alij autem hanc nonam ſphæram admittunt diſtinctam à Primo mobili, quin, & Decimam, quas vocant librationis; ſeù trepidationis, quam in vident in Firmamento; obſeruarunt enim ipſum præter motum vniuerſalitatis, & proprium, moueri irregulariter ab ſeptentrione in Auſtrum, & ab Auſtro ad Septentrionem ſub coluro ſolſtitiorum primi mobilis, vltró citróque: rurſus moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum ſub Ecliptica, & ſuper polos eiuſdem: Quare cum tot motus comperiantur in firmamento; atque in planetis, nec duos modò explicatos poſſe haberi dicant ex ſe, aut à primo mobili, ex vulgaro illo axiomate corpus vnum ſimplex natura ſua vno tantum ſimplici motu moueri poſſe intrinſecè, ab extrinſeco verò pluribus, conſequenter, & hanc nonam ſphæram admittunt, quæ dat moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum ſuper polos Zodiaci per minuta 14. annorum 1716. vt dicunt ſpatio, & rurſus Decimam; quæ det moueri à ſeptentrione in Auſtrum ſub coluro ſolſtitiorum per minuta 24. ſpatio annorum 3432. Qua de re uide Clauium, & Blancanum *in ſphæra mundi lib* 18. *c.* 7. Ego vero hos motus diſtinctos, proindeque diſtinctas ſphæras admittere nullatenus poſſum, quoniã repugnat vnũ & idem nobile duobus motibus contrariis moueri, quo pacto eſſent huiuſmodi motus trepidationis, qui prorſus fictitij ſunt, & optimè ſaluantur apparentiæ ſiderum, irregularitates, &c. in ſola cæli fluxibilitate, & vnico tantum motu ab oriente in occidentem regulariter tamen irregulari ſecundum omnes cæli partes remotiores, & remotiores à prima virtute motrice. Vide quæ fusè diximus in V. *Motus*.

NOTA PELIOTES ventus eſt vnus ex quatuor intermediis 28.

*ad conſeruationem ſpeciei, & alimento ad conſeruationem indiuidui: & propter hoc in iſtis inferioribus non inuenitur vita ſine anima vegetabili, ſed hoc non habet locum in incorruptibilibus:* & *art.* 1. *in reſponſione ad primum argumentum*, quo inferebatur omnium rerum naturalium proprium eſſe viuere; vltrò fatetur, quod *ſi totum vniuerſum corporale eſſet vnum animal, ita quod iſte motus eſſet amouente intrinſeco, vt quidam poſuerunt, ſequeretur, quod motus eſſet vita omnium naturalium corporum.* Similiter ratio ſenſus impertinens eſt ad vitam, & potius paſſio & imperfectio, quam perfectio. Ait enim Philoſophus, *in lib. de Somno, & Vigilia*, quod iis conuenit ſenſus, in quibus eſt triſtari, & gaudere, concupiſcere, & odiſſe: plantis autem nihil horum ineſſe, vnde conuenienter iis à Natura inditus non eſt ſenſus: ſupra quod D. Thomas in commento. *Complexio*, inquit, *plantarum in nutrimento, & augmento, & his ſimilia melius fiunt ſine ſenſu, quam cum ſenſu: ergo plantæ non habent ſenſum, cum natura ſemper faciat quod melius eſt.* Cum igitur iſti gradus vitæ potius ſint imperfectiones, & defectus naturæ, quam perfectiones, & Sol, Aſtra, & mundus non indigeant generatione, & nutritione ad conſeruationem ſpeciei vel indiuidui, & adhuc non habeant aliquod ad ſui eſſe conducens, vel ad ſui eſſe contrarium, quod amore proſequi debeant, aut odio; iure illis à Natura neque ſenſu, neque vegetatione prouiſum, ſed ſolum vitâ quadam ſuperiore, quæ omnem vitam inferiorum eminenter contineat, & colligitur ex motu perfectiſſimo, qui eſt circularis, & ab intrinſeco, potens naturaliter in æuum protrahi, & motum cæteris viuentibus participare. Alioquin ſi gradus huiuſmodi vitæ, vegetatio inquam & ſenſatio abſolutè, & ſimpliciter dicerent rationem vitæ perfectiorem, quæ non in aliquo eminenter contineretur, poſſet etiam dici, quod vita hominis eſt perfectior vita Angeli, quia viuit, nedum intellectualiter, vt ille, ſed adhuc vita ſenſitiua, & vegetabili. Sicut igitur vita Angeli eſt perfectior vita hominis, etiamſi non ſit vegetabilis, & ſenſibilis, ita etiam vita Mundi eſt perfectior omnibus viuentibus inferioribus, atque adeo plantis, & animalibus, etiamſi ſenſum, & vegetationem non habeat. Qui quidem gradus vitæ in talibus viuentibus dicunt perfectionem, at non in ſuperioribus, quæ tali modo viuendi non indigent.

91. Igitur pro coronide huius nobiliſſimæ Controuerſiæ, concludendum eſt; vniuerſum hoc vnum quid eſſe, per ſe

ſubſiſtens, ſua vniuerſali forma præditum, eâque ſubſtantiali, & perfectiſſimâ, quæ det quidem toti, cunctiſque eius partibus, atque animantibus vitam, non tamen ipſum mundum, aut præcipuas eius partes, nempe cælum, ſidera, elementa, animantes denominet: & quia ſenſu, & vegetatione carent, proindeque, vt ait Conc. Conſtantinop. omninò animantes non ſunt, Non tamen ex hoc ſequitur vitam Mundi præcipuarumque eius partium non eſſe cæteris viuentibus, etiam ipſo homine ſecundum gradus vegetationis, nutricationis, & ſenſationis, ſuperiorem, atque vniuerſaliorem; non autem ſecundum gradum intellectiui, in quo homo ſpiritualis eſt; ac minimè à cælorum influxibus pendet. Viuit ergo Mundus, cælum, ſidera, gradu quodam vitæ ſuperiore, cui profectò parem, aut ſimilem in inferioribus hiſce non ſit inuenire: ſed omnis ipſorum vitæ ratio, & gradus eminenter in vita mundi eſt, & ab ipſa tanquam vniuerſali, & æquiuoca cauſa deriuat; vnde eſt etiam virtus ad cauſandam hanc rerum varietatem. Et hoc, vt benè habet D. Th. 1. *part. q.* 105. *art.* 3 *inquantum hac* (ſcilicet cæleſtia corpora) *vniuerſali virtute cõtinẽt in ſe quidquid in inferioribus generatur & quia* (*vt paulò ante dixerat*; *quidquid in iſtis inferioribus generat & mouet ad ſpeciem*, *eſt inſtrumentũ cæleſtis corporis*. Igitur cæleſtia corpora ſunt cauſæ ſuperiores, ac principales vitæ, omniſque motionis inferiorum ad certas ſpecies: & quà talia in ſe ipſis eodem, ſed longè nobiliore gradu vitæ prædita ſint, neceſſe eſt.

MVNIR, ſeù, vt alij legunt, *Mumir*, Arabicè dicitur quaſi pupilla lucida Coronæ Gnoſſiæ, ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura veneris, & Mercurij, quã ob ſui pulchritudinẽ veriſque apperitionem quam ortu ſuo facit cæli pupillam, ſeruum aperitionem que dixerunt. Vide fuſiùs in *V. Corona*. 96.

MVSATER, dicitur à Cicerone ſagitta ſidus apud Aquilam conſtans ſtellis quinque de quibus vide in *V. Sagitta*. 97.

MVSCA, ſeù, *Apis* ſidus in cælo ad polum Antarcticum nobis inuiſum, & nuper à nouis Aſtronomis ad Auſtrales plagas appulſis cum aliis vndecim obſeruatum, continens quatuor ſtellas infimæ notæ: Eſt nunc in longitudine ſub ſigno Scorpij incidens in ipſum Antarcticum circulum: Apud Indos *Muia*. 98.

MVSCIDA EQVI, Arabicè *Alpheratz*, vulgò dicitur ſtella fixa tertiæ magnitudinis in rictu Pegaſi exiſtens, de natura mixta Martis, Iouis, & Veneris de qua vide iam dicta in *V. Alpheratz*. 99.

MVSICA, vna eſt ex quatuor præcipuis Matheſis diuiſio- 100

nibus Arithmeticæ ſubalterna, facultas nempe, vt inquit Boëthius, quæ multitudine ad aliud relata rationes numerales concretas habet ad ſonos & voces. Dicta eſt à Græco verbo Mos, quod æquam rationem, atque harmoniam ſonat; vel potiùs à Muſis, quibus olim familiaris erat. Habet pro obiecto numerum ſeù quantitatem diſcretam prout ad alteram relatam: confert enim temporis momenta ad ſonorum modulos, & inde eos artificioſè nectit, & copulat, vt dulciſſima harmonia, atque ordinatiſſimum melos auribus noſtris inſonet. Eius nobilitatem vel inde licet colligere, quod in diuinis laudibus decantandis, Numineque propitiando, ab ipſo religionis exordio ad hæc vſque tempora religioſè ſit ſemper adhibita: vnde Iobi 38. dicitur: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ: cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei?* Adeovt de ipſo Dite referant Fabulæ Poëtarum, quod ſit Orphei cantibus emollitus; Nec mirùm, cum eius ordo vt cæleſtis Hierarchiæ ſymbolum eſt, ita & inferis illatus vbi nullus ordo eſt, ſed confuſio, eorum conditionem anteuertere ſatis eſt. Porrò quanta ſit Muſices efficacia in immutandis affectibus, ac paſſionibus animi mitigandis, luculenter explicat Seneca: Caſſiodorus, & Auguſtinus, qui lib. contra Iulianum, Ciceronis teſtimonium adducens, refert Pithagoram ſpondeum in ſono canentem tarditate modorum, & grauitate cantus furentem aliquorum iuuenum petulantiam àbegiſſe: & iure quidem, nam ars hæc ita animas ſibi reddit intentas, vt (quemadmodum loquitur Caſſiodorus,) nil àliud cogitare poſſint; ſed depoſita omni cura mentis induant grauitatem.

Hinc ob diuerſas animorum commotiones, quas ſuis mo-
101 dulis ſuſcitare poteſt Diuina iſthæc facultas, quatuor melodiæ ſpecies diſtinxit Philoſophus ad diuerſos affectus tendentes- *Miſtolidiſcam*, quæ ad compaſſionem mouet; *Lidiſcam*, quæ animos emollit ad concupiſcentiam: *Doriſcam*, quæ mentem erigit ad fortitudinem, atque virilitatem: & *Frigiſcam*, quæ rigidior cæteris incitat ad dura conſilia, promouetque ſeueritatem. Habet etiam tonos, diuerſaſque conſonantiarum diſſonantiarumque rationes, quas Diateſſeron, Diapente, Diapaſon appellant: ac ſimiliter tria melorum genera Diatonicum, Chromáticum, Enharmonicum, de quibus omnibus, aliiſque Muſices diuiſionibus, vide Ficinum in Platonis Conuiuio *Orat.* 3. *cap.* 3. Guidonem, & Iacobum Fabrum in Elemen. Muſic. *lib.* 3. & 4 Nobis eas tetigiſſe ſufficiat.

MVTA SIGNA ſunt quæ præſeferunt figuram Animalium voce carentium, qualia ſunt Cancer, Scorpio, & Piſces: ſicut econtrà vocem habentia perhibentur eſſe tum humana, Gemini, Virgo, Libra, Sagittarius, & Aquarius, tum ferina, quæ etiam raucà dicuntur, brutorum videlicet vocalium formam habentia, vt Aries, Taurus, Leo, Capricornus. Horum maxima conſideratio habetur in Genethliacis, quoad vitia, & impedimenta linguæ, de qua re Ptolemæus lib. 3. Quadrip. cap. 17. 102

MVTATII arab. idem ſonat ac latinè agglutinatus; cum videlicet Planeta ita eſt alteri iunctus, vt nec in minuto quidem aberret. Hoc vocabulo frequenter vtitur Ptolemæus in Quadrip. ex verſione arabica, & Hali eius commentator. 103

MVTATLVM arab. Vide in V. *Motlatum*. 104

MVTILATA SIGNA ſunt quæ membrum aliquod ſeù etiam corpus mutilum repræſentant, vt Taurus, Equi ſectio, Caput Meduſæ, quæ quidem, vt benè obſeruat Titus in Cæleſti Philoſophia *lib. 1. cap. 3.* hanc habent naturam & influendi vim, vt ferè ſemper inducant membrorum inciſionem, ſi Vitæ moderatoribus infeliciter ſe habentibus in Natali, per directionem poſteà miſceantur. Hinc Ptolemæus in *Quadrip. lib. 4. cap.* 10 vbi de genere mortis agit, *In ſignis mutilis*, inquit, *aut quorum figuræ ſunt imperfectæ, aut circà caput Meduſæ Mars ſignificat capite truncandos, aut membris mutilandos*. Quod D. Thomas obſeruauit *opuſc.* 28. *art* 3. dicens, *quod ſtellæ illæ funereæ ſunt, & monſtruoſam indicant vitæ terminationem*. Vide quæ diximus in V. *Gorgonis caput*. 105

## N.

NABLON SCHALIAF ſeù etiam *Neſcuſſackat* teſte ſchiechardo Chaldaicè dicitur Lyra ſidus in Cœlo, de quo ſæpius dictum eſt. 1.

NAASCH LAAZAR hoc eſt *Feretrum Lazari* dicitur apud Chriſtianos arabes Plauſtrum, vt teſtatur Kircherus in Oedipo, eo quod non minus plauſtrum, quam Feretrum repræſentare videantur ſtellæ quatuor magis conſpicuæ in Vrſa, quæ quatuor plauſtri rotas effingunt. Schillerus autem, qui ex hoc occaſionem ſumpſit omnes cœleſtes imagines transmutandi, atque ex Diuorum nominibus appellandi, hoc ipſum Aſtrum vocat Petri Nauiculam. 2.

NADIR apud Arabes ſignificat punctum Cæli ſub terra oppoſitum diametraliter vertici capitis noſtri, quod ipſi pariter gentili ſuo vocabulo Zenith appellant; itavt ambo ſint 3.

veluti poli horizontis, & diſtent ab eodem hinc inde gr. 90. ac proinde neceſſario incidant in ipſum meridianum, Zenith quidem ſuprà terram, Nadir autem ſub terra. Et quam propoſitionem vnum eorum habeat ad æquatorem & alterum polorum Mundi, eandem viæ verſa habeat alterum ad oppoſitum polum, & aduerſam æquatoris partem.

4. NAHAR, ALCHARNER teſte Kirchero in Oedipo arabice dicitur Fluuius Eridanus ſidus ad auſtralem plagam conſtans ſtellis triginta tribus, de quo plura diximus ſuo loco.

5. NARIS CETI ſeù etiam *Mandibula Ceti* vulgò dicitur ſtella fixa ſecundæ magnitudinis valdè præſignis, de natura Saturni, exiſtens in rictu Ceti, atque in longitudine ſub gr. 10. Tauri arab. dicta *Menchar*.

6. NATIVITAS, Natalitium thema, ſeù etiam Natiuitatis figura dicitur vulgò apud Aſtrologos conſtitutio Cæli erecta ad punctum Natiuitatis alicuius hominis, aut etiam initium alicuius rei. Quale autem dicendum ſit verum punctum Natiuitatis, diſputatum eſt luculenter in V. *Geneſis*.

7. NATVRA, etſi ſecundum varias acceptiones plura ſignificet, quæ ad noſtrum inſtitutum non pertinent, primo tamen loco, & ex ſui notione appellat generationem viuentium ex inſita ſibi à Creatore vi naturaliter, hoc eſt nullatenus alterata, conſtituto ſibi primitùs ordine procedentium: vnde dicta eſt Natura quaſi *Naſcitura*, græcis autem expreſſiore vocabulo *Phyſis* & naturale dicitur quidquid non violentè, non caſu, non artificioſè, non denique præter naturæ curſum emanat. Adeo vt iam Naturæ nomine proprie, & vniuerſaliſſimè veniat congeries illa cauſarum ſecundarum, ex indita ſibi à Creatore virtute neceſſariò operantium, quæ ſui varietate pulcherrimum hunc rerum ordinem conſtituunt, atque à Deo ita præordinatæ ſunt, vt nulla vi, nullo planè artificio, nullo humanæ voluntatis adminiculo ex ſe ſuos effectus promant, ac naturali ordine progrediantur: cuius admirabilem curſum demirans D. Auguſt. lib. 8. in Geneſim. *Quod enim*, inquit *maius, mirabiliſque ſpectaculum eſt, aut vbi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui poteſt, quam cùm poſitis ſeminibus, plantatis ſurculis, translatis arbuſtulis, inſitis malleolis, tanquam interrogatur quæque vis radicis & germinis, quid poſſit, quidve non poſſit; vnde poſſit, vnde non poſſit? quid in ea valeat numerorum inuiſibilis, interiorque potentia, quid extrinſecùs adhibita diligentia, inque ipſa conſideratione perſpicere, quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus: quia & illud*

*operis, quod accedit extrinſecus, per illum accedit, quem nihilominus creauit, & quem regit atque ordinat inuiſibiliter Deus? Hinc iam in ipſum mundum velut in quamdam magnam arborem rerum oculus cogitationis attollitur, atque in ipſo quoque gemina operatio prouidentia reperitur partim Naturalis, partim Voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei adminiſtrationem, quæ etiam lignis, & herbis dat incrementum, voluntaria verò per angelorum opera, & hominum. Secũdum illam primam cæleſtia ſuperiùs ordinari, inferiùſque terreſtria, luminaria, ſideraque fulgere, diei, noctiſque vices agitari, aquis terram fundatã interlui, atque circumlui, aërem altiùs ſuperfundi, arbuſta, & animalia concipi, & naſci, creſcere, & ſeneſcere, occidere, & quidquid aliud in rebus interiori, naturalique motu geritur: In hac autem altera ſigna dari, doceri, & diſcere, agros coli, ſocietates adminiſtrari, artes exerceri, & quæque alia, ſiue in ſuperna ſocietate aguntur, ſiue in hac terrena atque mortali, ita vt bonis conſulatur, & per neſcientes malos: inque ipſo homine eandem geminam prouidentia vigere potentiam: primò erga corpus naturale ſcilicet eo motu quo fit, quo creſcit, quo ſeneſcit; voluntarium vero quoad victum, tegumentum, curationemque conſulitur.* Hucuſque D. Auguſt. Ex quibus liquet, duo eſſe rerum principia; naturam, & voluntatem; eaque ambo à Diuina prouidentia regi, promoueri, diſponi, atque etiam ſuperiori potentia impediri poſſe: Verum in ſuo curſu relicta Naturam neceſſariò operari, Voluntatem liberè, ac naturæ curſum diſponere poſſe, coadiuuare, & aliquatenns impedire hinc quæ à natura pure & abſque voluntatis adminiculo prodeunt, naturalia; quæ à ſola voluntate nihil ſubfamulante Natura, purè voluntaria: quæ verò à voluntate provt applicat actiua paſſiuis, impedimenta remouet, naturam ipſam ad operandum diſponit artificialia dicuntur Quod, & obſeruauit ipſemet Auguſtinus paulòpoſt ſubdens: *Sicut autem in arbore id quod agit agricultura forinſecus, vt illud proficiat, quod geritur* (à natura) *intrinſecus; ſic in homine ſecundum corpus, ei quod intrinſecus agit natura, ſeruit extrinſecus medicina: quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi incuria, hoc ad animam diſcendi ſegnitia. Et quod ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus victus exitiabilis, hoc ad animam perſuaſio iniquitatis.*

Porrò inter naturales cauſas principem ſibi locum vendicant corpora cæleſtia, quæ ſua vniuerſali potentia in omnia iſthæc ſublunaria agunt, ſuis influxibus producunt, 8.

conſeruant, immutant, alterant, perdunt: neque eorum actiuitas tolli vel impediri poteſt ab humana voluntate, aut ab vllis cauſis inferioribus, ſed tantum à Cauſa prima Deo; atque adeò vel ob id cæteris omnibus præſtant. Benè verò poteſt homo eorum naturam, qualitates, effectus, inalterabilem agendi vim callens excolere in ipſis inferioribus, applicare, præuertere, declinare, ſicut dixit Ptolemæus in Centiloquio *Verbo* 8, *Sapiens anima*, inquit, *confert cæleſti operationi, quemadmodum optimus Agricola arando, expurgandoque confert Naturæ.* Igitur non poteſt homo facere, vt Aſtra ſuos naturales virtutes non exerant, effectus ſibi proprios non producant, qualitates maleficas, aut beneficas, quibus intrinſecus potiuntur exuant, & contrarias induant, poteſt verò aliquatenus in cauſis inferioribus eas alterando, impediendo, aut etiam deſtruendo, ſicque totaliter eorum effectus præuertere.

9. Sic non poteſt homo vllo modo Eclipſim futuram impedire, neque effectus, inde naturaliter emanaturos: non poteſt, exempli gratia, æſtum nimium ex congreſſu ſolis, & Martis ſequuturum præuertere, niues, pluuias, ventos, aëris infectiones, &c. poteſt autem in naturis inferioribus, vt ædificando ſuper ſolum, ne herbas germinet, exſiccando ſtagna, ne aërem corrumpant; recidendo arbores ne fructus proferant. Sic etiam aſtris ſubfamulando eorum operationi conferre, vt ſubminiſtrare materiam, vel remouere, ſeſe contrà prauas ſiderum influentias præmunire, bonis ſubſternere, diſponere, & paſſibilem applicare tempore præuiſæ ſterilitatis (vt fecit Ioſeph Patriarcha) magnam frumenti vim in horrea comportare, in bonis ſiderum configurationibus terram excolere, maria exſulcare; in malis domi conſiſtere, atque à labore inutili abſtinere, &c. Concludam igitur cum iis quæ appoſitè ad hanc rem habet Kircherus in *Arte Magna Lucis & Vmbræ lib. 6. part. 3. cap. 2. Natura*, inquit, *duobus principiis regitur, natura, & voluntate: Natura ſubiecta eſt ſideribus, voluntas libera, & ideò effectus, & operationes purè naturales ſideribus planè obediunt tanquam cauſis neceſſariis, vt ſanitas, vel infirmitas; longa, vel breuis hominum vita, &c. alia quæ purè voluntaria, vt ſpeculari, docere, actus virtutum aut vitiorum: alia mixta, vt facere iter, comedere, &c. Vtrum autem iter commodum futurum ſit, necne, à ſideribus pendet, aeriſque conſtitutione. Si quis igitur perfectè cognoſceret influxus ſiderum corpori noſtro congruum, vel incongruum, haud dubiè de fortunato, vel infortunato itineris ſtatu certò*

*judicare poſſet: item de ſanitate, de morbo, &c. Item de ſucceſſu negotij cum principe. Verum cum hęc difficulter fieri poſſint, & ſcire, hinc electionum harum notitia, niſi experientiis fulciatur, vt plurimum fallax eſt.* Hæc Kircherus. Ex quibus patet quid ars, ſeu humanum ingenium, quid Natura poſſit, quidve homo ex rerum natura probè cognita aggredi poſſit, quid demum fruſtrà, quid etiam temerè aggrediatur.

Navbarach, ſiuè *Naubahàr* arab. idem ſonat, ac Nouenariæ Dominus. Vide in V. *Anaubarach.* 10.

Navis vulgò audit ſidus ad auſtralem plagam conſtans ſtellis 63. vt liquet ex accuratiſſimis nouorum Aſtronomorum obſeruationibus, omnibus ferè de natura Saturni, & Iouis, quorum præcipua eſt Canopus in temone conſiſtens primi honoris arab. *Rubail*, cui proximè accedit dicta Marcheb in medio ſcuti poſita. Hoc ſidus à Schillero immutatum fuit in Arcam Noë. Hebraicè autem dicitur *Sephina.* 11.

Nebolassid apud Fetzanos, Maroccenſes, cæteroſque Nubianos aſtrologos appellatur Cauda Leonis, ſtella fixa primæ magnitudinis, de qua ſatis dictum eſt ſuo loco. 12.

Nebvlosæ stellæ ſunt fixæ quædam obtuſo lumine, pallenti, & ſubobſcuro micantes: eò dictæ vel quia nebulas quaſdam ſpecie ſua præſeferunt, (quales præcipuè ſunt duæ magnæ & ſatis conſpicuæ ad polum Antarcticum) vel ſanè, quia nebulas generant, & cum ſole occidentes aerem nebuloſum reddunt, vt obſeruarunt Ptolemæus & Plinius, in Preſepi, exiſtente in pectore Cancri, in ea, quæ eſt in oculo Sagittarij, ſed præſertim videre eſt in ea, quæ ſequitur aculeum ſcorpij. Idque, vt obſeruat Titus lib. 1. cap. 12. quia earum nebuloſitas parem, & conſimilem effectum parit in hiſce inferioribus. Hinc etiam experientia compertum eſt, vt quandocumque cum Luminaribus in alicuius geneſi congrediantur, ſemper cæcitatem, nebulas, aut aliud vitium in oculis importent; quod ipſa naturalis ratio ſuadet, Nam earum lux valdè exilis, ac debilis eſt, ac proinde non mirum, ſi oculorum lucem adimant, aut obtundant, quando ipſis luminaribus, à quibus lumen in oculos deriuatur congreſſu fiant inſenſæ. 13.

Nemer hoc eſt Pardus hæbreorum lingua dicitur Lupus ſidus de quo alibi dictum. 14.

Neomenivm græcè idem valet, ac Nouilunium, de quo mox infrà. 15.

Nepa Ciceroni, & aliis idem eſt ac Scorpij ſidus fortè à 16.

Chelis dictum; eandem etiam ob rationem.

18. Nepa, Afrorum linguâ dicitur Cancer aliud ſidus, quod in nominibus ſæpe cum Scorpione confunditur.

19. Nescher, Hebraïcè dicitur Aquila.

20. Nigear, (teſte Iunctino in Sphæram Io: de Sacroboſco) apud Arabes ſcriptores dicitur axis Mundi, qui ad eiuſdem polos terminatur, & concipitur tranſire per centrum terræ, Vide in *V. Axis.*

21. Nigra, ſeù *Niger*, appellatur ſpecies quædam Cometæ nigri coloris, ſeù potiùs plumbei, & ſuboſcuri de natura, & conditione Saturni, ac proinde vt in colore, ita & in qualitatibus ei omninò perſimilis. Significat enim cum apparuerit anni inopiam, diuturnas locuſtas, & alia id genus animalia pernicioſa, peſtilentiam, febres chronicas, &c. Adducit etiam nebulas, nimbos, glacies, niues, & in hominibus Saturninis ſolitudinis, auſteritatis, inuidiæ, obſtinationis, auaritiæ incitamentum, & incrementum.

22. Nitach, Arab. ſeù potius Chaldaicè ſignficat Zodiacum, & circulum ſignorum. Vnde Alchabitius ita incipit librum ſuum, *Nitach, id eſt circulus ſignorum diuiditur in duodecim partes æquales, &c.* Vide quæ fuſius dicenda ſunt in *V. Zodiacus.*

23. Nitura, pro Genitura, ſeù Natalitio Themate per Apocopen ſæpiſſimè ab aliquibus vſurpatur. Vide *Iſidorum.*

24. Nocturnum ſignum, vel etiam Planeta denominatur in quo præponderant qualitates paſſiuæ, quales ſunt humiditas, & ſiccitas: ſicut è contrà Diurna dicuntur ſigna & planetæ in quibus abundant qualitates actiuæ: qua de re vide quæ diximus in *V. Diurnus.*

25. Nodi vocantur ab Aſtronomis interſectiones orbitarum ſolis, & ſingulorum planetarum latitudinem habentium, vbi videlicet orbitæ planetarum incidunt in Eclypticam in duobus punctis oppoſitis, & Nodus quidem boreus dicitur punctum in quo Planeta è latitudine auſtrali tranſit in borealem; Auſtrinus verò vbi à borea deſcendit ad Auſtrum. Qui etiam ex forma quam referunt caput, & cauda Draconis dicuntur; Item Attollens, ſeu euehens, atque deprimens. Vbi autem Planetæ maximam latitudinem habent appellatur venter Draconis, quia & hic in ventre latior eſt, quam in extremitatibus. Porrò Nodi iſti permutant locum in Zodiaco, quemadmodum ipſi Planetæ ſed gradiuntur contrà ſucceſſionem ſignorum. Et trium quidem ſuperiorum Nodi inſenſibiliter mouentur; inferiorum verò

non item, ſed ad ſingulos ferè minutum vnum, quinimò nodi Lunares ad ſua ferè minuta, vt patet in Ephemeridibus, ac tabulis ſecundorum mobilium.

Habent in Genethliacis nodi maximam ſignificationem quoad formam corporis, quam plerumque deturpant, ſi cum Luminaribus, vel infortunis fuerint reperti, præſertim in Angulis, & in ſignis detruncatis, vel curuis; qualia ſunt Aries, Taurus, Cancer, Scorpio, & Capricornus. Vnde Nati euadent gibbi, ſtrabi, claudi, contorti, vel quouis modo debilitati, vt habet Ptolemæus lib. 3. cap. 17. 271

NONA SPHÆRA communiter dicitur Primum Mobile, quod conſtituitur ſupra octauam ſphæram, ſeù Cælum ſtellarum, quod ſecum trahit omnes inferiores ſphæras ab oriente in occidentem curſu concitatiſſimo reuolutionem ſuam perficiens ſpatio ferè 24. horarum. Alij autem hanc nonam ſphæram admittunt diſtinctam à Primo mobili, quin, & Decimam, quas vocant librationis; ſeù trepidationis; quam in vident in Firmamento; obſeruarunt enim ipſum præter motum vniuerſalitatis, & proprium, moueri irregulariter ab ſeptentrione in Auſtrum, & ab Auſtro ad Septentrionem ſub coluro ſolſtitiorum primi mobilis, vltrò citróque: rurſus moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum ſub Ecliptica, & ſuper polos eiuſdem: Quare cum tot motus comperiantur in firmamento, atque in planetis, nec duos modò explicatos poſſe haberi dicant ex ſe, aut à primo mobili, ex vulgato illo axiomate corpus vnum ſimplex natura ſua vno tantum ſimplici motu moueri poſſe intrinſecè, ab extrinſeco verò pluribus, conſequenter, & hanc nonam ſphæram admittunt, quæ dat moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum ſuper polos Zodiaci per minuta 14. annorum 1716. vt dicunt ſpatio, & rurſus Decimam; quæ det moueri à ſeptentrione in Auſtrum ſub coluro ſolſtitiorum per minuta 24. ſpatio annorum 3432. Qua de re uide Clauium, & Blaneanum *in ſphæra mundi lib.* 18. *c.* 7. Ego vero hos motus diſtinctos, proindeque diſtinctas ſphæras admittere nullatenus poſſum, quoniã repugnat vnũ & idem nobile duobus motibus contrariis moueri, quo pacto eſſent huiuſmodi motus trepidationis, qui prorſus fictitij ſunt, & optimè ſaluantur apparentiæ ſiderum, irregularitates, &c. in ſola cæli fluxibilitate, & vnico tantum motu ab oriente in occidentem regulariter tamen irregulari ſecundum omnes cæli partes remotiores, & remotiores à prima virtute motrice. Vide quæ fusè diximus in V. *Motus*.

NOTA PELIOTES ventus eſt vnus ex quatuor intermediis 28.

Chelis dictum; eandem etiam ob rationem.

18. Nepa, Afrorum lingua dicitur Cancer aliud ſidus, quod in nominibus ſæpe cum Scorpione confunditur.

19. Nescher, Hebraïcè dicitur Aquila.

20. Nigear, (teſte Iunctino in Sphætam Io: de Sacroboſco) apud Arabes ſcriptores dicitur axis Mundi, qui ad eiuſdem polos terminatur, & concipitur tranſire per centrum terræ, Vide in *V. Axis.*

21. Nigra, ſeù *Niger*, appellatur ſpecies quædam Cometæ nigri coloris, ſeù potiùs plumbei, & ſuboſcuri de natura, & conditione Saturni, ac proinde vt in colore, ita & in qualitatibus ei omninò perſimilis. Significat enim cum apparuerit anni inopiam, diuturnas locuſtas, & alia id genus animalia pernicioſa, peſtilentiam, febres chronicas, &c. Adducit etiam nebulas, nimbos, glacies, niues, & in hominibus Saturninis ſolitudinis, auſteritatis, inuidiæ, obſtinationis, auaritiæ incitamentum, & incrementum.

22. Nitach, Arab. ſeù potius Chaldaicè ſignificat Zodiacum, & circulum ſignorum. Vnde Alchabitius ita incipit librum ſuum, *Nitach, id eſt circulus ſignorum diuiditur in duodecim parteſ æquales, &c.* Vide quæ fuſius dicenda ſunt in *V. Zodiacus*

23. Nitvra, pro Genitura, ſeù Natalitio Themate per Apocopen ſæpiſſimè ab aliquibus vſurpatur. Vide *Iſiderum.*

24. Noctnrnvm ſignum, vel etiam Planeta denominatur in quo præponderant qualitates paſſiuæ, quales ſunt humiditas, & ſiccitas: ſicut è contrà Diurna dicuntur ſigna & planetæ in quibus abundant qualitates actiuæ: qua de re vide quæ diximus in *V. Diurnus.*

25. Nodi vocantur ab Aſtronomis interſectiones orbitarum ſolis, & ſingulorum planetarum latitudinem habentium, vbi videlicet orbitæ planetarum incidunt in Eclypticam in duobus punctis oppoſitis, & Nodus quidem boreus dicitur punctum in quo Planeta è latitudine auſtrali tranſit in borealem; Auſtrinus verò vbi à borea deſcendit ad Auſtrum. Qui etiam ex forma quam referunt caput, & cauda Draconis dicuntur; Item Attollens, ſeu euehens, atque deprimens. Vbi autem Planetæ maximam latitudinem habent appellatur venter Draconis, quia & hic in ventre latior eſt, quam in extremitatibus. Porrò Nodi iſti permutant locum in Zodiaco, quemadmodum ipſi Planetæ ſed gradiuntur contrà ſucceſſionem ſignorum. Et trium quidem ſuperiorum Nodi inſenſibiliter mouentur; inferiorum verò non

non item, ſed ad ſingulos ferè minutum vnum, quinimò nodi Lunares ad ſua ferè minuta, vt patet in Ephemeridibus, ac tabulis ſecundorum mobilium.

Habent in Genethliacis nodi maximam ſignificationem quoad formam corporis, quam plerumque deturpant, ſi cum Luminaribus, vel infortunis fuerint reperti, præſertim in Angulis, & in ſignis detruncatis; vel curuis; qualia ſunt Aries, Taurus, Cancer, Scorpio, & Capricornus. Vnde Nati euadent gibbi, ſtrabi, claudi, contorti, vel quouis modo debilitati, vt habet Ptolemæus lib. 3. cap. 17. 271

NONA SPHÆRA communiter dicitur Primum Mobile, quod conſtituitur ſupra octauam ſphæram, ſeu Cælum ſtellarum, quod ſecum trahit omnes inferiores ſphæras ab oriente in occidentem curſu concitatiſſimo reuolutionem ſuam perficiens ſpatio ferè 24. horarum. Alij autem hanc nonam ſphæram admittunt diſtinctam à Primo mobili, quin, & Decimam, quas vocant librationis; ſeu trepidationis; quam in vident in Firmamento; obſeruarunt enim ipſum præter motum vniuerſalitatis, & proprium, moueri irregulariter ab ſeptentrione in Auſtrum, & ab Auſtro ad Septentrionem ſub coluro ſolſtitiorum primi mobilis, vltrò citróque: rurſus moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum ſub Ecliptica, & ſuper polos eiuſdem: Quare cum tot motus comperiantur in firmamento; atque in planetis, nec duos modò explicatos poſſe haberi dicant ex ſe, aut à primo mobili, ex vulgato illo axiomate corpus vnum ſimplex natura ſua vno tantum ſimplici motu moueri poſſe intrinſecè, ab extrinſeco verò pluribus, conſequenter, & hanc nonam ſphæram admittunt, quæ dat moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum ſuper polos Zodiaci per minuta 14. annorum 1716. vt dicunt ſpatio, & rurſus Decimam; quæ det moueri à ſeptentrione in Auſtrum ſub coluro ſolſtitiorum per minuta 24. ſpatio annorum 3432. Qua de re uide Clauium, & Blancanum *in sphæra mundi lib 18. c. 7.* Ego vero hos motus diſtinctos, proindeque diſtinctas ſphæras admittere nullatenus poſſum, quoniã repugnat vnũ & idem mobile duobus motibus contrariis moueri, quo pacto eſſent huiuſmodi motus trepidationis, qui prorſus fictitij ſunt, & optimè ſaluantur apparentiæ ſiderum, irregularitates, &c. in ſola cæli fluxibilitate, & vnico tantum motu ab oriente in occidentem regulariter tamen irregulari ſecundum omnes cæli partes remotiores, & remotiores à prima virtute motrice. Vide quæ fusè diximus in V. *Motus*.

NOTA PELIOTES ventus eſt vnus ex quatuor intermediis 28.

*ad conſeruationem ſpeciei, & alimento ad conſeruationem indiuidui: & propter hoc in iſtis inferioribus non inuenitur vita ſine anima vegetabili, ſed hoc non habet locum in incorruptibilibus*: & art. 1. *in reſponſione ad primum argumentum*, quo inferebatur omnium rerum naturalium proprium eſſe viuere; vltrò fatetur, quod *ſi totum vniuerſum corporale eſſet vnum animal, ita quod iſte motus eſſet amouente intrinſeco, vt quidam poſuerunt, ſequeretur, quod motus eſſet vita omnium naturalium corporum.* Similiter ratio ſenſus impertinens eſt ad vitam, & potius paſſio & imperfectio, quam perfectio. Ait enim Philoſophus, *in lib. de Somno, & Vigilia*, quod iis conuenit ſenſus, in quibus eſt triſtari, & gaudere, concupiſcere, & odiſſe: plantis autem nihil horum ineſſe, vnde conuenienter iis à Natura inditus non eſt ſenſus: ſupra quod D. Thomas in commento. *Complexio*, inquit, *plantarum in nutrimento, & augmento, & his ſimilia melius fiunt ſine ſenſu, quam cum ſenſu: ergo plantæ non habent ſenſum, cum natura ſemper faciat quod melius eſt.* Cùm igitur iſti gradus vitæ potius ſint imperfectiones, & defectus naturæ, quam perfectiones, & Sol, Aſtra, & mundus non indigeant generatione, & nutritione ad conſeruationem ſpeciei vel indiuidui, & adhuc non habeant aliquod ad ſui eſſe conducens, vel ad ſui eſſe contrarium, quod amore proſequi debeant, aut odio; iure illis à Natura neque ſenſu, neque vegetatione prouiſum, ſed ſolum vitâ quadam ſuperiore, quæ omnem vitam inferiorum eminenter contineat, & colligitur ex motu perfectiſſimo, qui eſt circularis, & ab intrinſeco, potens naturaliter in æuum protrahi, & motum cæteris viuentibus participare. Alioquin ſi gradus huiuſmodi vitæ, vegetatio inquam & ſenſatio abſolutè, & ſimpliciter dicerent rationem vitæ perfectiorem, quæ non in aliquo eminenter contineretur, poſſet etiam dici, quod vita hominis eſt perfectior vita Angeli, quia viuit, nedum intellectualiter, vt ille, ſed adhuc vita ſenſitiua, & vegetabili. Sicut igitur vita Angeli eſt perfectior vita hominis, etiamſi non ſit vegetabilis, & ſenſibilis, ita etiam vita Mundi eſt perfectior omnibus viuentibus inferioribus, atque adeo plantis, & animalibus, etiamſi ſenſum, & vegetationem non habeat. Qui quidem gradus vitæ in talibus viuentibus dicunt perfectionem, at non in ſuperioribus, quæ tali modo viuendi non indigent.

Igitur pro coronide huius nobiliſſimæ Controuerſiæ,
55. concludendum eſt; vniuerſum hoc vnum quid eſſe, per ſe

ſubſiſtens, ſua vniuerſali forma præditum, eâque ſubſtantiali, & perfectiſſimâ, quæ det quidem toti, cunctiſque eius partibus, atque animantibus vitam, non tamen ipſum mundum, aut præcipuas eius partes, nempe cælum, ſidera, elementa, animantes denominet: & quia ſenſu, & vegetatione carent, proindeque, vt ait Conc. Conſtantinop. omninò animantes non ſunt, Non tamen ex hoc ſequitur vitam Mundi præcipuarumque eius partium non eſſe cæteris viuentibus, etiam ipſo homine ſecundum gradus vegetationis, nutricationis, & ſenſationis, ſuperiorem, atque vniuerſaliorem; non autem ſecundum gradum intellectiui, in quo homo ſpiritualis eſt; ac minimè à cælorum influxibus pendet. Viuit ergo Mundus, cælum, ſidera, gradu quodam vitæ ſuperiore, cui profectò parem, aut ſimilem in inferioribus hiſce non ſit inuenire: ſed omnis ipſorum vitæ ratio, & gradus eminenter in vita mundi eſt, & ab ipſa tanquam vniuerſali, & æquiuoca cauſa deriuat; vnde eſt etiam virtus ad cauſandam hanc rerum varietatem. Et hoc, vt benè habet D. Th. 1. *part. q.* 105. *art.* 3 *inquantum hæc* (ſcilicet cæleſtia corpora) *vniuerſali virtute cōtinēt in ſe quidquid in inferioribus generatur & quia* (*vt paulò ante dixerat*) *quidquid in iſtis inferioribus generat. & mouet ad ſpeciem, eſt inſtrumentū cæleſtis corporis.* Igitur cæleſtia corpora ſunt cauſæ ſuperiores, ac principales vitæ, omniſque motionis inferiorum ad certas ſpecies: & quà talia in ſe ipſis eodem, ſed longè nobiliore gradu vitæ prædita ſint, neceſſe eſt.

MVNIR, ſeù, vt alij legunt, *Mumir*, Arabicè dicitur quaſi pupilla lucida Coronæ Gnoſſiæ, ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura veneris, & Mercurij, quā ob ſui pulchritudinē veriſque apperitionem quam ortu ſuo facit cæli pupillam, ſertum aperitionem que dixerunt. Vide fuſiùs in *V. Corona.* 96.

MVSATOR, dicitur à Cicerone ſagitta ſidus apud Aquilam conſtans ſtellis quinque de quibus vide in *V. Sagitta.* 97.

MVSCA, ſeù, *Apis* ſidus in cælo ad polum Antarcticum nobis inuiſum, & nuper à nouis Aſtronomis ad Auſtrales plagas appulſis cum aliis vndecim obſeruatum, continens quatuor ſtellas infimæ noiæ: Eſt nunc in longitudine ſub ſigno Scorpij incidens in ipſum Antarcticum circulum: Apud Indos *Muia.* 98.

MVSCIDA EQVI, Arabicè *Alpheratz*, vulguò dicitur ſtella fixa tertiæ magnitudinis in rictu Pegaſi exiſtens, de natura mixta Martis, Iouis, & Veneris de qua vide iam dicta in *V. Alpheratz.* 99.

MVSICA, vna eſt ex quatuor præcipuis Matheſis diuiſio- 100

nibus Arithmeticæ ſubalterna, facultas nempe, vt inquit Boëthius, quæ multitudine ad aliud relata rationes numerales concretas habet ad ſonos & voces. Dicta eſt à Græco verbo Mos, quod æquam rationem, atque harmoniam ſonat; vel potiùs à Muſis, quibus olim familiaris erat. Habet pro obiecto numerum ſeù quantitatem diſcretam prout ad alteram relatam: confert enim temporis momenta ad ſonorum modulos, & inde eos artificiosè nectit, & copulat, vt dulciſſima harmonia, atque ordinatiſſimum melos auribus noſtris inſonet. Eius nobilitatem vel inde licet colligere, quod in diuinis laudibus decantandis, Numineque propitiando, ab ipſo religionis exordio ad hæc vſque tempora religioſè ſit ſemper adhibita: vnde Iobi 38. dicitur: *Vbi eras quado ponebam fundamenta terræ: cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei?* Adeovt de ipſo Dite referant Fabulæ Poëtarum, quod ſit Orphei cantibus emollitus: Nec mirùm, cum eius ordo vt cæleſtis Hierarchiæ ſymbolum eſt, ita & inferis illatus vbi nullus ordo eſt, ſed confuſio, eorum conditionem anteuertere ſatis eſt. Porrò quanta ſit Muſices efficacia in immutandis affectibus, ac paſſionibus animi mitigandis, luculenter explicat Seneca: Caſſiodorus, & Auguſtinus, qui lib. contra Iulianum, Ciceronis teſtimonium adducens, refert Pithagoram ſpondeùm in ſono canentem tarditare modorum, & grauitate cantus furentem aliquorum iuuenum petulantiam abegiſſe: & iure quidem, nam ars hæc ita animas ſibi reddit intentas, vt quemadmodum loquitur Caſſiodorus,) nil àliud cogitare poſſint; ſed depoſita omni cura mentis induant grauitatem.

Hinc ob diuerſas animorum commotiones, quas ſuis mo-
101 dulis ſuſcitare poteſt Diuina iſthæc facultas, quatuor melodiæ ſpecies diſtinxit Philoſophus ad diuerſos affectus tendentes- *Miſtolidiſcam*, quæ ad compaſſionem mouet; *Lidiſcam*, quæ animos emollit ad concupiſcentiam: *Doriſcam*, quæ mentem erigit ad fortitudinem, atque virilitatem: & *Frigiſcam*, quæ rigidior cæteris incitat ad dura conſilia, promouetque ſeueritatem. Habet etiam tonos, diuerſaſque conſonantiarum diſſonantiarumque rationes, quas Diateſſeron, Diapente, Diapaſon appellant: ac ſimiliter tria melorum genera Diatonicum, Chromàticum, Enharmonicum, de quibus omnibus, aliiſque Muſices diuiſionibus, vide Ficinum in Platonis Conuiuio *Orat. 3. cap. 3.* Guidonem, & Iacobum Fabrum in Elemen. Muſic. *lib. 3. & 4* Nobis eas tetigiſſe ſufficiat.

MVTA SIGNA ſunt quæ præſeferunt figuram Animalium voce carentium, qualia ſunt Cancer, Scorpio, & Piſces: ſicut econtrà vocem habentia perhibentur eſſe tum humana, Gemini, Virgo, Libra, Sagittarius, & Aquarius, tum ferina, quæ etiam raucà dicuntur, brutorum videlicet vocalium formam habentia, vt Aries, Taurus, Leo, Capricornus. Horum maxima conſideratio habetur in Genethliacis, quoad vitia, & impedimenta linguæ, de qua re Ptolemæus lib. 3. Quadrip. cap. 17. 102

MVTATIT arab. idem ſonat ac latinè agglutinatus; cum videlicet Planeta ita eſt alteri iunctus, vt nec in minuto quidem aberret. Hoc vocabulo frequenter vtitur Ptolemæus in Quadrip. ex verſione arabica, & Hali eius commentator. 103

MVTATLVM arab. Vide in V. *Motlatum.* 104

MVTILATA SIGNA ſunt quæ membrum aliquod ſeu etiam corpus mutilum repræſentant, vt Taurus, Equi ſectio, Caput Meduſæ, quæ quidem, vt benè obſeruat Titus in Cæleſti Philoſophia *lib. 2. cap. 3.* hanc habent naturam & influendi vim, vt ferè ſemper inducant membrorum inciſionem, ſi Vitæ moderatoribus infeliciter ſe habentibus in Natali, per directionem poſteà miſceantur. Hinc Ptolemæus in *Quadrip. lib. 4. cap.* 10 vbi de genere mortis agit, *In ſignis mutilis*, inquit, *aut quorum figurà ſunt imperfecta, aut circà caput Meduſa Mars ſignificat capite truncandos, aut membris mutilandos.* Quod D. Thomas obſeruauit *opuſc.* 28. *art* 3. dicens, *quod ſtella illa funerea ſunt, & monſtruoſam indicant vita terminationem.* Vide quæ diximus in V. *Gorgonis caput.* 105

## N.

NABLON SCHALIAF ſeù etiam *Neſcuſſackat* teſte ſchiechardo Chaldaicè dicitur Lyra ſidus in Cœlo, de quo ſæpius dictum eſt. 1.

NAASCH LAAZAR hoc eſt *Feretrum Lazari* dicitur apud Chriſtianos arabes Plauſtrum, vt teſtatur Kircherus in Oedipo, eo quod non minus plauſtrum, quam Feretrum repræſentare videantur ſtellæ quatuor magis conſpicuæ in Vrſa, quæ quatuor plauſtri rotas effingunt. Schillerus autem, qui ex hoc occaſionem ſumpſit omnes cœleſtes imagines transmutandi, atque ex Diuorum nominibus appellandi, hoc ipſum Aſtrum vocat Petri Nauiculam. 2.

NADIR apud Arabes ſignificat punctum Cæli ſub terra oppoſitum diametraliter vertici capitis noſtri, quod ipſi pariter gentili ſuo vocabulo Zenith appellant: itavt ambo ſint 3.

veluti poli horizontis, & diſtent ab eodem hinc inde gr. 90. ac proinde neceſſario incidant in ipſum meridianum, Zenith quidem ſuprà terram, Nadir autem ſub terra. Et quam propoſitionem vnum eorum habeat ad æquatorem & alterum polorum Mundi, eandem vice verſa habeat alterum ad oppoſitum polum, & aduerſam æquatoris partem.

4. Nahar, Alcharner teſte Kirchero in Oedipo arabice dicitur Fluuius Eridanus ſidus ad auſtralem plagam conſtans ſtellis triginta tribus, de quo plura diximus ſuo loco.

5. Naris Ceti ſeù etiam *Mandibula Ceti* vulgò dicitur ſtella fixa ſecundæ magnitudinis valdè præſignis, de natura Saturni, exiſtens in rictu Ceti; atque in longitudine ſub gr. 10. Tauri arab. dicta *Menchar.*

6. Nativitas, Natalitium thema, ſeù etiam Natiuitatis figura dicitur vulgò apud Aſtrologos conſtitutio Cæli erecta ad punctum Natiuitatis alicuius hominis, aut etiam initium alicuius rei. Quale autem dicendum ſit verum punctum Natiuitatis, diſputatum eſt luculenter in V. *Geneſis.*

7. Natura, etſi ſecundum varias acceptiones plura ſignificet, quæ ad noſtrum inſtitutum non pertinent, primo tamen loco, & ex ſui notione appellat generationem viuentium ex inſita ſibi à Creatore vi naturaliter, hoc eſt nullatenus alterata, conſtituto ſibi primitùs ordine prodeuntium: vnde dicta eſt Natura quaſi *Naſcitura*, græcis autem expreſſiore vocabulo *Phyſis* & naturale dicitur quidquid non violentè, non caſu, non artificiosè, non denique præter naturæ curſum emanat. Adeo vt iam Naturæ nomine proprie, & vniuerſaliſſimè veniat congeries illa cauſarum ſecundarum, ex indita ſibi à Creatore virtute neceſſariò operantium, quæ ſui varietate pulcherrimum hunc rerum ordinem conſtituunt, atque à Deo ita præordinatæ ſunt, vt nulla vi, nullo planè artificio, nullo humanæ voluntatis adminiculo ex ſe ſuos effectus promant, ac naturali ordine progrediantur: cuius admirabilem curſum demirans D. Auguſt. lib. 8. in Geneſim. *Quod enim*, inquit *maius*, *mirabiliuſque ſpectaculum eſt*, *aut vbi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui poteſt*, *quam cùm poſitis ſeminibus*, *plantatis ſurculis*, *translatis arbuſtulis*, *inſitis malleolis*, *tanquam interrogatur quæque vis radicis & germinis*, *quid poſſit*, *quidve non poſſit; vnde poſſit*, *vnde non poſſit? quid in ea valeat numerorum inuiſibilis*, *interiorque potentia*, *quid extrinſecùs adhibita diligentia*, *inque ipſa conſideratione perſpicere*, *quia neque qui plantat eſt aliquid*, *neque qui rigat*, *ſed qui incrementum dat Deus: quia & illud*

*operis, quod accedit extrinſecus, per illum accedit, quem nihilominus creauit, & quem regit atque ordinat inuiſibiliter Deus? Hinc iam in ipſum mundum velut in quamdam magnam arborem rerum oculus cogitationis attollitur, atque in ipſo quoque gemina operatio prouidentiæ reperitur partim Naturalis, partim Voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei adminiſtrationem, quæ etiam lignis, & herbis dat incrementum, voluntaria verò per angelorum opera, & hominum. Secũdum illam primam cæleſtia ſuperiùs ordinari, inferiùſque terreſtria, luminaria, ſideraque fulgere, diei, noctiſque vices agitari, aquis terram fundatã interlui, atque circumlui, aërem altiùs ſuperfundi, arbuſta, & animalia concipi, & naſci, creſcere, & ſeneſcere, occidere, & quidquid aliud in rebus interiori, naturalique motu geritur: In hac autem altera ſigna dari, doceri, & diſcere, agros coli, ſocietates adminiſtrari, artes exerceri, & quæque alia, ſiue in ſuperna ſocietate aguntur, ſiue in hac terrena atque mortali, ita vt bonis conſulatur, & per neſcientes malos: inque ipſo homine eandem geminam prouidentiæ vigere potentiam: primò erga corpus naturale ſcilicet eo motu quo fit, quo creſcit, quo ſeneſcit; voluntarium vero quoad victum, tegumentum, curationemque conſulitur.* Hucuſque D. Auguſt. Ex quibus liquet, duo eſſe rerum principia; naturam, & voluntatem; eaque ambo à Diuina prouidentia regi, promoueri, diſponi, atque etiam ſuperiori potentia impediri poſſe: Verum in ſuo curſu relicta Naturam neceſſariò operari, Voluntatem liberè, ac naturæ curſum diſponere poſſe, coadiuuare, & aliquatenus impedire hinc quæ à natura pure & abſque voluntatis adminiculo prodeunt, naturalia; quæ à ſola voluntate nihil ſubfamulante Natura, purè voluntaria: quæ verò à voluntate provt applicat actiua paſſiuis, impedimenta remouet, naturam ipſam ad operandum diſponit artificialia dicuntur Quod, & obſeruauit ipſemet Auguſtinus paulò poſt ſubdens: *Sicut autem in arbore id quod agit agricultura forinſecus, vt illud proficiat, quod geritur* (à natura) *intrinſecus; ſic in homine ſecundum corpus, ei quod intrinſecus agit natura, ſeruit extrinſecus medicina: quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi incuria, hoc ad animam diſcendi ſegnitia. Et quod ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus victus exitiabilis, hoc ad animam perſuaſio iniquitatis.*

Porrò inter naturales cauſas principem ſibi locum vendicant corpora cæleſtia, quæ ſua vniuerſali potentia in omnia iſthæc ſublunaria agunt, ſuis influxibus producunt, 8.

conſeruant, immutant, alterant, perdunt: neque eorum actiuitas tolli vel impediri poteſt ab humana voluntate, aut ab vllis cauſis inferioribus, ſed tantum à Cauſa prima Deo; atque adeò vel ob id cæteris omnibus præſtant. Benè verò poteſt homo eorum naturam, qualitates, effectus, inalterabilem agendi vim callens excolere in ipſis inferioribus, applicare, præuertere, declinare, ſicut dixit Ptolemæus in Centiloquio *Verbo* 8, *Sapiens anima*, inquit, *confert cælesti operationi, quemadmodum optimus Agrico'a arando, expurgandoque confert Naturæ.* Igitur non poteſt homo facere, vt Aſtra ſuos naturales virtutes non exerant, effectus ſibi proprios non producant, qualitates maleficas, aut beneficas, quibus intrinſecus potiuntur exuant, & contrarias induant, poteſt verò aliquatenus in cauſis inferioribus eas alterando, impediendo, aut etiam deſtruendo, ſicque totaliter eorum effectus præuertere.

9. Sic non poteſt homo vllo modo Eclipſim futuram impedire, neque effectus, inde naturaliter emanaturos: non poteſt, exempli gratia, æſtum nimium ex congreſſu ſolis, & Martis ſequuturum præuertere, niues, pluuias, ventos, aëris infectiones, &c. poteſt autem in naturis inferioribus, vt ædificando ſuper ſolum, ne herbas germinet, exſiccando ſtagna, ne aërem corrumpant; recidendo arbores ne fructus proferant. Sic etiam aſtris ſubſamulando eorum operationi conferre, vt ſubminiſtrare materiam, vel remouere, ſeſe contrà prauas ſiderum influentias præmunire, bonis ſubſternere, diſponere, & paſſibilem applicare tempore præuiſæ ſterilitatis (vt fecit Ioſeph Patriarcha) magnam frumenti vim in horrea comportare, in bonis ſiderum configurationibus terram excolere, maria exſulcare; in malis domi conſiſtere, atque à labore inutili abſtinere, &c. Concludam igitur cum iis quæ appoſitè ad hanc rem habet Kircherus in *Arte Magna Lucis & Vmbræ lib. 6. part. 3. cap. 2. Natura*, inquit, *duobus principiis regitur, natura, & voluntate: Natura ſubiecta eſt ſideribus, voluntas libera, & ideò effectus, & operationes purè naturales ſideribus planè obediunt tanquam cauſis neceſſariis, vt ſanitas, vel infirmitas; longa, vel breuis hominum vita, &c. alia quæ purè voluntaria, vt ſpeculari, docere, actus virtutum aut vitiorum: alia mixta, vt facere iter, comedere, &c. Vtrum autem iter commodum futurum ſit, necne, à ſideribus pendet, aeriſque conſtitutione. Si quis igitur perfectè cognoſceret influxus ſiderum corpori noſtro congruum, vel incongruum, haud dubiè de fortunato, vel infortunato itineris ſtatu certò*

*iudicare poſſet: item de ſanitate, de morbo, &c. Item de ſucceſſu negotij cum principe. Verum cum hęc difficulter fieri poſſint, & ſciri, hinc electionum harum notitia, niſi experientiis fulciatur, vt plurimum fallax eſt.* Hæc Kircherus. Ex quibus patet quid ars, ſeu hůmanum ingenium, quid Natura poſſit, quidve homo ex rerum natura probè cognita aggredi poſſit, quid demum fruſtrà, quid etiam temerè aggrediatur.

NAVBARACH, ſiuè *Naubahàr* arab. idem ſonat, ac Nouenariæ Dominus. Vide in V. *Anaubarach.* 10.

NAVIS vulgò audit ſidus ad auſtralem plagam conſtans ſtellis 63. vt liquet ex accuratiſſimis nouorum Aſtronomorum obſeruationibus, omnibus ferè de natura Saturni, & Iouis, quorum præcipua eſt Canopus in temone conſiſtens primi honoris arab. *Rubail*, cui proximè accedit dicta Marcheb in medio ſcuti poſita. Hoc ſidus à ſchillero immutatum fuit in Arcam Noë. Hebraicè autem dicitur *Sephina.* 11.

NEBOLASSID apud Fetzanos, Marocenſes, cæteroſque Nubianos aſtrologos appellatur Cauda Leonis, ſtella fixa primæ magnitudinis, de qua ſatis dictum eſt ſuo loco. 12.

NEBVLOSÆ STELLÆ ſunt fixæ quædam obtuſo lumine, pallenti, & ſuboſcuro micantes: eò dictæ vel quia nebulas quaſdam ſpecie ſua præſeferunt, (quales præcipuè ſunt duæ magnæ & ſatis conſpicuæ ad polum Antarcticum) vel ſanè, quia nebulas generant, & cum ſole occidentes aerem nebuloſum reddunt, vt obſeruarunt Ptolemæus &, Plinius, in Preſepi, exiſtente in pectore Cancri, in ea, quæ eſt in oculo Sagittarij, ſed præſertim videre eſt in ea, quæ ſequitur aculeum ſcorpij. Idque, vt obſeruat Titus lib. 1. cap. 12. quia earum nebuloſitas parem, & conſimilem effectum parit in hiſce inferioribus. Hinc etiam experientia compertum eſt, vt quandocumque cum Luminaribus in alicuius geneſi congrediantur, ſemper cæcitatem, nebulas, aut aliud vitium in oculis importent; quod ipſa naturalis ratio ſuadet, Nam earum lux valdè exilis, ac debilis eſt, ac proinde non mirum, ſi oculorum lucem adimant, aut obtundant, quando ipſis luminaribus, à quibus lumen in oculos deriuatur congreſſu fiant infenſæ. 13.

NEMER hoc eſt Pardus hæbreorum lingua dicitur Lupus ſidus de quo alibi dictum. 14.

NEOMENIVM græcè idem valet, ac Nouilunium, de quo mox infrà. 15.

NEPA Ciceroni, & aliis idem eſt ac Scorpij ſidus fortè à 16.

non item, ſed ad ſingulos ferè minutum vnum, quinimò nodi Lunares ad ſua ferè minuta, vt patet in Ephemeridibus, ac tabulis ſecundorum mobilium.

Habent in Genethliacis nodi maximam ſignificationem 271 quoad formam corporis, quam plerumque deturpant, ſi cum Luminaribus, vel infortunis fuerint reperti, præſertim in Angulis, & in ſignis detruncatis, vel curuis; qualia ſunt Aries, Taurus, Cancer, Scorpio, & Capricornus. Vnde Nati euadent gibbi, ſtrabi, claudi, contorti, vel quouis modo debilitati, vt habet Ptolemæus lib. 3. cap. 17.

N[o]NA SPHÆRA communiter dicitur Primum Mobile, quod conſtituitur ſupra octauam ſphæram, ſeù Cælum ſtellarum, quod ſecum trahit omnes inferiores ſphæras ab oriente in occidentem curſu concitatiſſimo reuolutionem ſuam perficiens ſpatio ferè 24. horarum. Alij autem hanc nonam ſphæram admittunt diſtinctam à Primo mobili, quin, & Decimam, quas vocant librationis; ſeù trepidationis; quam in vident in Firmamento; obſeruarunt enim ipſum præter motum vniuerſalitatis, & proprium, moueri irregulariter ab ſeptentrione in Auſtrum, & ab Auſtro ad Septentrionem ſub coluro ſolſtitiorum primi mobilis, vltrò citróque: rurſus moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum ſub Ecliptica, & ſuper polos eiuſdem: Quare cum tot motus comperiantur in firmamento; atque in planetis, nec duos modò explicatos poſſe haberi dicant ex ſe, aut à primo mobili, ex vulgato illo axiomate corpus vnum ſimplex natura ſua vno tantum ſimplici motu moueri poſſe intrinſecè, ab extrinſeco verò pluribus, conſequenter, & hanc nonam ſphæram admittunt, quæ dat moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum ſuper polos Zodiaci per minuta 14. annorum 1716. vt dicunt ſpatio, & rurſus Decimam; quæ det moueri à ſeptentrione in Auſtrum ſub coluro ſolſtitiorum per minuta 24. ſpatio annorum 3432. Qua de re uide Clauium, & Blancanum *in ſphæra mundi lib* 18. *c.* 7. Ego vero hos motus diſtinctos, proindeque diſtinctas ſphæras admittere nullatenus poſſum, quoniã repugnat vnũ & idem nobile duobus motibus contrariis moueri, quo pacto eſſent huiuſmodi motus trepidationis, qui prorſus fictitij ſunt, & optimè ſaluantur apparentiæ ſiderum, irregularitates, &c. in ſola cæli fluxibilitate, & vnico tantum motu ab oriente in occidentem regulariter tamen irregulari ſecundum omnes cæli partes remotiores, & remotiores à prima virtute motrice. Vide quæ fusè diximus in V. *Motus.*

NOTA PELIOTES ventus eſt vnus ex quatuor intermediis 28.

X

æquè ſpirans inter meridiem, & ortum, aliis *Euronotus* dictus à noſtris vulgò *Syrouus*, eo quod per mediam ſyriam tranſeat, opponitur directè Borrolybico, ſeu Magiſtrali. Eius qualitas eſt valdè debilis, & ſilens, humidior tamen quam in Euro, & ſæpè in auſtri naturam degenerat; quilicet pluuiam non afferat, facit tamen tempus valdè turbidum, aquoſum, & replet aërem caligine, atque obſcuritate. Excitati ſolet hic ventus à ſole exoriente cum ſtellis fixis ſitis in cornu, & cauda Arietis, in nexu, & Ventre Piſcium, Fornaham, Vmbilico Andromedæ, & quæ ſunt in Cæto. Similiter à Mercurio, (qui ventorum generalis eſt motor) congrediente cum dictis ſtellis, atque inſuper cum Lyra, Scheat, Pleiadibus, Lucida Hidræ, Hebuloſa in oculo Sagittarij, ac denique tribus ſtellis exiſtentibus in fronte Scorpij. Plura de eius natura, & qualitatibus vide apud Vitruuium *lib. 1 cap. 6.*

29. Notolibicvs eſt item Ventus alius intermedius ſpirans ex æquo inter meridiem, & occaſum, oppoſitus Meſe, ſeu Borrhapelioſi: apud nos vulgò Libeuius, ſeù Garbinus dicitur, eo quod acer ſit, & peruerſæ naturæ, tum etiam quia tempus ſerenum in turbidum, ac pluuioſum ſemper conuertit. Natura ſua eſt humidus, morboſus, tempeſtuoſus præſertim verò Liguſtico mari infenſus.

30. Nótvs græcè idem quod Auſter Ventus vnus ex quatuor cardinalibus ſpirans à puncto meridiei oppoſitus directè ſeptentrioni. Eſt de natura ſua calidus, & humidus morboſus, noxius (vnde & nomen à nocendo hauſit) & ſolet morbos multos excitare, vt febres putridas, pleuritides, &c. & ſi diù abſque interpolatione ſpirauerit inducere ſolet peſtilentiam, vt ſæpius obſeruatum eſt, & refert Abraham Gorlnitz in compendio Geographico. Ratio autem naturalis eſt, quia corpora per ipſum efficiuntur humida, & calida, atque ob id putredini maximè obnoxia: vnde exurgit peſtis, quæ aliud planè non eſt quam corruptio ſanguinis circa cor. Hinc Ouidius.

*Letiferis calidi ſpirarunt æſtibus auſtri.*

Flare ſolet potiſſimum in occaſu veſpertino Arctori, Pleiadum, atque Sirij; nec non in occaſu matutino Hyadum, & Coronæ Gnoſſiæ: quo tempore, inquit Plinius lib. 18. c. 33. *Materiam, vineamque, agricola ne tractes: humidus, & æſtuoſus Italia eſt: Africæ quidem incendia cum ſerenitate affert.* cuius rei rationem reddidimus in V. Auſter. Idem teſtatur *in lib. 2. cap. 45.* huic vento eſſe rupem quamdam in Cyrenaica prouincia ſacram, quam profanum ſit attrectare ho-

minis manu, confeſtim auſtro voluente arenas. Vide adhuc quæ diximus in dicto verbo *Auſter*.

Notivs Pisci ,ſeu *Auſtrinus* dicitur ſidus in cœlo ad Auſtralem plagam piſcis magni figuram præſeferens atque ambitu ſuo complectens ſtellas duodecim omnes ferè de natura Saturni, vel Veneris, quarum præcipua eſt quæ in ore, & eſt eadem quæ in vltima effuſione aquæ Aquarij dicta *Fornahand* primæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij. Hoc ſidus in Horoſcopo, inquit Pontanus; facit eximium natatorem & venatorem. In occaſu verò mortem indicit in aquis, aut per belluarum ingluuiem. Propè ipſum ſunt aliquot ſporades de natura item Saturni. 314

Novenariæ quid ſint, & quis earum Dominus Vide in V. *Anaubarach*. 320

Novilvnivm dicitur tempus illud, quo Luna ſilet, eſtque in coniunctione ſolis, eo quia vetere decedente,noua quaſi ſuccedit. Eius momentum ſi quis obſeruare volet, videbit planè in lixiuio, vel etiam in aqua cuius plenum ſit vas vitreum, aut argenteum, atque in fundo vaſis conſiſtant quieti cineres oleæ, vel vitis: Nam cum primum Luna Solis diametrum intrat, mox cineres ex ſeipſis exiliunt, turbant aquam, & in gyrum vertuntur, nec ad priſtinam quietem redeunt, quoad vſque Luna perfectè de diſco ſolis exierit: quod ego ſemel & iterum obſeruaui. 331

Dies etiam Nouilunij artificiosè per numeros, & Epactam facile internoſci poterit. Quandoquidem, ſi Epactæ currenti numerum Calendarum ac dierum qui à Martio præterito vſque ad præſentem diem effluxerunt, adieceris; atque à 30. (quæ integra Lunario eſt) numerum productum detraxeris, relinquetur numerus dierum, poſt quos celebrabitur Luminarium ſynodus. Quodſi productus numerus tricenarium exceſſerit, tunc deme ab eo triginta,& quod ſupereſt rurſus à triginta ſubtrahe, & mox Nouilunij dies emerget. 344

Nox dicitur tempus illud, quo ſol inferius hemiſphærium luſtrat à cardine occidentis per Imum Cæli ad Cardinem Orientis tendens: ſicut econtrà dies eſt cum ſol emergit ex horizonte, & graditur per Medium Cæli ad Occidentem, quovſque in ipſum mergatur. Eius porrò quantitatem metitur arcus æquatoris nocturnus, ſicut & diei diurnus, qui inter vtrumque cardinem intercipitur, aut ſub terra, aut ſuprà terram, accepta pro ſingulis quindenis gradibus integra hora. Et nox quidem diuiditur in ſeptem ſpatia, quæ ſunt Veſper, Crepuſculum, Conticinium, In- 356

tempeſtum, Gallicinium, Matutinum, & diluculum, ſiuè Aurora. *Veſper* eſt ea pars, quæ complectitur modicum illud tempus, quo ſol horizontem occiduum radit, & adhuc in aliqua ſui parte conſpicuus eſt. *Crepuſculum* eſt totum illud tempus quo ſol conſiſtit citrà lineam crepuſculinam, quod ſpatium ſe extendit ad 18. gradus infrà horizontem, & hac linea creſpuculina clauditur, in quo proinde ſpatio lucem illam ſubobſcuram tranſmittit ad ſuperius hemiſphærium quam nos creſpuculum vocamus. Inde ſequitur *Conticinium*, & eſt obſcurum noctis in quo ſolent omnes conticeſcere, & cubare. Poſt conticinium ſequitur *Intempeſtum*, quod eſt medium noctis, quando ſol poſſidet Cardinem Imi Cæli: Intempeſtum ſubſequitur *Gallicinium* quod eſt ſpatium temporis, quo galli gallinacei primum cantare incipiunt. Deinde inſtat *Matutinum* ſeu Matutinum Crepuſculum, quando ſol intrat lineam crepuſculinam, & facit iterum ſuboſcuram lucem. Tandem ſubintrat *Diluculum* quando eſt iam clara dies, & Aurora; ſed tamen ſol adhuc ex inferioti hemiſphætio non emerſit,

36. Nubes aliud planè non eſt, quam vapor vi ſiderum ex inferioribus hiſce in ſecundam aëris regionem attractus, atque addenſatus vt habet Ariſt. 1. *Meteor. c.* 9 qui ſi in aquas reſoluatur dicitur pluuia, nimbus, imber, pro qualitate decidentium guttarum; ſi vero terris incubet, nec ob raritatem, vel exhalationum admixtarum multitudinem, valeat in pluuiam reſolui dicitur nebula, & caligo, quæ poſteà à ſolis radiis, vel à ventis diſſoluitur, & diſſipatur.

37. Numervs definiri ſolet communiter eſſe *Vnitatum collectionem*, ſeu *ex vnitatibus compoſitam multitudinem*: ita vt vnitas ipſa numerus non dicatur, ſed initium numeri. Eſt obiectum Arithmeticæ, quatenus eius paſſiones, proportiones, ordinem, atque vnius ad alterum habitudinem conſiderat. Hinc apud græcos rythmus appellatur, quod proportionem, & harmoniam ſonat: Apud veteres non niſi ad ſummam centum millium pertingebat, vt author eſt Plinius *lib.* 33. *cap* 10. Verum hodie vſque in infinitum protrahi poteſt arte, & præceptis huius verè Angelicæ diſciplinæ, quæ Angelorum hierarchico numero primum inuenta creditur, atque Angelorum miniſterio, vt ex ſacris paginis habetur, paſſim hominibus inſinuata. Egit de numerorum myſteriis ſparſim in ſuis operibus Auguſtinus, præſertim tom. 3. & 4. Eorumque miram proportionem, proceſſum, vim, qualitatem, diuiſionem luculenter explicat Marſilius Ficinus in expoſitione numeri nuptialis Reipubli-

ex Platonis ; atque integro volumine idem argumentum proſequitur Petrus Bongus diligentiſſimus ſcriptor. Nobis hæc tetigiſſe ſufficiat. Vide quæ de numerorum proportionalitate dicemus in Verbo *Proportionalitas*.

## O.

OBEDIENTIA SIGNA communiter apud Aſtronomos appellãtur ea Antiſciorum genera, quæ cum aliàs æqualiter diſtent ab æquatore, atque eandē numero declinationem habeant, ipſa nihilominus deflectunt ad Auſtrum aliis ſibi pari potentia reſpondentibus, ad boream declinantibus, quæ proinde imperantia audiunt, eo quia ratione ſitus & regionis, qua ſuper alia eleuantur iſta videntur quodammodo imperare, illa obedire, atque iſtis ſubfamulari. Vide quæ fuſius de hac re diximus in V. *Imperantia ſigna*. 1.

OBIACULARI, teſte Valla, dicitur apud Aſtronomos ſtella aliam ſtellam ſibi ſuccedentem ſecundum ordinem ſignorum reſpiciens aliquo radio ; cum videlicet in tanta ab ea diſtantia ponitur, vt inde à ſiniſtris aliquem radium immittere ac iaculari poſſit in aliam : vt ſtella, quæ verbi gratia eſt in Ariete ferit eam quæ in Sagittario triangulari aſpectu ; eam quæ in Capricorno, quadrato, eam quæ in Aquario ſextili, &c. 2.

OBLIQVA ASCENSIO, *ſphæra*, &c. Vide in VV. *Aſcenſio*, *Sphæra*, &c. 3.

OBLIQVVS ANGVLVS apud Geometras audit qui conſtat ex duabus lineis curuis, aut ſanè vna recta aut altera curua. Qua de re vide Clauium in Elementa Euclidis. 4.

OBLIQVVS CIRCVLVS vide *Zodiacus*. 5.

OBLIQVA SIGNA dicuntur quæ obliquè emergunt ex horizonte hoc eſt, quibuſcunt minor portio æquatoris aſcendit : vnde conſequens eſt, vt obliquiùs quam æquator aſcendat ille arcus Zodiaci, qui talia ſigna complectitur. Recta verò appellantur quæ aſcendunt rectè, rectiùs inquam quàm æquatoris arcus illis reſpondens, quæ profectò maiori ſemper cum graduum portione quam ipſe æquator aſcendant neceſſe eſt. Porrò quæ ſigna obliquè aſcendunt, rectè poſtea cadunt, quia minor portio æquatoris cum illis deſcendit : quæque rectè aſcendunt, deſcendunt poſtea obliquè. Qua de re extant verſiculi id breuiter explicantes, 6.

*Rectà meant, obliquè cadunt à Sidere Cancri*
*Donec finitur Chiron : ſed cætera ſigna*

*Naſcuntur prono, deſcendunt tramite recto.*

7. Obliqvatio Planetæ, teſte Abraham Auenarre, & infirmitas, & defectio virium illi accidens in ſitu Mundi, cum videlicet repertus fuerit in domibus cadentibus, Nona, Tertia Sexta, & Duodecima; ſed in his poſtremis longè grauiùs debilitatur: quod quidem in Infortunis bonum eſt, minus quippe noxiæ ſunt; Et inde forte euaſit, vt Saturnus dicatur gaudere in Duodecima, Mars in Sexta, ibi ſiquidem benè quoad nos locantur.

8. Obscuræ stellæ audiunt, quæ lumine obtuſo, & ſubobſcuro præditæ ſunt; quales in Sectione equi quatuor, totidem circa Helicen, & vna antecedens caput Meduſæ. Harum effectus, vt diximus cum de Nebuloſis, ſuis cauſis aſſimilantur; atque adeò prodibunt obſcuri, tenebroſi, &c. Cum enim Aſtra agant per lumen, qualis erit huius affectio, tale etiam eſſe dabunt effectibus.

9. Obsessio eſt paſſio contingens Planetæ quando à duobus præſertim contrariæ naturæ, Medius intercipitur, & vallatur, abſque aliorum aſpectu, & fulcimento Quæ quidem paſſio, ſi bonis planetis ab infortunis obuenerit, peſſima eſt, ſi à fortunis optima: ſi demum malefico à fortunis contigerit, eius vires funditus infringuntur, abſque tamen, vel ſaltem leui beneficiarum repaſſione, ac iactura.

10. Obtvsvs Angvlvs. Vide in V. *Angulus.*

11. Occidens apud Aſtronomos dicitur ea horizontis pars, vbi cadit æquator, aut ſtella in æquatore conſiſtens in inferius hemiſphærium, vnde ſpirat Zephyrus ventus: impropriè verò complectitur totum illum horizontis arcum, qui ſtellarum occiduam amplitudinem definit. Quemadmodum *oriens* locus illi directè oppoſitus nominatur, vnde ſpirat ſubſolanus, & emergunt ſidera ex horizonte. Hinc ſeptima Domus ab horoſcopo Occidens, & Cardo occiduus appellari conſueuit. Apud Geographos verò, quoniam Oriens, & Occidens variantur ſecundum varietatem Regionum, & horiſontis, computari ſolet verum occidens ab Inſulis fortunatis æquatori ſubiectis, à quibus Ptolemæus, vtpote ab extremis finibus terræ habitabilis incipit computare longitudines Ciuitatum verſus Orientem, qui conſequenter concipiendus eſt in parte terræ habitabilis, quæ diſtat ab Inſulis fortunatis medietate Circuli, hoc eſt gr. 180. Vnde ſunt qui ponunt verũ Orientẽ in Ciuitate Arym quam dicũt eſſe ſub Æquatore. Verum id falſum eſſe vel ex eo liquet, quod neque a Ptolomæo neq; ab alio inſigni Coſmographo

ponitur vlla Ciuitas immediate æquatori ſubiecta, diſtans ab Inſulis fortunatis medietate Circuli, ſed ſolum inuenitur in vndecima Aſiæ tabula Ciuitas nomine *Ariſabium*, quæ tamen in longitudine non excedit ſummam grad. 158. vt videre eſt in Ptolemæi Geographia ab Magino recuſa, recognita, & caſtigata, cum aliàs vlterius verſus Orientem totum ſpatium, quod inter eſt, Mare alluat. Deinde, vt alibi obſeruauimus, Verum Occidens computari debeat non ab Inſulis fortunatis (Ptolemæus enim vlteriorem terræ habitabilis notitiam non habuit) ſed ab ea parte ſinus Heſperici, quæ ſubiacet æquatori ſecundum Meridianum Azorum, non longè à Promontorio Hieron: ibi enim acus nautica ſe vertit rectè ad polos Mundi, diuidens æquatorem ad angulos rectos; vt qui nauigijs Indiæ occidentalis, ſeu Noui Orbis prouincias peragrarunt, ſcriptis ſuis teſtatum liquerunt: quam quidem lineam Diametri, ſeu Diametrum Mundi ipſi appellant: & hic ſitum eſſe contendunt verum occidens. Ergò ſimiliter verum Oriens accipiendum eſt in ea parte, quæ ſubeſt æquinoctiali, & diſtat ab hoc occidentis puncto medietate circuli: quod ferè incidit in *Sarapam* Aſiæ ciuitatem inſenſibiliter tendentem ad Tropicum Capricorni non longè à Promontorio *Satyrorum*, vt videre eſt in Mappis Mundi, ac Tabulis Geograhicis ritè delineatis.

Occidentales Domvs, ſeu *quadrantes* dicuntur ab 12. Aſtronomis tres Domus, & conſequenter Quadrans interceptus inter Medicum Cœli, & Occaſum; atque etiam alius, qui eſt inter Imum Cæli, & Horoſcopum: Eaque fœminina ſunt, quippe quæ præponderant in qualitatibus paſſiuis. Econtrà orientales Domus, & Quadrantes vocantur quæ intercipiuntur inter occaſum, & Imum, atque inter Horoſcopum, & Culmen, quæ proinde maſculina ſunt, & abundant in qualitatibus actiuis: Equidem eadem ratio, & diſcurſus de ipſis eſt, ac de ſignis, & quadrantibus Zodiaci, ac temporibus Anni, itavt primus quadrans ab horoſcopo ad culmen correſpondeat Veri, & tribus ſignis Arieti, Tauro, & Geminis: Secundus à Culmine ad occaſum, Æſtati, atque adeò Cancaro, Leoni, & Virgini: Tertius ab occaſu ad Imum, Autumno, & ſic Libræ, Scorpio, Sagittario, Quartus denique ab Imo ad horoſcopum, Hyemi, ac ſignis Capricorni, Aquarij, & Piſcium.

Occidentalis dicitur Planeta, cum Veſpere poſt ſolis 13. occaſum ſupra horizontem conſpicitur, vnde & Veſpertinus etiam appellatur; Orientalis verò cum ſolem præcedit,

& manè ante ipſius exortum videtur; vnde & *Matutinus*. Porro orientalitas reſpectu ſuperiorum, & Occidentalitas reſpectu inferiorum eſt fortitudo, & acceſſus virium: illi enim orientales, & iſti occidentales à ſole magis recedunt, vnde & lumine augentur: ſicut econtrà ſuperiores occidentales, & Inferiores orientales ad ſo em magis, magiſque accedunt, ac proinde lumine minuuntur. Augmentum autem luminis magna eſt virtutis acceſſio, & fortitudo, vt alibi obſeruauimus, quippe Aſtra non agunt niſi mediante lumine.

34\. OCCVRSANTES vocari paſſim ſolent à plerìſque Aſtronomiæ profeſſoribus, qui Promiſſorum communiori etiam vocabulo appellantur, Planetæ omnes, eorumque aſpectus, fixæ, quin & noua Phænomena & Cometæ in Cælo apparentes, quatenus habent virtutem cauſæ efficientis ſecundum qualitates actiuas, quibus pollent, & afficiunt Prorogatores, ſeu rerum ſignificatores, quibus directione occurrunt.

35\. Porrò ſicut prorogatores duplicem virtutem paſſiuam conſtituunt, quarum vna conſiſtit immobilis in ſitu Mundi, mouentur autem motu ipſorum proprio in Zodiaco, ſi in eo moueri habeant: altera verò conſiſtat immobilis in Zodiaco, & mouentur motu primi mobilis circa mundum; ita etiam Occurſantes duplicem virtutem actiuam conſtituunt ſecundum diuerſam rationem immobilem, vnam in Mundo, alteram in Zodiaco: in Mundo quidem cum conſiſtunt immobiles in ſuo circulo poſitionis, & expectant Prorogatores, qui motu primi mobilis ad ipſos deuoluantur, & eorum qualitatibus afficiantur; in Zodiaco verò cum conſiſtentes immobiles in eo gradu Zodiaci in quo ſunt in radice, vel rapiuntur ipſi motu primi mobilis ad ſitum Prorogatorum, vel ſanè expectant Prorogatores, qui proprio motu in Zodiaco pergunt ad gradum illum quem obtinebant ipſa ſidera occurſantia in radice. Et ſic pro ratione huius triplicis motus conſtituitur triplex genus Directionum: vnum quidem in Zodiaco, quo prorogator per ſuam orbitam realiter incedens, impingit tandem in locum ſiderum occurſantium vbi ab his in radice virtus eorum propria impreſſa eſt, concipiturque reſtare immobiliter: reliqua verò duo perficiantur in Mundo, & alterum quidem directo motu, quo ſidera occurſantia, ſeu loca Zodiaci ſuis qualitatibus effecta moueantur vna cum ipſo Zodiaco raptu primi mobis, ac deferantur ad ſitum, ſeu virtutem impreſſam à Prorogatoribus in ſitu mundi; alterum per motum con-

uerſum, quo videlicet Prorogatores motu conuerſo, hoc eſt, vt explicat Ptolemæus contra ordinem ſignorum rapiantur vnà cum partibus Zodiaci, in quibus eorum qualitas paſſiua fuit impreſſa, idque motu primi mobilis ad ſitum Mundi, in quo fuit impreſſa qualitas actiua ſiderum occurſantium; itavt hæc nullo pacto moueri concipiantur. Quæ omnia fortè clariùs explicata ſunt in V. *Directio*.

Oceanvs. Vide quæ diximus in *V. Aqua*. De eius autem æſtu, & ratione dictum eſt in *V. Ampoſim*. 16.

Octaedrvm eſt figura Geometrica, quam definit Euclides lib. 11. eſſe figuram ſolidam ſub octo triangulis æqualibus, & æquilateris contentam: cuius ſpeciem exibet oculis inſpiciendam Clauius in dictum locum Euclidis. 17.

Octangvlvs eſt item figura Geometrica, ſed plana octo angulis conſtans, de quo vide Euclidem lib. 6. 18.

Octava Sphara, communiter dicitur Firmamentum, ſeù Orbis ſtellarum in cuius craſſitie, vt ego credo, ſeù vt alij volunt concaua ſuperficie ſidera quæque inerrantia fixa ſunt, & in certas imagines colligata, atque ab inuicem diſperita. Cuius diſtributionis non caſu, & oſcitanter factæ ab antiquis illis Aſtronomis, ſed magno conſilio, matura deliberatione, & ſumma prudentia rationem dedimus in *V. Imagines Cæleſtes*. Et alias pulchras addit Lucius Bellantius, *qu 6. art.* 1. quarum potiſſima ratio eſt, vt memoria retineantur natura, locus, ordo, & qualitates ſtellarum: ſi enim ipſæ abſque vllo ordine, proprio nomine, loci deſignatione, aut naturæ diſtinctione relinquerentur magna eſſet confuſio, nec tam facilè quod priſci illi ſapientes poſt tot exantlatos labores, poſt tot ſæculorum indefeſſam obſeruationem compararunt, poſſemus nos vnico intuitu comprehendere, niſi huius veluti localis memoriæ, ac mutorum ſtemmatum ſubſidio leuaremur. 19.

Porrò non ita huiuſcemodi Imaginum, ac ſtellarum conglomeratio efficta eſt, vt non melius efformari potuerit, 20.
aut deinceps poſſit per eum, qui probè nouerit ſtellarum naturam, ſingulareſque proprietates, atque iis nomina quibuſque propria, & naturæ earum conuenientia aptare ſciuerit. Qua in re tria aduertenda eſſe notat ipſe Bellantius. Primò propinquitatem ſtellarum ad inuicem, qua in vnam, eandemque imaginem comprehendi debeant: & ob hoc ſtellarum nimium ab ſe diſtantium non eſt formanda figura. Secundò, vt quantum fieri poteſt proprietas, & ſimilitudo naturæ, tum ſtellarum ad inuicem, tum earumdem cum nomine, vel figura appicta ſeruetur. Tertiò tandem

figura imaginata complectatur, & nullæ relinquantur ſtellæ informes præſertim notabilis magnitudinis, & ſpeciali nota dignæ; quod ab antiquis Aſtronomis prætermiſſum eſt: Arcturus enim ſtella tam inſignis primæ magnitudinis non eſt in vllam imaginem colligatus, ſed iacet informis inter crura Bootis; duæ ſecundæ magnitudinis circa Lances, & aliæ non paruæ, nec contemnendæ: quare, & ipſæ in ordinem reducendæ forent. Scio non neminem opus aggreſſum, ſed difficultate rei territum, ac ſtellarum multitudine diſſitaque natura preſſum ab eius proſequutione alioqui optimè cœpta deſtitiſſe.

21. Sed & Iulius quidam Schillerus I. C. Auguſtanus alio fine ductus imagines cæleſtes ab antiquis variis Poëtarum figmentis depictas, in alias Diuorum nomine inſignitas commutaſſe. *Neque enim*, inquit, *Chriſtianæ fidei, rectaque rationi congruit Dæmones, beſtias, & probroſos homines nominibus ſtellarum deſignare, cum ſtella ſit hieroglyphicum virorum ſanctitate illuſtrium, iuxtà illud Daniel. 12. Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quaſi ſplendor Firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Atque adeo ipſe cælum Chriſtianum molitus eſt, duodecim ſigna Zodiaci ab duodecim Apoſtolorum nominibus appellans, aliiſque characteriſmis ex inſtrumentis martyriorum ipſorum deſignans. Planetarum verò; relictis antiquis characteriſmis, (quos tamen inuerſo ordine præcipit denotari) ab Adam, Moïſe, Ioſue, Elia, Chriſto, B. Virgine, & Ioanne appellat orbes, & Aſtra; Quod ne memoriâ excidat in ſequentes verſiculos redegit Iacobus Barſchius.

*Adam Saturno; Moſes Ioue; Ioſua Marte,*
*Solus Sole micat Chriſtus; Venere ipſa Ioannes.*
*Mercurio Elias; Lunâque Beata Maria.*

22. Similiter alia ſidera extrà Zodiacum alijs Sanctis, & Patriarchis noui & veteris Teſtamenti dedicauit, vt Perſeum Paulo Apoſtolo, Cepheum S. Stephano, Bootem S. Syluestro, &c. vt ex ſequentibus verſibus à Barſchio, item compoſitis videre licebit: quorum tamen aliquos Alſtedius, noſque metri cauſa non nihil inmutauimus.

## CONSTELLATIONES BOREALES.

*Vrſa minor Michaël: Petri ratis Vrſaque Maior:*
*Innocui Pueri deturbant ſede Draconem:*
*Dat Stephano Palmam Cepheus: pellitque Bootem*

*Sylueſter : Chriſti ſcuticam Coma calica ſignat :*
*Spinea ſed Ieſu borea ſtellata Corona :*
*Tres Sancti Reges gaudent nunc Herculis Aſtro :*
*Vertitur in præſepe Dei Lyra : Crux ſacra Olorem :*
*Magdala Caſſiopem pellit : ſic Perſea Paulus :*
*Auriga eſt Hieronymus ; Anguitenens Benedictus :*
*Eius ſpinetum eſt Anguis : ſed Lancea Chriſti,*
*Cum clauis Telum eſt : Aquilam Catherina repellit :*
*Hydria fit Cana Delphin : Roſa miſtica parui*
*Sectio Equi : Gabriel fit Pegaſus : Andromedeque*
*Fit tumulus Chriſti : Petri dat Mitra Trigonum.*

## CONSTELLATIONES IN PLAGA Auſtrali.

*Exornant Auſtrum Ioachim, & Anna parentes*
*Virginis Auguſtæ pro Ceto : Per Mare rubrum*
*Tranſitus Iſraël fluuium tegit Eridanumque :*
*Sponſus Mariæ Ioſeph eſt clarus Orion :*
*Expellit Leporem Gedeonis nobile vellus :*
*Quæque columba olim fuerat nunc ipſa Noachi eſt.*
*Sirius eſt Dauid : Procyon Paſchalis & Agnus.*
*Aſt Argonauis Noachi eſt Arca ; ſed Hydram*
*Iordanis pellit : pellit quoque Fœderis Arca*
*Craterem, & Coruum : Centaurum Abramus, & Iſaac.*
*Atque Lupum Iacob : Altare ſacrum fugat Aram.*
*Et Salomon cinctus diademate tollit ad Auſtrum*
*Sertum : ſic piſcem fugat Hydria plena*
*Sarepta : Aroni cedunt Phœnix, Grus, Pauoq; & Indus:*
*Iobo Apes : Indica Muſca, Camaleon, & quoque cedunt*
*Eua : Tau ſignum nunc eſt Auſtrale Trigonum :.*
*Iuſtus Abel nubes maior : Dorado volanſque*
*Piſcis & hinc Toucan, cum nube minore colubrum,*
*Victor detrudit Raphaël Archangelus almus.*

## Signa Zodiaci per duodecim Apoſtolos diſtributa.

*Petrum Aries : Tauruſque Fratrem : Geminique Iacobum:*
*Cancer Ioannem : te Leo Thoma notat.*
*Virgine Iacobus gaudet : Librâque Philippus :*
*Et tibi reſpondet Bartholomæe Nepa :*
*Signat Matthæum Chiron : Caper atque Simonem :*
*Iudam Vrna : At Piſceš ſorte delectus habet.*

Item Characteres Signorum ſunt.

1. *Clauis* : 2. *Crux* : 3. *Baculuſque* : 4. *Calix* : 5. *Hinc Lancea* : 6. *Pecten*.
7. *Crux* : 8. *Culter* : 9. *Cum Haſta* : 10. *Et ſerra* : 11. *Fuſtiſque* 12. *Securis*.

Hoc eſt inſtrumenta, quibus Apoſtoli ab inuicem diſtinguuntur, ac prænotatur: vt S. Petrus per claues illi à Domino traditas; Andreas per crucem, cui infixus fuit; Iacobus Maior per Dolonem, ſeù baculum ſuæ peregrinationis; Ioannes Euangeliſta per Calicem veneno plenum, quem innocuè propinaſſe ferunt; S. Thomas per lanceam, qua fuit tranſuerberatus; Iacobus Minor per fullonis pectem, quo caput eius fuit percuſſum; Philippus per crucem cui ſimiliter affixus eſt; Bartholomæus per cultrum, quo fuit excoriatus; Matthæus per haſtam, qua fuit appetitus; Simon per ſerram, qua medius fuit ſectus; Iudas per fuſtem quo fuit illiſus; Denique Mathias per ſecurim, qua fuit occiſus.

13. Atque hæ ſunt ſacræ Imagines à Schillero ſideribus applicatæ. Cuius ſanè pietas, & eruditio ſummoperè veneranda eſt; Verum eius opera non multo cum plauſu fuit recepta, neque à priſtina ſtellarum Nomenclatura eatenus quiſquam abhorruit, aut deſtitit. Et verò, ſi religionis zelum excipias, omnia frigida, omnia inſulſa, omnia è cerebro facta comperientur: quæ enim proportio, exempli gratia, Innocentium cum Dracone? Vrſæ cum Nauicula D. Petri, ſignorum Zodiaci cum Apoſtolis? vbi ſexus differentiâ? quæ tanto iudicio appoſita eſt ab antiquis, tum Planetis, tum ſignis? vbi qualitatum conbinatio, & diſtinctio? vbi natura ſiderum explicata? vbi denique partitio illa ſignorum ex affectibus comprobata, in humana, ferina: vocem habentia, muta, ſterilia, fœcunda, pulchra, deformia, &c. De quibus hæc quanto cum pondere dicta ſint, ſuis locis non obſcurè tradidimus. Quapropter, niſi meliùs res inſtituatur, vt benè monet Keplerus, ab antiqua ſiderum nomenclatura, Imaginumque affixione non recedendum. Neque enim temporibus hiſce quicquam Religioni obeſt, quod ea ab inanium Deorum nomine, fictiſ-

que Poëtarum fabulis appellentur, quippe hæ ſunt deſtructæ ſuperſtitionis exuuiæ, fideique noſtræ trophæa cælo affixa: quare inſeruiunt ad ingerendum nobis non tam priſtinæ religionis inanitatem, quam veram ſidereæ qualitatis notitiam, non ſecus ac modò in Templorum aditis extant Idola ad ornatum, gentiumque ſuperſtitionis deriſionem. Et hæc quidem de Schilleri molitione.

Cæterum mouetur octaua Sphæra, ſeù potius præpeditur, vt non aſſequi poſſit velocitatem Primi Mobilis ferè gradum vnum in ſingulis 70. annis ad partes Orientaliores ſecundum ſucceſſionem ſignorum. Alij triplicem dant ei motum: vnum ſibi proprium in Zodiaco ſuper eiuſdem polos, qui eſt modo explicatus, itavt curſum ſuum perficiat in annis 36000. alterum raptus quem habet à primo mobili. Tertium item violentum ſibi impreſſum à nona Sphera (quam ad ſaluandas apparentias de nouo cælo appingunt) trepidationis, ſeù acceſſus, & receſſus vocatum, qui ſimiliter eſt ſecundum ſucceſſionem ſignorum, & ſuper polos Zodiaci, tam lentus, vt in ſingulis ducentis annis non plus quam gradum vnum, & 28. ferè minuta progrediatur. Qua de re. Vide Georgium Peurbachium in Theoricis Planetarum. 24.

Ocvlvs Tavri antonomaſticè appellatur ſtella fixa Martia, primæ magnitudinis, in oculo auſtrali Tauri conſiſtens dicta, à noſtris *Palilitium*, atque ab Arabibus *Aldebaram*; cum aliàs in oculo dextro & boreo ſit altera ſtella tertiæ magnitudinis dicta *Oculus boreus*. De quibus vide in *V. Hyades*. 25.

Olor, Gallina, &c. Sidus in cælo ad borealem plagam intrà Galaxiam, de quo vide in Verbo *Cygnus*. 26.

Olympiades olim apud Græcos audiebat certum temporis ſpatium, quod quadriennio complebatur; (eo prorsùs pacto, quo ſuprà diximùs luſtrum quinquennio, & indictionem tribus luſtris, hoc eſt quindennio terminari:) itavt quinto quoque anno nouæ ſuccederent, & ordine cenſerentur; quarum ratio in diſtinguendis, notandiſquè temporibus ſeruabatur, atque in Annalibus, Chronicis, ſcriptutiſque publicis notabatur. Erat enim tempus hoc maximè notum, fixum, & immutabilè: è cuius exordio. Chronologiæ ratio haberi cæpit, & Hiſtoriam Græcam fidem apud poſteros inueniſſe narrat Euſebius in Chronico: & Marcus Varro apud Cenſorinum, totum illud tempus, quod Olympiades anteceſſit, fabuloſum appellat. Vnde meritò Iulius Africanus, & Iuſtinus Martyr, hoc de Olympiacæ Chro-

nologiæ certitudine elogium protulerunt. Ante Olympiades, inquiunt, nihil in Græcorum Hiſtoria exploratum inueniri, ſed eſſe omnia confuſis ſcripta temporibus: poſt Olympiades autem quoniam quadriennio diligentiſſimè omnia notabantur, nullam temporum confuſionem extitiſſe. Nomen, Originem, authoritatem, & famam compararunt ex Ludis illis Olympicis toto Orbe celeberrimis, quinto quoque anno in Elide fieri ſolitis; quos ob Solis quadriennalem curſum, in quo dies vnus adijcitur, ob ſex illas horas ſingulis annis ad 365. dies reſiduas, inſtitutos eſſe docet D. Cyrillus Epiſcopus Hieroſolimitanus *Catechiſi* 12. atque ab Hercule primùm inuentos teſtantur Strabo, Clemens Alexandrinus, Euſebius aliique ſequuti Plutarchum, Plinium, Solinum, Pauſaniam, Diodrorumque Siculum. Incipiebant autem numerari ab ſolſtitio Æſtiuali, quo tempore, Ludi illi celebrabantur: Vnde & initium anni, & primi menſis quem Hecatonbæon vocabant ab eo die fiebat, vt refert Simplicius in explanatione, *lib.* 5. *Phyſic. text.* 25. & fusè probat Theodorus Gaza *in libro*, quem *de Menſibus*, Atticis ſcripſit. Quamquam Io: Lucidus Samotheus *in emendatione temporum cap.* 8. *& in lib.* cui titulus *de vero die Paſſionis Domini*, *Hyppotheſi* 7 *&* 8. contentiosè velit, initium Ludorum Olympicorum, & Olypiadum fuiſſe circà æquinoctium Autumnale. Sed quidquid ſit de hac re, certum eſt, quod, licet Olympiades ab Ludis Olympicis fuerint denominatæ, non tamen cum illis & ab eorum initio computari cæperunt, ſed multo poſt tempore. Etenim Ludos Olympicos, etiam ante bellum Troianum fieri ſolitos apud omnes ferè Græcarum rerum ſcriptores inuenimus: Olympiadum autem vſum, non niſi poſt quadringentos annos ab excidio Troiæ legimus introductum, vt præ cæteris aduertit Pererius. *De communibus rerum omnium Principiis lib.* 4. *cap.* 3 Niſi fortè velimus dicere, eos, qui vnum, idemque vtriuſque rei initium extitiſſe opinati ſunt, loquutos fuiſſe de Ludorum illorum, qui iam diù intermiſſi fuerant, reſtauratione facta ab Iphito Elio, qui certamen Olympicum longè celebriùs renouauit, in quo certamine victor euaſit Coræbus Elæus, & ab eo tempore prima Olympias numerari cæpit.

Igitur Olympiadum ratio haberi cæpit annis ante Chriſtum natum 774. & conſequenter ab origine Mundi, anno 4425. iuxtà ſeptuaginta interpretum ſupputationem, quam ſequitur, & amplexa eſt Romana Eccleſia in Martyrologio Romano. Cæterum, quia vera ætatis Mundi notitia haberi

nequit, &, vt ſuprà notauimus, ante Olympiades, omnia Græcorum monumenta confuſa erant, vt potius ab ipſis lumen acceperint, quas lumen impertire potuerint; ideò nil mirum, ſi quo tempore ab origine mundi Olympiades initium ſumpſerint, auſpicari non poſſit. Certè citatus Pererius à conſequentibus computat, atque ad tria temporà, quæ maximè illuſtria, & memorabilia fuerunt, referre nititur; nempe ad Excidium Troiæ, ad Vrbem Romam conditam, & ad ſacram Chronologiam, ad ea videlicet tempora, quæ in ſacris Paginis deſcribuntur: atque ab omnibus idem tempus earum inſtitutionis deducit, anno, inquam, poſt euerſam Troiam quadringenteſimo octauo, & conſequenter viginti quatuor annis priuſquam Roma ædificaretur: & ex ſacris literis regnante apud Iudæos Achaz, anno regni eius octauo. Et quoniam idem Pererius *in Commentariis ſuper Danielem lib.* 11. *quaſt.* 1. ex iiſdem monumentis probat, Chriſtum Dominum natum eſſe quatermilleſimo vigeſimo ſecundo anno poſt Orbem, conditum, profectò ex iiſdem monumentis liquet Olympiades cæpiſſe anno mundi termilleſimo, ducenteſimo quadrageſimo octauo. Et hæc demùm de Olympiadum ratione, inſtitutione, & commodis dicta ſint.

Ophiucus Græcè, Latinè *Serpentarius* ſidus item in cælo ad borealem plagam propè æquatorem conſtans ſtellis 24. ſecundum antiquorum obſeruationem, at ſecundum Baierum 30. & adhuc iuxtà Keplerum 37. qui tamen inter eas connumerant aliquot informes à Ptolomæo prætermiſſas. Omnes autem hæ ſtellæ ſunt de natura Veneris, & Saturni, proindeque humorum corruptrices, ac venenoſæ: inter quas primò venit vna fulgens in capite, Arab. *Ras Alangue*, ſecundæ magnitudinis exiſtēs tunc temporis in gr. 18. Sagittarij cum gr. ferè 13. declinationis borealis: Secundò altera in ſiniſtra manu, nomine *Red*, ſeù corrupto vocabulo ex Latino, & Arabico idiomate *Colubramet*, hoc eſt corpus Serpentis, in quod incidit manus Serpentarii, tertij honoris exiſtens in gr. 26. Scorpij cum gr. 3. declinationis auſtralis: ſtella quidem perniciosa nimis, ad quam directus vitæ moderator adducit ſæpe veneni, vel venenatorum morſus periculum. 27.

In hoc ſidere apparuit anno 1604. noua ſtella, quæ durauit ad annos duos, ac poſtea euanuit, nihil poſt ſe relinquens, ne vllum quidem veſtigium; vt ſanè fecit altera quæ quatuor, ante, annis apparuit in pectore Cygni, & poſtea diſcedens reliquit quendam hiatum etiam num conſ- 28.

picuum: qua propter de ijs multi multa ſcripſerunt, ac præcæteris Tycho; & Keplerus: de qua nos etiam aliquid dicemus in V. *Phænomena*, & in V. *Serpentarius*.

29. Cæterum Ophiucus in Horoſcopo, inquit Firmicus, *Facit marſos, qui peſtiferos ang ies ſopitis, ac mitigatis aculeis opprimant*. In occaſu verò, & cum aſpectu quocumque maleficarum, ſubdit: *Serpentis i te venenati infeliciter moriuntur*. Oritur Ophiucus Romæ cum gr. ferè 20. Scorpij, & occidit cum totidem Sagitarij.

30. Opora Græcè propriè dicitur vltima pars æſtatis poſt Canis exortum vſque ad ortum Arcturi, qui incidit nunc in ferè Calendas Octobris: ſed ante correctionem Gregorianam decem ante diebus, quo tempore ſubintrabat Autumnus: Vnde poſteà Opora licet impropriè audiebat pro toto Autumnali tempore; & oporinum dicebatur quidquid ad Autumnum pertinebat: quo ſenſu Martial. ludens cecinit.

*Si daret Autumnus mihi nomen Oporinus eſſem.*

Et Varro de re ruſtica locum Autumnali tempore fructibus ſeruandis deſtinatum Oporothecam dixit. Hinc etiam.

31. Oporinvm sidvs promiſcuè audit tam Canis maior initium Oporæ faciens, quam Arcturus finem adducens.

32. Oppositio apud Aſtronomos eſt ſpecies quædam familiaritatis contracta inter duo ſidera in diſtantia ſemicirculi, & gr. 180. itavt ex diametro ſe reſpiciant; qui profectò radius, & aſpectus habet conſonantiam, & proportionem in modis muſicis ad octauam, quæ cum prima facit tonum vniſonum, vt Muſicæ peritis notum eſt. Æſtimatur radius hoſtilis, & perfectæ inimicitiæ eoquia per ipſum ſidera opponantur, atque adeo inuicem ſe oppugnent: Verum ad Cardines proiectus (qui paſſiuis tantum qualitatibus pollent) eſt de natura ſiderum à quibus proiicitur, atque inter beneficas præſertim conuenientis naturæ bonus euadit: Vt propterea Ptolemæus ipſe *Cap de Moderanda vita*, Quadratum, Trinum, Oppoſitionem ſi à beneficis ad Vitæ Moderatorem eiaculentur, æqui felices appellet, atque impedire dicit effectum directionis Prorogatoris ad locum Anæreticum. Semper enim per quemcumque radium tranſmittitur virtus benefici maior, aut minor, provt eſt validitas radij, ad locum prorogatorium: qua proinde iſte ita afficitur, vt ab inſultu ſideris occurſantis, & Aneretæ aliquatenus ſubleuetur. At verò hic radius inter infortunas; aut ab infortunis ad fortunas proiectus, eadem ratione ſemper maleficus eſt.

Optica

Optica ſcientia eſt, quæ per radios viſuales, vmbraſque radiis terminatas rerum diſtantias, magnitudines, corporumque cæleſtium, adhuc parallaxes, refractiones, & vmbras accipit, ac dimetitur: idque ſiue directè, ſiue reflexè radij ipſi ab obiecto ad oculum tranſmittantur: ita tamen, vt ſi directè id fiat per foramina aut rimas alicuius inſtrumenti excipiendo ſiderum radios, appelletur Dioptrica: ſi verò reflexè ex ſuperficie aliqua partim opaca partim Diaphana, dicatur Catoptrica, vel Anacamptica: ſi autem per lineas refractas in medio diuerſæ denſitatis Anaclaſtica audiat, de quibus omnibus ſuo loco. 33.

Orbis propriè dicitur de deferentibus ſingulorum planetarum quæ vulgò Sphæræ appellantur. Differt verò Orbis à ſphæra, quod hæc propriè globum ſignificet vnica ſuperficie contentum, atque vſque ad centrum eouſque ſolidum; Orbis autem dicit corpus ſphæricum duabus ſuperficiebus finitum, vna exteriore conuexa, altera interiore concaua: & ideo, quot cæli tot orbes inuicem contigui, & immediati, itavt ſuperior includat inferiorem, & quanta eſt ſuperficies concaua ſuperioris, tanta etiam ſit conuexa inferioris, non ſecus ac vnius cæpæ tunicæ. Quia autem vnuſquiſque orbis, ſeù cælum intrà ſe alios etiam orbes continet, vt, pro exemplo, orbis ſolis habet tres alios orbes à ſe inuicem diuiſos, ac ſibi contiguos, quorum duo ſunt excentrici ſecundum quid; tertius ſimpliciter excentricus; ideò ad euitandam vocabulorum confuſionem vſus obtinuit, vt ipſi cæli iam non orbes ſed ſphæræ appellitentur: & ſic ſphæra omnium maxima ſit primum mobile quod omnes alias ſuo ambitu complectitur, & ſecum rapit: Pòſt (ſi dantur) decima, & nona ſphæra trepidationis dictæ. Inde octaua, ſeu Firmamentum: mox cælum Saturni, poſteà Iouis, & ſic deinceps vſque ad Lunam, itavt ſphæra Lunæ ſit omnium minima tam circuitu, quam craſſitie, & ambitus quidem concaui ipſius ſit millariorum 758250. craſſities verò, hoc eſt intercapedo inter concauum & conuexum illius ſit milliar. 109056. ambitus autem conuexi, qui vt dixi eſt idem cum concauo ſuperioris, & ſic Mercurij eſt milliar. 1443750. 34.

Craſſities orbis Mercurij lata eſt milliar. 370480. Ambitus ſuperficiei eius conuexæ eſt milliar. 3772500. 35.

Craſſities Orbis Veneris eſt milliar. 3413756. ambitus verò conuexi 25230375.

Craſſities deferentis ſolis, eſt milliar. 339102. ambitus verò extimæ ſuperficiei conuexæ eſt milliar. 27361875.

Craſſities Orbis Martis eſt lata milliar. 27339375. ambitus



Digitized by Google

verò conuexi eſt 199209375.

Craſſities Orbis Iouis protenditur ad milliar. 19775497. ambitus autem conuexi eſt milliar. 323512500.

Craſſities orbis Saturni eſt milliar. 29474574. ambitus verò conuexi eiuſdem, & conſequenter ſuperficiei concauæ Firmamenti, eſt milliar. 508781250.

Craſſities Firmamenti, ſeù cæli ſtellati eſt milliariorum 8094 471. cum dimidio Ambitus conuexi 1017561500.

Et hic eſt etiam circuitus extimæ ſuperficiei Primi Mobilis, cuius tamen craſſities auſpicari non potuit, cum nec potuerit ipſa eius conuexi amplitudo: non enim per quid ſenſibile poteſt dignoſci; ex comparatione tamen aliiſque congruentiis deducitur haud temere tantam eſſe ſuperficiem conuexam Primi Mobilis, adeoque & concauam cæli Empyrei, vt ipſe orbis ſtellatus comparatus ad illam partem ſe habeat vt punctum, non ſecus ac ſe habet terra ad ipſum Firmamentum relata. Qui plura volet de hac re, adeat clauium in ſpæram Io: de Sacroboſco cap. 1. p. mihi 214. ex quo nos etiam iſta ex cerpſimus.

36. Orbita, Plinio auctore; dicitur veſtigium currentis rotæ in viis impreſſum (ſiquidem ipſa rota quandoque Orbita dicitur.) Hinc apud Aſtronomos vſurpatur ad ſignificandam viam ſolis, & ſingulorum planetarum per circulum ſuæ latitudinis realiter incedentium; nec ſanè abſque ratione, atque experimento: Quandoquidem per eam Planeta tranſiens imprimit neſcio quod ſuæ qualitatis veſtigium, qua locus ille afficitur, ac proinde eandem pænè induit ſui inceſſoris naturam; eo prorſus pacto ac limaces, & alia eiuſmodi inſecta relinquunt poſt ſe ſuæ tabificæ qualitatis impreſſiones in via per quam incedunt. Sed id præcipuè fit in interſectionibus orbitæ planetarum cum orbita ſolis, quæ proptereà vocatur ecliptica, eo quod in ea accidant luminarium Eclipſes, vt in loco admonuimus.

37. Oricrator, teſte Valla, apud Aſtronomos olim dicebatur finium Dominus: qua de re vide in *V. Fines*.

38. Oriens appellatur vniuerſaliter punctum illud in horizontis circulo vnde ſol emergit quocumque anni tempore, imò & loca vnde emergunt ſidera: propriè verò vnum ex quatuor punctis cardinalibus horizontis, per quod ſemper aſcendit æquator, atque adeò, vnde oritur ſol, quando eſt in punctis æquinoctialibus Arietis, & Libræ. Et locus diametraliter oppoſitus dicitur occidens, per quæ duo puncta concipitur tranſire circulus qui interſecet Meridianum ad angulos rectos, & cum eo diuidat horizontem in qua-

tuor partes æquales, Septentrionalem, Orientalem, Meridianam, & Occidentalem, à quarum initiis ſpirant quatuor Venti cardinales, Septentrio, qui & Boreas, Subſolanus, Auſter, & Fauonius, de quibus ſuo loco.

Porrò Oriens apud Geographos dicitur illa pars orbis ter- 39.
rarum ad dexteram ſita, quam Sol primò luſtrat in noſtrum Hemiſphærium ſe attollens, & vniuerſaliter ea loca, quæ ſolem priùs Orientem vident dicuntur Orientaliora, quam, quibus Sol ſeriùs oritur; quæ propterea reſpectu illorum vocantur Occidentaliora. Verum autem Oriens, (vt diximus cum de Occidente ſermo incidit) computari debet in eo tractu terræ habitabilis, quæ diametraliter opponitur vero Occidenti, quod non iam eſt in inſulis fortunatis, ſed in inſulis Azorum, vbi acus magnetica ſe vertit recti ad polos mundi, diuidens æquatorem ad angulos rectos, vnde conſequenter erit in *Sarapa*, Aſiæ Ciuitate, prout latè in loco probauimus.

Orientales Domvs, & *Quadrantes*. Vide in *V: Occi-* 40.
*dentales.*

Orientalis Planeta. Vide item in *V. Occidentalis* 41.
*Planeta.*

Orion, qui & *Iugula*, ſidus eſt in octaua ſphæra ad au- 42.
ſtralem plagam hinc inde ad æquatorem, (in quem incidit eius cingulus) habens ſtellas 38. conſpicuas ſub ſigno Geminorum, omnes ferè de natura Iouis & Saturni, præter duas de natura Martis, & Mercurij, quarum altera primæ magnitudinis, in dextro humero, altera adhuc rubore, & actiuitate præſignior, licet corpore minor, & ſecundæ magnitudinis eſt in ſiniſtro humero, & vocatur bellatrix à bello ad quod mirè animos incitat, & impellit. Eſt item in ſiniſtro pede altera inſignis ſtella nomine Rigel communis fluuio, nec non aliæ tres in cingulo ſupra memorato valde lucidæ, & ſecundæ magnitudinis ſtantes ad lineam rectam, & aliæ multæ præſertim in enſe, & in ſcuto: quippe non eſt in cælo ſidus tam latum, tam conſpicuum, tam multiplici ſtellarum varietate ornatum, & in eo quidem Galilæus tot ſtellas minutiores ſuo Teleſcopio obſeruauit, vt penè in numerando defecerit, vt refert in Nuncio ſidereo. Porrò Orion ſidus maximè tempeſtuoſum eſt, quod & Virgilius obſeruauit 7. Æneid.

*Quam multi Lybico voluuntur marmore fluctus,*
*Sæuus vbi Orion Hybernis conditus vndis!*

Cum ſole enim congrediens, ſiue in ortu, ſiue occaſu ventos ciet, turbat aërem, mare tempeſtatibus quatit, imbres

facit, fulgura & tonitrua: quod & cum Saturno, & cum Mercurio facit, & eò maximè ſi omnes vnà conueniant. At ſi eo exoriente Iupiter ſoli, aut Mars permiſceatur, eius ſideris vehementia longè lateque dignoſcitur: quippe tempeſtatem ſub ortu Sirij producit, & Aquilo magnis flatibus aërem quauis corruptione purgabit: Inde exurgent Eteſiæ, & Autumnus ſalubris erit. In Genethliacis etiam, inquit Maternus: *Si Orion in horoſcopo partiliter fuerit, faciet homines velocis corporis mobilitate conſpicuos, & quorum animus variis ſolicitudinibus implicatus peruigili cogitatione ſemper exæſtuet. Hi enim variabuntur, ſæpè domicilia & domos, ſedeſque mutabunt, ac per omnium limina matutinis ſemper ſalutationibus diſcurrant.* Si verò in occaſu fuerit, ſubdit: *Tales naſcentur homines, quorum animos varia ſolicitudo ſemper exagitet. Hi quoque à ciuibus ſuis in legationem miſſi, ac in ipſo munere conſtituti peregrè morientur, leue quoddam ſolatium ad inferos afferentes quod illis à ciuibus ſuis datum fuerit. Iis quoque honores perpetui, imagines, tituli, & honorabilium ſtatuarum cernuntur inſignia.* Hucuſque Firmicus. Vide in *V. Iugula*.

43. Orizon. Vide Horizon.

44. Ornithias ventus eſt ex genere Etheſiarum, nomen ex Græco ab auium aduentu ſortitus, quod potiſſimum Vèris tempore quando illæ ad nos aduentant exſufflare ſoleat circà veſpertinum Arcturi exortum. Fertur humilis circà terræ latera: vnde & omnium commodiſſimus eſt: qui vt plurimùm vertitur in Fanonium; ob idque à Plin. Zephirus appellatur.

45. Oroaser in ſphæra Barbarica, ditur primus Decanus Aquarij manens ſub dominatu Veneris: ſignificator ærumnarum pro lucro, inquietudinis, laboris, paupertatis, &c.

46. Orthogonius Græcè idem ſonat, ac rectus angulus: ſignificat enim apud Geometras figuram, quæ rectis angulis conſtet, & omnium partium æqualitatem habeat. Vnde & Columella, lib.5. Orthogonium agrum appellauit.

47. Orthographia eſt deſcriptio frontis, erectæque magnitudinis, quam ædificium conſtruendum habiturum eſt, facta ex regulis Geometricis, ad cuius poſteà idæam tota moles conſurgit. Quapropter eſt ars Architecturæ miniſtra, illique ſubſeruiens. Vide Vitruuium *lib.1.cap.2.*

48. Ortvs, *& occaſus ſiderum*, Achronicus, Coſmicus, Heliacus, Matutinus, Veſpertinus, &c. Vide in propriis ca-

iuſque locis, de ea re fuſè agit Plin. *lib.* 18. *cap.* 25.

Ostensor, Latinè dicitur quæ Græcè *Dioptra*, apud Arabes verò *Alhidada*: Index videlicet in Aſtrolabio, aut alio conſimili inſtrumento lineæ diametralis vices gerens, & oſtendens horas, gradus ventos & alia circum in Limbo deſcripta. Vide in *V. Alhidada*. 49.

Os Piscis vulgò dicitur *Fomahand* ſtella fixa inſignis exiſtens in ore Piſcis notij, eſtque vltima in effuſione aquæ Aquarij, cuius naturam, & influxus vide in *V. Fomahand.* 50.

Ovalis *figura*, dicitur apud Geometras, quæ oui ſpeciem præſefert, rotunda quidem ſed oblonga, itavt lineæ ab extima ſuperficie ad centrum ductæ non ſint æquales, benè verò à lateribus ſibi inuicem ex oppoſito reſpondentibus. Differt ab Ellipſi, quod hæc plana ſit, & vnica tantum linea circumſcribatur, illa autem intelligatur ſolida, & ſuperficie vndequaque finita, eo pacto ac globus, qui tamen eſt perfectè rotundus. 51.

Oxygonivm eſt figura item Geometrica triangularis habens neceſſario omnes tres angulos acutos: in quo differt ab Amblygonio, quod neceſſariò conſtare debet ex duobus angulis acutis, & vno obtuſo. Quare omne triangulum Oxygonium poteſt eſſe aut æquilaterum, quod neceſſariò, non erit rectangulum, & conſtabit tribus acutis angulis; aut Iſoſceles, ſi videlicet duo æqualia habeat latera, eademque maiora, quam tertium: aut etiam ſcalenum, quod omnia latera habere debet inæqualia: At verò Amblygonium poteſt quidem eſſe Iſoſceles, & Scalenum, minimè verò æquilaterum, cum figura, quæ æqualia omninò latera habet in obtuſangulum terminare nullatenus poſſit. Qua de re vide Clauium *in lib.* 1. *Elem. Euclidis num.* 28. *& in Commentar. ad propoſ.* 15. *libri* 4. 52.

## P

Palilitivm, Arab. *Aldebaram* ſtella fixa primæ magnitudinis vna ex Hyadibus in oculo auſtrali Tauri conſiſtens, de natura Martis valde rutila, vnde & Lampas, & Facula dicta eſt. Nomen obtinuit à Paliliis, quæ Romæ eo die celebrabantur, quo ipſa oriens ſerenitatem adducebat, vnde & ab hoc clarior fieri cæpit, cùm alioqui reliquæ Hyades pluuioſæ ſint: Quod & Plinius obſeruauit, *lib.* 18. *cap.* 26. *Hoc eſt*, inquit, *appellatum ſidus Palilitium: quoniam XI. Kalend. Maij Vrbis Romæ natalis, quo ferè ſere-* 1.

*nitas redditur, claritatem obſeruationi dedit, nimborum argumento Hyadas appellantibus Græcis has ſtellas, quod noſtri à ſimilitudine cognominis Græci propter ſues impoſitum arbitrantes, imperitia appellauere ſuculas.* Cum hoc ſidere exoriens ſol cõmouet ventos, fulmina facit, & tonitrua: Cum Marte calorem magnum, cum Mercurio itidem ventos impetuoſos: eſt enim maximè violentum, intemperatè calidum, & ſiccum; vnde & in Genethliacis facit animum elatum, iracundum ad rixas, & bella procliuem cum quadam grauitate, & prudentia ob communicationem cum Ioue. Vide quæ diximus in *V. Aldebaran.*

Palma Serpentarii. Fixa inſignis. Vide in *V. Celabramet.*

2. Panselene Græcè dicitur Luna plena, cum eſt in ſolis oppoſitione ex *Pan* quod ſignificat aggregationem, & *Selene*, quæ dicitur Luna: nos eâdem ratione Plenilunium appellamus.

3. Parabola, ſeu *Parabole*, apud Geometras dicitur figura plana, ſeu area, quæ duabus lineis, alterâ rectâ, altera curua circumſcribatur. De hac multa habet Archimedes, qui etiam eam multis argumentis, ac demonſtrationibus quadrare primus, nec ſanè initio conatu aggreſſus eſt.

4. Paradisvs Terrestris eſt locus amœniſſimus in Editiori Orbis parte conſtitutus ad Orientem; Dei manu conſitus, & plantatus ad humani generis iucundiſſimam habitationem: in quo quidem Diu vitam traduxiſſet, ni primi parentis lapſus fuiſſet in cauſa, vt & ipſe inde eijcerétur, & poſteri omnes perpetuò exularent, poſito ad cuſtodiam Cherubim, & flammeo gladio, atque verſatili, vt habetur Gen. 3. ad omnem eius viam intercludendam. De eius ſitu, variæ ſunt, innumeræ, ſibique prorſus contrariæ SS. PP. aliorumque Doctorum Sententiæ, quas omnes accuratè cenſent, & expendunt Auguſtinus; ac Thomas Maluenda in peculiari libro de Paradiſo. Communior tamen, & quæ vulgi plauſum, fidemque promeruit, eſt eum fuiſſe ſitum in partibus Orientis, circà Meſopotamiam, & Armeniam. Tum quia Sacræ Paginę referunt eum fuiſſe plantatum *à principio*, hoc eſt (vt explicat Abulenſis) à prima parte terræ habitabilis Orientalis: cui explicationi conſonat Hebraïca dictio *Miqueden*, ſcilicet ab Oriente, quod eſt Principium Mundi: Necnon verſio ſeptuaginta interpretum, quæ ſic habet. *Et plantauit Deus Paradiſum in Eden ad Orientem, & poſuit ibi hominem, quem pſalmauerat.* Tum etiam, quia ex illo loco dicitur, quod egrediebatur magnus qui-

dam fons, qui irrigabat vniuerſum Paradiſum; quique poſteà diuidebatur in quatuor capita, ſeu magnos fluuios Orbi notiſſimos, ac celebres, Gehon, hoc eſt Gangem; Phiſon, quem volunt eſſe Nilum; Tigrim, & Euphratem: qui omnes, vt conſtat, ad Orientem poſiti ſunt. Cuius rei conſonam etiam rationem affert D. Th. 1. *parte quæſt.* 102. *art.* 1. *in corpore* *Quia*, inquit, *creuendum eſt, quod in nobiliſſimo loco terra ſit conſtitutus. Cum autem Oriens ſit dextera Cæli vt per Philoſophum* 2 *de Cælo: dextera autem nobilior eſt, quam ſiniſtra, conueniens fuit, vt in Orientali parte Paradiſus Terreus inſtitueretur à Deo.* Hæc S. Doctor.

Verum (vt hinc tandem exordiamur) non videtur hæc ratio ſufficiens ad probandum dictum Paradiſum ſitum eſſe in Oriente: & adhuc ſi in Oriente; vbinam locorum ſit: quia, vt benè ſubinfert Abulenſis, quilibet punctus horizontis eſt Oriens reſpectu alicuius alterius, ob terræ rotunditatem, & ſolis iugem circà ipſam circulationem. Vnde Palæſtina nobis dicitur Orientalis, Indis verò Occidentalis. Econtra Aſia tota; licet ad dexteram ſit Europæ, atque ipſa Orientalior, eſt tamen ad ſiniſtram Americæ, ex eâ præſertim parte; vnde incipit Amana Regnum ad polum Arcticum, cui ſuccedit Quiuira, Noua Albion, inde Noua Hiſpania, & ad Meridiem Noua Andaluſia, Guiana, mox Prouincia Peruana, ac tandem vltrà Tropicum Capricorni per Regnum Chiſi, Chicam & Pantagonum regionem, vſque ad eam inſulam ſeù potius reliqui continentis partem nondum detectam extenditur, quam ab igne circumambiente vulgò appellant, *La tierra del Fuego*, ad latitudinem gr. 55. Quod ideò nil mirum, ſi eo ſcripturæ teſtimonio non obſtante, Patres nihilominus diſſident: & alij in hac noui Orbis parte, alij in inſula Taprobana, quam Sumatram eſſe multi autumant ſub Æquatore (licet peritiores Coſmographi eam inſulam non Sumatram, ſed Ceilan eſſe cenſeant) alij demum veroſimiliùs in modo memorata terra ab igne circumambiente dicta, proindeque inacceſſibili, Paradiſum hunc inacceſſum & flammeo gladio, hoc eſt muro igneo, vt volunt intelligi circumſeptum velint conſtitui. Sed & illud omnibus indubitatum eſt, ac pro fundamento omnium maximo ſtatuendum, locum illum debere eſſe omnium florentiſſimum, atque amœniſſimum, vbi ex naturali ſoli diſpoſitione potuiſſent homines diù vitam protrahere: vt notat etiam Abulenſis *in cap.* 2. *Gen.* quod non icredibile eſſe ait. *Quia in Hybernia*, ſubdit, *quædam inſulæ ſunt, in quibus homines*

*nunquam moriuntur; quia tanta eſt aëris ſalubritas, quod vita humana valdè protenditur, & cum ad magnam ſenectutem homines peruenerint, pauliſper deficiente per calorem naturalem humido radicali, & anima propter bonitatem complexionis recedere non poteſt, fiunt magni dolores in corpore: & ideò homines illius regionis poſt diuturnos labores vitam faſtidientes extrà illam terram longè ſe deportari faciunt, vbi faciliter moriantur.* Locus autem adeò ſalubris, ac temperatus, qui cæteris omnibus antecellat, vix in toto terræ tractu excogitari poteſt, cui non ſit alius compar, ſiue Periæcus, ſiue Antæcus, ſiue etiam diametraliter oppoſitus: quippe eſt in eadem cæli poſitione; vbi eoſdem aut pares effectus contingere, neceſſum eſt affirmare. At enim ſub Æquatore conueniunt omnes, eſſe temperatiſſimum Clima: quod obſeruauit etiam S. Th. *vbi ſuprà art. 2. in reſponſ. ad 4.* antequam adhuc id Hiſpanorum experientia compertum eſſet, ob iugem dierum, ac noctium æqualitatem: quod potiſſimum de ſupradicto Guaianæ Regno ſub Æquatore ſito aſſeuerant. Vnde ob id contrarià ratione dici non poteſt, Paradiſum hunc eſſe in ea orbis parte ob ignem hactenus inacceſſã; quandoquidem ibi ob maximam latitudinem auſtralem, nimium frigus eſſe naturaliter deduci debeat. Prætereaquam, cum locus ille primis parentibus ad habitandum datus ſit cum omnibus ſuis poſteris, ni peccaſſent, conſequenter non in definito ſpatio trium circiter leucarum in longitudine, (vt vult Abulenſis *qu.98.in Gen.cap. 13.*) in ea amplitudine concipiendus eſt, quam non facilè exequare poſſit vna regio, aut inſula, qualis eſt terra illa ab igne denominata. Quod ideo Abraham Ortelius *in tabula Sacra Geographia*, Io: Nouiomagus *in Schol. ad lib. 5. Beda de Natura rerum*, Pineda *de Monarchia Eccleſiast. lib 1 cap 6.* aliique quos refert Maluenda *de Paradiſo cap. 8.* dixerunt, Paradiſum hunc à Moyſe deſcriptum, totam terram fuiſſe. Iacobus vero Epiſcopus Chriſtopolitanus in expoſitione pſ. 71. opinatus eſt, totam regionem auſtralem vltrà tropicum Capricorni, fuiſſe datam primis parentibus in regnum hæreditarium: adeoque in toto eius tractu conſtituendum eſſe Paradiſum terreſtrem; quem dicit gladio igneo, & verſatili circumſeptum, tropico videlicet Capricorni, qui ob ſolis ardorem iugiter per Zonam torridam diuagantis, igneus gladius, & verſatilis, quem Deus inter nos, & Paradiſum illum poſuit, dictus eſt. Sed audiamus illum de hac loci amænitate ſic diſcurrentem. *Quomodocumque*, ait, *Philoſophi diuidant terram, & totum Cælum in-*

*men omnes in hoc conueniunt, quod pars Auſtralis vltrà tropicum hyemalem eſt nobilior, & fauorabilior, & fertilior, & felicior: eo quod eſt ſub nobilioribus aſtris; & per conſequens recipit nobiliores influentias, & maiores virtutes quam iſta pars noſtra Aquilonaris, & quam tota menſa ſolis* (Menſam ſolis cum Philoſophis, ac Poëtis appellat Zonam torridam, quæ clauditur duobus tropicis, Cancri videlicet, & Capricorni.) *& ſic fructus, & omnia naſcentia, quæ ibi germinantur ſunt perfectiora & maioris virtutis. His habitis ponitur prima concluſio: quod Paradiſus deliciarum, vnde Adam expulſus eſt, eſt aſſignandus in illa parte Auſtrali, vltrà menſam ſolis, & ambos tropicos: nam nobiliſſima pars terræ debet collocari ſub nobiliore parte Cæli: ſed ille Paradiſus deliciarum eſt huiuſmodi: ergo. Maior eſt nota: quia bonitas, & fertilitas terræ ineſt ibi ex nobili influentia aſtrorum, & aſpectu cæli. Minor autem probatur ex dictis Sacræ ſcripturæ, & ſacrorum Doctorum. Nam illa terra ſpontè abſque omni labore humano profert fructus ſuauiſſimos pro vita humana conſeruanda; & inter cætera profert lignum vitæ, cuius fructus poteſt vitam hominum in æternum perpetuare, vt patet Gen. 2. & 3 prout hodie nutrit Eliam, & Enoch, ergò ſequitur, quod illa terra eſt cæteris nobilior, & fœcundior, & magis vbertoſa, & amœna, & delectabilis in omni genere deliciarum: quod ideò dicitur Paradiſus deliciarum.* Quod autem terra illa auſtralis ſit cæteris nobilior & ſtellarum benignitate fœcundior, iam ſuprà probauerat, & confirmat hic ex reſponſione ad quoddam argumentum ſibi factum. *Quia,* ſubdit, *omnia aſtra Cæli, tam illa, quæ ſunt in Zodiaco quam illa, quæ ſunt extrà, habent ſuas proprietates, & qualitates quaſdam bonas, & quaſdam malas ſicut habent & planetæ: & ideo quandò planeta mittit radios ſuos ad aſtra noſtra, quæ ſunt extrà Zodiacum cauſat effectus diuerſos apud nos, ſecundum diuerſitatem qualitatum aſtrorum: & ſic planeta malitioſus ex mixtione ſua influentiæ cum influentia aſtri malitioſi cauſat peſtilentias, aut ſterilitates, aut bella, & diſcordias, aut tempeſtates, & cætera infortunia apud nos, ſecundum diſpoſitionem aſpectus: hoc idem facit Sol ſecundum mixtionem radiorum cum aliis aſtris, quoad calorem & alias influentias: & ſic patet, quod non ſolum acceſſus, & receſſus planetarum ad nos, aut coniunctio eorum inter ſe eſt præciſa cauſa variorum effectuum, ſed mixtio influentiarum eorum cum noſtris aſtris, quæ ſunt ſuprà nos. Sed quia omnia illa aſtra, quæ ſunt in hemiſphario auſtrali ſunt bona, & fauorabilia, & magnæ virtutis, prout di-*

*ctumeſt; ideò nullam poſſunt recipere malam influentiam à planetis; immò reſiſtunt malitiæ eorum; intantum quod nullum poſſunt facere nocumentum in toto hemiſphario vltrà Capricornum, propter virtutes illarum ſtellarum prohibentium mal tiam planetarum.* Et ita eſt dicendum de radiis ſolaribus, quia non poſſunt cauſare intenſum, & inordinatum calorem, & aſtum cum illis aſtris, ſicut cum noſtris, per eandem rationem, propter nobilitatem, & temperantiam illorum. Et ſic planetæ nullum poſſunt cauſare nocumentum, nec diſproportionem in illis partibus propter benignitatem, & fauorem, & virtutem illorum aſtrorum reſiſtentium malitiæ planetarum.* Tandem concludit *Sic patet, quod nullum inconueniens ſequitur ex iſta poſitione, ſed multa, & plura inconuenientia ſequerentur, ſi Paradiſus deliciarum collocaretur ſub linea æquinoctiali inter tropicos, prout quidam dicunt, aut circa tropicos in parte orientali, ſicut alij autumant: quia vtraque iſtarum partium eſt ſubiecta multis miſeriis vt patet* Verum, vtcumque ſit de iſta aſſertione, in qua multa gratis aſſumuntur, multa effinguntur proſus veritati, & experientiæ Hiſpanorum contraria; illud vnum ei maximè officit, quod Paradiſus ille dicitur omninò inacceſſibilis, atque à cognitione hominum remotiſſimus. Iſta autem terra auſtralis (excepta forſitam ea parte, quam diximus ab igne denominari) non modò eſt permeabilis, ſed adhuc tota inhabitata, atque à noſtris magna ex parte detecta. Ex quo etiam manifeſtè conuincitur, neque in partibus orientalibus, præſertim circà Meſopotamiam, & Armeniam, vt multi pro certo autumnant, poſſe conſtitui; vel ex eo id approbantes, quod illa quatuor flumina, quæ dicuntur ex fonte in medio Paradiſi collocato exire, præſertim Tigris, & Euphrates in Aſia ortum habent: & hi quidem in Armenia; vnde poſteà per Meſopotamiam & Aſſyriam tranſeuntes in ſinum Perſicum exonerantur. Ganges autem ex Caucaſo Indiæ Monte proſilit, vt author eſt ſtrabo: & Nilus ex quodam Monte Mauritianiæ inferioris non longè ab Oceano, ſtagnante ibi lacu, quem vocant *Nilidem*: deinde ſe condit itinere plurium dierũ; rurſumque erumpit alio maiore lacu in Mauritania Cæſarienſi, iterumque arenis receptus per deſertum, viginti dierum ſpatio fertur ad proximos Æthiopas, & denuò proſilit fonte qui Nigris dicitur: Mox Africam ab Æthiopia diſterminans, medioſque Æthiopas ſecans, in Ægyptum venit; ac tandem ſeptem oſtiis in Mare Ægyptium ſe exonerat. Ex quo eludere conantur obiectionem illam, quod heiuſmodi fontes non ab eodem loco originem

trahunt, ſed ab valdè diſſitis regionibus. Quippe, inquiunt, ex Nili eruptionibus deduci etiam poteſt, tam ipſum, quam Gangem, reliquoſque duos, ab vno, eodemque loco, Paradiſo inquam illo hominibus inacceſſo primam ſuam ſcaturiginem acceptam ferre; poſtmodum ſub terras condi, ac demum poſt longos tractus, foras, vbi primum hominibus patet acceſſus, erumpunt: cum alioqui Paradiſus variis impedimentis, vel montium, vel marium, vel ſanè æſtuoſæ alicuius regionis, quæ pertranſiri non poteſt, ſit hominibus interclusus: vt author eſt D. Th. in reſponſ. ad 3.

Cæterum id non modo non euacuat difficultatem, ſed eam maioribus difficultatibus implicat; maiuſque dubium facit, vbi tandem locorum conſtituendus ſit Paradiſus terreſtris. Siquidem inter Tigrin Euphratemque (qui ex Armenia, vt dictum eſt, primò ſe ſpectabiles reddunt) ac Gangem fluuium, intercedit ſpatium ſeptuaginta graduum; hoc eſt iuxtà Ptolemæum, plusquam quatuor millium ac trecentorum milliariorum: maiuſque etiam inter eoſdem, & Nilum. Vt propterea non tam de iſtorum origine, incerta res ſit, quam de illorum; atque etiam, nùm omnes, aut eorum aliquis non tàm ex India, quam ex alio quouis vel diſſito loco, ad vltimas Occidentis oras protenſo originem trahat: ac per longiſſimos tractus, occultoſque terræ meatus, tandem hic apud Indos, ille in Mauritania, reliqui circà Armeniam foras erumpant. Deinde (vt id etiam euidentiùs cadat) hoc ipſum, quod modò diximus clariſſimè conuellamus. Nam cum flumen aliquod per occultos terræ meatus permeat, erumpere poſtea ſolet magno impetu, & niſu, & eò maiore, quo maior extiterit occultatio: quod & ratio ſuadet, & euincit experientia, præſertim in Ana Fluuio, qui per quinque leucas ſubtus terram occultus permeat, totuſque deinde quaſi renaſcens rapidiſſimus erumpit. Id etiam videre eſt in ipſo Nilo, vbi in Mauritania Cæſarienſi denuò naſcitur, ac tertiò apud Æthyopas: quod non facit in Mauritania inferiori. Vt proinde id argumento ſit, eum hîc prima incunabula obtinere, illic adultum viribus, per motum, atque arctos terræ meatus auctum, foras violenter erumpere. Sicque etiam Gangem in India, Tigrim, & Euphratem in Armenia, vbi quietè & placidè oriuntur, primas ſcaturigines acceptas ferre. Quare cum iſta loca, vt dictum eſt, inter ſe longè diſiecta; neque vnus quidam ſit ſons toto terrarum orbe, ex quo veroſimiliter coniectari poſſit, omnes hos fluuios realiter deriuare; 6.

vel dicendum eſt cum. Damaſceno *lib. 2. de fide Orthodoxæ cap. 9.* pro fonte illo, vnde quatuor iſta flumina exire dicuntur, intelligendum eſſe Oceanum; vel cum Vgone Carenſi in cap. 2. Geneſ. id quod ſacræ paginæ de his quatuor fluminibus ex vno Paradiſi fonte prodeuntibus referunt, non videri purè ad litteram dici, ſed aliquantò altiùs & figuratè, vt mox infrà ſubiiciam. Poſtremò iam modò debile valdè eſt argumentum, Paradiſum illum fieri vel montium, vel Marium immenſitate inacceſſibilem. Tum quia in ſcripturis manifeſtè dicitur Paradiſus ille muro igneo circumſeptus eoque tantum, non alio quouis impedimento fieri inacceſſibilis: Tum quia, iam noſtro æuo tellus ferè omnis Orbis iſtius penetrata eſt, omnis vel maxima pars habitatoribus culta, Oceanus totus ſæpiſſimè excurſus, Montes omnes luſtrati, deſcripti, altitudo emenſa, & ne minimus quidem terræ angulus relictus eſt, qui non ſit penitiſſimè obſeruatus: excepta vix ad polum Antarcticum deſpectibili parte, longitudinis vix quinque graduum, nec ea quidem, vt creditur prorſus inacceſſibili, ſed hactenus, ob ſubterraneos ignes exilientes inacceſſa: in qua num homines degant, iure etiam dubitari poteſt, licet forte ob climatis aſperitatem, rudes admodum, ſi vlli ſint, eſſe debeant, & inculti, vt de finitimis populis compertum eſt, atque etiam de ſitis ad borealem polum, his de quibus loquimur Antæcis; vbi ob ſolis obliquitatem, nimiumque frigus omnia rigent, & algent, mare perpetua glacie concretum eſt, tellus germen nullum profert, &c. vt incredibile planè ſit, Paradiſum deliciarum, quem tam amænum, tam floridum, tam fructibus omnibus redũdante ſacræ paginæ ſanctiq; Patres deſcribunt, in frigidiſſima zona, ſub inclementi adeò cælo, poſſe naturaliter, aut potuiſſe conſiſtere.

Accedit, quod vbique tandem locorum huius terræ habitabilis Paradiſus terreſtris conſtituatur, is debuiſſet iam aquis diluuij obrui, ac diſſipari. Quippe legimus Gen. 7. omnem terram fuiſſe aquis inundatam: imò aquas maximis, & altiſſimis montibus altiores quindecim cubitis extitiſſe. Nec valet aliquorum effugium dicentium eò aquas peculiari Dei priuilegio minimè penetraſſe; aut, quod aſſumit Abulenſis circumſteriſſe vndique ad morem fornicis, eo pacto, quo Mare rubrum tranſeuntibus Iſraelitis ſteriſſe vtrinque pro muro. Tum quia id ſacræ paginæ non enunciant, immò potiùs contrarium, cùm abſolutè dicant terram omnem fuiſſe aquis coopertam: Tum quia, vt benè aduertit Viega *in Apocal. cap. 11. ſect. 5. num 6.* Si locus iſte in terris à ge-

nerali alluuione euaſit immunis; vtique in eo potuiſſet Noe cum ſuis, & animantibus aſſeruari, nec opus habuiſſet ex Dei præſcripto centum annos inſumere in Arcæ fabricatione: nec Deus id ſanè præcepiſſet, ſi locum vllum in terra à Diluuio immunem conſeruare decreuiſſet.

Dicere autem cum eodem Viega, Genebrardo, Oleaſtro, Eugubino, Ianſenio, & aliis paucis quos ipſe Viegas refert loco citato, Paradiſum nempe terreſtrem iam modo nullum extare, ſed fuiſſe aquis diluuij diſſipatum planeque deſtructum; præterquam quod eſt contrà communem ſenſum SS. Patrum, fereque omnium ſcholaſticorum, vt ipſemet Viegas obſeruat; immò & contrà fidem, vt opinatur D. Auguſtinus *lib. 8 in Geneſ. cap. 3.* dicens: *Eſſe Paradiſum illum fides Chriſtiana non dubitat.* Hoc etiam aduerſariis dato, non euacuant difficultatem: Nam etiam ſi aquis diluuij Paradiſus ille fuiſſet iam diſſipatus; adhuc tamen locus extaret; montes, fontes, ſolique illius ſaltem non obſcura veſtigia: præſertim fons ille è medio Paradiſi erumpens, atque in quatuor illa ſuperiùs enumerata flumina diuiſus. Aquæ enim, arbores; ædificia, ſolique ad tempus vbertatem potuerunt quidem diſſipare, vt de cæteris orbis partibus feciſſe, compertum eſt, minimè autem montium ſitus, aquarum intimas ſcaturigines, fluminum alueos deflexiſſe: & quod his omnibus præſtat, cæleſtem poſitionem, ac temperiem climatis prætervertere minimè valuerunt; vt non mox tellus aquis libera priſtinam vbertatem, cæli clementiam, aërisque iucunditatem reaſſumere debuiſſet, ſicut reliquæ orbis partes, pro ſuæ quæque poſitionis gradu reaſſumpſere, iugiterque recuperant in fluuiorum alluuione, igniumque è ſumnis montibus eruptione, ac deuaſtatione, experientia id ſæpiùs atteſtante. At enim neque in Palæſtina, neque in armenia, neque in Taprobana inſula, neque in America, neque vllibi tandem locorum vllum Paradiſi veſtigium fuit hactenus obſeruatum, præſertim quatuor illorum fluminum vna, & eadem ſcaturigo, vt omnes ſcriptores tradunt: cum tamen modò iam tota tellus ſit vndique peruagata, diligentiſſimè conquiſita.

Denique nec etiam, abſolutè loquendo ſubſiſtere modo 8.
poteſt quod alij ad hanc aquarum diluuij vniuerſalem alluuionem euadendam effinxerunt. Nempe Paradiſum terreſtrem in editiſſima terræ parte ſitũ eſſe, adeò à communi hac terreni orbis planitie elatum, vt lunæ orbem pertingat: eamque ob cauſam, neque hodie permeari poſſe, neque olim aquas diluuij illùc pertingere potuiſſe. Cuius ſententiæ

author eſt Beda in explanat. cap. 2. Geneſ. quem ſequuti ſunt ſtrabo, Iſidorus Rabbanus, Magiſter, Alenſis, Caiet. & alij, quos refert Maluenda *cap.* 11. Hoc, inquam, nequit ſubſiſtere: tum quia id planè officeret terræ globoſitati, & figuræ ſphæricæ, quam Mathematici omnes mille obſeruationibus adacti admittere compulſi ſunt: & licet montium, & vallium inæqualitates huic globoſitati aliquatenus videantur obſtare; tamen ob terreni orbis amplitudinem, vt aliàs dictum eſt, hæc perinde ſe habent, ac in aurantij pomo tuberculi: quod de tam ſublimi monte, qui vſque ad Lunæ orbem pertingeret autumari nequaquam poſſet. Tum quia ſi vllibi terrarum daretur tam altus mons, ſanè foret omnibus notus, ac celebris propter ſummam altitudinem, ſolis radios exorientis diutiſſimè impediret, facileque poſſet & oculis cerni, & pedibus inueſtigari: cum tamen hoc vnum memoria proditum ſit, ſolum Olympum eſſe cæteris omnibus altiorem, quippe qui, ſeù verè, ſeù hyperbolicè dicitur nubes ipſas excedere. D Thomas, id alia ratione confutat. Quia inquit, ea Regio neque commoda eſſet habitationi hominum, neque ſalubritati. Verum ea ratio non conuincit: quia poſſent ibi homines aſſueſcere, fierique aër ille tenuiſſimus iugiter, & ab incunabilis habitantibus oppidò opportunus, atque connaturalis, eo planè modo, quo Luſitanis primo ad Indias orientales appulſis aër ille longè diuerſus euadebat incongruus; itavt ob climatis nouitatem mox extinguerentur: at poſtmodum eò deſtinatis adoleſcentulis, qui paulatim aëri aſſueſcerent factus tandem fuit connaturalis, & proprius. Sic igitur diei poſſet de hac editiſſima regione, quæ ad Lunæ orbem pertingeret. Sed, vt diximus, obſtat experientia, quod neutiquam talis regio comperta ſit, nunquam talis mons oculis tentus, qui vertice ſuo aliquando Lunam attingeret, aut eius curſum impediret, faciemve ſaltem ſeù ſui corporis denſitate oppoſita, ſeù vmbræ ſuæ proiectione aliquatenus obuelaret: Cum tamen ad noſtra tempora vniuerſus penè Orbis ſit penitiſſimè inueſtigatus, cæleſtium corporum affectiones, Lunæque, vel minimæ quæuis defectiones exquiſitiſſimè obſeruatæ.

9. Conſtituto itaque dari verè Paradiſum terreſtrem, atque etiam nùm extare in rerum natura; ibique aſſeruari ſanctos illos Heroas Henoch, & Eliam, ( & vt aliqui volunt etiam S. Ioannem Euangeliſtam ) vbi, loco depoſiti ſiſtant, quoadvſque finis Mundi aduenerit, quando ex Dei ordinatione inde huc remeare debent, & finem ſuum prædicatio-

ne ſunt, & martyrio completuri, vt omnes ferè SS. Patres affirmanr, atque ex ſcripturis ſanctis euincitur. Et ex alia parre cum planè euidenter probatum ſit nullibi terrarum eſſe, ſed nec conſiſtere poſſe, quando is prorſus dicitur inaceſſibilis, & iam modò omnis tetræ angulus detectus eſt, & nuſquam apparent vlla Paradiſi veſtigia: iam clarè videtur euinci, eum extrà terrarum orbem conſtituendum, in regione quidem habitationi hominum congrua; verum naturali potentia impermeabili, atque vt ſcriptura refert, igne vndique circumſepta. Id quod olim aliquibus durum videri potuiſſet, ſed tamen ex tunc B. Ephrem Syro, Moyſi Barcephæ, aliiſque Patribus aliquatenùs innotuit, atque à Moyſe ipſo non obſcurè litteris tradirum Sic enim loquitur lib. de Paradiſo cap. 9. *Illud inſuper aſſerimus eam terram, in qua eſt Paradiſus, altiorem multò ſublimioremque exiſtere hac quam, nos colimus: id enim ità ſe habere, indicio ſunt quatuor illa grandia flumina, quæ orta in Paradiſi terra, per hanc noſtram ab illa diuerſam feruntur. Niſi enim illa terra altior extaret, fieri non poſſet, vt illa flumina illinc præcipiti curſu ſub mare magnum delata, tandem per hanc à nobis cultam regionem ſpargerentur, &c.* & clariùs cap. 8. *Cæterum ſtatuimus, inquit, terram in qua Paradiſus exiſtebat diuerſam quidem eſſe ab hac noſtra; verum non natura, ipſaque ſui materia, ſed raritate, & denſitudine. Diuidamus ergò terram in duas maximas partes quarum altera Paradiſi terra, altera extrà Paradiſum vocetur: illa ſubtilis, ſincera, pura: hac quæ à nobis colitur craſſa, materiata, impura, confuſa ſit.* Hæc Moſes, tum ex ſua, tum ex aliorum Patrum, præſertim Ephrem Syri ſententia, à qua licet B. Ephrem immunem facere contendat Maluenda lib. *de Paradiſo cap. 9* eamque vti falſam, ineptamque derideat; non tamen quidquam ſolidi affert, quod ſaltem tunc temporis in tanta rerum notitia, & reiectis modò reliquis aliorum opinationibus, hanc in ſua probabilitate non linquat. Quod enim ait, *hoc tempore clariſſimis Hiſpanorum nauigationibus, toto orbis ambitu immenſo ſulcato, Oceano circumnauigato euidenti experientia manifeſtum ſit, neque totam terram ab Oceano cingi, neque vltrà Oceanum aliam eſſe tellurem, niſi forſan iaceat in aëre.* Id, inquam, nobis potiùs fauet dicentibus, nuſquam in toto hoc terræ mariſque ambitu inueniri Paradiſum deliciarum. At enim ei vel nolenti è calamo excidit verus Paradiſi locus. *Niſi forſan, inquit, iaceat in aëre.* Vere quidem dixiſti, ad ſcopum, neſciens, collineaſti: nempè in aëre iacet Para-

radiſus terreſtris, hoc eſt in liquidiſſimo illo Lunaris regionis æthere, quod ipſiſſimum aerem, ſeù eiuſdem ſubſtantiæ, licet purioris alibi ſatis aperte monſtrauimus. Et vt iam, detecto velo, clariùs & fidentiùs loquar, in ipſa ſuperficie Lunæ (quam Beatarum mentium ſedem Veteres non omninò extra aleam, alteram terram Plato, Pythagoreique omnes apud Tullium, ſtobeumque dixere quamque habitabilem, arboribus conſitam, vitæque hominum opportunam nedum ex veteribus, ſed ex neothericis multi, variis obſeruationibus edocti probabiliter aſtruunt) in ipſa inquam ſuperficie lunaris globi Paradiſus ille eſt conſtitutus; quam & olim primi parentes noſtri incoluerunt, & nunc ſancti illi ſecundi ſaluatoris aduentus prodromi diuinitùs tranſlati, illic finem mundi expectantes, loco depoſiti detinentur.

10. Fateor, id nouum, ſingulare, & hactenus inauditum: at non per hoc temerarium, atque intolerabile dixeris; quia & id Antiquiores dixiſſent, ſi eam rerum notitiam habuiſſent, quam nos longo vſu, experientia teſte, nouis obſeruationibus, & eorum qui nos præceſſerunt, detectis, reuulſiſque erroribus comparauimus. Equidem olim temporibus Auguſtini, Antipodas affirmare, non abſimili ratione; vt aliàs dictum eſt, hæreticum habebatur. Verùm poſteà Orbis peragratione, & ipsâ experientiâ, ita res firmata fuit, vt iam modò eoſdem non admittere erroneum, ac ridiculum foret. Ita planè: olim Paradiſum terreſtrem extrà terreni Orbis ambitum ſiſtere, error intolerabilis, ac cenſurâ dignus meritò habebatur, præſertim cum nomen ipſum oppoſitum videatur euincere: at modò partâ tanta rerum notitiâ, Lunæ facie Teleſcopio penitiſſimè obſeruata, veterum dictis expenſis, locis inueſtigatis, Paradiſum in Lunæ ſuperficie collocare, ratio ipſa compellit. Siquidem, vt dixi, nouis obſeruationibus compertum eſt Lunæ globum eſſe alteram veluti terram, Montibus, vallibus, ſyluis, atque aliis id genus præditam, adeò vt eam terram cæleſtem, ac terram hanc noſtram Lunam terreſtrem, cæleſti lumine afflatus appellarit Diuinus Plato: vt Dauid fabritius apud Argolum: nec noſtris temporibus abſuerunt, qui auſi ſint affirmare, Lunam eſſe habitatoribus cultam, ſeque inibi homines & iumenta diſcurrere Teleſcopio obſeruaſſe, vt nos in *V. Luna* litteris conſignauimus, (quod tamen nimis audenter, minùs verè dictum exiſtimauerim, fideique prorſus contrarium, cum exinde planè deduceretur, homines eſſe non à primo homine naturali propagine deriuatos, proindeque

deque non à Chriſto redemptos.) At verò locum illum eſſe habitationi hominum congruum, ibique tantùm vitam ſuam agere ſanctos illos Hæroas miraculosè illuc tranſlatos, non ità incredibile eſt, non multum à plurimorum Patrum dictis aberrans, nec demùm Fidei dogmatibus repugnans. Conſonant ſacræ Paginæ atteſtantes Eliam ſublimè elatum, & curru igneo raptum in cælum, non vtique Empyreum, neque in aëra, vt conſtat, ſed in Paradiſum voluptatis, vt omnes Patres affirmant, in Cælo, hoc eſt in Lunæ globo ſitum. Et de Henoch dicitur Gen. 5. quod tulit eum Deus, & amplius non apparuit; tranſlatus vtique in Paradiſum: vti Eccleſiaſt. 44. apertè dicitur. Conſonant SS. Patres id, etſi non clarè affirmantes, tamen aliqualiter innuentes, atque ad metam propè collineantes. Etenim Iuſtinus martyr in reſponſ. ad orthodoxor. quæſt. pluribus in locis præſertim quæſt. 75. 76. & 85. clarè docet, Paradiſum illum etiamnùm extare, & permanſurum vſque ad diem Iudicij, in eoque loco verſari Henoch, & Eliam, & D. Ioannem Euangeliſtam. Ambroſius *lib. de Paradiſo*, eum teſtatur in terra non eſſe, ſed in tertio Cælo. Irenæus *lib. 5. aduerſus Hæreſes*, addit, hunc Paradiſum eſſe illum, ad quem raptus eſt Paulus; eiuſdemque ſententiæ ſuffragatores laudat Aſiæ Presbyteros Apoſtolorum diſcipulos. Cæterùm Paradiſum ab hac terra non quidem diſcontinuum, ac diſiunctum, ſed ex ipſa inſurgere, atque ad orbem vſque Lunæ pertingere Rupertus Abbas lib. 1. de Trin. cap. 37. Damaſc. lib. 2. de fide cap. 11. Baſil. Orat. de Paradiſo, Gloſſa in cap. 14. Gen. aliique Patres, quos ſuprà retulimus, docuere: quibus indubitanter ſubſcribit etiam Auguſtinus ad Oroſium ſcribens in hæc verba. *Paradiſus in Oriente ſitus eſt, interiecto Oceano, & à noſtro Orbe longe remotus in altiſſimo loco conſtitutus, pertingens vſque ad lunarem circulum: vnde illuc aqua diluuij minimè perueniſſe dicuntur.* Quin & eiuſdem ſententiæ primus author fuiſſe dicitur Thomas Apoſtolus, vt proinde eam ob cauſam ei contradicere non audent Albertus Magnus 2 *part. Summa Theolog. tr. 13. q. 29.* ac Dionyſ. Carthus. *in 2. ſentent. diſt. 17. quæſt. 5.* qui de hac ſententia, hæc reuerenter habent. *Hoc tamen dico ſine praiudicio ſententia melioris; quoniam in quibuſdam libris antiquiſſimis inuenitur, quod glorioſus Thomas Apoſtolus fuit illius ſententia author, qua Beda & ſtrabo in aſcribitur, quod ſcilicet Paradiſus ſua altitudine tendat vſque ad ſphæram Luna.* Quis igitur damnare audebit ſententiam, quam tantus Apoſtolus primus docuit, quamque experimenta

multa, plurimæ coniecturæ, SS. Patrum non interrupta ſeries probabiliſſimam faciunt? Porrò è re non multum eſſe videtur, ſi locus ille, aut terræ coniunctus, vt iſti volunt, aut ab eiuſdem planitie ſegregatus, atque in ipſa Lunæ ſuperficie conſtituatur, vt nos dicimus, modo in eodem ſitu, altitudine, ac diſtantia aſtruatur. Accedit; quod Paradiſus deliciarum nuſquam in Sacris paginis inuenitur in hac noſtra terrâ plantatus; quemadmodum obſeruauit etiam Franciſcus Georgius *tom. 1. probl. 31.* Et ſi demùm Terreſtris nomen promeruit, id eſt quia cum reuerà Luna ſit arboribus conſita, Montibus, & Vallibus formata, vt cuique Teleſcopio obſeruare licet, perinde eſt, vti diximus, ac Terra quædam Cæleſtis.

11. Quod autem in Scripturis Sanctis dicatur è medio Paradiſi fons erumpere, qui poſtea diuidatur in quatuor illa flumina, Tygrim & Euphratem, Phiſon, & Gehon (quos duos poſtremos, vt ſuprà annotaui, communiter Interpretes pro Gange, & Nilo accipiunt) id vel non ad litteram accipiendum, prout ſuprà cum Vgone meminimus, vel de Oceano, cum Damaſceno: vel ſanè quod à Luna, quæ humorum, & aquarum mater eſt, originem & incrementa hæc præſertim celebriora Orbis flumina ſumunt; vti & Oceanus ipſe, qui ad Lunæ motum, & normam minuitur, & augetur. Idque eò maximè dixerim, quod non minus ægrè de aliquo fonte in terrà conſtituto, è quo æquè omnes iſti amnes originem trahant, interpretari poteſt; vt fusè ſuprà probauimus.

12. Denique nil magis noſtram ſententiam confirmare poteſt, quam romphæa illa flammea, & verſatilis, quam Scriptura refert circa Paradiſum conſtitutam ad cuſtodiendam viam ligni Vitæ: hoc eſt, murus igneus, & verſatilis, (vt explicant D. Thomas, Hugo Victorinus, Rupertus Abbas, Toſtatus, & alij.) Paradiſum vniuerſum ambiens, & circumuallans: quod licet aliqui explicare nitantur de Zona torrida, aſſerentes, Paradiſum iſtum eſſe in ea parte auſtrali, quæ extenditur vltrà tropicum Capricorni, vt ſuprà dictum eſt, & ſatis abundè reiectum: tamen minus ægrè, immò longè conuenientius explicari poteſt cum Vgone Carbonello *in Paradoxis Quadrageſimal. Sabbat. poſt Dom. 1. Quadrageſim.* de ſphæra ignis inter nos, & Lunarem circulum conſtituta. Is enim, poſt relatas multorum opiniones de vero ſitu Paradiſi terreſtris, concludit, eum eſſe circà orbem Lunæ, ac ſphæra ignis, quæ nomine flammei gladij venit, vallari. En ipſius verba. ***Paradiſus***, in-

quit, *terreſtris aſcendit vſque ad globum Lunarem, vnde aqua diluuij illuc minimè peruenerunt: ex quo patet, quod erat altior media regione aëris, & nulla erat nox in illo Paradiſo. Sed quæritur, cur à ſphæra ignis non conſumebatur attingens concauum Lunæ? Reſpondetur, quod priuilegio ſpeciali fuit locus iſte conditus; vnde circumquaque erat ſphæra ignis, non tamen intrans eum, dono Dei: & hoc innuitur Gen 2. vbi gladius igneus, & verſatilis ſphæra ignis intelligenda eſt.* Hucuſque prædictus auctor: & quidem valdè ad rem, nam non niſi de ſphæra ignis verificari magis propriè poſſunt quæ de flammea illa romphæa à Scripturis, & Patribus dicuntur. Benè autem verſatilis dicitur quia, vt alibi dictum eſt, & ipſa cum cæteris ſphæris, ac regione aëris pro ſua quæque à primo motore diſtantia, alia citiùs alia lentius circà terrarum orbem motu vniuerſitatis rotatur.

Conſtat igitur in hac celeberrima, ac difficili admodum quæſtione non eſſe adeò intolerabile, nec rationi, aut Sacris Saginis repugnans, affirmare Paradiſum Terreſtrem, in quo primi parentes fuerunt, & nunc temporis vitam ſuam degunt Henoch, & Elias eſſe in Lunari globo ſitum, romphæa ignea, hoc eſt ſphæra ignis vndique circumſeptum.

Cæterùm hæc diſputandi gratia dicta ſint, non vt noui 134
quicquam hactenùs inauditum è meo capite audeam affirmare. Cùm aliàs Quæſtio hæc ex earum genere ſit, quas Auguſtinus *lib. 2. contrà Pelagium, & Celeſtium cap. 23.* præter fidem eſſe oſtendit. *In quibus*, inquit, *ſalua fide Chriſtiani ſumus, aut ignoratur quid verum ſit, & ſententia definitiua ſuſpenditur, aut aliter, quam eſt, humanâ, & infirma ſuſpicione coniicitur. Veluti cum quæritur QVALIS, VEL VBI SIT PARADISVS, vbi conſtituit Deus hominem quem formauerat ex puluere, cum tamen ESSE ILLVM PARADISVM, Fides Chriſtiana non dubitet. Vel cùm quæritur, vbi ſint nunc Elias, & Henoch, an ibi, an alicubi; quos tamen non dubitamus in quibus nati ſunt corporibus, viuere, &c.* & poſt pauca. *Quis enim non ſentiat*, ſubdit, *in his, atque huiuſmodi variis, & innumerabilibus quæſtionibus, ſiue ad obſcuriſſima opera Dei, ſiue ad Scripturarum abditiſſimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti, ac definire difficile eſt, & multa ignorari, ſalua Chriſtiana fide, & alicubi errari, ſine aliquo hæretico dogmatis crimine?* Hæc Auguſtinus. Cui conſonat Theodorus *quæſt. 45. in Geneſ. cap. 23* Cyprianus *Lib. de montibus Sina, & Sion*, & alij vltrò affirmantes,

hæc, & ſimilia Naturæ arcana perſcrutari, de iiſque in alterutram partem diſputare, ac noui aliquid in medium ferre, ſalua fide, liberum cuique eſſe, cum ea ad fidem minimè pertineant. Quod ſi demùm noſtra hæc opinatio aliquibus diſpliceat, velintque omnino Paradiſum terreſtrem in terra conſtituendum, locum inueniant, & ſubſcribam. Certè ex his, quæ hactenus diximus, nullus aptior, & conuenientior videri poterit, quam terra illa in auſtrali orbis parte ob ignem circumambientem hactenùs inacceſſa, quam idcircò appellant *la Terra del fuego*. Et hæc ſatis dicta ſint de Paradiſo terreſtri, eâ parte, qua eius ſitum conſiderare, peritum Aſtronomum Geographumque concernit.

14. Parallage, teſte Valla, dicitur apud Aſtronomos certus ſtellarum ad inuicem poſitus, & conſtitutio, itavt in figura efforment triangulum Iſoſceles, hoc eſt vt ſint ita inter ſe conſtitutæ duæ ſtellæ ad inuicem, vt reſpectu ad aliquod punctum, vel aliam tertiam ſtellam, ſi ducerentur lineæ efformantes triangulum, duæ ex illis eſſent æquales, ad inuicem, tertia verò minor. Talis eſt conſtitutio Arcturi cum ſpica Virginis, & Cauda Leonis efformantes perfectum triangulum Iſoſceles, facta baſi in Arcturo, & Cauda, Angulo verò in Spica: talis eſt etiam forma Trianguli ſideris dicti, *Delteton*. Hanc ipſam Ptolemæus in Luminaribus cum inforrunis vocat figuram æquicruriam: de quâ fusè egimus *ſuo loco*.

15. Parallaxis eſt deuiatio viſus facti ex diſtantia termini lineæ viſualis proiectæ à ſuperficie terræ ad ſidus, vel aliud Phænomenon in Cælo apparés à termino alterius lineæ proiectæ à centro telluris ad corpus eiuſdem ſideris in loco vbi reuerà conſiſtit. Pro cuius rei intelligentia ſciendum eſt, quod omnia loca ſuperiora à telluris centro moderationem ſumant: cũ enim nos conſpiciamus ſidera à ſuperficie terræ, quæ diſtat à centro milliar. ferè 3035. quanta eſt ipſius terræ ſemidiameter, conſequenter neceſſe eſt vt diuerſus ſit locus deſignatus per lineam rectam à centro telluris, ac ab eiuſdem ſuperficie, & in diuerſo etiam ſitu conſiſtere videatur ſtella à ſuperficie terræ proſpecta, ac ſi ab eius centro conſpiceretur, vt ex opticis perſpicuum eſt. Hanc autem aſpectus diuerſitatem dicimus Parallaxim: quæ maior aut minor eſt, pro maiore vel minore propinquitate, quam habet ſidus ad terram. Porrò id locum habet in radio obliquè immiſſo, ſeu quando ſtella cum non ſit verticalis proijcit radium ex aduerſo, atque à latere ad centrum, & ſu-

perficiem terræ: Nam verticalis cum proiiciat radium rectâ ad ſuperficiem terræ, neceſſariò cum is tranſeat per ſuperficiem, quæ vertici ſubeſt, nullam patitur parallaxim; ideoque quo magis à vertice elongantur, & ad horizontem appropinquant eo maiorem habent parallaxim, & econtra cum ex horizonte ad Verticem accedunt, ſemper minuitur parallaxis pro ratione ſituum.

Patiuntur parallaxim Cometæ, ſeù noua phœnomena in aërea regione producta, maximam: Poſt Luna, Planetæ & reliqua Phænomena in ea æthereæ regionis parte genita, in cuius diſtantia telluris corpus aliquam retinet proportionem ſenſibilem: nam vbi terra ſe habet ad inſtar puncti inſenſibilis, vt in ſphæra fixarum, nulla omninò eſt parallaxis. Et ideo noua ſtella, quæ apparuit in Sede Caſſiopeæ anno 1572. & quæ in Cygno anno 1600. creditæ fuerunt non in regione elementari, neque in lunari, aut alterius planetæ productæ, ſed in ipſo cælo & regione fixarum, quia profectò vt reliquæ ſtellæ fixæ nullam recipiebant parallaxim. Regio Saturni, & Iouis, eorumque corpora nullam habent ſenſibilem parallaxim; ferè enim coincidit locus deſignatus per Lineas rectas à centro telluris, atque à ſuperficie: ſic ſtellæ eorum comites à Galilæo nuper obſeruatæ. Mars ex Tychonis obſeruationibus, conſtitutus in Perigæo, vbi fit terræ proximior magis quam ſol, habet parallaxim minutorum quatuor: in Apogæo ferè nullum. Sol ſiue in Apogæo, ſiue in Perigæo minut. fere trium: Venus, & Mercurius paruam: Luna, & quæ in eius regione generantur phænomena, experiuntur parallaxim vnius ferè gradus circa horizontem, quæ, vt dixi, proportionaliter ſemper minuitur pro maiori approximatione ad verticem. Et cum radius viſualis interſecare neceſſario debeat lineam rectam à centro telluris in corpus ſtellæ protenſam, conſequenter humilior apparebit, quam reuera ſit, & exigat calculus Aſtronomicus. Parallaxis ope nouimus ordinem planetarum inter ſe, ac ſingulorum tum ad inuicem, tum à terra diſtantiam: noſcimus tempus veræ coniunctionis, præcipuè verò Eclipſium verum momentum ab apparente diſcernimus: aliaque permulta, quæ apud auctores videri poſſunt, in quibus etiam extant Tabulæ parallaxium, tum planetarum, tum Cometarum in quacumque aëris regione apparentium. 16.

Paralleli dicuntur circuli, ſeu lineæ æquè diſtantes ab inuicem, ſeu ab aliquo puncto. Potiſſimè vero accipiuntur pro circulis æquidiſtantibus ab æquatore, tam in 17.

ſuperficie terræ quàm in regione ætherea conſideratis: ita vt qui habitant in eadem diſtantia ab æquatore verſus eundem polum, dicantur eſſe in eodem parallelo: Quæ item ſidera eandem habent declinationem & numero, & regione, eandemque ab æquatore diſtantiam, dicantur eſſe in eodem parallelo: quæ eandem quidem declinationem, ſed non eandem diſtantiam ab æquatore, benè verò ab alterutro ex duobus tropicis dicantur eſſe in parallelis intuentibus, quæ nos communiter Antiſcia vocitamus: Quæ tandem ſunt in eadem diſtantia hinc inde ab æquatore, ſuntque profectò in eadem numero declinatione, ſed regione diuerſa, ea dicantur eſſe in Contrantiſciis ſeu antiſciis Imperantibus, & obedientibus, quoniam vnum neceſſariò debet eſſe in ſignis borealibus, alterum in auſtralibus, quæ ſanè ob ſitus humilitatem dicuntur borealibus obedire. Hinc iure Titus hoc familiaritatis genus inter aſtra contractum in æqualibus parallelis, non communi Antiſciorum; Sed expreſſiore vocabulo Parallelorum declinationis, ad differentiam eorum, quæ in mundo fiunt (de quibus mox infrà) voluit appellare, & eos quidem qui ab eodem Tropico æquè diſtant, Parallelos primarios, qui verò ab æquatore hinc inde, ſecundarios, imperantes, aut obedientes.

18. Quoniam autem, vt diximus in Verbo *Familiaritas*, duplicem familiaritatem, ad rationem duplicis motus, contrahere poſſunt ſidera, & in Zodiaco, in proportionalibus, ſcilicet, diſtantiis ab inuicem in partibus Zodiaci, & in Mundo, in proportionalibus diſtantiis à cardinibus mundi ſumptis in partibus ſuorum arcuum; ideò duplex etiam genus Antiſciorum, ſeù Parallelorum, & in Zodiaco, & in Mundo. Et ſicut qui in Zodiaco computantur ſunt æquidiſtantiæ à quatuor punctis cardinalibus Zodiaci, atque attendi debent in ſiderum declinatione eadem: ita & iſti (quos coſmicos placuit appellare) computari debent in æquidiſtantia ſiderum à Cardinibus Mundi ſumpta in partibus proportionalibus ſuorū arcuū, ita vt ſicut duo ſidera, ex. gr. quorum alterum ſit in gr. 30. Tauri, alterum in gr. 1. Leonis dicuntur ſe mutuò intueri, & eſſe in parallelis primariis ſeu Antiſciis, quia ſunt in eadem declinatione, & æquidiſtantia à Tropicis; ita etiam, ſi eadem ſidera in ſitu Mundi tali modo diſponantur, vt alterum ſit in cuſpide Vndecimæ Domus, alterum in cuſpide Nonæ, vel vnum in Duodecima, alterum in octaua; vel ſanè in proportionalibus diſtantiis à Culmine; eadem ratione ſe dicantur intueri in Mundo, & eſſe in Parallelis, ſeu Antiſciis coſmicis, quia

videlicet æqualiter diſtant à Cardinibus Mundi. Et ſi quidem ea diſtantia ſit ab eodem cardine, & ambo ſint ſuprà terram, dicantur eſſe in Parallelis primariis, & intuentibus; ſi verò alterum ſit ſuprà, alterum infrà; ita tamen, vt quam diſtantiam habet vnum à Culmine, eandem prorſus habeat alterum ab imo; ea dicantur eſſe in Parallelis ſecundariis, ſeù Contrantiſciis Imperantibus, & obedientibus, (quod enim eſt in ſuperiori hemiſphærio imperat ei quod in inferiori coſmicis tamen ad differentiam eorum qui in Zodiaco attenduntur. Quod quidem familiaritatis genus eandem ferè habet potentiam, ac Antiſcia communi calculo admiſſa, & in Zodiaco conſiderata: ſiquidem, vt benè aduertit Titus ingenioſiſſimus huius familiaritatis inuentor *in ſuo Primo mobili num.* 53. plures reperiuntur ſimilitudines inter parallelos in Mundo, & parallelos, ſeu Antiſcia in Zodiaco. Primò in vtriſque efficacia familiaritatis conſiſtit in paritate, ſeù æquipollentia virtutis actiuæ: Secundò, ſicut in Zodiaco exhibetur à duobus punctis antiſciis eadem quantitas aſcenſionis ſignorum, vt exempli gratia, in pari differentia temporis aſcendit primus gradus Piſcium, & poſtremus Arietis, &c. ita ſimiliter in Mundo exhibetur eadem quantitas Aſcenſionum, & Deſcenſionum à duobus punctis æquè diſtantibus à Culmine: vt Domus Vndecima parem efficit Aſcenſionem Deſcenſioni Domus Nonæ, proindeque & ſidera in ipſis conſtituta; duodecima parem Octauæ, &c. Tertio, vt dictum eſt ſicut Paralleli in Zodiaco ſunt pares diſtantiæ à punctis Cardinalibus Zodiaci ſumptæ in partibus æquatoris, ita paralleli in Mundo ſunt pares diſtantiæ à punctis cardinalibus Mundi, meridiano videlicet & horizonte, ſumptæ in partibus proportionalibus ſuorum arcuum. Quarto ſicut in Zodiaco exhibent pares temporales horas ita in mundo exhibent pares tēporales horas diſtantiarū à Cardinibus. Quintò paralleli in Zodiaco ſunt æquales diſtātiæ à polis mundi: & paralleli in mundo æqualem ſeruāt poli eleuationem. Et ſi quis mentem diutius applicauerit, inueniet profectò plures ſimilitudines & conuenientias inter vtroſque parallelos, vnde conſequens etiā eſt, vt ſimilem habeant gradum actiuitatis. Quippe eorum efficacia in eo ſita eſt, vt aſtra in iis reperta eandem habeant qualitatis intenſionem, alterum quidem ad puncta cardinalia progrediendo, & qualitatem intendens; alterum vero recedendo, & qualitatem remittens, quod proportionaliter in parallelis quoque ſecundariis conſiderandum.

Contingit etiam ſæpè, vt licet duo aſtra non ſint in radice 19.

in eadem diſtantia à cardinibus Mundi, eam tamen acquirant directione, & motu primi mobilis, quod duplici modo fieri concipi poteſt: altero, vt ſignificator exiſtens immobilis in ſuo circulo poſitionis expectes, vt Promiſſor motu primi mobilis feratur ad ſitum æquè diſtantem à cardinibus Mundi, ac erat ſignificator in radice conſtitutus; & tunc emanat effectus huius directionis: altero, vt ambo motu primi mobilis rapiantur, tam Promiſſor, quam ſignificator (ab vtroque enim imprimitur virtus in Primo mobili ſeù in gradibus Zodiaci in quibus tempore radicis reperiebantur) & tunc quando ambo motu primi mobilis rapti ponuntur in proportionali diſtantia hinc inde ad aliquem cardinem, tunc intelligitur compleri directio, & emanat profectò idem, vel ſanè conſimilis effectus, ac in parallelis modo explicatis; & ſicut illi Paralleli Coſmici ſimpliciter appellantur; ita iſti ad differentiam illorum Paralleli Aſcenſionales iure appellari poterunt; quoniam ambo tam ſignificator, quam Promiſſor pariter ſupponuntur aſcendere, & ſitum ſuum mutando æquidiſtantiam iſtam à cardine acquirere. Quorum omnium dirigendi methodum docet Titus *in Primo Mobili Canone 35.*

Paralleli etiam, vt ſuprà tactum eſt, vocantur apud Geographos circuli in ſuperficie terræ deſcripti æquè diſtantes à circulo immediatè æquatori ſubiecto, de quibus ſuprà in V. *Clima* pertractauimus. Qui profectò infiniti concipi poſſunt: de facto tamen tot concipiuntur, quot ſatis ſunt ad faciendam notabilem diei maximi varietatem. Atque hac ratione Antiqui cum Ptolemæo ſeptem climata conſtituebant, quorum ſingula tribus parallelis definiebant, ſingulis parallelis ſingulos horæ æquinoctialis quadrantes aſſignando. Quoniam vero experientia compertum eſt, non ſolum partem aliquam vnius, vel etiam cuiuſlibet quadrantis habitabilem eſſe, ſed totam ferè terræ molem; vbique enim Inſulæ ſunt, vel etiam terræ continentes, quocumque verſus nauigatio inſtituatur, nec vlla planè regio eſt tam calida, aut frigida, in qua degere non poſſint homines; quin immò vbique ferè terrarum tam homines, quam bruta animantia reperta ſunt: idcircò Recentiores multo plura Climata adeoque plures etiam parallelos numerant, quam Antiqui, totum ſpatium quod eſt ab æquatore ad polos in tot parallelos diuidentes, quot horæ quadrantes accretionis diei maximæ ab locis æquatori ſubiectis ad ea quæ immediatè polo ſubſunt. Adeoque inſiſtentes nihilominus Ptolemæi præceptis viginti-tria Clima-

ta conſtituunt, atque intrà 49. Parallelos includunt. Qua de re vide quæ diximus in Verbo *Clima*.

Parallelogrammvm definitur ab Euclide *lib. 1. propoſ. 35. Eſt figura quadrilatera, cuius bina oppoſita latera ſunt parallela, ſeù æquidiſtantia.* Adeoque ſi duo parallelogramma ſuper æquales baſes, & in eiſdem parallelis conſtituantur neceſſario æqualia debent eſſe: Si vero cum triangulo eandem baſim habuerit Parallelogrammum, fueritque in eiſdem parallelis, ipſum erit duplum illius trianguli, vt habet idem Euclides, *propoſ.* 41. Porrò omne Parallelogrammum eſt in quadruplici differentia. Primum quod perfectum quadratum dicitur, habetque omnes angulos rectos, & omnia latera inter ſe æqualia. Secundum, quod habet quidem omnes angulos rectos, verum non omnia latera æqualia, ſed omnis angulus conſtat duobus lateribus inæqualibus, quorum vnum eſt longius altero; ita tamen, vt bina oppoſita latera æqualia inter ſe ſint. Tertium, quod habet quidem omnia latera æqualia, ſed anguli ſunt inæquales, quorum duo neceſſariò acuti ſunt, duo etiam inuicem oppoſiti, obtuſi, quod à piſcis nomine, cuius ſimilitudinem refert, Rhombum appellauere. Quartum denique quod neque angulos rectos habet, neque omnia latera æqualia, ſed eſt quadrato omnino oppoſitum; itavt conſtet quatuor lateribus, quorum duo oppoſita ſint reliquis longiora, atque efforment quatuor angulos, duos acutos inuicem oppoſitos, & duos obtuſos item oppoſitos ex diametro: & hæc Rhomboides dicitur. Atque ad has quatuor ſpecies reducitur omne parallelogrammum, & omnis figura quadrilatera, quæ aliquam proportionem, & regularitatem habeat. Cæterum aliæ figuræ quadrilateræ irregulares, quæ quidem infinitis modis variari poſſunt, ſub generali *Trapeziorum* nomine veniunt: de quibus, vt de ſpeciebus Parallelogrammi ſuo loco. 22.

Parallelopevra ſunt Parallelogrammorum, vt ita dicam abortiones, atque irregulares correſpondentiæ angulorum, aut laterum, quibus conſtituuntur: Sunt enim in genere Trapeziorum, quia inæquales habent angulos, & inæqualia latera, ſed non omnia; ſeruant enim alicubi ſaltem aliquam regularitatem, & parallelorum proportionem: Vnde minùs latè patent, quam Trapezia, quæ omnem figuram quouis modo irregularem includunt. Poſſunt nihilominus, vt iſta multiplicari, & diuerſificari pænè in infinitum. Qua de re vide Clauium in Euclidem. 23.

Parallelopipedvm eſt figura ſolida ſex planis quadri-

lateris conſtans, quorum quodlibet æquale eſt, & parallelum oppoſito. Cuius ea conditio eſt, vt ſuper æquales baſes conſtitutæ plures huiuſcemodi figuræ, & in eadem altitudine, æquales etiam ſint inter ſe. Differt à Parallelogrammo, quod hoc dicit vnum tantum planum quadrilaterum, conſtans quatuor tantum angulis: illud autem inuoluit plura plana, nempè ſex in ſuperficie, & conſequenter octo angulos ex aduerſo ſibi inuicem reſpondentes, ita vt non vnam figuram ſuperficialem, ſed vnum corpus ſolidum omnis dimenſionis capax præſeferat: huiuſmodi ſunt taxilli, quibus in alueolo luditur. Cæterum Parallelopipedum, habet omnes conditiones parallelogrammi, cum aliud non ſit, quam multa parallelogramma in vnum conuenientia. Vnde etiam eſt, vt non niſi in quatuor differentias parallelogrammo etiam communes diuidi poſſit. Si enim continet ſex parallelogramma æquilatera, & rectangula, correſpondet quadrato in planis figuris, & dicitur Cubus, qualis eſt, vt modò dixi, taxillus. Si ſex illa parallelogramma fuerint quidem rectangula, ſed non omnia æquilatera ſed duobus æqualibus, & minoribus exiſtentibus, reliqua ſint longiora, vocabitur parallelopipedum altera parte longius. Si fuerit quidem omni ex parte æquilaterum, ſed non æqualibus angulis reſpondentibus, & omnibus rectis, correſpondebit Rhombo. Si demum neque omnia parallelogramma æquilatera, neque omnes anguli recti erunt, quamuis duo ex iis rectangula fuerint, & æquilatera; vel rectangula tantum, vel æquilatera tantum; fuerint nihilominus verè parallelogramma; itavt tam plana, ſeu latera, quam anguli ex aduerſo æqualia ſint, correſpondet Rhomboidi. Porrò quodcumque parallelopipedum vocari etiam poterit Priſma; ſed non omne Priſma, parallelopipedum: vt ex definitione Priſmatis, quam infrà trademus, conſtabit.

24. Parelia ſunt reflexiones ſolarium radiorum in nube rorida, ſed benè compacta; quæ quaſi ſpeculum in ſe recipiat, & referat imaginem ſolis, itavt quaſi ſol alter appareat, & ferè neſcias quiſnam ſit verus, & quis fictitius. Dicuntur autem Parelia, quaſi pares Elio, hoc eſt Soli, vocabulo ex duplici idiomate Græco, & Latino compacto: & quandoque duo, quandoque etiam tres ſoles apparere ſolent, vt videre accidit Romæ anno 1621. die 11. Februarij ferè in meridie, & durauit per duas circiter horas, vt refert Raphaël Auerſa *quæſt.* 42. *ſect.* 5. & ante Saluatoris ortum tres item ſoles apparuiſſe omnes pænè illius temporis ſcriptores teſtantur: quod olim pro oſtento habitum, poſtea

tamen agnita eius cauſa, non iam cum tanta admiratione conſpicitur: Quamquam ego quæ ante Saluatoris exortum apparuere miraculoſa crediderim ad explicandum Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium; eò maximè quod poſtea in vnum confluxiſſe ſcribantur.

Porrò Parelia ſunt pluuiæ mox ſequuturæ indubitata ſigna, quam promittunt fideliùs quam Virgæ, quia inquit Ariſt. magis denotant aërem efficienter ſe habere ad generationem aquæ, eoquod parelium ſit in materia omninò conſimili, & æqualiter denſa: Virgæ autem denotant inæqualem materiam, & nubes non vndequaque denſas. Theophraſtus de ſignis pluuiæ ait: *Si duo parelij ſint, & ſimul corona celebrem imbrem expectandum eſſe.* Addit Ariſt. Parelium auſtrale certius quam boreale ſignificare propinquam pluuiam; eo quia facilius in aquam conſtringitur aër auſtrinus, quam boreus. Alias ſignificationes Aſtrologicas Pareliorum, vide apud Reſtam . . . . . 25

Paraselene item ex Græco, & Latino dicitur ad inſtar Parælij Lunæ replicatio in nube caua ſe reflectentis eodem pacto, ac Sol. Frequenter id accidiſſe canit Pontanus in ſua Vrania: Verum apud ſcriptores rariſſimè id factum legimus: & Plinius vnam tantum commemorat. *Luna*, inquit, *trina vt C. Domitio & C. Fannio Conſulibus apparuere, quas plerique appellauere ſoles nocturnos.* 26.

Parma apud Azophum egregium Perſarum Mathematicum dicitur Lucida Coronæ Gnoſſiæ, quaſi pupilla: ſiquidem, vt ſæpè meminimus, Cæli pupilla vulgò apud Aſtronomos audit hæc fulgentiſſima ſtella. 27.

ParsFortvnæ. Vide in V. Fortunæ pars.

Partes aliæ nempè Vitæ, Mortis, Matris, Vxoris, &c. 28. ab Arabibus excogitatæ planè inanes ſunt, niſi ad rationem reuocentur. Vide quæ diximus ſub eodem verbo in fine. 29.

Partilis radius, ſeù *aſpectus* apud Aſtronomos dicitur 30. familiaritas à duobus, vel pluribus aſtris ſe mutuò intuentibus perfectè, & exquiſitè contracta à loco, & determinata ad vnguem diſtantia, tot præcisè partiū, quot requiruntur ad aſpectum illum efformandum, & ad hoc, vt ſidus proijciat radium ad ipſum corpus alterius ſideris: quod habita ratione quantitatis diametri ſingulorum, fit intrà latitudinem vnius gradus tam per longum, quam per latum. Quod etiam intelligendum eſt de congreſſu, & coniunctione; itavt duo ſidera, quæ habent eundem gradum longitudinis, eademque ſint prædita latitudine, dicantur eſſe in coniun-

ctione partili: At ſi vnum eorum deflectat ad boream, alterum ad auſtrum, coniunctio non erit partilis: ſi demum tanta ſit deuiatio hincinde, vt excedat quantitatem orbis ſingulorum, nec erit dicenda coniunctio aut familiaritas etiamſi fuerint in eodem gradu, & minuto longitudinis. Vt eſſet ſi Venus reperiretur in primo gradu Arietis, cum maxima latitudine boreali, quam poſſit habere, & Mars in eodem quidem gradu longitudinis, ſed cum quinque aut etiam plùs, gradibus latitudinis meridianæ. In oppoſitione verò, ad hoc vt ſit partilis, quia eſt ex diametro, oportet etiam vt latitudo ſit oppoſitæ regionis, vt quod Luna exempli gratia ſit in primo gradu Arietis cum latitudine boreali gr. 5. Venus in primo gradu Libræ cum totidem latitudinis auſtralis.

31. In radiis intermediis definiendis, contendit Blanchinus, quem ſequuntur Maginus, Argolus, & Rationales communiter, accipiendam eſſe partem proportionalem latitudinis: Ducit enim circulum maximum per centrum ſtellæ latitudine præditæ ad eius oppoſitum, inclinatum ſuper Eclipticam; atque ab hoc circulo ſumit proportionem, atque æquationem omnium aſpectuum intermediorum; oſtenditque Quadratum fieri ſemper in Ecliptica, Sextilem incidere in medietatem latitudinis, quam habet ſtella; Trinum verò in dimidium latitudinis oppoſitæ; cuius ſchema affert Argolus in Aſtronomicis, atque in Primo Mobili. Sed enim hanc conſiderationem ſpreuit Ptolemæus in fine libri primi Quadrip. & reuera fictitius eſt hic circulus maximus à Blanchino excogitatus, in quo radij computari debeant, vt benè aduertit Titus in Cæleſti Philoſophia *lib.* 1. *cap.* 4. Nam ſtella eſt potius centrum radiorum, qui ſunt circuli ducti in orbem circa ſtellam, qui maiores, & minores ſunt, prout partes, vnde proijciantur radij, à ſtella ipſa elongantur: vnde ex latitudine ſtellarum attendenda potius eſſet ea proportio, ac differentia quæ prouenit à circulis minoribus, quorum centrum remouetur à circulo maiori, in quo ſumuntur radij; quò enim magis centrum minoris circuli elongatur à maiore, eò maior accidit differentia diſtantiæ in loco ſectionis, id eſt minor ſemper pars accipitur de circulo maiori. Vnde falſum eſt, quod ait Blanchinus in quadratis nullam ſeruandam eſſe latitudinem, benè verò in ſextili, vt ex ſchemate radiorum ad ſtellam, (quod affert Titus initio ſui operis ex ære delineatum) obſeruari poteſt. Hinc Regiomontanus vult in directionibus hanc proportionem variationis aſpectus ob latitudinem ſtellæ ſer-

uandam eſſe: Verum quia ea modica eſt, & planè inſenſibilis, vt ex dicto ſchemate patet, omninò negligi poteſt.

Quoniam autem duplex eſt genus familiaritatis, quam ſidera poſſunt ad inuicem contrahere, vt ſæpius dictum eſt, & in Zodiaco, & in Mundo: ideo à duplici etiam ratione diſtantiæ computari debent aſpectus, ad hoc vt partiles euadant: Et in Zodiaco quidem fit ſemper in determinata diſtantia, vt putà ſextilis in diſtantia 60. graduum; Quintilis 72. Quadratus 90. Trinus 120. Seſquiquadratus 135. & ſic de reliquis: In mundo verò ſecundum partes proportionales arcus ſideris viſi, atque à domibus: Vt quæ ſidera reperiuntur in eadem cuſpide domus, vel ſanè in eodem circulo poſitionis horatio; etiamſi per longum, & latū in Zodiaco longè diſtiterint, dicantur nihilominus eſſe in mundo partiliter coniūcta, qualis eſt congreſſus Sirij cum ſole in linea Orientis, qui Romæ accidit circa ſecundū diem Auguſti, cum tamen in Zodiaco longè lateque abſint, & vltra ſphæram ſui orbis. Quæ verò quoad ſitum mundi ita inter ſe ſunt diſpoſita, vt alterum ſit in cuſpide oriētis alterū in cuſpide vndecimæ decimæ, nonæ domus, aut in ſpatio intermedio inter octauam & nonam dicantur eſſe in partili aſpectu Mundano, Sextili, Quadrato, Trino, Seſquiquadrato, etiam ſi non tot gradibus diſtent, quot in Zodiaco requiruntur ad huiuſmodi aſpectus formandos. Si verò tam in Zodiaco, quam in Mundo, hæc proportionalis radiorum diſtantia non ſit exquiſita, neque in corpore ſtellæ proijciatur ad corpus ſtellæ, ſiue diametrum, ſed ad ſphæram ſuæ lucis, iam non erit aſpectus partilis, ſed platicus: de quo mox ſuo loco dicemus. 32.

PASSER, *Piſcis volans* ſidus in cælo nouiter ab Aſtronomis recenſiotibus obſeruatum propè polum antarcticum, habens ſtellas ſeptem, in longitudine, ſub Libra, & Scorp. ſimiliter. 33.

PAVO aliud ſidus auſtrale vnum ex duodecim de nouo aliis 48 antiquis adiunctum, conſtans ſtellis 16. aliis verò 23. omnibus ſub Capricorno, quarum præcipua eſt quæ in oculo ſecundæ magnitudinis. 34.

PATERA ſidus, aliàs Crater, Vas. Arab. *Alphun* Hebreis autem *Kus* ideſt *poculum*. Vide in *V. Crater*. 35.

PEGASVS ſidus in cælo ad borealem plagam propè æquatorem conſtans ſtellis 20. Arabicè *Alpharatz*. de quo fusè egimus in Verbo *Equus alatus*. Is ſi fuerit in Horoſcopo, inquit Iulius Firmicus, *Nati erunt metallorum inuentores*, 36.

*qui latentes auri, & argenti venas, ac cæterarum ſpecierum ſolertibus inquiſitionibus perſequantur. Si verò in occaſu fuerit inuentus, & Mars in ipſo loco fuerit, vel in diametro, vel quadrato; hi aut incenſa domo conflagrabunt, aut publica Iudicis ſententia flammis vltricibus cremabuntur.* Hæc Firmicus.

37. PENTAGONVS apud Geometras dicitur figura quinque angulos habens, ſiuè ea æquilatera ſit, ſiuè non: Et ſi quidem ea fuerit æquilatera dicetur etiam regularis Iſoperimetra, quæ in cælo conſtituit radium quintilem: Si verò fuerit inæqualium laterum, ea abſolutè irregularis dicitur, quæ multis modis variari poteſt, eo pacto, ac Trapezia, de quibus ſuo loco.

38. PEREGRINVS apud Aſtronomos dicitur Planeta repertus in loco, vbi nullam habet dignitatem, ex quinque eſſentialibus, Domicilio nempè, Exaltatione, Trigono, Terminis & Facie, vt Sol in Virgine, Luna in Geminis, &c. Quod ſi fiat mutua receptio cum alio Planeta ex domibus, aut Exaltatione, ita vt permutent domos, ac dignitates; ſitque ideo vnus in domo vel exaltatione alterius, & hic in domo, vel exaltatione illius; tunc perinde eſt ac ſi reperirentur in propriis domiciliis, aut exaltationibus, & mutuò confortantur, nec proinde amplius dici poterunt peregrini. Talis eſſet Sol in Virgine, Mercurius in Leone, vel Iupiter in Libra, Saturnus in Cancro, &c. Cæterum in Genethliacis Planetę peregrini maiorem fortunam afferunt extrà Patriam, quam in Patria ob ſimilem rationem, quam ſuprà tetigimus: ſicut è contrà in domibus ſuis, fortunam in Patria, ni fortè à maleficis, aut alio quouis caſu infortunentur: Nam malè conſtituti nullibi omninò boni quicquam largiuntur, ſed vix ea, quæ à virtute, & laboribus proficiſcuntur, permittunt. Nec ſine ærumnis, vt bènè ex Philoſophicis principiis aduertit Titus *lib. 3. cap.* 17.

39. PERIGEVM Græcè dicitur oppoſitum Augis, ſeu infima abſis Eccentrici, & Epicycli Planetarum, in qua humiliores apparent & terræ viciniores, vt quando ſol eſt in gr. 6. Capricorni: ſicut è contra Apogæum eſt locus à terra remotior in ſuprema abſide Epicycli, de qua re vide iam dicta in *V. Apogæum*, & in *V. Abſis*.

40. PERIMETRVM Græcè idem ac apud nos circumferentia.

41. PERIOECI apud Geographos vocantur populi omnes, qui habitant ſub eodem meridiano; eodemque parallelo, ſed in locis oppoſitis eiuſdem paralleli, quales ſunt populi

Virginiæ in America, & qui ſunt in India intrà Gangem; quoniam ſunt ambo in eodem meridiano, & in eodem ferè parallelo, ſed in parte oppoſita: habent enim ambo latitudinem ferè gr. 40. ſic Mexico Vrbs celebertima in India Occidentali, eiuſque ſinus, cum Inſulis Cambæ in Aſia; ſic populi nouæ Hiſpaniæ cum Perſarum Regno, &c.

Vt autem Periœci vnius loci facilè inueniantur, longitudini dicti loci adde gr. 180. atque in eodem parallelo ad æquatorem inquire; & qui ſub dicta longitudine & parallelo reperiuntur erunt Periœci loco aut ciuitati de qua diſquirimus. Sic Caſtellæ Regnum in Hiſpania habet longitudinem gr. 10. latitud. gr. ferè 42. additis igitur eius longitudini gr. 180. proſilient gr. 190. in quo meridiano inquire parallelum latum gr. 42. & videbitur ei eſſe Periœca celebris Vrbs Quinſai in Regno Chinenſium. 42.

PERIODVS apud Aſtronomos propriè ſignificat ſpatium temporis; quod quilibet Orbis inſumit ad perficiendum ſuum curſum in Zodiaco; vt Saturnus in annis ferè 30. Iupiter in 12. Mars in duobus; Sol, Venus, Mercurius in vno, Luna in diebus 27. & horis 8. Hæ igitur ſunt periodi motuum Planetarum: quæ quidem intelligi debent non de orbibus, ſeù Cælis totalibus, ſed vel de ipſis corporibus Planetarum, quatenus feruntur per ipſum cæli expanſum: vel de propriis orbibus deferentibus, qui ſunt Eccentrici in medio cælorum collocati: in his namque Planetæ, vel eorum Epicycli infixi deferuntur temporibus prædictis. Totales enim cæli (ſaltem in ſententia communi) mouentur ab Occidente in Orientem eadem prorſus tarditate, qua mouetur octaua ſphæra; licet ego, vt dixi in V. *Motus* aliter ſentiam. Hinc periodicum dicitur quod certâ, ſtatâque recurrit periodo; quales ſunt annuæ reuolutiones, Anni, dieſque climacterici, &c. quæ cum cæleſtium motuum periodis quandam connexionem, & affinitatem habent. 43.

PERIPHERIA Græcè idem, ac Latinè circumferentia propriè ſignificat extremum in quod terminat circulus, ſeù lineam illam circularem, quæ totam circularis figuræ aream ambit, & circumplectitur, cuius proportio ad diametrum ipſius circuli eſt ferè tripla ſeſquiſeptima, vt habet Archimedes de dimenſione circuli, hoc eſt 22. ad ſeptem. Quandoque etiam accipitur pro tota ſuperficie terræ, aut pro conuexo, & extima parte cuiuſuis ſphæræ cæleſtis. 44.

PERISCII apud Geographos vocantur accolæ frigidarum regionum intrà ambitum circulorum Arctici, & Antarctici, qui conſtituunt Zonas frigidas: ſic dicti, quaſi Contraum- 45.

bratiles: quia vmbra illis eſt verſatilis, & fertur in orbem molarum more in plano horizontis. Antiqui exiſtimabant has regiones ob nimium frigus eſſe inhabitabiles, quæ tamen reuera habitantur, licet homines ſint omninò ſylueſtres, & rudes, vt teſtantur Hollandi, qui eò ſæpè nauigationes ſuas inſtituerunt. Ad huius Zonæ initium ſub circulo Arctico poſita eſt celebris inſula Thule, de qua Virgilius.

*Tibi ſeruiat vltima Thule.*

Vide quæ diximus in V. V. Amphiſcij, & Heteroſcij.

46. Perpendicvlvm: Inſtrumentum notum Mathematicis, ac Mechanicis omnibus familiare nimis, librandiſque altitudinibus aptum: Cuius inuentorem fuiſſe Dædalum teſtatur Plinius *lib.7 cap.56* Hinc perpendiculare vocant Geometræ quodcumque ex ſuperiore loco ad imum dimittitur ea rectitudine, qua plumbum pendet ex perpendiculo. Qua etiam ratione Aſtronomi ſolem, aut ſtellas, quæ ſunt verticales, perpendiculares appellant; quia profectò eorum radij rectà admodum perpendiculi ſupra noſtrum verticem cadunt. Porrò ad longitudinis, latitudinis atque profunditatis cognitionem habendam nulla melior menſura excogitari poteſt quam linea perpendicularis; Quandoquidem menſura debet eſſe maximè certa, & determinata: Atqui, vt habet Clau. in ſphæram cap. 1. Sola linea perpendicularis inter alias lineas certam, determinatamque longitudinem habet.

47. Persevs dictus etiam Inachides, Cyllenius, &c. Arab. *Chelub*, vel *Cheleub.* hoc eſt ferens caput diaboli: ſidus in octaua ſphæra ferens caput Meduſæ, conſiſtenſque in via lactea ad partem borealem, in quo ex Ptolemæo numerantur ſtellæ 26. at in Bayeri Vranometria 38. omnes ferè de natura Saturni, & Iouis in longitudine ſub ſigno Tauri. Quarum potiſſima, & malignitate ſua ſatis nota eſt, quæ Caput Meduſæ dicitur, ſecundi honoris: proximè accedit Fulgens in dextro latere Arabicè *Alchenib*, ſeu *Elgenab.* inde duæ nebuloſæ, altera in extremo dextræ manus, altera in ſiniſtra antecedens Caput Meduſæ. De eo horoſcopante ſic cecinit Pontanus in ſua Vrania.

*Fera vincula ſemper,*
*Semper torturas agitat crudelia Perſeus*
*Funera, ſunt enſes illi, ſunt vulnera, cura,*
*Gorgonei capitis ſemperque inſignia praefert.*
*Quo ſurgente aliquis veniens in luminis arcus*
*Si Phœbus quoque Gorgoneo ſeſe extulit ortu,*

Si

*Si Mauors telo infelix rutilante laceſſat,*
*Quo ſol, aut quo Luna loco, Dominumque locorum,*
*Nec felix ſtella occurſet, caleue cadenti*
*Seſe agat occaſum verſus regione ſecunda.*
*Huic caput auulſum collo violenta bipennis*
*Auferet, & media truncus ſpectatur arena.*

Hucuſque Pontanus. Quæ omnia in funeream Gorgonis ſtellam recidunt; quam alibi authoritate etiam D. Thomæ, violentæ nimis, ac luctuoſæ naturæ fuiſſe ſemper, aduertimus.

Persona Aſtronomis idem valet, quod Facies: Vnde Planetæ dicuntur perſonas ſuas gerere, quandocumque ſe facie ad faciem intuentur; præſertim verò cum luminaribus, hoc eſt, vt eo modo configurentur cum Sole, aut Luna (ita tamen vt ſint Orientales ab illo, Occidentales ab iſta) quo eorum domicilia cum domibus luminarium. Hanc familiaritatis, ſeù dignitatis ſpeciem Arabes *Almugeam* vocant: de qua vide quæ fuſiùs diximus ſuo loco. 49.

Perspectiva vna eſt, ex Mathematicis diſciplinis, quam Geometriæ filiam vocant: Facultas eſt, quæ iuxtà principia Geometrica per radios viſuales, tamquam lineis, & angulis res longè ab oculis diſſitas ſpeculatur, ſiue ea cæleſtia corpora ſint, ſiue quæcumque colorata; (in quo latiùs patet quam Optica) atque ad rationem emiſſarum ſpecierum in modum Pyramidis dimetitur. Eſt in triplici differentia: Alia enim eſt, quæ abſolutè, & antonomaſticè dicitur Perſpectiua, & in eo conſiſtit, vt rationem reddat earum apparentiarum, quæ aliter, ac res ſunt, noſtris obtutibus ſeſe offerre ſolent, ob diuerſam rerum ſituationem, atque diſtantiam; qua ratione videmus circulos rectos tamquam lineas, quadrata tamquam circulos, &c. Alia eſt, quę verſatur circa varias, ac multiplices refractiones; quæ profectò ab ſpeculis, ex quibus eas potiſſimum exquirit, *ſpecularia*, ſiue *ſpeculatiua* appellatur. Alja demum, quæ circa vmbras verſatur; atque oſtendit qua ratione fieri queat, vt ea, quæ in picturis apparent confuſa & inordinata, ex diuerſitate ſitus concinna & ordinata, & è contrà quæ aliàs benè diſpoſita, è longinquo, aut è latere deformia, & inconcinna videantur; Et hæc dicitur *Sciatoptrica*, de quibus omnibus eruditè admodum ſcripſit Alazel in ſua Perſpectiua, Vitellion, Guidobaldus è Marchionibus Montis, ac nouiſſimè Kircherus in Arte Magna lucis, & vmbræ. 50.

Pertica dicitur Cometa crinitus longus valdè, plus eo, qui dicitur *Veru*, minus tamen latus *Tenaculo*: (de quibus ſuo loco) Quando apparet, videtur ſemper ex aduerſo ſolis habens caudam denſam, craſſam, & rotundam: & viuerſaliter portendit ſiccitatem, ſterilitatem, & aquarum defectum, vnde conſequenter caritatem annonæ,& quæ his conſequentur. Si adhuc cum Planetis appareat coniunctus, denunciat mala ſecundum naturam eius, vt ſi fuerit iunctus corporaliter Saturno, timenda erit mortalitas, & detrimentum in hominibus & rebus quibus præeſt Saturnus: ſi cum Ioue, mala affert Iouialibus: cum Marte indicit bella, & occiſiones innumeras: & ſic de reliquis, Planetis iuxta eorum proprias ſignificationes diſcurrendum, excepto ſole, cum quo numquam congreditur.

51. Perselre Barbarum, ſeu potius Chaldaicum Vocabulum, ſed frequens inter Aſtronomos; quo ſignificatur Nebuloſa ſtella in pectore Cancri conſiſtens dicta communiter Præſepe, de qua paulò infrà.

52. Pharmaz Arab. Latinè Crater, ſidus ſuprà dorſum Hydræ conſiſtens, de quo ſuo loco.

53. Phases Græcè dicuntur variæ Cæleſtium corporum, præſertim Lunæ, affectiones, & apparentiæ pro diuerſo ad ſolem, telluremque poſitu: Vnde & obſcura, corniculata, dimidiata, plena, nunc cornibus ad ſolem inuerſis, nunc ab eodem auerſis conſpicitur, quod & in Venere, & in Marte nuper Teleſcopij ope obſeruatum eſt.

54. Phoenice olim dicebatur ſtella polaris, & *Cynoſura* in extremo caudæ Vrſæ minoris propè polum arcticum poſita, eo quod Phœnices populi nondum reperta magneticæ acus virtute, cuius beneficio hodie totus Oceanus peragratur, ad hanc reſpicientes nauigiorum ſuorum curſum dirigebant: maximè enim illis accommoda veniebat ad explorandum in qua Mundi plaga conſiſterent, quantum fuerint à termino vnde diſceſſerint, elongati, quantum vltra progreſſi. Quippe ſemper in eodem ſitu, non ſicut aliæ ſtellæ circumactu cæli voluebatur.

55. Phoenix, ſeu *Phœnicias* ventus Meridionalis, qui & Euro Auſter lateralis Auſtro, medius inter ipſum, & Notapeliotem, directeque oppoſitus Circio: qualitate calidus, & humidus, ac morboſus Eo flante ſubinde apparent altè radiantia fulmina, & nubes in vnum coguntur.

56. Phoenix etiam dicitur in cælo ſidus ad polum antarcticum, vnum ex duodecim nuper detectis, Stellas habet

14. ſecundum alios 15. omnes in longitudine ſub ſigno Piſcium.

PHOENICOPTERVS aliud ſidus ab Hiſpanis nouiſſimè obſeruatum extrà numerum duodecim primitùs detectorum ab iis ſuo idiomate *El Flamengo* vocatum. Exprimit 58. autem auem expanſis alis Piſcem notium, qua in arcum curuatur, roſtro appetentem: tredecim ei aſſignant ſtellas, inter quas vnam in capite ſecundæ magnitudinis, quam alij priùs in Piſcem notium reducebant.

PHOENOMENA, Græcè, Latinè Apparentiæ interpretari 59. poſſunt, dicuntur promiſcuè noua ſidera in cælo apparentia, ſiue ea in regione elementari, ſiue in ætherea conſpiciantur. Et ea quidem in aëre generantur ex quadam exhalatione craſſa, & viſcoſa conſtante ex partibus bene coagmentatis, quæ virtute Aſtrorum ſurſum euehitur, ibique accenditur, ac tamdiù durat quouſque materia illa ab igne concepto abſumminatur; ac preſſius Cometæ dicti ſunt. Iſti autem retento Phœnomenum nomine in cælo verè conſiſtunt, ibique aut de nouo generantur, aut ſaltem alias geniti de nouo apparent, & ex maiori approximatione ad nos aut alia quauis ratione fiunt viſibiles. De illis ſatis copiosè dictum in V. Cometes: de his modò hic ſermo inſtituendus. Naſci autem interdum in cælo noua hęc ſidera, nulli dubium; cum ipſa teſtetur experientia id ſæpiſſimè euenire; atque in iſto ſæculo, quod adhuc tranſactum non eſt, tres omninò ſtellas in ipſo orbe fixarum viſas referunt omnes penè ſcriptores. Vnam in pectore Cygni, alteram in genu Serpentarij, tertiam longè pulchriorem, & clariorem in Cathedra Caſſiopeæ, corpore ipſum ferè Veneris ſidus exæquantem, quas non fuiſſe de genere cometarum ipſa ratio parallaxis, qua nulla præditæ erant, ipſe motus idem prorſus ac cæterarum fixarum, ipſa temporis duratio, aliaque multa manifeſtè ſuadent, Sed & olim etiam huiuſmodi ſtellas in cælo apparuiſſe teſtatur Plinius *lib. 2. cap. 24. Namque*, inquit, *& in ipſo cælo ſtellæ repente naſcuntur.* & *cap. 26* de quadam ſtella tempore Hipparchi viſa ſic ait. *Hipparchus numquam ſatis laudatus, vt quo nemo magis approbauerit cognationem cum homine ſiderum, animaſque noſtras cælo dignas eſſe nouam ſtellam, & aliam ſuo æuo genitam deprehendit, eiuſque motu, quo die fulxit ad dubitationem eſt adductus, anne hoc ſæpius fieret, mouerenturq; eodem ac ea, quas putamus affixas; idemque auſus rem etiam Deo improbam annumerare poſteris ſtellas ſideraque ad normam expandere.* Quid autem ſibi velit per

hoc quod dicit Deo rem improbam fore annumerare nouas ſtellas, atque ad formam expandere, quod auſum eſſe dicit Hipparchum, non ſatis intelligo.

60. Cæterum de iſtis ſtellis varia fuit tum antiquorum, tum recenſiorum Aſtronomorum opinio. Democritus, cuius ſententiam amplecti videtur Bodinus *lib.* 2. *Theatri*, ſomniauit, eas eſſe illuſtrium virorum mentes, quæ poſtquam innumerabilibus ſeculis viguerunt in terris, tandem obituræ extremos peragunt triumphos, aut in cælum ſtellatum, quaſi ſplendida ſidera reuocantur, ac propterea ſequuntur fames, morbi populares, ac ciuilia bella, quaſi Ciuitates & populi ducibus illis optimis, & gubernatoribus, qui diuiſos furores placabant, desererentur. Ariſtoteles minus abſurdè dixit eas omnes gigni ex materia elementari, ferrique aliquando ad ipſam regionem æthercam: Sequuntur eum non pauci recenſiores, eo maximè, quod poſita cælorũ fluxibilitate, iam nil obſtare videtur, quin iidem Cometæ, qui in regione aërea generantur, ſi ſubtilioris materiæ ſint, poſſint orbes planetarum tranſcendere, atque etiam ad ipſum Firmamentum peruenire, vbi poſtea perinde ac aſtra refulgeant, quoadusque eorum materia penitùs abſumatur. Quod, præcæteris, acriter ſuſtinet Chryſtophorus Rothmannus.

61. Verum etſi fortè huic rei non obſtet ipſa cælorum ſubſtantia, quæ ſit fluxibilis, & per conſequens facillimè etiam attrahi à ſideribus poſſint huiuſmodi ignitæ exhalationes; attamen non videtur credibile, eas tanto tempore durare poſſe, cum ſtella Caſſiopeæ duos integros durarit annos, & de ea quæ apparuit anno 1600. in pectore Cygni teſtatur Blancanus adusq; ſuum tempus hoc eſt annò 1616. fuiſſe viſibilem, quando Cometæ in aëre apparentes vix ad menſem durare ſolent. Deinde vnde emanat tanta exhalationum copia, quæ ad cælum vſque fixarum poſſit aſcendere, ibique accenſa, fiat probè viſibilis? non certè è terra, quæ ſi tota ad ſidera euolaret è loco vbi modo conſiſtit, videri ob ſui tenuitatem minimè poſſet cum ipſa terra ad Firmamentum relata ſe habeat vt punctum, & minima ſtella viſibilis Firmamenti, bis nouies ſit terra maior. Non ergo noua phœnomena ſuprà orbem Saturni viſa eſſe poſſunt ex materia elementari coagmentata, ſed neceſſario debent eſſe ex ipſa regione æthcrea. Melius philoſophatur Pythoras putans eas non eſſe de nouo genitas, ſed ex perpetuo recurſu terris approximari, fierique viſibiles, cuius opinionem minimè abſurdam exiſtimat Blancanus, dicens ideo eas nouiter, ac

ſtatis temporibus apparere, quia cum ſint in Firmamento ob vaſtitatem expanſi, ob rarditatem motus, & amplitudinem Epicycli quamdiù ſunt in Apogæo minime conſpici poſſunt, at verò cum deſcendunt ad Perigæum paulatim fieri conſpicuas, ac durare quoadusque ab illo notabiliter recedunt: quod & accidiſſe credendum eſt in ſtella Caſſiopeæ, quæ anno 1572. deſcendit ad ſuum Perigæum, in locum longè cæteris fixis humiliorem, at verò cum ſenſim minui cæpit, ac tandem facta eſt inuiſibilis, tunc ab eo paulatim receſſit ac tantum elongata eſt, vt iam amplius conſpici non potuerit. Sed iam multum inualuit apud Recenſiores opinio Anaxagoræ exiſtimantis huiuſmodi ſtellas aliud planè non eſſe, quam coitum plurium ſtellularum diſcurrentium per tenuiſſimum illud expanſum, quæ in tanta diſtantia vnam & eandem ſtellam repræſentent, vt iam perſpicuum eſt de ſtellis nebuloſis, atque ipſa Galaxia; eo maximè quod huiuſmodi ſtellæ ſemper, & non niſi in Galaxia apparuerunt; quæ poſtea euaneſcunt, quia ab inuicem elongantur. Vtcumque ſit certum eſt, eas magnum quid, & inſolita ſemper portendere: quorum qualitas ex earum qualitatibus, motu, ſitu, regione, & tempore apparitionis eruenda eſt: vt ex intenſione lucis qualitatum actiuarum intenſio, extenſione paſſiuarum commotio, colore natura planetis conſimilis: figura, & imagine ſpecies, & ſimilitudo rerum, tempore demum apparitions duratio effectuum, &c. provt innuit Ptolemæus *lib. 2. cap. 9.*

Et quidem quoad naturam, attinet, eæ etſi pro qualitate coloris, intenſione, & extenſione lucis modò vnius, modò alterius Planetæ naturam referant ſemper tamen quæcumque ſint habent neſcio quid ex Martis, & Mercurij natura mixtum: quod etiam ex Ptolemæo obſeruat Titus de iis agens *lib. 1. cap. 16.* idque eo quod ex materia vſtibili, ac tranſmutabili coagmentantur, qua naturam Martis præſeferunt; & inſuper cum talis materia inconſtans ſit, & ex humida tranſeat in calidam & ſiccam naturæ Mercurij quodammodo aſſimilantur. Et hic eſt quod ſemper ſiccitates adducant, vredines, corruptiones, ac violenta quæque, ſiue bella, & occiſiones, ſiue animalia pernicioſa, ſiue peſtilentias, aliaque id genus mala, & quò magis in ſublimi apparent, eò vniuerſaliores effectus progignunt. 62.

Quoad ſitum in cælo, & loci permutationem, ſciendum, quod à ratione loci, & imaginis in qua apparent, ſumitur coniectatio effectuum reſultantium, perſonarum, & regionum, in quibus dictos effectus præſignant. Si enim ex iis 63.

quas hucuſque memorauimus fuerint, atque in fixarum regione apparuerint, itavt ipſæ non permutent locum in Zodiaco, ſed tantum motu ipſius circumagantur, afficient eam Prouinciam, quæ ſub tali ſigno erit: quod ſi, & ipſæ locum permutent, atque ab vno ſigno in aliud tranſeant, transferunt ſuos effectus etiam ad alias prouincias huic ſigno ſubiectas, aut ſubſunt verticaliter imagini, in qua illæ apparuerint. At ſi fuerint pſeudoſtellæ in aëris regione progenitæ non exercent ſuas vires niſi in eas prouincias in quibus apparebit, aut in quas motu ſuo perueniens eoſdem deriuabit effectus.

64. Quoad tempus denique effectuum ab iſtis Phœnomenis præſignatorum, eodem ferè modo diſcurrendum, ac de Eclypſibus, aliiſque terminis directionum, ac progreſſionum Solis, & Lunæ. Nam quot diebus, & binis horis fulſerint à regione ætherea, & partibus ſuperioribus, tot annos, & menſes indicant, ſi in regione aërea præſertim inferiori, quot horis, tot annos, vel menſes præſignant, & tunc quidem maximè intendetur effectus, quando luminaria miſcebantur, vel fuerint in locis aſtrorum, quę cauſæ fuerunt huiuſmodi portentorum. Hæc omnia ex Tito locc citato. Plura qui volet videat ipſum Titum, Argolum in Aſtronomicis, & iunctinum in tractatu de Cometis.

65. PHOENON, Græcè dicitur Saturnus à Fulgore: ſicut etiam.

66. PHOETON Iupiter, nec non ſtella lucida Acarnar in extremo Eridani ſita, à luce qua prædita eſt, & ob ſimilitudinem, quam habet cum Ioue: teſte Blancano in ſphæra Mundi.

67. PHOSPHOROS etiam dicitur Venus matutina, quaſi lucis prodroma & ferens diem, vnde Mart. *lib.* 8.

*Phoſphore redde diem; quid gaudia noſtra moraris?*

68. PHOLEK ALBARUGI apud Arabes, teſte Kirchero in Oedipo Ægyptiaco vocatur Zodiacus hoc eſt ſphæra duodecim arcium.

69. PHTHINUSA dicitur apud quoſdam Luna decreſcens. Auctor eſt Laurent. in Amalthea.

70. PHUONISIE in ſphæra Barbarica audit tertius Decanus Leonis, manens ſub Dominio Martis, ſignificator ſocietatis, non decedendi de iure ſuo pro rixis vitandis.

71. PICA braſilica. Vide Toncan.

72. PICATAPHORA, Octaua domus ab Horoſcopo. Vide *Epicataphora*.

Pinnæ vulgò Aſtronomorum dicuntur duo ſpicilla in extremis Dioptræ partibus conſtituta ad excipiendos ſtellarum radios, aliaque ſpeculanda per quadrantem, Aſtrolabium, & alia ſimilia inſtrumenta 73.

Pinacim Koclasmenon in tabulis perſicis dicitur Lucida Coronæ Gnoſliæ, hoc eſt diſcus paruus confractus. 74.

Piothanatos. Vide *Biothanatos* 75.

Pisces duodecimum, ac poſtremum Zodiaci ſignum in auſtrali ſemicirculo, ſed conterminum Arieti, adeoque commune, aqueum, frigidum, & humidum, domicilium Iouis, & Exaltatio Veneris, ſic dictum eoquod Sole illud intrante omnia in aquis natare videntur. Arabicè vero *Haut*, & cum articulo *Elhaut*, & quoniam ſignum Bicorporeum eſt, piſcis, qui ad boream inflectit dicitur *Haut Elſchemali*; qui verò ad auſtrum *Haut Elgenubi.* 76.

Qui ſub hoc ſigno naſcuntur, inquit Ptolemæus erunt colore albo, capite paruo, maxillis amplis, pectore magno, membris omnibus inæqualiter, & malè diſpoſitis, & vt plurimum cum aliquo vitio inſeparabili, qualis eſſet claudicatio, & gibboſitas. Piſcium ſidus in octaua ſphæra habet ſtellas 34. ſecundum Ptolemæum, ſed iuxta Keplerum 59. ſed non admodum nobiles, quippequæ non excedunt quartam vel quintam magnitudinem præter vnam tertij honoris de natura Iouis, & Mercurij quæ eſt in nodo lini vtroſque piſces nectentis. Eius initium nunc eſt in gr. 15. Piſcium primi mobilis, & protenditur vſque ad gr. 27. Arietis. Pars prior frigida eſt, media humiditate abundans, vltima ob communicationem cum ſtellis in capite Arietis conſiſtentibus caliditate. Quæ ad boream flectit, ventoſa; quę ad Auſtrum, humida, & aquoſa. 77.

Piscis Notivs. Vide in V. Notius Piſcis. 78.

Piscis Volans. Vide Paſſer. 79.

Pistrix, Cætus, Balena ſidus in octaua ſphæra, de quo alibi dictum. Hoc vocabulo ſæpè vtitur Cicero in Atati Phœnom. 80.

Pithetis Cometæ genus ad formam Dolij vnde & Doliaris dicitur, habens in concauo fumidæ lucis obſcuros quoſdam radios, de quo Plin. *lib.* 2. *cap.* 25. ad hunc etiam reducitur Tenaculum, 81.

Planetæ dicuntur ex Græco ſtellæ non in Firmamento, vt fixæ, ſed in propriis cuiuſque orbibus ſitæ; atque errantes ſingularibus motibus in Zodiaco contra motum primi mobilis ab Occidente in Orientem ſecundum ſucceſſionem ſignorum; vnde & ab errando ſunt dicti, nedum apud Græ- 82.

eos, ſed etiam, apud Latinos, qui eos errones, ſeu erraticas ſtellas appellauere. Hi ſeptem omninò ſunt; ( vt taceam de ſtellulis comitibus Iouis, & Saturni: quas non ita pridem Galilæus detexit, & circa illos, & cum illis duplici motu rotari ) Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Ex quibus primum locum, hoc eſt ſummum, proximum firmamento obtinet Saturnus; mox Iupiter; inde Mars, poſteà Sol, Venus, Mercurius, & Luna per ordinem, itavt hæc vltimum locum teneat, adeoque minimum orbem terræ propinquum, vt ex paralaxi ſingulorum, aliiſque obſeruationibus euidenter deductum eſt. Porrò multa ſunt in quibus planetæ à reliquis aſtris diſcordant: Primò in motu, qui vt dixi in ſingulis eſt peculiaris, & proprius nullique alteri communis: quando aſtris vnus eſt omnium, qui propriè illorum non eſt, ſed orbis, in quo fixa ſunt. Secundò in Luce, cum alia ſit fixarum lux, alia errantium ſiderum: Etſi enim ambo mutuentur lumen à Sole fixa tamen habent neſcio quam primigeniam, & inſitam lucem, quæ poſteà à Sole intendirur, & vt ita dicam viuificatur, vnde eſt ſcintillatio illa ipſis propria, & intuentium oculos præſtringens: Planetæ verò hoc non habent, vt etiam Ariſtoteles obſeruauit, ſed ſunt corpora denſa, in ſeipſis obſcura (quod videre maximè eſt in Luna, cum Solis corpore copulata in Eclypſi. ) Tertio color, & diuerſus influendi modus, & alia, quæ recenſuimus cum de fixis. Vtproinde maxima altercatio ſit inter Aſtronomos, quinam primas teneant, fixæ ne, an planetæ. De horum natura, loco, magnitudine, aliiſque proprietatibus. Vide in propriis locis.

83. Planisphærium, vt ex etymo nominis conſtat, dicitur ſphæra in plano deſcripta Eſt enim inſtrumentum planum totam in ſe doctrinam primi mobilis continens, circulos, polos, ſidera, aſcenſiones, deſcenſiones, parallelos, aliaque ex perſpectiuæ præceptis delineata oculis exhibens, vnde directiones probè perfici queunt, arcus diurni & nocturni omnium ſiderum indagari ad quamcumq; poli eleuationem. Eſt in triplici differenria: Alterum Gemmæ Friſij cuius diameter æquatorem præſignat, & puncta cardinalia Arietis, & Libræ incidunt in ipſum centrum, quem linea recta ſecans refert axem mundi ad vtrumque polum terminans à quibus ellipſes parallelæ ductæ tranſeunt per ſingulas diuiſiones Zodiaci, ipſo etiam Zodiaco per alias etiam ellipſes æquatori parallelas ab vno ad alium Tropicum deſignato, ac definito. Alterum Io: Royas, huic prorſus affine, niſi quod hic paralleli ad

æquatorem non per ellipſes, ſed per lineas rectas deſignantur. Tertium tandem, quod vulgò dicitur Aſtrolabium, in quo centrum refert polum Arcticum, diameter horizontem rectum, linea ſecans Meridianum; Retè primum mobile, ac cælum ſtellatum, cum principalioribus fixis in ea longitudine, & latitudine, in qua nunc temporis ſunt: tandem tabulæ ad ſingulas poli eleuationes conſtructæ ſitum mundi, & ſingula horizonta obliqua, cum ſuis circulis parallelis, ſeu altitudinum quos vocant almicantarath, nec non circulis verticalibus parallelis ad meridianum dictis Azimuth, quorum ope cuiuſque ſtellæ poſitus in ſitu mundi facillimè noſci poterit. De huius fabrica & vſu ſcripſit Io: Stophlerinus Latinè, & Ignatius Dantes italicè: de illis Auctores, à quibus denominantur.

Planvm apud Geometras dicitur ſuperficies recta, ſeu corpus habens ſuperficiem rectam hoc eſt vt definit Euclides lib. 1. prop. 7. quæ ex æquo ſuas interiacet lineas: per quod opponitur corpori ſphærico, & circulo, quæ linea, aut ſuperficie curua circumſcribuntur. Vnde vulgatum illud Axioma, quod corpus ſphæricum non tangit planum, niſi in puncto. 85.

Platicvs aspictvs dicitur ad differentiam Partilis. Eſt enim radius proiectus à planeta non quidem ad corpus alterius planetæ, cum non ſit in exquiſita diſtantia, ſed ad orbem ſphæræ lucis illius: vt ad Saturnum intrà ſpatium decem graduum ante, & retrò; ad Iouem 12. ad Martem gr. 7. min. 30. ad Solem gr. 17. ad Venerem gr. 8. ad Mercurium gr. 12. ad Lunam gr. 12. min. 30. tanta eſt enim quantitas Orbis ipſorum, ad quam lux, & actiuitas lateraliter ſe extendit. Quemadmodum etiam fixæ primæ magnitudinis habent Orbem hinc inde latum ad gr. 7. min. 30. Secundæ magnitudinis gr. 5. min. 30 Tertiæ gr. 3. m. 40. Quartæ gr. 1. min. 30. Porrò vel iſte aſpectus platicus proijcitur citrà, vel vltrà corpus Planetæ; ſi citrà, dicitur *Applicatio*, applicat enim planeta aſpiciens, ac ſe diſponit ad habendum cum altero familiaritatem, & aſpectum partilem: Vel iam fuit in partili, & inde per motum ſuum ab eo ſeparatur, ita tamen, vt adhuc ſit intrà fines orbis illius, & hæc dicitur *Separatio*, ſeu *Defluxus*, vt dictum eſt ſuo loco. Quæ quidem in Luna maximè attenditur: & quo aſpectus erit partili vicinior, eo efficacior: ſicut etiam potentior qui ad partilem ſe diſponit, quam qui à partili recedit. Vide quæ ibi diximus, ſimiliter ad aſpectum platicum applicanda. 86.

Plavstrvm ſidus in cælo ad borealem plagam intra He- 87.

licem, ſeu Vrſam maiorem vel ipſis bubulcis,& plauſtri ductoribus notum (à quibus fortè ei nomen eſt inditum) quippe quod formatur ſeptem claris, & ſatis conſpicuis ſtellis per ordinem ſic diſpoſitis, vt quatuor borealiores abeant in figuram parallelogrammi rectanguli repræſentantis quatuor plauſtri rotas, tres verò reliquæ auſtraliores repræſentent temonem, ſeu etiam equos vnum poſt alium poſitum ad illud trahendum; vide, & Equi primus, ſecundus, & tertius dicti ſunt. Arab dicitur *Alrunabach*, quod promiſcuè vſurpatur tam de maiori quam de minori plauſtro, quod eſt Vrſa minor, quæ in eandem prorſus figuram abit, niſi quod ſunt ad inuicem obuerſa

88. Refert autem Kircherus in Odipo Ægyptiaco hoc ſidus ab Chriſtianis Arabibus *Naaſch Laazar*, hoc eſt *Feretrum Lazari* vocitari, ac tres lucidiores caudæ modo dictas, quæ in Plauſtro efformant temonem appellari *Benath Naaſch*, id eſt, *Filias Feretri*, quæ ſunt prima caudę Maria Magdalene, media Martha, vltima earum ancilla. Porrò omnes hæ ſtellæ ſunt ſecundæ magnitudinis, præter eam que eſt prima in eductione caudæ, fingiturque eſſe ſecunda rota, quæ eſt tertij honoris, ac de natura Saturni, & Mercurij, cum alię ſex ſint de natura Martis. Romæ hoc ſidus numquam occidit, ſed poſtrema ſolum in cauda dicta Equus primus Arab. *Elkerd Bennenaz* radit horizontem. Nihilominus eoſdem ferè parit effectus quando eſt in parte cæli aſcendente, vel deſcendente, ac ſi foret in Ortu, vel in occaſu. Itaque exoriens, inquit Pontanus, facit domitores ferarum, & vrſorum, & qui Elephantos ducant in ſcenam, ac geſticulare doceant, vel manſueſcant. Occidens verò minatur dilaniationem ab Vrſo, vel aliis feris, præſertim ſi Mars male aſpexerit.

89. Pleiades ſeptem item ſtellæ ſunt iu pectore Tauri conſiſtentes, conglomeratæ tamen & minores prædictis, ſic dictæ ex Græco à τῶ πλεῖν quod ortu ſuo nauigationis tempus oſtendant. Latini eas dixere Vergilias à Verè, quia circà æquinoctium vernum oriuntur. Ortu ſuo Fauonium excitant, occaſu Auſtrum. Cum occidunt matutino tempore, quod accidit circà initium Autumni, ſi cadant nubilo cælo hyemem pluuioſam decernunt, ſi ſereno, hyemis aſperitatem. Cum Saturno congredientes turbant aërem, replent illum caligine, pluuias, & niues faciunt: cum Mercurio etiam ventos: idipſum præſtant occidentes cum ſole. Cæterum Pleiades vniuerſaliter ſunt ſtellæ pluuioſæ nimis, tempeſtuoſæ, ac Nautis infenſæ. Oriuntur autem Romæ ferè

cum gr. 18. Tauri, & occidunt cum 27. In Genethliacis, ſi cum luminaribus reperiantur, aut omninò cæcitatem inducunt, aut ſanè viſus acumen obtundunt: quod & portendunt horoſcopantes, præſertim cum prauo Martis radio aut Saturni. Sed præſtat hic apponere quæ de pleiadibus exorientibus in alicuius Natiuitate cecinit Pontanus in ſua Vrania. Sic enim habet *lib.* 3.

*Oblectant & adhuc artes, ſtudiumque colendi*
*Oris, & antiqui reuocantur pectore ſenſus*
*Et cura molles, & grata pocula menſa,*
*Luxuſque illecebraque & olentia tempora ſertis*
*Hos Nati mores referant, quibus aurea crinem*
*Fibula ſubnectit, roſeo quibus enitet ore*
*Purpura, quæſituſque decor, ſimiliſque puella*
*Cultus, & Aſſyriam redolent lita pectora myrrham,*
*Vina placent, hilareſque ioci, & petulantia lingua,*
*Mordaceſque ſales, intinctaque verba veneno.*
*Semper amant, & cura nouos ex ſuſcitat ignes*
*Ac domito regnat victrix in corde libido.*
*Nec minus ambitio tenet, & certamen honorum;*
*Pœniteat generis tamen, & ſe Cœnea malint,*
*Aut in fœmineam penitùs tranſire figuram.*

Hucuſque prolixè nimis Pontanus. De iis verò in occaſu repertis ait, quod portendunt mortem ex naufragio, aut inter epulas, atque ebrietates.

PLENILVNIVM quid ſignificet, ſat ſuo etymo præſefert: 90.
denotat enim tempus cum Luna in ſolis oppoſitione luminibus plena eſt: Vnde Plin. *lib.* 18 *cap* 22. *Quùm Sole*, inquit, *occidente Luna orietur ex aduerſo, ita vt pariter aſpiciantur tunc erit Plenilunium.* Græci Panſelene vocant, vt nos paulò antè adnotauimus. Plenilunij tempore quid fieri liceat, quidue non explicat idem Plin. *eod. lib.* 18. *c.* 28.

PLINTIS, ſeù *Quadra* Inſtrumentum Mathematicum 91.
menſurandis rebus idoneum. Hinc Plintides olim dicebantur quadrati laterculi, quibus Romani quæſtorios agros in centurias diuidebant, eaſdem in quinquagenis iugeribus quadratas limitibus claudentes, atque ita aliis vendentes. De qua re vide quæ habet Hyginus in lib. de limitibus.

POGONIAS Græcæ, Latinè Barbatus dicitur Cometæ ge- 92.
nus habens radios ex parte proſilientes, quibus caput hominis barbatum præſefert. De eo Plin. *lib.* 2. *cap.* 25.

POLLVX aliter Geminorum dictus etiam Hercules ſidus 93.

in octaua ſphæra conſtans ſtellis 18. quas ferè pari numero ſibi diuidunt cum Caſtore altero geminorum ipſum præcedente. In capite Pollucis eſt ſtella ſubrufa, fixa, violenta de natura Martis, de qua pluries dictum eſt præſertim in V. Hercules.

94. Poli dicuntur duo cardines ex diametro oppoſiti, ſeu duo puncta axem terminantia, circà quem mobile aliquod rotatur, & circumuoluitur. Quoniam autem in cælo eſt præcipuè huiuſmodi motus circularis regulatus, & numquam intermiſſus, & in cælo plura mobilia ſunt, quorum quodlibet incedit per ſuam orbitam, quæ eſt circulus magnus ſphæram in duas partes æquales ſecans, ideò Poli in cęlo potiſſimum attenduntur, & quot orbitæ ac mobilia ſunt, tot etiam concipiuntur geminati poli, circa quos ſingula voluantur, qui neceſſariò debent diſtare hinc inde à dictis circulis per gradus 90 Immò vt benè aduertit Clauius, quilibet ſphæræ circulus, ſiue paruus, ſiue magnus duos concipitur habere polos, circà quos, ſi moueretur, vniformiter volueretur: Nam polus aliud non eſt, quam punctum illud in conuexa ſuperficie ſphæræ exiſtens, & correſpondens in axe centro eiuſdem circuli, à quo omnes lineæ recta ad circulum ductæ æquales ſunt: Sicque poli Horizontis intelliguntur eſſe Zenit, & Nadir: Poli Meridiani duo puncta ortus & occaſus æquatoris in horizonte: Poli coluri ſolſtitiorum ſunt duo puncta æquinoctialia Arietis, & Libræ: Poli coluri æquinoctiorum ſunt, duo puncta ſolſtitialia Cancri, & Capricorni: oli Æquatoris & circulorum ipſi parallelorum ſunt Poli Mundi Arcticus, & Antarcticus: tandem Zodiaci & Eclipticæ ſunt poli Zodiaci, qui deſcribunt duos circulos minores Arcticum & Antarcticum diſtantes 23. gradibus, & ſemis à polis Mundi. Nihilominus polorum nomine, quando abſolutè, & ſine adiunctò dicuntur, antonomaſticè veniunt Poli Mundi quoniam ipſi ſoli conſiſtunt omninò immobiles, & circà ipſos omnes quæcumque ſphæræ ſpatio 24. horarum motu primi mobilis raptę rotantur. Inde poli Zodiaci, circà quos voluuntur omnes ſecundi mobiles ab Occidente in Orientem ſtatis temporibus, cum propriè poli in ordine ad mobilia dicantur: Vnde deriuatum nomen habent à Græco verbo πολέω, quod idem ſonat, ac verto, & circumago. Et quotus quiſque cuiuſuis ſphæræ motus eſt, totidem bini poli concipiendi ſunt circà quos illæ voluantur. Hinc poli Zodiaci propriè ſolius ſolis, & Orbitæ eius, ſeu mauis dicam Eclipticæ ſunt: reliquorum planetarum, ſeu Orbium

totidem etiam ſingulis proprij concipiendi ſunt tantumdem ab Eclipticæ polis diſtantes, quantum orbitæ ſingulorum in maxima latitudine ab orbita Solis exorbitant.

Porrò cum poli iſti puncta ſint in cælo, vt dixi tantum concepta, neque oculis peruia, ex ſitu, & pro ratione motus definiuntur. Et polus quidem Arcticus Mundi hoc tempore ad hoc vt internoſcatur, atque adeo, vt vbique locorum eiuſdem ſupra horizontem eleuatio dignoſci poſſit, imaginari debemus lineam rectam ab ſtella polari ad aliam ſibi proximam in cauda Vrſæ minoris, ſuper qua poſteà linea conſtituatur triangulum æquilaterum verſus caput Vrſæ maioris; nam vbi definit apex dicti trianguli, ibi ſitus eſt polus; cuius poſtea altitudo facilè per quadrantem, aut aliud ſimile inſtrumentum inueſtigari poterit. Circà finem verò præſentis ſæculi non erit opus hac diligentia, nam ſtella polaris, quæ nunc temporis habet declinationes gr. 88. tunc habebit declinationem gr. 90 ac proinde in ipſum polum incidet, vt diximus in V. *Alruchabak*. 95.

Polychronivm ex Græco propriè dicitur quod eſt longeuum, diuturnum & multi temporis. Hinc apud quoſdam Aſtronomos vſus inoleuit, vt planetæ ponderoſi, quales maximè ſunt Saturnus, & Iupiter Polychronij appellarentur; quoniam tardi motus ſunt, & multum temporis inſumunt in perficienda reuolutione ſua in Zodiaco. 96.

Polyedrvm apud Geometras dicitur corpus multis planis faciebus conſtans. 97.

Polygonvs, ſeu *Polygonius*, item apud Geometras ſignificat figuram multis angulis conſtantem. Sicut etiam. 98.

Polygrammvs figura dicitur multis lineis interſtincta. Hinc gemma quædam ſmaragdo perſimilis, quæ pluribus lineis albis diſtincta eſt, ac toti Orienti (vt author eſt Plinius *lib.* 37 *cap.* 9.) pro amuletho inſeruit, Polygrammos appellatur. 99.

Ponderosvs apud Aſtronomos audit Planeta, qui velut graui pondere preſſus tardè, & cunctanter incedit, quales ſunt Saturnus, Iupiter, & Mars, qui ex natura ſua tales dicuntur, quia numquam motu ſuo diurno acquirere valent gradum vnum in Zodiaco: licet aliàs Ponderoſus in toto rigore dicatur reſpectiuè ad alium, qui ſit velocioris motus: Vnde Iupiter Saturno comparatus dicitur leuis, non ponderoſus: è contrà Ponderoſus reſpectu Martis & aliorum; Mars reſpectu Solis, &c. Verum ex accidente fieri poteſt, vt qui natura ſua Ponderoſi ſunt, per alterius poſtea retrogradationé, aut etiam directionem, qua fiunt ſtationa- 100

rij, & lentè nimis, imò etiam quandoque inſenſibiliter mouentur, dicantur leues, & illi Ponderoſi, qui alioqui natura ſua ſunt leues.

101 Præsepe ſtella eſt Nebuloſa, in pectore Cancri de natura Martis, & Lunæ exiſtens nunc temporis in gr. 3. Leonis cum vno ferè gradu latitudinis borealis: Stella, inquam, infenſa nimis, & peſſimæ qualitatis; quippe cum Sole, aut Saturno repentinis motibus turbat aërem, ventos infeſtiſſimos ciet, pluuias, & imbres impetuoſos ex repentino affert, fulgura facit, & tonitrua, atque ſuo tempore niues. In Genethliacis verò cum luminaribus affert cæcitatem aut debilitatem in oculis: in horoſcopo autem reperta hominem violentum facit, ſeditioſum, vagum, inconſtantem, & etiam oculorum affectionibus laborantem. In eo ſidere ope Teleſcopij Galilæus obſeruauit ſtellas omnino 36. eo ordine, quo ipſe exponit in Nuncio ſidereo. Oritur Romæ cum gr. 2. Leonis, occidit verò cum quatuor. De ea Plin. *lib. 16. cap. vltim. Hæc*, inquit, *cum ſereno cælo apparere deſierit, atrox hyems ſequitur.*

102 Præster. Græcè, Latinè Turbo: ventus eſt impetuoſiſſimus, ac vorticoſus, ex eorum genere, qui de fundo atque ex hiatibus terræ deſiliunt, atque in ſuperna elati irregulariter perflant, omnia ſibi obuia violento niſu deturbantes: quales ſunt etiam Ecnephias Typhon, ac Vortex, necnon alij, (qui tamen in iſtos recidunt) de quibus loquitur Ariſt. in Meteoris. Ab Ecnephia autem eatenus differe Præſtera inquit Plin. *lib. 2. cap. 48.* quatenus *eo furit ardentior, & contactu amburit pariter, ac proſternit.* Et cap. 49. addit eum eodem modo à Typhone differre, quo flamma ab igne. *Hic latè*, inquit, *funditur flatu, illud conglobatur impetu.*

103 Præventionalis apud Aſtrologos vocatur ea Natiuitas, Anni initium, aut aliud quodvis rerum exordium, quod proxime præuenit luminarium oppoſitio: ſicut coniunctionalis dicitur Geneſis, quæ ſubſequitur coniunctionem. A loci enim diſpoſitore, in quo celebrata fuit alterutra, auſpicari ſolent ſtatum illius rei, & etiam in Natiuitatibus verum gradum horoſcopantem, quem Arabes Amnimodar dixere. Vide ſub hoc verbo.

104 Primum Mobile. Vide in V. *Motus.*

105 Principatus, teſte Abraham Auenarre, *in ſuo introductorio*, idem eſt, ac Orientalitas à Sole reſpectu Superiorum, & Occidentalitas reſpectu Inferiorum. Sic enim inquit cap. 7. prope finem. *Principatus eſt, vt ſint, tres Superio-*

*rus Orientales à Sole ab hora, qua viſione incipiunt oculari videri; tuncque ſunt in eius principatu ſublimi, donec inter eos, & Solem interueniat aſpectus ſextilis, & ab inde vſque ad quadratum aſpectum minuetur principatus eorum ſublimitas: & deinde ad ſtationem ſecundam non eſt ipſorum principatus; etſi fuerint huiuſmodi planetæ à Sole Orientales, & Occidentales à Luna, non erit iſto ſublimior principatus. Trium verò inferiorum planetarum incipiet principatus ab hora viſionis in Occidente poſt ſolis coniunctionem; & principatus elatio Veneris, & Mercurij permanet donec retrogradentur, & ſi fuerint Occidentales à Sole, à Lunaque Orientales, nullus iſto ſublimior principatu. Luna autem vſque ad menſis dimidium principatur.* Hucvſque Abraham. Quare autem Orientalitas in ſuperioribus, & Occidentalitas in inferioribus faciat huiuſmodi principatum, ſeu faciat planetas validiores dictum eſt in V. *Occidentalis Planeta.*

PRISMA definitur ab Euclide *lib* 10. *defin.* 13. quod ſit figura ſolida, quæ planis continetur, quorum aduerſa duo ſunt, & æqualia, & ſimilia, & parallela; alia verò parallelogramma. Ex qua definitione apertè colligitur ipſum aliud planè non eſſe, quam columnam quamdam lateratam æqualis craſſitudinis, cuius baſes oppoſitæ æquales ſunt, ſimiles, & parallelæ, ſiue ſint triangulares, ſiue quadrangulares, ſiue pentagonæ, &c. Vnde tot parallelogramma continebit quodlibet Priſma, quot latera, vel etiam anguli in vnoquoque oppoſitorum planorum reperiuntur. Vide quæ diximus in verbo *Parallelopipedum.* 106

PROCELLÆ nomine veniunt genericè omnes pſeudouenti, qui videlicet è fundo, vel hiatibus terræ exiliunt, & cum magno impetu ſiue in mare proripiuntur, ac tempeſtates exſuſcitant, ſiue ad ſuperna conſcendunt, & vt, inquit Apuleius *in lib. de Mundo: Surſum tormentum illud ire pergit, denſaſque & tumidas nubes præ ſe agit, conflictuſque collidit, fit ſonitus & intonat cælum; non ſecus ac ſi commotum ventis mare cum ingenti fragore vndas littoribus impingat.* Huiuſmodi ſunt Ecnephias, Turbo, Typhon, Vortex, & alij de quibus diximus ſuo loco. Græci *Anaphyſemata* vocant. 107

PRO YON Græcè, Arabicè *Algomeyſa*, Canis minor, ſeù Antecanis: ſidus in octaua ſphæra, duas tantummodo habens ſtellas; alteram in femore grandem, primi honoris, de natura Martis, & Mercurij; alteram quartæ magnitudinis de natura ſolum Mercurij. Oritur Romæ circa diem 24. Iulij 108

cum gr. 2. Leonis, & occidit cum totidem Cancri: quo tempore æſtus nimis intenditur. Hinc aduertit Hippocrates morbos eo tempore eſſe difficilis curationis, adeoque à medicamentis validis, ac purgationibus abſtinendum. Naues etiam littore ſoluere malum eſt hoc ſidere cum Luna exoriente; aut etiam cum Mercurio, quicum ventos producit impetuoſos, turbines, ac procellas. Quoad Agriculturam etiam, inquit Plinius *lib. 18. cap. 28. Hoc temporis interuallo res ſumma vitium agitur, decretorio vnis ſidere illo, quod Caniculam appellauimus*; (paulò antè Procyonem Latino nomine vrentem Caniculam appellauit) *vnde carbunculare dicuntur, vt quodam vredinis carbone exuſta. Non comparantur huic malo grandines, procellæ, quæ numquam annonæ intulere caritatem. Agrorum quippe mala ſunt illa, carbunculus autem regionum latè patentium non difficili remedio niſi calumniari naturam rerum homines, quam ſibi prodeſſe mallent.* Hucvſque, Quod, vt obſeruauit Stadius potiùs in occaſu veſpertino accidit, præſertim ſi tunc temporis concurrat etiam interlunium quia tunc, viti, & oleæ germinanti iniuriam ex vredine affert.

109 Hinc olim Ruſtici in die S. Vrbani de vindemiæ qualitate pronunciabant. At verò in Genethliacis Procyon, quemadmodum reliquæ ſtellæ adurentes Syrius, Hircus, Regulus, Antares, habet vim Aneræticam, ſi ad eum directione vitæ moderator feratur. Si autem in horoſcopo partiliter inuentus fuerit, inquit Pontanus in Vrania facit cunctis gratum, venatorem, curſu celerem, &c. In occaſu verò indicit mortem per morſus ferarum, dum illas capere geſtit natus, maximè ſi Mars malo radio affulſerit; aut affert periculum dilaniationis, & membrorum conciſionis, aut ſanè mortem ex morſu canis rabidi.

110. Profectiones, ſeu *Progreſſiones* apud Aſtronomos dicuntur eſſe æquales, ac regulares inceſſus ſolis, aliorumque ſignificatorum per ſigna Zodiaci ſecundum ſucceſſionem ſignorum, tribuendo cuilibet profectioni integrum circulum, & adhuc ſignum vnum. Triplicis generis ab antiquis conſtituuntur: Annuæ, Menſtruæ, ac Diurnæ. Annua Profectio complectitur ſignum vnum diſtribuendum per anni ſolaris dies; ita vt ſi Sol v. g. initio primi anni fuerit in gr. 24. Arietis, initio ſecundi anni ſit in 24. Tauri, & ſic deinceps, donec ſingulis duodecim annis reuertatur ad locum quem tenebat initio primi anni. Cumque in hac profectione adſit quantitas vnius ſigni diſtribuenda

buenda per totum annum, ſit, vt ſingulis gradibus competant duodecim dies: & ſignificator ſingulis menſibus proficiſcatur in conſequentiam ſignorum duos gradus, cum dimidio. In Profectione Menſtrua ſingulis menſibus tribuitur ſignum vnum, itavt ſingulis diebus competat gr. 1. min. 4. ſecund. 4. quomodo annus ſolaris integer dierum 365. diuiditur in tredecim partes æquales, & ſic in toto anno perficiatur integer circulus. In Profectione demum Diurna tribuitur ſignum vnum binis diebus, hor. 3. min. 52. itavt in hac profectione ſingulis diebus competant gr. 13. min. 53. ſicque menſis profectionalis ſubdiuiditur etiam in 13. partes æquales; quo expleto ſignificator regreditur ad idem ſignum, in quo erat initio menſis. Plura apud Auctores, & calculatores Ephemeridum in ſuis introductoriis, de hac regulari proceſſione: De quarum ſingulis ſpeciebus claritatis gratia afferunt tabulas expanſas profectionum omnium locorum hylegialium, Annuarum videlicet, menſtruarum, ac Diurnarum.

Verum nouiſſimè Titus *in cæleſti Philoſophia lib. 3. cap. 9.* III. rem altiùs indagando, pluribus ingenioſè commonſtrat, hanc æqualem ſignificatorum proceſſionem, provt modo explicatum eſt, naturalem non eſſe. Siquidem notat ipſe, quod profectionum menſura conſtituitur per ſingulos Lunæ reditus ad eamdem cum ſole faciem, quam habebat in radice Natalis. Nam quemadmodum per directionis motum præordinatur in potentia calor vitalis cum ſuis coeffectibus; ſic per motum profectionis, inquit, præordinatur in potentia humidum radicale cum ſuis coeffectibus: ergò, ſicut motus directionis non inſtituitur vniformis, & æqualis in Zodiaco, ſed menſuratur ex motu ſolis ſucceſſiuo à die Natalis inſequentis, vt alibi monſtratum eſt; ita & motus progreſſionis inſtituendus eſt ex quotidianis lationibus Lunæ per ſigna Zodiaci ſuis aſſiduis circulationibus, ac reditibus ad eandem cum ſole faciem, & illuminationem, ſeù diſtantiam, quam habebat initio anni: itavt ſinguli reditus, & circuitus Lunæ ad eandem cum Sole faciem referantur, ac reſpiciant tanquam cauſa, ad ſingulos annos ſubſequentes, & peragrario Lunæ per ſingula ſigna referatur ad ſingulos ferè menſes. Quandoquidem circuitus hic Lunæ ergà Solem ad viuum demonſtrat anni circuitum: eo enim temporis ſpatio, quo Luna poſt diſceſſum à Sole ad ipſum redit, & Sol vice verſa ſignum ferè vnum perambulat, aſcendunt in ſingulis mundi cardinibus tot ſigna, quot ſunt anni dies ad vnguem: quod ſic euidenter oſtenditur.

112. Annus Lunaris conſtat diebus 354. hos diuide per duodecim lunationes, & remanebunt 29. dies cum dimidio, quibus Luna ad Solem redit; & eſt ſpatium menſis lunaris medium: hos dies adhuc produc per duodecim ſigna quæ aſcendunt ſingulis diebus in quouis mundi cardine, & fiunt ſigna 354. quæ ſucceſſiuè aſcendunt tempore vnius Lunationis; quibus adde ſignum vnum, quod tranſiuit Sol, & conſequenter etiam cardines hiſce diebus, & fiunt ſigna 355. Quia verò non integrum ſignum, ſed quid minus, hoc eſt ſpatium, quod progreſſus eſt Sol in vna integra Lunatione indicat annum in profectionibus, ideò etiam aliquid minus ſigno indicat diem: nam ſuperſunt in fine anni de duodecim Lunationibus vndecim ferè gradus; itavt de ſingulis lationibus ſigniferi circà Mundum, detractis duodecim portionibus pro duodecim Lunæ circuitionibus ſuperſint adhuc vndecim gradus. Produc ergò 11. per 29. dies, in quorum ſingulis aſcendunt duodecim ſigna & fiunt gr 319. qui ad ſigna reducti conſtituent decem ſigna cum reſiduo quæ iterum addita ſuppradictis 355. efficiunt ſummam 365. ſignorum cum reſiduo. Vel ſic facilius diſcurramus. Menſis lunaris medius eſt dierum 29. cum ferè duodecim horis: hos produc per 360. quot ſunt gradus totius ſigniferi, & conſtituent ſūmam grad. 10620. quibus adde 29. alios gradus, quos Sol, & Anguli progreſſi ſunt tempore integræ reuolutionis Lunæ, & fiunt gr. 10649. qui aſcendūt in ſingulis cardinibus in ſingulis integris circuitionibus Lunę erga Solē: hos diuide per tot gradus, quot deambulat Sol medio motu tempore circuitus Lunæ; quod ſic habebis. Diuide per 12. lunationes omnes gradus, quos perambulat ſol tēpore duodecim lunationum: ſunt autem gr. 349. & fiunt 29. gradus cum duodecima parte: per hanc igitur menſuram diuide ſummam illam omium graduum aſcendentium in Angulis tempore vnius lunationis, & remanent ferè 366. quot videlicet ſunt circiter dies anni: Vnde patet, quod tot ſigna aſcēndunt in quolibet cardine tempore vnius integræ lunationis, quot ſunt dies anni ad vnguem vt admiratione digna ſit hæc dierum correſpondentia, & regularis inceſſio. Igitur vnum ferè ſignum habet relationem ad annum, & ad diem: ſicque circuitus Lunæ circa Solem in menſe ad viuum repræſentat circuitum Anni. Hæc, & alia multa habet Titus eodem loco: & in Primo Mobili exemplis plurimis confirmat hanc ſuam doctrinam, methodumque facilem tradit ſupputandi huiuſmodi progreſſiones.

113. PROHIBITIO LVMINIS ſecundum Abraham Auenar, fit in

planetis duobus modis : Primò ſi fuerint tres planetæ in vno ſigno, ſed in gradibus diuerſis, fueritque ponderoſus in pluribus gradibus, leuior in paucioribus; tunc qui eſt medius inter ipſos prohibet lumen inter illos communicari donec leuior ipſum tranſierit. Sic poſito Saturno in gr. 20. Arietis, Venere in 11. Mercurio in 15. eiuſdem ſigni; Mercurius prohibet lumen Saturni communicari Veneri, donec ipſum Venus pertranſierit. Secundo modo fit prohibitio per aſpectus: vt ſi duo planetæ ſint in vno ſigno, coniungaturque leuior ponderoſiori, & alius planeta ponderoſiorem aſpiciat, quocumque tandem aſpectu; tunc ſibi planeta coniunctus prohibet aſpicientem, & eius eſſe diſſipabit; ita tamen, vt gradus ſint æquales; ſin autem gradus fuerint aſpicientes propinquiores aſpectui, non valebit ſe coniungens aſpicientem prohibere.

Promissores apud Aſtronomos dicuntur communiter ſigna, & alia loca in cælo, quæ habent virtutem cauſæ efficientis ergà moderatores, & motu directionis deducta ad eos, ſuis qualitatibus afficiunt. Huiuſmodi ſunt omnia corpora planetarum, ne ipſis quidem excluſis luminaribus, (licet alia ratione conſiderata fiant moderatores, & ſe habeant ad modum ſubiecti) eorum radij, fixæ, & noua Phænomena, quæ in cælo apparent; de quibus abunde dictum eſt in V. *Occurſantes*. Dicuntur autem promiſſores, quia profectò promittunt in radice aliquid tempore expletæ directionis complendum; hoc eſt quando motu primi mobilis feruntur ad ſitum moderatorum, qui etiam ob eandem cauſam *ſignificatores* dicuntur, eo quia ſignificant aliquid generaliter adimplendum tempore expletæ directionis, ab ipſis promiſſoribus: ac proinde, vt dixi, ſe habent tamquam ſubiectum paſſiuum reſpectu aliorum ſiderum. Plura de ipſis vide in dicto loco & in Verbo *Directio* 114

Proportionalitas, quam Græci *Analogiam* vocant, definitur ab Euclide *lib. 5. def. 4.* quod ſit *ſimilitudo, & comparatio duarum, vel plurium rationum interſe:* Dicitur etiam attributio, & relatio, quia facit vnm referri ad aliud, tamquam ad ſubiectum attributionis. Ea eſt baſis, ſuprà quam totius Matheſeos ſtructura fundatur, quinimmò & ſcopus, ad quem omnia eius præcepta collineant; quippe quæ ex comparatione vnius quantitatis ad alteram, alias innumeras proportionaliter facit, atque exinde venit in cognitionem planè euidentiſſimam rerum cæteroqui, abditiſſimarum ſenſuſque hominum fugientium. Sunt igitur Mathematicæ rationes, vt probè aduertit Vitruuius lib. 1. cap. 1. 115

proportionis, menſuræque rationes, quatenus conſiderant quantum, vt eſt extenſum, proindeque vt menſura quædam eſt aptum per ſuam extenſionem, vt per ipſum alia quanta menſuremus, & ipſum viciſſim per alia quanta men-
116 ſuretur.

Et quoniam duplex eſt quantum continuum, & diſcretum, ita & duplex proportio, Geometrica quæ attenditur in quantis continuis, & Arithmetica, quæ verſatur in numeris conferendo vnum cum alio, & exinde aliorum ignotorum inducendo notitiam. Nihilominus vtraque per numeros expeditur & adhuc retento ſuo nomine ad quantum alterius conſiderandum ſe extendit pro diuerſa proportionum ratione, & habitudine vnius quanti ad alterum; applicando poſtea ad quantitatem continuam quod per diſcretam deductum eſt: & è contrà fingendo in numeris paſſiones omnes quantitatis continuæ, vt quod in quantitate continua perſpicuum eſt, in diſcreta etiam fiat clarum, per eandem habitudinis rationem. Sic in quantitate diſcreta perinde eſt aſſignare ac in continua, totum & partes, puncta indiuiſibilia, quæ ſunt vnitates componentes eandem quantitatem diſcretam, & ad quæ terminatur, Angulos, & latera. Sic datur numerus planus, & ſolidus; Quadratus, & cubus; ſimplex, & compoſitus: rationalis, & irrationalis, &c. Sicque ſuo modo, in quantitate diſcreta eſt aſſignare omnes figuras quantitatis continuæ, triangulares, quadrangulares, trilateras quadrilateras, pentagonas, exagonas, parallelogramma,
117 trapezia, &c. vt latè explicat Clauius in Elem. Euclid. *lib.* 7.

Igitur proportio Arithmetica eſt cum tres, vel plures numeri per eandem differentiam progrediuntur, vt 4. 7. 10. 13. 16. 22. & ſic procedendo per reliqua, quorum quilibet numerus ſe proximè præcedentē ternario ſuperat. Proportio Geometricà eſt cum tres, vel plures numeri eandem rationem habent: vt numeri 2. 6. 18. 54. 162. &c. quilibet enim ad ſuum antecedentem eandem proportionem habet, ſeù rationem triplam. Vnde poteſt, vt ſuprà dicebam eadem proportionalitas Arithmetica, atque Geometrica, & continua eſſe, & diſcreta: Continua quidem, quando idem numerus, qui conſequens eſt reſpectu numeri præcedentis eſt etiam antecedens reſpectu numeri ſubſequentis: vt proportionalitas, quæ eſt inter 2. 6. 18. 54. continua eſt, diſcreta autem, cum numerus, qui conſequens eſt non eſt idem antecedens reſpectu alterius numeri conſequentis, ſed rurſum aſſumitur alius numerus antecedens, & alius nume-

tus conſequens. Ita hi numeri bini ſe habent : 2. 3. & 12. 18. & 20. 30. eandem habentes proportionem ſeſquialteram.

Datur etiam Proportionalitas, quæ dicitur Harmonica, ſeù Muſica ex miro ordine, & correſpondentia, quam habent ſibi inuicem numeri : Vt cum tres numeri itá ordinantur, vt eadem ſit proportio maximi ad minimum, quæ eſt differentiæ inter maiores duos ad differentiam inter duos minores : ſic hi numeri 3. 4. 6. harmonicam proportionalitatem conſtituunt, quia profectò eadem eſt proportio maximi, nempe 6. ad minimum nempe 3. quæ eſt proportio differentiæ inter maximum 6. & medium 4. nimirum numeri 2. ad differentiam inter medium 4. & minimum 3. id eſt ad 1. cum vtrobique proportio ſit dupla. Denominator autem proportionis dicitur ille numerus, qui diſtinctè, apexteque exprimit habitudinem vnius quantitatis ad alteram. At verò illæ multitudines dicuntur habere proportionem inter ſe, quæ poſſunt multiplicatæ ſeſe inuicem ſuperare : vt habet Euclid. lib. defin. 5. 119.

Porrò proportionum, quas interſe poſſunt habere duo quanta, ſiue continua, ſiue diſcreta, alia eſt rationalis, alia irrationalis. Rationalis eſt, quam habent interſe duo quanta commenſurabilia : irrationalis, quam duo incommenſurabilia. Illæ autem quantitates dicuntur commenſurabiles, quæ habent vnam communem partem aliquotam ; ſeu quas vna menſura communis metitur, vt ſunt lineæ 10. & 8. palmorum, quarum pars eſt aliquota linea tum 4. tum 2. palmorum. Quantitates verò incommenſurabiles dicuntur quæ nullam partem habent aliquotam hoc eſt, quarum nulla datur menſura communis ; cuiuſmodi ſunt diameter, & latus eiuſdem quadrati. 120

Similiter alia eſt proportio æqualitatis, quæ eſt inter duo quanta æqualia, vt 20. ad 20. alia inæqualitatis inter duo quanta inæqualia, vt inter 20. & 10. vel 8. & 40. quæ rurſus alia eſt maioris inæqualitatis, quando maior cum minore quantitate confertur, alia minoris inæqualitatis, quando confertur minor quantitas cum maiore, vt in ſupra poſito exemplo 8. ad 40. Huius autem proportionis minoris inæqualitatis quinque ſunt genera, Primum, quam dicunt multiplicem. 2. ſuperparticularem 3. ſuperpartientem, 4. Multiplicem ſuperparticularem. 5. Multiplicem ſuperpartientem.

Prima eſt quæ dicit habitudinem maioris quantitatis ad minorem, quando maior continet aliquoties minorem, vt bis, ter quater, &c. itavt maiorem quantitatem metiatur

minor, qualis eſt proportio tripla 12 ad 4. quadrupla 16. ad 4. &c.

Secunda eſt habitudo maioris quantitatis ad minorem, cum maior ſemel tantum minorem continet, ſed adhuc eius aliquam partem aliquotam vt dimidiam, tertiam, quartam, &c. vt eſt proportio ſeſquialtera 3. ad 2. ſeſquitertia 12. ad 9.

Tertia eſt habitudo talis maioris quantitatis ad minorem, vt maior minorem ſemel duntaxat contineat, & inſuper aliquot eius partes aliquotas non efficientes vnam aliquotam, vt eſt 8. ad 5,

Quarta conflata ex multiplici, & ſuperparticulari eſt cum maior quantitas minorem aliquoties continet, vt bis, ter, quater, & inſuper vnam eius partem aliquotam, vt eſt proportio 9. ad 4. quæ numerum quaternarium bis continet, & prætereà vnitatem.

Quinta demum compoſita ex multiplici, & ſuperpartiente eſt habitudo maioris quantitatis ad minorem, quâ maior minorem complectitur aliquoties, & inſuper aliquas eius partes aliquotas non valentes conficere vnam, vt eſt proportio 11. ad 3. vbi numerus 11. ter continet numerum ternarium, & adhuc duas vnitates non ſufficientes conficere quartum ternarium.

121 Tandem alia dicitur proportio ordinata, quæ in eo conſiſtit; vt quemadmodum fuerit antecedens ad conſequens, ita antecedens ad conſequens, fuerit etiam vt conſequens ad aliud quippiam, ita conſequens ad aliud quippiam. Perturbata verò eſt cum poſitis tribus magnitudinibus, & aliis quæ ſint his magnitudine pares, vt in primis quidem magnitudinibus ſe habet antecedens ad conſequentem, ita in ſecundis magnitudinibus antecedens ad conſequentem; vt autem in primis magnitudibus conſequens ad aliud quippiam, ita in ſecundis magnitudinibus aliud quippiam ad antecedentem. Plura qui volet videat Euclidem *lib. 5. & lib. 7.* vbi latè agit de proportionibus, quæ intercedunt tam inter duas magnitudines, ſeu quantitates continuas, quam inter duas quantitates diſcretas, ſeu numerorum quamlibet multitudinem.

122 Propus dicitur ſtella fixa quartæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij in extremo pede ſiniſtro præcedentis Geminorum conſiſtens, ſic dicta quaſi propes, hoc eſt ante pedem, ſeu vt habet Proclus, quia propè eſt conuerſioni æſtiuæ, & initio Cancri: eſt enim in longitudine in gr. ferè 2. Cancri. Quæ tamen oritur Romæ cum gr. 25. eiuſ-

dem ſigni, & occidit cum gr. 29. Geminorum. De ea meminit Iunctinus in Catalogo ſtellarum fixarum, qui eſt in Commentar. ad ſphæram Io: de Sacroboſco.

Prorogatores apud Aſtronomos vocantur iidem, qui 123
moderatores, ac ſignificatores: Sunt enim Planetæ, & alia loca in cælo, quæ rerum moderandarum diſpoſitionem ſubintrant; De quibus paulò antè dictum in V. *Promiſſores*: afficiuntur enim horum qualitatibus, & prout benè, vel malè fuerint ab iſtis affecta, benè vel malè, de re ab ipſis ſignificata denunciant. Sunt autem quinque ex Ptolemæo: Sol, Luna, Aſcendens, Medium cæli, & Pars Fortunæ: & inſuper Sole, Luna, vel Parte Fortunæ exiſtentibus in locis non idoneis ad Vitæ prorogationem ineundam, Planeta, qui cum reperiatur in loco hylegiali, plurimas dignitates habuerit in locis luminarium aſcendentis, partis fortunæ & præcedentis luminarium coniunctionis, aut oppoſitionis, cui profectò tunc competet ius moderandæ vitæ ac prærogatiua hylegij.

124
Hinc moderatoris nomen, meo iudicio latiùs patet, quam prorogatoris: Moderator enim comprehendit ſignificatores quoſcumque rerum; Prorogator autem, vt nominis etymon præſefert, aliquid ſpeciale ſignificat, quod prorogari poſſit, & in longum protrahi, qualis eſt potiſſimum vita: Vnde iis ſolis conuenit hoc nomine inſigniri, qui moderandam vitam, & prærogatiuam hylegialem ſortiti fuerint. Rurſus ſignificatoris nomen adhuc vniuerſalius eſt, quam moderatoris, aut prorogatoris: Quantum enim ad etymon, dicit tantum rei alicuius ſignificationem habere; ſicque etiam comprehendere poteſt loca minùs principalia, quæ certarum rerum ſignificationem habent, vt ſecunda diuitiarum, tertia fratrum, &c. ſimiliter reliqui quinque Planetæ Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, & Mercurius, quos aliliqui in ſignificatores aſſumunt (vt dictum eſt in V. *Moderatores*) ad quos dirigunt corpora & radios aliorum planetarum, aliaque ſidera occurſantia, nec ſanè ſine fructu. Hæc autem dixerim, vt aliquam diuerſorum nominum ſignificationis diuerſitatem tradam; cum aliàs non me lateat, apud omnes Profeſſores, ipſumque Ptolemæum hæc vocabula indiſcriminatim ac ſine delectu aliquo vſurpari.

Proscatheton apud Græcos idem valet quod perpendiculum, inſtrumentum librandis planis, aliiſque Geometricis operationibus perficiendis factum. Vide in V. *Perpendiculum*. 125

Prosthaphæresis Græcè, Latinè idem ſonat ac impletio, 126

ſeu adæquatio: eſtque pars illa Eclipticæ, quæ addenda eſt, vel minuenda à motu medio Planetarum, vt habeatur verus, aut à verò, vt habeatur medius. Vide in V. *Æquatio.*

127 PROTHANATOS (alij *Piethanatos*) aqud Campanellam eſt Planeta vel locus in cælo mortis qualitatem decernens, qui videlicet in cæleſti figura locum Anereticum aut præcedit, aut ſequitur, aut etiam eidem applicat. Item Dominus termini, in quem incidit mortalis directio

128 PROTRIGETES item Græcè dicitur Vindemiator, ſtella fixa tertiæ magnitudinis de natura Saturni, & Mercurij, ab Arabibus dicta *Alaſaph* exiſtens in ala ſeptentrionali Virginis,quæ tempore Vindemiæ oritur. Plinius lib.18.cap. cap. 31. eam vocat Aſtyriæ ſtellam. Vide in V. *Vindemiator.*

129 PSEVDOSTELLA communiter dicitur quicumque cometa, ſiue nouum Phænomenon de nouo apparens in cælo, ſiue in regione elementari, ſiue in æthereа: preſſiùs tamen accipitur pro iis qui in ſuprema aëris regione generantur, vnde pſeudoſtellæ quaſi falſæ, & veluti ſuppoſititiæ appellantur, ad differentiam earum quæ perpetuò in regione ætherea micant, & nullam mutationem ſubeunt. Nihilominus iſtæ ſublunares, vti æthereas in luce, atque in coloribus imitantur, ita & qualitatibus imbuuntur, & ſecundum naturam Planetarum, quibus aſſimilantur, & quos credendum eſt in ipſarum productione magis concurrere Fauſta vel infauſta obnunciant; ita tamen, vt quia adulterina eſt earum actiuitas,atque ex cęlorum partim,partim è tulluris prauis qualitatibus confarcinata, ſemper portentoſa ſit, ac timenda huiuſmodi Phænomenon apparitio. Et quidem, cum eorum materia ſit exhalatio quædam ſpiſſa, pinguis, & craſſa in vnum coiens, quæ ſiue ab ignis ſphæra illis proxima, ſiue à ſideribus; ex motu quo ignem concipit accenditur, & tantum durat quouſque eius craſſities abſumatur, vt habet Ariſt. 1. Meteor. cap. 7. ideò eorum materia iam reſoluta, conſequens eſt, vt reliqua exhalatio, in ventos conuertatur, ſicque maris tempeſtates, terræ motus, terræ ſterilitatem, aëris intemperiem, aliaque id genus mala denunciet: Vnde Pontanus in Vrania:

*Ventorum quoque certa dabunt tibi ſigna Cometæ.*

130 Placet autem hic ex Iunctino in tractatu de Cometis particulares eorum ſignificationes afferre ſiue ex natura Planetarum quos referunt,ſiue à qualitatibus ſignorum, in qui-

bus apparuerint, quoniam eius rei notitia multum iuuare poteſt ad ea, quorum ſigna extiterint declinanda, noſque per contraria communiendos. Itaque

Cometæ, Pſeudoſtellæ de natura Saturni, quales ſunt quæ referunt colorem plumbeum, liuidum, ſubobſcurum, in quo genere veniunt Pithetes, Tenaculum, Hircus, &c. in Horoſcopo mundi repertæ, obnunciant multorum perniciem, famem, peſtem, exilia, inopiam, anguſtias, luctus, terrores; & brutis animantibus vſui hominum accommodatis detrimenta: Prætereà afferunt frigora ſuo tempore intenſiſſima, glacioſa, & nebuloſa; niuium magnam vim, ventos validiſſimos, tempeſtates, naufragia, piſcationis iacturam, frugum ab erucis, ac locuſtis deuaſtationem, inundationes, grandines, & ſimilia. In hominibus inſuper denotant varia accidentia, & pericula, quique adhuc erunt plus ſolito triſtes, inuidi, ſolitarij, laborioſi, &c. 131.

Phænomenon de natura Iouis, qualis eſt Argenteus, ſignificat anni fertilitatem, ſalutares pluuias ſuis temporibus congruentes, aëris ſerenitatem, præſertim ſi in ſignis aereis: Verum corporibus ad morbos diſpoſitis, iis maximè qui Iouiam complexionem habent, pleuritides, aliaſque ægritudines, quas Iouem facere diximus ſuo loco. 132.

Martius Cometes dictus Veru, ſeù Pertica indicat ariditatem fontium, & fluuiorum exſiccationem, Ventos morbificos, fructuum, & ſatorum diſſipationem: Ad hæc frequentiſſima ſequentur tonitrua, coruſcationes, & fulmina: Mare præter ſolitum agitabitur, & crebriora contingent naufragia. Et quia Mars naturaliter accendit bilem, ideo frequentes rixæ, contentiones, bella, ſeditiones, &c. excitabuntur. Ex morbis etiam graſſabuntur diſenteriæ, febres ardentes; hæmorrhagia, & his ſimilia. 133.

Cometa de natura Solis, qualis eſt qui communiter dicitur Roſa, ſi viſus fuerit in regionis alicuius horoſcopo portendit Regis, aut alicuius viri præpotentis mortem, aut ſeditiones, & tumultus cum rerum mutatione, ſed quibus meliora forte ſuccedent. Item bella, contentiones, æſtus, & ſiccitates. Homines etiam ſolares, cuiuſmodi ſunt magnanimi, prudentes, hilares, generoſi, graues, multis affligabuntur incommodis. 134

Veneris Pſeudoſtella colore flauo, & valdè rutilans minatur mala de ipſius natura, ſtomachi, renum, ſpermaticorumque vaſorum affectiones, quibus potiſſimum laborabunt mulieres, ſacræ Virgines, adoleſcentes delicatuli, voluptuoſi & ſimiles. Adducit etiam fructuum corruptio- 135.

nem, aquarum inundationes, rerum publicarum, legumque mutationes.

136 . Cometes Mercurialis colore ceruleus, dictus *Dominus Aſcone* præter ventos plus ſolito irruentes adducit famem, bellum, & peſtilentiam, cum magni viri alicuius morte, ac perſonis Mercurialibus præſertim ingenioſis phrænesim lethargum, epilepſiam, & ſimilia.

137 Tandem lunaris muliebri ſtatui, & popularibus aliquid mali ſemper obnunciat, iis præſertim qui ſub Lunæ gubernaculo ſunt, vt Phlegmatici, inconſtantes, albi, mobiles, puſillanimes, meticuloſi, &c. quibus ingerit morbos ex nimia humiditate, hidropem catarrhos, paralyſes, epylepſias. In vniuerſum autem ſignificat ſterilitates, legum, rituumque innouationes, ac leuia bella.

138 Porrò ſi Cometa ſuprà dictos planetas exaltabitur augebit ſupra modum ſignificata: ſi ſuper Saturnum infirmitates validas, ac diuturnas adducit: Si ſuper Iouem, morientur homines eximij, nobiles, inſignibus, ac laude conſpicui: Si ſuprà Martem homines litigabunt, & bella gerent: Si ſuprà ſolem, deprimentur Reges, ac potentes, & viles exaltabuntur: Si ſuprà Venerem, aquarum diminutiones cum ſiccitate denunciantur: Si ſuprà Mercurium, rixæ, & iuuenum morbi: Si ſuprà Lunam, in ſubſtantiis multorum detrimenta: Si ſuprà Draconis caput, interficientur nobiles, & qui in pretio erunt: Si ſuprà Caudam, denotat, quod in fructibus arborum erit iactura.

139 Addit prætereà Georgius Valla, quod ſi Crinita caudam ad Saturnum conuerterit, fructuum inopiam, & annonæ caritatem portendit; ſi ad Iouem, regias domos euertendas ſi ad Martem, ægritudines, interitus, & bella atrocia cum immutatione ſtatus rerum publicarum; ſi ad Venerem magnarum mulierum, Reginarumq; mortem; ſi ad Mercurium multitudini ſuſpendia, & infamiam.

140 Denique pro qualitate ſignorum, in quibus hæc Phœnomena apparuerint habent diuerſa ſignificata. Nam ſi in Ariete fulſerint, indicant futuros armorum ſtrepitus, ſanguinis effuſionem, ac potentium virorum mortem: item ſiccitatem inſignem, morbos vulgares, oculorum, & capitis affectiones, luem pecudum, nobilium, ſummorumque virorum deiectionem, & ignobilium exaltationem, non ſine magno æſtu, & apprime noxio.

Si in Tauro: ſignificant meſſis, & fructuum corruptelam, terræmotus horrendos, ventos validos; item & frigora ſuo tempore ingentia: Hinc erunt ægritudines vehementes, do-

lores ſicci, vt ſcabies, impetigines, pruritus, &c.

Si in Geminis: ſignificant rixas, belli ſeminaria, ægritudines & ex his mortes puerorum,& adoleſcentium,prægnantium aborſiones, auium interitum, famem, tonitrua, & corruſcationes cum ventorum tanta vi, vt arbores eradicare valeant. Item laſciuiam, & fornicationis licentiam, proborumque hominum deiectionem.

Si in Cancro; indicant multitudinem locuſtarum ingruentium, ac deuaſtantium meſſem, adeoque frumenti & aliarum frugum paucitatem, vel ab iis corroſarum, vel ſanè à vermibus in eis productis: Item præſagiunt bella, diſcordias, ſubmerſiones, direptiones, famem, & quam plurima mala.

Si in Leone denotant deſtructionem ædificiorum, infeſtationem luporum, & ex ipſis impedimenta multa in hominibus, productionem vermium in frugibus, canum rabiem, oculorum affectiones, & bella

Si in Virgine: ſignificant labores multos, dolores, ac febres, tremores, vlcera, &puſtulas, præſertim in fœmineo ſexu, in quo abortus valde erunt timendi. Item hominum proborum vexationes, ac malorum viuendi licentiam.

Si in Libra: denotant pluuiarum paucitatem, ventorum impetum, fluuiorum deſiccationem, frugum inopiam, terræmotus horribiles. Item mortem Principum, cædes,proditiones, & alia huiuſmodi.

Si in Scorpione: portendunt multitudinem bellorum inter Principes viros, contentiones, & regnorum reuolutiones. Inſuper labores, & ægritudines in omni hominum genere: parturientium pericula dolores, & affectiones partium generationi inſeruientium, & fructuum terræ certiſſimam corruptelam.

Si in Capricorno: præſignant magnam viuendi licentiam in hominibus prauis, fornicationes, adulteria, bella, rixas, venena principibus propinata. Item hyemis aſperitatem, grandines, niues; vnde fructuum caritas, & penuria.

Si in Aquario: afferunt infirmitates populares, bella longo tempore duratura; aëris obſcuritatem cum ventorum, tonitruorum, & fulminum impetu. Inſuper peſtem luctuoſam, & ſummorum præſertim virorum inopinatam mortem.

Si denique in Piſcibus apparuerint indicant plebis calamitoſum ſtatum, bella atrocia, rebelliones, ac proditiones.

item periculoſa erit nauigatio, & detrimentum patietur ars piſcatoria.

241 Ad hæc aduertendum, quod ſi in Oriente fuerit apparitio, res indicata velocius accidet, ſi verò in Occidente ſeriùs. Loca autem quæ maximè his incommodis laborabunt ſunt in quæ cauda Phœnomeni inclinabit, vel ſanè ſubiecta ſignis, in quibus fiet conſpicuum. Hæc ex Iunctino, cui ferè cæteri ſcriptores de Cometis aſtipulantur. Vincentius tamen Guinitius è Societate IESV, in Oratione habita de Cometa anni 1618. viſo in Romano hemiſphærio contendit, eos non minus felicitatem quam infelicitatem afferre, cum tamen homines ob inditum à natura genium infortunia magis obſeruent, quam proſpera. Cæterum Ricciolus in Almageſto nouo *lib.* 8. *ſect.* 1. *cap* 2. poſt longam huius rei ventilationem concludit, quod ſi Cometæ elementares ſint, vniuerſaliter, & ex natura ſua habent obnunciare inſignem aliquam rerum mutationem in natura ſublunari factam, cuius effectus nondum deſierint, ſed haud ita multò poſt ſint prodituri, iuxtà diſpoſitionem materiæ, & concurſum aliarum cauſarum. Si verò cæleſtes ſint, & ex materia ætherea producti, à Deo ordinatos eſſe tum vt mortales oculos ad cælum erigant; tum vt inde magnum aliquid expectent, vel in ſe, vel in ſuis regionibus quaſi *Dei lingua* ſint: maximè verò in iis quibus fuerint perpendiculares, aut multum in horoſcopo morabuntur.

242 PVLSATIO apud Aſtronomos eſt commiſſio diſpoſitionis ſuæ, quam facit Planeta alteri ad quem proijcit radium, aut in cuius dignitatibus reperitur; tunc enim communicat eſſe ſuum, ac naturam ipſi, quem pulſat. Sicut econtra *Receptio* dicitur acceptatio, quam facit planeta pulſatus diſpoſitionis ab alio ſibi commiſſæ. Ea autem eſt in triplici differentia, prout aduertit Abraham Auenarre in ſuo introductorio; Virtutis, Poteſtatis, & Naturæ. Pulſatio virtutis eſt cum planeta fuerit in eius Domo, Exaltatione, Triplicitate, aut Termino, & coniungatur alteri planetæ, aut illum reſpiciat: tunc enim ſuam virtutem dicetur alteri committere. Pulſatio poteſtatis eſt cum planeta alium reſpicit radio perfectæ amicitiæ, qualis eſt Trinus, aut imperfectæ, qualis eſt ſextilis; tunc enim inter ipſos erit perfecta commixtio, & poteſtatis pulſatio. Pulſatio naturæ pluribus etiam modis fit. Primò cum planeta iungitur alteri planetæ exiſtenti in ſuo domicilio, vel exaltatione. Secundò cum iungitur alteri de ſua conditione, & natura, vt ſi maſculus maſculo, diurnus copuletur diurno, ac nocturnus noctur-

no. Tertiò cum planeta velox exiſtens in ſuis dignitatibus reſpicit tardiorem nullam dignitatem habentem in loco ipſius velocioris; nam tunc velox dicetur propriam naturam tardiori tranſmittere.

PVNCTVM definitur ab Euclide, *Cuius pars nulla eſt:* Eſt enim minima pars quantitatis, ſeu illud extremum, quod in vlteriores partes diuidi nullo modo poteſt ſaltem conceptu, licet non re: Quandoquidem Philoſophi ferè omnes cum Ariſt. 6. Phyſic. text. 1. & 1. Gener. text. 8. non admittunt puncta indiuiſibilia in continuò, ſed partes, & partes in infinitum diuiſibiles, ac diſtinctas, eo quia punctum, prout indiuiſibile conſideratum, nullam habeat extenſionem in ſe, & perconſequens neque in continuò additum aliis punctis inextenſis poſſit facere extenſionem, deberet enim tangere aliud ſecundum ſe totum, alioquin non eſſet indiuiſibile: Nihilominus tamen hoc Mathematici non attendunt, ſed minimam quantitatem, quæ ſenſibus obuiet, & concipiatur eſſe incapax omnis dimenſionis, longitudinis nempe, latitudinis, & profunditatis, quarum, vel omnes, vel aliquam ſaltem reperire eſt in qualibet quantitate extenſa, punctum appellant. Vnde Plin. *lib* 2. *cap.* 68. *Non aliud terra vniuerſa*, inquit, *quam Mundi punctum*: Quia videlicet Terra in comparatione totius Machinæ Mundanæ, & Orbium ſuperiorum eſt inſtar puncti indiuiſibilis, inextenſi, neque longi, neque lati, neque profundi: & ideò nulla eſt differentia radij proiecti à ſtella in Firmamento per lineam rectam in centrum, & in ſuperficiem terræ; quia profectò terra in tanta diſtantia, & reſpectu ad Firmamentum planè inſenſibilis eſt, proindeque ſe habet vt punctum. Corpus igitur, quod concipitur eſſe neque longum, neque latum, neque profundum, dicitur punctum, perindeque eſt in quantitate continua, ac in diſcreta vnitas, vel in ſucceſſiua, quale eſt tempus, inſtans. Quod, vt aliquo modo concipiamus, debemus imaginari extremum alicuius ſubtiliſſimę acus, vel minimum foramen, aut characterem per ipſam, vel calamum in papyro ſignatum: qui rurſus, ſi vlterius produeatur, lineam efformet, longam quidem, ſed nec latam, nec profundam, duobus in extremitatibus punctis terminatam. Si verò concipiatur idem character indiuiſibilis & in longum & in latum productus, vel duæ, aut plures lineæ parallelæ ſe inuicem, & lateraliter contingentes, conſtituerent ſuperficiem: ſi demum producatur tam in longum, quam in latum, & in profundum, cuiuſmodi eſſet ſi plures ſuperficies ſuper alias concipia- 143

mus, tunc habebimus corpus ſolidum omnis dimenſionis capax. Et hæc ſunt tria genera quanti, ſecundum trinam dimenſionem, circa quę voluitur omnis Geometriæ labor, & ſpeculatio. Porrò punctum, etſi quantum non ſit, nihilominus eius prima, & potiſſima eſt conſideratio in Geometria: ſine enim ipſo quantitas vlla percipi haud poſſet, eo prorſus pacto, ac numerus ſine vnitate, cum tamen vnitas numerum non conſtituat, ſed tamen in numero ſit eius initium, eius & finis. Vnde anguli omnes in figuris tam planis, quam ſolidis, quę tamen angulos habeant, & circulares non ſint in puncta neceſſariò terminari concipiendi ſunt.

144 PVTEVS ab aliquibus dicitur in cælo ſidus, quod aliàs Ara, Lar, Thuribulum appellatur. Vide ſub his dictionibus.

145 PVTEALES GRADVS, vide in V. *Gradus.*

146 PYRAMIS apud Geometras eſt figura ſolida, quæ definitur ab Euclide lib. 11. propoſ. 12. eſſe eam, *quæ ſub pluribus planis contenta, ab vno plano, ad vnum punctum conſtituitur.* Ex qua definitione intelligimus figuram pyramidalem ex pluribus planis ad minus tribus in longum protractis conſtare; quæ enim vno vel duobus planis conſtituitur, non pyramis, ſed ſuperficies triangularis exiſtat *neceſſo* eſt. Item omnia plana, quæ pyramidem conſtituunt, triangularia debere eſſe, excepta tamen baſi, vel plano, à quo omnia plana pyramidem efformantia, incipiunt, & in idem punctum deſinunt, quod vel triangulum, vel quadrangulum, vel pentagonum, vel exagonum, &c. poteſt eſſe: & quale eſt iſtud planum ſeù baſis, talis tota pyramidalis figura denominabitur; tot enim triangulis quælibet pyramis conſtruitur, & finitur, quot angulos, & latera planum dictum habet.

147 Porrò omne corpus ſeu opacum, ſeu luminoſum, lumen ſuum, vel vmbram in aliud tranſmittit in formam pyramidalem, vt præ aliis notat Vitellio in Perſpectiua *lib.* 2. niſi quod corpus luminoſum ita tranſmittit, vt vertex pyramidis efformatæ ſit in puncto eiuſdem corporis, vnde proſilit lumen, & baſis cadat in ſuperficiem corporis illuminati: corpus autem opacum ita vmbram ſuam tranſmittit, vt baſis pyramidis efformatæ ſit in ſuperficie ipſius corporis vmbram ſuam diffundentis, & vertex in puncto corporis cuiuſcumque ad quod vmbra protenditur. Plura apud ipſum Vitellionem, nec non apud Clauium, *in Commentar. ad Elem. Euclidis.*

Pyros Græcè dicitur Martis aſtrum ab ignea natura, colore, & fulgore dictum. Vide in V. *Mars.* 148

Pythetes. Vide *Pithetes.* 149

Python ab aliquibus dicitur ſerpens ſidus in cælo ad manus Ophiuci. Nomen à fabulis deriuatum à Pythone quodam ſerpente ex putredine terræ producto, quem poſteà ab Apolline telis confoſſum, cælo inuexerunt, atque in eius figuram ſtellas quaſdam veneficæ naturæ ſapientes Aſtronomi colligarunt. 150

## Q

Quadra Græcè Plinthis, apud Geometras dicitur quodlibet inſtrumentum planum in quadratam figuram abiens: vnde ab aliis ex figura quam referebat Quadra appellabatur menſa illa parua, & portatilis, ſuper qua carnes & cibaria in partes tribui conſueuerunt: item & panes olim in quadratam figuram efformatos, quadras dicebant: vnde eſt illud Virgilij 7. Æneid. *Patulis, nec parcere quadris.* Nunc tamen preſſius audit Quadra inſtrumentum Mathematicum rectangulum, quo qualibet figura plana in quatuor partes ſecatur, ex ea conſtituens quadratum, cubum vnde, & 1

Qvadrantal, & Cubus, & Quadrata figura dicitur quæ omni ex parte ſit quadra, ſeu quæ ſex planis quadrilateris, & rectangulis conſtat, & in quamcumque partem incubuerit, ſemper æqualis in omni dimenſione erit, & immotam ſeruans ſtabilitatem, quales ſunt taxilli, & teſſeræ, quibus in alueolo luditur. Quadrantal etiam dicitur menſuræ genus, de qua nihil ad nos. 2

Qvadrangvlvs dicitur figura Geometrica quatuor angulis conſtans, vt Parallelogrammum, Rhombus, Romboides, &c. de quibus omnibus ſuo loco. 3

Qvadrans Geometricvs eſt inſtrumentum Mathematicum, quod iure inter omnia Mathematica inſtrumenta principatum obtinet: ſiquidem eius ope omnia ferè Geometriæ, Aſtronomiæ, aliarumque Mathematicarum diſciplinarum operationes, & complentur, & facilè percipiuntur: ſed præcipuè deſeruit ad inquirendam poli eleuationem, Solis, aliorumque ſiderum, tam de die, quam de nocte altitudinem ſupra horizontem, declinationem, ab inuicem diſtantiam, locum in Zodiaco, aliaque permulta, quibus tota Aſtronomia, ac Geometria ad praxim reducitur, & completur. Eſt igitur Quadrans Geome- 4

tricus corpus ſolidum, & planum quartam partem circuli referens, atque in area ſua deſcriptos continens per gyrum grad. 90. qui omnes per lineam rectam conueniunt in puncto, quod incidit in eius angulum, & eſt centrum totius circuli, & quadrantis, & ex hoc centro dependet perpendiculum aliquod ex filo, quo mediante in limbo, gradus, eorumqueque fractiones metimur. Ad vnum autem laterum eius affixa ſunt duo pinnacidia, ſeu ſpicillæ, cum foraminibus ſeſe per lineam rectam reſpicientibus, non quidem amplis, ſed taliter fabricatis, vt per ea res quidem menſurabilis probè conſpici queat, & oculus nimio aſtri fulgore non præſtringatur, ſed rectà in ipſum, innoxieque poſſit intendere ipſo quidem in ea quadrantis parte, quæ limbo finitur conſtituto, aſtro verò, vel alia quauis re menſurabili ex aduerſa, itavt ex centro quadrantis radium ſuum in oculum poſſit proiicere.

5. Eius vſus hic eſt: Viſa Solis de die, vel Lunæ aut alterius inſignis ſtellâ de nocte altitudine ſupra terram; ſi vis præciſè indagare, quanta ſit eius eleuatio ſupra terram, declinatio ab æquatore, &c. vel etiam quota ſit hora diei vel noctis, id per quadrantem duplici via aſſequi poteris. Primò per diſtantiam eius à vertice in cordis ſubtenſis. Secundò per adminiculum ſphæræ, quam præſtat in hoc negotio eligere ſolidam. Nam poſito, quod tantum eleuetur Sol, ſiue aliud Aſtrum ſupra horizontem, quantum abſcindit in gradibus perpendiculi filum ex centro quadrantis pendens, computa gradus illos, & transfer ad ſphæram collocatam ad eleuationem poli ſuprà tuum horizontẽ, atque ibi in tali diſtantia graduum ex Meridiano computandorum conſtituere debes ſolem, aut aliud Aſtrum in ſphæra, in quanta ipſum in cœlo eſſe ex quadrante inueſtigaſti. At quorſum, inquies, metiri potero talem altitudinem, atque ab quadrante ad ſphæram meam transferre? Sanè id facillimè poteris. Accipe igitur circinum, atque in ſphæra tot gradus in æquatore enumera (ipſe enim, vt alibi dictum eſt, totius ſphæræ, totiuſque motus regula eſt, & menſura) tot inquam gradus enumera & circino comprehende, quot gradus ſiue ab horizonte, ſiue à vertice elongatur illa ſtella, quam per quadrantem vidiſti: deinde circino inuariato pone pedem eius in contactu horizontis, & alio ſurſum è regione verticis eleuato, tandiu ſpæram voluas, quandiu locus ſolis eo die cadat ſubtus pedem alterum circini, & ſic habebis eleuationem Solis. Quo præſtito reuertere cum Sole, & conſtitue eum ad contactum horizontis, ac ſi tunc oriretur, & nota

gradum

gradum æquatoris; qui tunc cum ſole oritur: poſteà volue ſolem ad locum prioris eleuationis, quam per circinum obſeruaſti, ac vide quot gradus æquatoris intercipiuntur inter locum illum prius inuentum, cum quo Sol oriebatur, & alium, qui tunc emergit ex horizonte, ſole in tanta altitudine conſtituto, nam quot quindenis gradibus emerſit æquator ex horizonte, à puncto exortus Solis, tot horæ ab eiuſdem exortu effluxerunt, quot graduum minutiæ, vel reſidua, tot horæ exceſſus ſimiliter tranſierunt, dando ſingulis gradibus æquatoris ſingula quatuor minuta temporis, & ſingulis quindenis minutis æquatoris, ſingula minuta temporis. Quod etiam præſtari poterit de nocte computando tempus intermedium inter ortum æquatoris cum ſtella aliqua & ortum alterius gradus eiuſdẽ æquatoris, ſtella interim in certa aliqua a terra altitudine conſtituta, quã per quadrantem vidiſti. Sit pro exemplo. Solem primum gradum Cancrĩ permeantem in aliqua hora diei ſupra horizontem eleuatum contemplatus es, & ex quadrante gradus etiam quibus ſupra horizontem erigitur adnotaſti. Cum his igitur gradibus perge ad æquatorem ſphæræ, & extenſo circino loca alterum eius pedem in contactu horizontis, alterum per rectam lineam ad verticem ſupra primum gradum Cancri; inde ſphæram voluẽ, quouſque gradus iſte ad horizontem ſit conſtitutus, & obſerua gradum æquatoris coaſcendentem, qui profectò erit circiter gr. 70. pro ratione eleuationis poli tuæ regionis: & notatis ex parte his gradibus, ſiſte ſolem in tanta altitudine quantam per quadrantem vidiſti, verbi gratia in gr. 64. computatis in limbo meridiani, & aſpice quiſnam gradus æquatoris ſuprà horizontem emergat, ſeu conſtituatur in contactu ipſius horizontis, videbis eſſe gr. 185. Subtractis igitur ex hoc cumulo grad. 70. illis nempe, qui tunc oriebantur cum ſole in horizontis contactu poſito (quandoquidem ij iam intelliguntur exorti) remanebunt gr. 115. quibus diuiſis per 15. prouenient horæ 7. & inſuper min. 40. temporis, hoc eſt duæ tertiæ partes vnius horæ, eo quia ad integras graduum per 15. diuiſiones ſuperſunt adhuc gr. 10. qui 40. temporis minuta appellant: quod quidem tempus computatum ab exortu ſolis in illa die, dabit horas præciſas quas explorare volueris ferè circa meridiem. Quod ità exactè per horologia, ſiue Mechanica, ſiue Solaria præſtare nullatenus poſſumus. Et hæc eſt certa, ac tutiſſima via indagandi horam præciſam alicuius differentiæ temporis, ad quam Cœleſtem Figuram ad amuſſim erigere volumus.

Eodem modo operari poteris & de nocte, ſed cum hoc addito. Nam viſa altitudine ſtellæ, vel Lunæ per quadrantem & ea in ſphæra poſtea inuenta, inſpice quis gradus æquatoris in tali poſitu ex horizonte emergat, & ſeorſim nota: deinde volue ſphæram ad contactum loci Solis in horizonte, & numera quot gradus interſint inter hunc & illum, qui emergebat in tali altitudine ſtellæ, computando tot horas ab oriente, vel occidente Sole, quot quindecim gradus interim emerſerunt (ſubducendo, vt ſupra, partes, quæ iam ante intelligun tur elapſæ) nam habendo notitiam diei, ac noctis habebis, etiam quot horæ noctis tranſierint, quot etiam ſuperſint ex poſitu ſideris in tali altitudine ſupra terram. Alia etiam munia, & vtilitates Quadrantis geometrici vide apud Clauium in Geometria pract. alioſque authores qui de eius vſu ex profeſſo ſcripſerunt.

7. Qvadrantes dicuntur in ſphæra quatuor præcipuæ ipſius interſectiones tam in Mundo, quam in Zodiaco conſideratæ: duo quidem Orientales, & maſculini, qui computantur ab ortu ſolis vſque ad meridiem, & ab occaſu vſque ad Imum in Mundo, atque ab Ariete vſque ad initium Cancri, nec non ab initio libræ vſque ad finem Sagittarij in Zodiaco; duò vero occidentales, & fœminini in Mundo, à culmine vſque ad occaſum, & ab Imo vſque ad ortum, atque in Zodiaco ab initio Cancri vſque ad Libram, & ab initio Capricorni uſque ad finem piſcium. Ab his enim ſidera incipiunt influere & ſucceſſiuè continenter intendunt primas qualitates, & quia ab oriente, & ab ariete vſque ad Meridiem, vel Initium Cancri incipiunt ſidera influere calorem, & continenter intendunt, & calor eſt qualitas maximè actiua, ideo appellantur hi quadrantes maſculini: quia ab Culmine vſque ad occaſum & à Cancro vſque ad libram incipit remitti calor, & ſucceſſiue introduci ſiccitas, quæ eſt qualitas paſſiua, ideo dicuntur hi quadrantes fœminini: ſimiliter quia ab occaſu ad imum, & à Libra ad Capricornum cedit paulatim ſiccitas, & incipit intendi frigiditas, qualitas item actiua, & maſculina, ideò hi quadrantes etiam maſculini: quia demum ab imò ad ortum, atque ab Capricorno ad Arietem ſenſim cedit frigiditas, & paulatim introducitur, & augeſcit humiditas, qualitas fœminea & paſſiua, ideò hi reliqui duo quadrantes dicuntur etiam fœminini. Pari etiam ratione Ptolemæus quatuor hominis ætates his quatuor quadrantibus aſſimilat lib. 1. Quadrip. c. 8. ſic inquiens. *Omnia animantia prima ætate dum tenera ſunt & mollia, vt ver humore abundant* (in Vere etenim

maxima eſt humiditas, iam per præcedentem anni quadrantem intenſa, quæ interim tranſacta hyeme paulatim incipit remitti, & introduci ſucceſſiuè calor, itavt iſta ſit propria huius tempeſtatis qualitas, quam ipſa adducit) *Deinde ſecunda ætate donec maneat vigor magis calent, vt æſtas. Tertia cum vigor langueſit, & initium eſt conſumptionis ſiccitas maior eſt, vt in autumno. Poſtrema frigidior eſt, vt hyems, quia proxima eſt, morti.* De hac re plura diximus etiam in VV. Maſculinum, & Fœmininum, & alibi paſſim.

QVADRATVS, vt paulò antè antè dictum eſt apud Geometras eſt figura quatuor latera æqualia omnino habens inter ſe, & item in æquales angulos eoſque rectos deſinens, vt proinde quadratus perfectus, & Orthogonius audiat, ad differentiam Parallelogrammi, Rhombi, & Rhomboidis, quæ aut non omnes angulos, aut non omnia latera, aut etiam neutra habent æqualia, vt ſuo loco dictum eſt. Apud Aſtronomos verò pari ratione dicitur aſpectus, ſeu familiaritas à ſideribus contracta per quartam circuli partem, hoc eſt per gr. 90. in Zodiaco, & per totum arcum ſemidiurnum, vel ſeminocturnum in Mundo. Ab his enim punctis ductæ ad inuicem lineæ perfectum quadratum æquilaterum, & rectangulum efformant. Et hic quidem aſpectus infauſtus eſt, & hoſtilis, imperfectæ tamen inimicitiæ, vt aſſerit Ptolemæus *lib.* 1. *c.* 12. Quemadmodum Oppoſitio eſt aſpectus perfectæ inimicitiæ. Cuius rei rationem, ſicut & qualitatis aliorum aſpectuum ex conſonantiis muſicis expiſcatam afferunt Keplerus, & Titus in Cæleſti Philoſophia, vt nos alibi adnotauimus. Nihilominus tamen directio Aphetæ ad ſuum quadratum eſt omnium peſſima, & vitæ exitialis. Quod & Nicepſo, & Petoſyris antiquiſſimi Aſtronomi atque Arabum reges miſticè docuerunt, dicentes neminem poſſe tranſgredi Trimorion hoc eſt congeriem trium ſignorum, quam importat quadratus radius, qui profectò ſecundum rationem locorum directione extendi poteſt vſque ad annos 120. vt ex iis quæ diximus cum de directionum menſura, colligi poteſt. Quod & concordat cum termino à Creatore poſt diluuium vitæ hominis conſtituto, vt habetur Geneſ. 6. cum dixit *Non permanebit ſpiritus meus in hominem æternum, quia caro eſt, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Quod, etſi de termino pœnitendi illis hominibus dato, intelligant Hieronymus, Auguſtinus, Abulenſis, & alij: Philo tamen Iudæus, Ioſeph, Rupertus, & alij magis ad literam explicant dictum de termino vitæ 8.

hominis conſtituto, Fortè quia cum prius Apheta ſuum quadratum impunè tranſgredi poterat, ſaltem ſine abſciſſione, & progredi illæſus vſque ad oppoſitionem, & eo amplius; vt euenit, & conceſſum fuit Patriarchis antiquis; poſtmodum Deus conſtituit vt prima occurſatio Aphetæ ad Anaretam, nempe ad ſuum quadratum, vitam abſcinderet. Sed de hac re iterum redibit ſermo in V. *Trimerion*.

9. QVADRATVRA CIRCVLI, quæ à Græcis dicitur *Tetragoniſmus*, nil aliud eſt, vt ipſum nominis etymon præſefert, quam circulum quadratum reddere; hoc eſt cuilibet circulo exhibere quadratum æquale illi ex amuſſi reſpondens. Quod vti facile eſt intelligere, ità difficile admodum facto exequi, ac perficere, & hactenus quod ſciam à nullo eſt præſtitum, licet quamplurimi, iique ſapientiſſimi Mathematici, ac Principes ipſi pluribus annis in hoc negotio detenti, vſque ad defectionem ſpiritus deſudarint. Etenim Circulum quadrare olim conati ſunt apud Veteres, Antiphon, Bryſo, & Hyppocrates Chius, quorum meminit Ariſt. 1. *Phyſic. text.* 11. & 1 *Poſter. text.* 23. & 1. *Elench cap.* 10. Apud Recenſiores verò Orontius Finçus, Campanus, & Nicolaus Cardinalis Cuſanus, qui omnes Circuli Quadraturam inueniſſe ſe iactant: & Cardinalis quidē Cuſanus, ſcripto ad Georgium Peurbachium libro, duplicem à ſe inuentam profert: Prima autem in eo conſiſtebat, vt, *ſi ex ſemidiametro Circuli dati, & chorda quadrantis eiuſdem, directè coniunctis, diameter alteri circulo conſtitueretur, triangulus æquilaterus poſteriori circulo inſcriptus, priori circulo Iſoperimeter foret.* Alia circuli quadrandi ratio ab Cuſano excogitata, hæc erat. *Si in circulo ductis duabus ad angulos rectos diametris vna hinc inde producatur, & alteri ab vno extremo ſic accommodetur ſubtenſa trientis circuli, vt facto centro, qua in alia diametri parte deſinit, circumducatur, & tranſiens per dictum extremum, ſecet hinc inde productam diametrum, recta intercepta his ſectionibus erit circuli ſemicircumferentiæ æqualis.* Verum hæc quadrandi circuli ratio, de qua controuertebatur, non erat. Nam circuli quadratura non conſiſtit in eo quod conuerti debeant lineæ arcuales in rectas, aut econtrà: ſed quod area circuli, ſeù ſuperficies illa circularis, æqualis omninò ſit, neque excedat neque excedatur ab area ſuperficiei quadratæ: itavt Circulum quadrare aliud planè non ſit, quàm reperire aream alicuius quadrati parem, & æqualem areæ cuiuſpiam circuli, vt proinde areę vtriuſque figuræ ſint æque capaces. Non enim id ſic intelligi debet, vt areæ iſtæ inter ſe congruant, & planè coapten-

rur ad inuicem : quod certè eſt impoſſibile, non tam in areis, quam in lineis ipſis, atque in quibuſlibet figuris forma & ſpecie diuerſis, cum ratio figuræ conſiſtat in indiuiſibili : vnde in nullo vnquam caſu poteſt triangulum coaptari quadrangulo, nec linea curua lineæ rectæ, nam ſi rectum congrueret vnquam curuo, iam non eſſet rectum, ſed indueret rationem curui, vt oſtendit Ariſt. 7. *Phyſi. text.* 23. & 10 *Metaph. commenſ.* 10. Conſiſtit igitur Circuli Quadratura in area quadrati reperienda, quæ ſit æquè capax, ac circularis. Neque verò, ex hoc, quod reperiantur quatuor lineæ arcuales, quæ in longitudine tantæ ſint, vt in rectum protenſæ congruant, & adaptari poſſint quatuor lineis rectis quadrangulum efformantibus, (quod ſanè difficile admodum non eſt, & fortè aſſecutus eſt Cuſanus) ſequitur eo ipſo inuentam eſſe quadrationem circuli, hoc eſt aream huius æqualem eſſe areæ quadrati eo modo, quo verè æquales ſunt lineæ ipſas vtriuſque areas terminantes ; Nam, vt benè Euclides, ſemper forma circularis amplior eſt, & capacior, cæteris paribus, aliis non circularibus : quod ideò, vel ex hoc dicitur perfectiſſima, & diuinior.

Hoc poſito ; Circuli quadraturam non modò inueniri poſſe, ſed adhuc poſt Ariſtotelem, inueniam fuiſſe, ac traditam à Sexto Pythagonio, Archimede, Apollonio, Nicomede & Carto, affirmat Iamblicus apud Simplicium, *in* 1. *Phyſic. text.* 11. Certè Archimedes, etſi perfectè circulum non quadrarit, dedit tamen certiſſimam viam quadrandi, ac docuit ea quibus cognitis, & compertis neceſſariò circulus ipſe venit quadrandus : ſi enim quadrauit Parabolam, quæ eſt area, duabus lineis, alterâ rectâ, arcuali alterâ, intercepta, cur non etiam circulus ipſe duabus parabolis conſtans, æquè quadrari poterit ; Deinde Hippocrates Chius quadrauit Lunulas, vt manifeſtum eſt ; at ſi omnes quadraſſet quas in ſua demonſtratione, qua circuli quadraturam poſſibilem aſtruit, in medium fert, abſque dubio circulum quadrauiſſet, vt fatentur etiam ipſi, qui eiuſmodi demonſtrationem redarguunt. Cur igitur ſi vnam, aut alteram Lunulam quadrare potuit, non potuiſſet, & reliquas, cum omnium par ratio ſit, & omnium quadratio circuli quadraturam perfeciſſet ? Non ergò impoſſibilis eſt quadratura Circuli, licet fortè nemo fuerit, qui eum actu quadrauerit. Et hæc de Quadratura Circuli ſatis, ſuperque ſint dicta : qui plura volet videat Simplicium vbi ſupra, Zimaram in Concordantiis ſuper 10. librum Mataphyſic. Alexandrum Aphrodiſæum, ſuper primum librum Phyſic. ac

Ioannem Bureon, qui peculiari libello omnium demonſtrationes in hac re factas accuratè collegit.

10. Qvadripartitvm antonomaſticè audit inſignè opus Claudij Ptolemæi Aſtrologorum facile Principis, de ſiderum Iudiciis ediſſerens, atque in quatuor partes tributum: in quarum prima agit vniuerſaliter de natura, & qualitatibus ſiderum, & ſignorum: in ſecunda deſcendit ad effectuum naturalium conſiderationem, qui à ſideribus vniuerſaliter producuntur ſuper Regna, & Prouincias; quales ſunt peſtilentiæ, caritates, diluuia, aëris immutationes, &c. In tertia progreditur ad particulares effectuum cauſas, atque ad eam partem, quam Genethliacam vocant: in qua re modum Antiquorum, præſertim Arabum negligit, ac ſeponit, & ſolum rationes vniuerſales effectuum ab intima philoſophia excerptas, adducit, atque ab experientia rerum magiſtra confirmat: quod ſi alij Aſtrologi nil temerè auſi, & ſolum Ptolemæo duce, hanc iudicandi prouinciam inirent, profectò non ità facilè vt accidit ſæpiſſimè fallerentur, alioſque fallerent, proindeque in hominum deriſionem, atque indignationem irent: Siquidem, vt benè aduertit Titus in breuiariis ad Quadripart. non poteſt plenè tradi hæc diſciplina per aphoriſmos, qui & omnes recenſeri minimè poſſunt, & eorum quilibet abſolutè procedit, cum tamen innumerabiles exceptiones ex diuerſis circumſtantiis patiatur. In quarta demum parte agit Prolemæus de iis, quæ aliunde nato aduentant, & ſunt illi veluti extrinſeca, vt de Facultatibus, Magiſterio, fortuna honoribus, & dignitatibus &c. Sicque libro finem imponit. Scripſit autem Ptolemæus græce & obſcurè nimis, quapropter variæ circumferuntur latinæ operis verſiones, quas inter, Gemma Friſio Mathematico celeberrimo teſte, longè præſtat tranſlatio facta ab Antonio Gogaua Grauienſi, quæ nuper Patauii apud Frambottum edita eſt opera eruditiſſimi P. D. Placidi de Titis Monachi Oliuetani in florentiſſima Ticinenſi Academia Matheſis profeſſoris, adiectis ad ſingula capita breuibus notis, quibus ſpeculationes ſuas iam pridem in Cœlecti Philoſophia Mundo expoſitas, omnes ad Ptolomæi mentem excogitatas fuiſſe demonſtrat.

11. Qvalitas ex Ariſt. 5. *Metaph* cap. 14. dicitur eſſe *propria cuiuſque ſubſtantiæ differentia*: eſt enim, vt explicat D. Th. *p.* 2. *quæſt.* 49. *art.* 2. & Suar. in *Metaph. diſp.* 42. *ſect.* 1. *Accidens intrinſecum rei, quatenus rem in ratione ſubſtantiæ iam conſtitutam, modificat, ornat, & perficit tum in eſſendo, tum in operando.* Huiuſmodi ſunt, quas meritò pri-

mas qualitates vocant, caliditas, & frigiditas, humiditas & ſiccitas, quoniam primæ ſunt, quæ per omnem ſebſtantiam materialem tranſcendunt, in omnibus vniuerſaliter reperiuntur, & ſunt veluti primi fontes, & radices, vnde cæteræ exſurgant, & quibus mediis operentur. Quandoquidem ex earum contrarietate, qua inuicem ſe expellunt, combinatione diſparatarum, qua ſe mutuò fouent, eiuſdem quoad certos gradus intenſione, ac remiſſione, mira hæc vniuerſarum rerum conſurgit varietas, conformitas, & difformitas, paſſio, & reſiſtentia, mixtio, & alteratio, generatio, & corruptio, quæ alternantibus veluti modulis harmoniam quamdam efformantes, mundum iſtum exornant. Ex his, in primis rerum ſeminibus, hoc eſt elementis, binæ, eæque non contrariæ qualitates inſunt, quarum vna actiua eſt, qua in reliqua poſſit vnumquodque agere, altera paſſiua, qua illis agentibus poſſit cedere, ſicque, vt ait Ariſt. 2. *de generat. text.* 22. inter elementa ſit concordia ſecundum vnam qualitatem, vt conſeruentur, & diſcordia ſecundum alteram, vt ex eorum elementorum pugna, & corruptione mixta omnia conſurgant: Itaque igni conuenit calor, & ſiccitas, aëri humiditas & calor, Aquæ frigiditas & humiditas; Terræ ſiccitas, & frigiditas: itavt ex duabus qualitatibus, quæ in ſingulis elementis reperiuntur illa dicatur vnicuique magis propria, quæ in eo vincit, & in certo illud genere conſtituit, illa minus propria, quæ priori ſubſeruit, & in ſuo eſſe dat conſeruari. Sic igni calor eſt proprius, qui illum maximè facit actiuum, ſiccitas autem in ſuo calore conſeruat: Aëri maximè conuenit humor, cum ſit paſſibilis, & in aliud facilè tranſmutabilis, cui præſtò eſt calor, vt poſſit rareſieri: frigiditas propria eſt aquæ; quæ per humorem ſeſe magis inſinuat: Tandem ſiccitas magis conuenit terræ quæ à frigore habet, quod ſit difficile terminabilis, quatenus ſubiectum denſat, ac facit difficile terminabile. Hinc quia calor & frigus, quatenus habent vim vniendi, & ſegregandi, ſeu reddendi ſubiectum facilè, vel difficile terminabile ſunt qualitates actiuæ, econtra ſiccitas, & humiditas dicuntur paſſiuæ quia ipſis conuenit magis pati, quam agere itavt faciant, vt ſubiectum facile, vel difficile terminetur, cuiuſmodi eſt in lapide cui ob ſiccitatem difficile eſt alienam formam recipere, & viceuerſa in cera, quæ ob humorem ſit facilis ad quamcumque figuram recipiendam. Cæterum non ideò iſtæ paſſiuæ dicuntur, quia nullam habeant actiuitatem, nam & ipſæ valent eiuſdem generis qualitates in aliis ſubiectis producere, ſed ideò dicun-

tur, quia ſubiectum magis aptum faciunt ad recipiendum, quam ad agendum. Sic ignis magis actiuus eſt, quam aër, aqua magis, quam tellus; rurſus magis paſſiuus aër, quam aqua, tellus, quam ignis, quia profecto in iis reſpectu aliorum vincunt qualitates actiuæ.

12. Porrò ex commixtione harum primarum qualitatum, oriuntur in mixtis aliæ quas ſecundas vocant, ſuntque præſertim illæ quindecim à Galeno enumeratæ . de vſu partium par. 9. & 1. de fac. natural. cap. 6. & ſunt Mollities ac durities, lentor & friabilitas, raritas & denſitas, lenitas & aſperitas, leuitas & grauitas, craſſitudo & tenuitas, item diuerſitates odorum, colorum, & ſaporum, quorum quilibet, vt notum eſt, continet varias qualitatum ſpecies, & gradus, ex quibus diuerſitas illa conſurgit: omnes tamen referuntur ad quatuor illas primas tanquam ad prima mutationum initia, quæ in hoc mundo Elementari fiunt.

13. An autem qualitates elementares eiuſdem rationis ſint, ac cæleſtes, magnum diſſidium eſt inter Philoſophos, Aſtronomoſque. Affirmant Conimbricenſes 2. *de Generat. cap. 3 quæſt. 7* eo quia experientia ipſa commonſtrat eoſdem prorſus effectus progigni ab Calore cæleſti, elementari, ac vitali. Similiter vbi in planetis colores conſimiles his noſtris videmus, conſimiles etiam effectus eoſdem promere experimur. Negant alij communiter, & admittunt ſolum eas habere aliqualem conuenientiam, ac ſympathiam. Quinimmò & Titus qualitates mixtorum non eſſe elementares, ſed è cælo deriuatas affirmat, vt nos fusè diximus in V. *Mixta* Fernelius, Argenterius, & alij admittunt in mixtis huiuſmodi qualitates, quas vocant occultas, quæ quoniam ſupergrediuntur qualitates elementorum, exiſtimant nullo modo eſſe ab illis participatas, nec poſſe ad illas referri, non tamen dicunt à cælis deriuatas, ſed eſſe qualitates totius ſubſtantiæ quatenus ipſa per ſe immediatè & nullo interpoſito inſtrumento illam agendi ſeu operandi potentiam ſortiatur, & ideò dicunt occultas, quia nullarum qualitatum auxilio quæ ſenſibus ſubiectæ ſint manifeſtari poſſunt, quippe ea ratione qua ſubſtãtia ipſa ſenſibus, & intellectui eſt occulta, eadem has qualitates occultas, & reconditas dici putãt.

14. Et ſanè, vt certa ab incertis ſegregemus, certum eſt mixta omnia, ſi puris qualitatibus elementaribus conſtarent, eas longè remiſſiores debere eſſe, quam in ipſis elementis, quippe eas & ab elementis deriuatas haberent, & qualitatibus contrariis oppugnatas, vnde & infirmiores, quod non eſt in elementis puris, qua ratione Ariſt. *de ſenſu*

*cap.* 4. docuit ſola mixta perfecta cedere in viuentium alimentum, neque in hoc negotio quicquam poſſe pura elementa conferre, quorum qualitates, vtpote intenſiores, non poſſunt à viuentium qualitatibus alterari, ſicque vinci, & tranſire in ſubſtantiam aliti, vt nos etiam alibi adnotauimus. Si igitur omnia mixta conſtarent ex qualitatibus elementorum, vel ſanè iis ſolis, ſequeretur, nullum eſſe mixtum potentius elementis: At enim videmus multa longè potentioribus qualitatibus pollere, multa longè diuerſis, quæ non ad illas primas reduci poſſunt. Sic videmus herculeum lapidem attrahere ferrum, non equidem per vllam calidam; aut frigidam qualitatem, quia nunquam experientia viſum fuit calida vel frigida tanta vi ferrum, aut aliud quid adeò ponderoſum attrahere; ſed nec per qualitates ſecundas, tum quia iſtæ ortum habent à primis, tum etiam quia nemo vidit vnquam rarum vel denſum, graue, vel leue, craſſum tenue, durum vel molle ſimile quid præſtare. Pari modo electrum allicere paleas, marinum leporem pulmonem, Cantharides veſicam exulcerare, non alias partes, præcipuè verò iecur mollius, & propinquius: Torpedinem manum piſcatoris ſtupore afficere: Echeneidem piſciculum paruum magnam nauem turgidis velis volantem firmare, &c. Quis igitur mentis compos exiſtimet admirandas has operationes fieri à caliditate, frigiditate, ſiccitate, aut humiditate, vel à cæteris conſequentibus qualitatibus? Igitur vel ab ipſa rerum ſubſtantia, quæ immediate habeat hos miros effectus progignere, vel ſanè à ſuperiori, & occulta quadam qualitate, quæ non pateat ſenſibus prodeant neceſſe eſt admirandæ huiuſmodi virtutes.

Quod autem non ab ſubſtantia rerum immediatè prodeant; 15.
præter communem ferè omnium Philoſophorum, Theologorumque conſenſum dicentium nullam ſubſtantiam immediate agere, ſed mediis ſuis potentiis tanquam proportionalibus inſtrumentis; vt præ cæteris euidentiſſimè probat D. Thomas 1. *part. quæſt.* 77. *art.* 1. & *in* 1. *ſentent. diſt.* 3. *quæſt.* 4. *art* 2. id manifeſtè ſuadet ratio & pluribus euincit experientia. Quandoquidem potentiæ operatrices à Philoſopho collocantur in prædicamento qualitatis, quod genus differt natura & eſſentia à ſubſtantia: Idque ex eo quod actio ex natura ſua petit tum diſtinctionem agentis à ſuo termino, tum aliquam diſſimilitudinem ſecundum ſpeciem, inter ſubiectum & agens, ad hoc vt iſtud poſſit ſuum effectum in illud inducere: nemo enim agit in ſibi ſimile, vt idem Ariſt. docet 1. *Phyſ.* & 1. *de Gener. cap.* 9. *text.* 50. &

alibi paſſim. Igitur aliqua contrarietas intercedere debet inter agens & paſſum. Atqui ſubſtantiæ nullum eſt contrarium poſitiuum, & ipſa alteri non aduerſatur, vnde poſſit ex contrarietate induci ad agendum in aliud. Ergo vt agere poſſit debet qualitatibus obuiantibus indui; quibus profectò congredientibus cum iis, quæ in ſubiecto reperiuntur, inſurgat pugna, & ex pugna in altero actiuiore præpollentia, & victoria; vnde demum effectus reſultet, & introductio nouæ formæ. Porrò huic doctrinæ non refragatur experientia: Vbi enim videmus aliquam ſubſtantiam, puta ferrum ignem aut calorem concipere, ſtatim valet eundem in aliud ſubiectum aptum transfundere; cum alias in ſuis qualitatibus frigidis manens, frigus etiam in eodem ſubiecto ſibi proximo generabit. Neque etiam id clarè videre eſt in dictis qualitatibus, quas vocant occultas; Si enim magnes per ſuam ſubſtantiam ferrum traheret, non illi vtique aduerſaretur allij ſuccus: Cicuta non magis hominibus eſſet exitialis, quam ſturnis, quos tamen nutrit, & impinguat: Doronici non vtique canes occiderent, hominibus autem potiùs ſuppetias ferrent, &c. Stat igitur hæc omnia, & ſimilia aliquibus qualitatibus ab rerum ſubſtantia, atque à primis quatuor diſtinctis pollere, quæ in diuerſis ſubiectis, pro ratione qualitatum quibus conſtituuntur diuerſos etiam ſortiuntur effectus.

16. Iam verò, hoc ſtabilito, clarè, ni fallor, elucet, huiuſmodi qualitates, aliqua ſublimiori cauſa, nempè à cælorum influentiis ortum ducere, & per virtutes cælitus inditas operari, miroſque hos, quos videmus, effectus progignere. Quæ profectò & multæ ſunt, & planè inaſſequibiles, atque vt vocat Galenus, *de locis affectis cap* 8. ineffabiles; adeò vt ad Glauconem ſcribens dixerit, quod ſi ad vnguem has occultas qualitates noſceret, ſe proculdubio ſupparem Æſculapio crederet. De quibus tamen hoc vnum tuto pronunciari poterit, eas primas elementorum qualitates, etſi fortè non graduum intenſione, nihilominus excellentia agendi & eminentiore virtute longè exuperare, vnde neque in earum ordine poni poſſunt, neque ad ipſas tanquam ab ipſis exortas reduci, licet, aliquæ cum iis ſeruent quandam affinitatem; proindeque habeat ipſis foueri, & adiuuari, aliæ nullam, ſed longè obſcura, ſublimiori, ac diffita ratione polleant.

17. QVANTITAS eſt proprium, & latiſſimum omnium Mathematicarum diſciplinarum obiectum, non quidem quâ accidens eſt, materiæ addicta, & ſenſibilibus qualitatibus

implicita, (hoc enim conſiderare pertinet ad Philoſophos;) ſed provt dicit extenſionem partium, & eſt menſura quædam apta, vt & alia quantia per ipſam metiamur, & vt ipſa viciſſim ab aliis menſuretur. Et ideò Matheſis propriè conſiderat quantum, hoc eſt quantitatem non in abſtracto, ſed in concreto, provt in ſubiecto reperitur: Philoſophi autem quantitatem abſtractam, provt dicit aliquid in corporibus quantis, inhærens ſubſtantiæ, ab ipſa eorum ſubſtantia, & qualitatibus diſtinctum, facienſque illam impenetrabilem: quo pacto definitur ab Ariſtotele 5. *Metaph.* c 13. eſſe id quod *eſt diuiſibile in ea qua in ſunt: quorum vnumquodque, vnum quid aptum eſt eſſe*: quibus verbis indicare voluit extenſionem partium in ordine ad ſe, itavt Quantitas conſtet ex partibus diuiſibilibus, & diuiſibilibus in infinitum, quarum profectò quælibet apta ſit eſſe vnum quid totum reſpectu aliarum partium, in quas eſt etiam diuiſibilis: itavt nullum ſit aſſignare terminum huius diuiſibilitatis, ſed quæuis minima quantitas conſideretur, vt ſemper extenſa ſit, & ſit vltra in alias partes extenſas diuiſibilis. Quare Philoſophus negat puncta indiuiſibilia inextenſa, ſed in omni minima quantitate conſiderat omnem extenſionem cogitatione ſaltem apprehenſam, licet fortè Phyſicam diuiſionem non ſit capax admittere. Mathematicus autem, quoniam rationem Menſuræ ſolum conſiderat in quantite, ideò parum illi refert, an Quantitas conſtet ex partibus diuiſibilibus in infinitum, vel punctis indiuiſibilibus, ſed minimam quantitatem, quæ non ſit actu capax trinæ dimenſionis vocat punctũ indiuiſibile, illam quæ vnicam dimenſionem admittit, appellat lineam, primamq; hanc dimenſionis rationem, quæ aliam non ſupponit, longitudinem: quæ duplicem habet dimenſionem, vocat ſuperficiem, longam quidem, & latam; itavt latitudo ſecunda dimenſionis ratio ſupponat ſemper in corpore menſurabili longitudinem: Si verò Quantum omnis dimenſionis ſit capax, & in longum, & in latum, & in altum dicitur corpus, tertiaque hæc dimenſionis ſpecies dicitur profunditas, quæ ſuponit reliquas duas longitudinem, & latitudinem. Hoc autem attenditur ſolum in quantis continuis, licet in diſcretis aliqualem earumdem dimenſionum ſimilitudinem inueniat Arithmetica, vt nos in loco aduertimus, ac dictum eſt etiam in Verbo *Proportionalitas*.

Porrò, ex diuerſa quanti provt rationem menſuræ habet, 18.
conſideratione varia, & diuerſa Mathematicarum diſciplinarum genera orta ſunt. Siquidem vel Quantum conſidera-

tur vt continuum, ( hoc eſt, provt partes aliqua vnione Phyſica copulantur, & integrant vnum totum per ſe ) ſolum ſub ratione menſuræ, proportioniſque abſque alio reſpectu; & hoc pertinet ad Geometriam, ſcientiam vniuerſaliſſimam, Matheſis totius Principem, cui aliæ multæ ſubalternantur. Et hoc pacto contemplatur quantum Euclides in primis ſex Elementorum libris, provt habet duplicem dimenſionem, aptumque eſt in varias figuras abire, necnon à decimo vſque ad ſextum decimum, in quibus tranſit ad conſideranda corpora ſolida omnis dimenſionis capacia. Vel Quantum poteſt conſiderari diſcretum in partes, quæ non faciant vnum per ſe, ſed quarum quælibet in ſe conſiſtat, & dicat indiuiſionem in ſe, & diuiſionem à quacumque alia; qua ratione appellat vnitatem, & numeros; & vt tale eſt obiectum Arithmeticæ; de quo agit Euclides lib. 7. 8. & 9. vbi omnem numerorum proportionem acutiſſimè perſcrutatur. Rurſus Quantum continuum contemplari poteſt, vel vt coarctatum ad ampliſſimam magnitudinem, nobiliſſimamque materiam, qua corpora cæleſtia potiuntur; & hoc pertinet ad Aſtronomiam: vel provt eſt coarctatum ad terreſtrem globum, cuius amplitudo, locorum diſtantiæ, climata, aliaque id genus perquirenda ſint, & ſic fundat Geographiam, Hydrographiam, Chorographiam, &c. vt ſuis locis dictum eſt. Item quantum diſcretum conſiderari poteſt materialiter, & formaliter: materialiter quidem, quando ratio numeri præcisè non attenditur, ſed quantitas molis, & magnitudinis in aliquo aceruo rerum materialium, vt puta in frumento, vino, oleo, lapidibus conſtituentibus aliquam domum, &c. in quibus conſideratur præcisè moles, perinde, ac ſi eſſet vnum quantum continuum, & inde exhauritur poſteà artificioſè numerus partium conſtituentium; & hoc eſt officium Geodæſiæ, cui, & Geometria, & Arithmetica æquè partes ſuas conferunt, atque auxiliares manus ſuppeditant. Vel tandem mixtum quid efformatur ex numeris, & quantitate continua, ſed ſucceſſiua, quale eſt tempus; quâ videlicet fit, vt temporum interualla ad numeros apprimè reſpondeant, compareturque melos, & harmonia ex ſonorum modulis ad tempus correſpondentibus: & hoc eſt proprium Muſicæ.

Et hæ ſunt primæ & potiores diuiſiones Quanti, quod quemadmodum poteſt in diuerſis ſubiectis particularibus conſiderari, ita & peculiares ſibi vindicat diſciplinas, omnes tamen ſub vno Matheſis nomine comprehenſas, & vel Geometriæ, vel Arithmeticæ duabus præcipuis Matheſis diſſe-

teniis, ſubalternas.

Ex his manifeſtè liquet, omne Quantum aliqua figura 19. prædituṁ eſſe neceſſariò debere: omne enim quodcumque concipiatur finitum eſt, & terminis aliquibus clauſum; termini autem attenduntur in ſuperficie corporis quanti ſecundum trinam illam dimenſionem, quam ſuprà diximus. Item quantum in ratione quanti non poteſt ſuſcipere magis, & minus, vt habet Ariſt. in prædicamentis, bicubitum enim non poteſt fieri magis, vel minus bicubitum: Quinque non magis quinque quam eſt. Similiter illi vt quantum eſt, nil eſſe contrarium: Quod avtem vnum dicatur denſum, aliud rarum; vnum longum aliud breue, vnum graue aliud leue, vnum rectum, aliud curuum, &c. hoc pertinet ad figuram, atque ad qualitatem, quæ intelligitur quanto ſuperuenire, non autem ad quantitatem. Et hæc demùm de Quanto, provt eſt obiectum noſtrarum diſciplinarum dixiſſe ſufficiat.

Qvæstiones Astrologicæ. Vide in V. *Interrogationes.* 20

Qvintilis radivs, ſeu *aſpectus*, eſt familiaritas intercedens, inter duo ſidera conſtituta in diſtantia quintæ partis cæli, itavt efforment duos angulos æquales, & obtuſos in figura pentagona: Et in mundo quidem conſideratus ſit minor quinta parte quadrati, ſeu arcus ſemidiurni, vel ſeminocturni ipſo quadrato; & maior ſextili quinta etiam parte ipſius ſextilis: in Zodiaco verò, quoniam partibus vtrinque calculis conſtituitur, in ſpatio grad. 72. Eſt radius de ſui natura Fauſtus, & Felix, de nouo à Keplero experientia & ratione repertus, minus tamen efficax quam ſextilis, & Trinus. Porrò Quintilis duplicatus efficit radium biquintilem, qui eſt diſtantia duarum ex dictis quinque partibus figuræ pentagonæ, maior trino quinta parte eiuſdem trini, radius, & ipſe in genere imperfectæ amicitiæ; de quo fusè ſuo loco dictum. 21.

Qvotiens apud Arithmeticos dicitur quidquid in certa 22. numeri partitione æqualiter facta prosilit: ſeù eſt numerus partium in quas alius numerus maior æqualiter diuidendus tribuitur. Talis eſt quatuor reſpectu numeri vicenarij, in tot quinarios diuidendi, vel quinque in ordine ad tot quaternarios, in quot idem numerus vicenarius aſſumitur diuidendus Dicitur autem quotiens, quia indicat quoties numerus diuiſor in numero diuidendo contineatur, Diuiſor verò is eſt, qui denominat partes in quas reducitur numerus maior diuiſus: qui in caſu noſtro eſt numerus quinarius,

quem aſſumo ad diuidendum viginti per quatuor, vel quaternarius, cum eoſdem viginti volo diſtribuere per tot quinque. Quodſi è contrà vice verſa numerum quinarium aſſumam ad multiplicandum quaternarium, & è contra numerum quaternarium ad multiplicandum quinarium; tunc numerus 20. proſiliens dicitur productus, quia profectò eſt ductus vnius in alium quoadusque numerus maior confletur, vtrumque in ſe includens, quod tunc fieri intelligitur, cum alter ipſorum toties augetur, quoties in altero continetur vnitas: vt patet in exemplo allato; vbi quia in numero quaternario quater continetur vnitas, ideò quater adaugeo numerum quinarium, ex quo tandem prouenit numerus viceſimus productus è quaternario in quinarium. Plura de hac re vide in Clauio *in Epitome Arithmetica practica cap.* 1.

## RA

1. RABDÆ, vel *Rabdi*, Græcè ſunt de eorum genere oſtentorum, quæ in ſublimi videntur, ex colliſione radiorum Solis in aliqua nube rorida, ſed æquabili, quæ proinde ex reflexione ignitum aliquod referunt ad modum Trabis; reuera tamen nullam ſubſtantiam habent, ſed ſunt meræ apparentiæ, & viſus deceptiones, non ſecus ac Iris, Area, Virgæ, quæ præter nubem à ſole illuminatam, nil amplius ſunt. Vide in V. *Virga*.

2. RADIVS communiter dicitur fulgor ille à ſole, vel quocumq; corpore luminoſo per rectam lineam immiſſus ad aliquod aliud corpus ſeù opacum, ſeù ſimiliter luminoſum, denſum tamen, quod excipiat quidem immiſſum ſpiculum, & vlteriùs progredi non permittat. Ab Opticis verò definitur eſſe linea recta luminoſa, vel illuminatio facta per lineam rectam.

3. Differt à lumine, & à luce, per hoc quod lux eſt prima paſſio, & inſuper inſtrumentum corporis luminoſi, quo lumen, & radius producuntur; lumen verò fit à luce congenita per ſui diffuſionem, qua immiſſo radio recipitur in corpore diaphano illuminato: At radius ſe habet admodum ſpiculi, (vnde eſt, quod ſpiculum etiam appelletur) traiecti à corpore luminoſo in corpus illuminandũ, & interim parit etiam lumen, illudque diffundit per medium diaphanum. Quare latiùs patet lumen, quam Radius, & lux: quandoquidem illud poteſt eſſe ſine radio, vt in crepuſculis, & in domo illuminata aëre ambiente: lux ſine radio in corpo-

re luminoſo, ſed impedito, ne lumen ſuum diffundat, non autem radius ſine luce, à qua eſt effectiuè, aut ſine lumine, quod habet effectiuè, vt inſtrumentum lucis producendæ.

Triplex eſt radius, rectus modò explicatus; qui à corpore luminoſo rectè diſcedit, & terminatur in aliud: reflexus, qui à corpore illuminato tranſmittitur, ſiue in ipſum corpus illuminans, ſiue in aliud quid ſibi aduerſum: & refractus, cum à medio minus raro, in rarius diſſultat, vel etiam rariore in minus rarum, ſeù craſſum progreditur, vt cum ab aëre in aquam diffonditur. Hæc autem triplex radiorum conſideratio fundat triplicem ſcientiam, Dioptricam, Catoptricam, ſeù Anacampticam, & Anaclaſticam, de quiquibus. Vide Vitell. *lib.* 10. Opticæ, & nos ſuis in locis. Hinc 4.

RADIVS apud Aſtronomos audit aſpectus, & configuratio duorum ſiderum in certa ab inuicem diſtantia è quâ vtrinque ſibi immittunt radios, quibus communicata luce ſe mutuò roborant, aut oppugnant, prout ſimilibus, aut diſſimilibus qualitatibus fuerint præditi; vnde etiam eſt quod influxum erga iſthæc inferiora aut augent, aut attemperant, aut peruertunt. Sunt autem ſextilis, Quadratus, Trinus, Quintilis, & alij, quos ſuprà enumerauimus in V. Aſpectus. Io: Regiomontanus vult huiuſmodi radios immitti per circulos in latum protenſos, quorum centrum ſit Aſtrum intuens (excepta tamen oppoſitione, quæ fit per diametrum) finis verò vbi terminatur menſura, & diſtantia horum radiorum, in quem ſi inciderit aliud Aſtrum dicetur accipere, & viciſſim immittere talem radium, vnde eſt, quod quilibet radius ſumi debeat in puncto horum circulorum, quo interſecant Eclipticam. Blanchinus verò contendit eſſe circulos in longum deſcriptos, qui tranſeant per corpora ſiderum intuentium; ſicque radios ſumi tamquam puncta ſuper hos circulos in diſtantiis conſuetis, vt pro ſextili gr. 60. pro quadrato gr. 90. &c. Quapropter prima ſententia concludit in directionibus nullam ſeruandam eſſe latitudinem occurſantium ſiderum, ſed eius ſolius, quod recipit radium; quod profectò vbi peruenerit ad circulum radij, ſiue habeat latitudinem, ſiue non, recipit immiſſum radium, atque inde etiam ad intuentem planetam remittit. Secunda verò vult conſequenter radios immitti in certa diſtantia, qua orbitas planetarum interſecet; atque adeò pro ſextili, & trino accipiunt dimidium latitudinis planetæ intuentis; in quadrato nullam, cum neceſſariò incidat in 5.

Eclipticam. Hanc controuerſiam fusè agitat Titus in *Cœleſti Philoſophiæ lib. 2. cap.* 4 addito etiam demonſtrationis ſchemate. Vide ipſum. Similiter

7. Radivs apud Geometras appellatur ſinus maximus, qui eſt ſemidiameter circuli, & ſemiſſes chordæ ſubtenſæ integro ſemicirculo, poſt quem ſequuntur alij ſinus ſemper minores, & minores vſque ad cōplementum arcus, cui ſubtenditur, ex quo per regulam proportionum venamur quantitatem reliquorum ſinuum, arcus, cui ſinguli ſubtenduntur, necnon lineæ tangentis, atque ſecantis.

8. Radivs Astronomicus, ſeù *Geometricus* eſt inſtrumentum Mathematicum factum ad ſpeculanda ſidera per radios viſuales, eorumque diſtantiam, diametros, longitudines, aliaque permulta venanda. Eius vſum, atque vtilitates fusè tradit Gemma Friſius integro opuſculo, Regiomontanus, Tycho, aliique; cui poſtea non nihil innouato ſucceſſit.

9. Radivs Latinvs ſic dictus à Latino Vrſino eius inuentore, quem vberrimis Commentariis illuſtrauit Egnatius Dantes celebris Mathematicus.

10. Radix communiter dicitur initium rerum, ſumpta analogia ab radice arboris, quæ eſt initium plantæ ramuſculorum, foliorum, & omnium denique, quæ in radice fundantur. Hinc apud Aſtronomos frequentiſſimè vſurpatur pro fundamento, vnde hauritur ratio cæleſtis motus inſtituendi. Sic Natiuitas, ſeu Thema Genethliacum dicitur Radix in ordine ad reuolutiones, directiones, progreſſiones, aliaſque operationes, quæ tum in cælis ab ſtellis, tum in terris ab iſtorum motuum obſeruationibus fiunt, & fundantur in prima cælorum conſtitutione, vnde homo, aut alia quæcumque res ſumpſit initium. Qua de re vide Auctores in Iſagogicis.

11. Ramphestes, teſte Kirchero, in Oedipo Ægyptiaco, dicitur Pica Braſilica Indorum vocabulo, *Toucan*, ſidus in cælo ad auſtralem plagam non ita pridem à recenſioribus Aſtronomis detectum, habens ſtellas 8. infimæ notæ.

12. Ras apud Arabes idem ſonat, ac caput. Hinc Ras Aben ab ipſis dicitur ſtella fixa in capite Draconis conſiſtens: Ras Alangue ſtella item in capite Serpentarij. Ras Algeſi ſtella in capite Herculis: Ras Eleced ſtella in capite Leonis, &c. de quibus omnibus ſuis in locis.

13. Rationalia signa dicuntur eadem quæ humana, ſumpta analogia à definitione hominis, qui dicitur Animal rationale;

rationale: quæ enim ſigna humanam figuram præſeferunt, nedum æquiuocatione nominis rationalia eſſe dicuntur, ſed etiam per quandam attributionem, ac ſimilitudinem, quoniam ad rationem, atque humanitatem habent influere. Vide quæ diximus in Verbo *Humana ſigna*.

RATIONALIS QVANTITAS, ſeù etiam irrationalis dicitur apud Geometras omnis quæcumque propoſita quantitas, quæ cum altera ſit commenſurabilis, aut incommenſurabilis. Qua de re vide Euclid. *lib*. 10. *à defin*. 5. *& ſeqq*. necnon ea quæ nos tradidimus in V. *Apotome*, & in V. *Proportionalitas*. 149

RATIONALIS VIA erigendi cæleſtem figuram, diſtribuendique domorum ſpatia celebris eſt apud Aſtronomos, præſertim recenſiores, quo nomine Regiomõtanus inſigniuit methodum ab Abraham Auencſra primum inuentam, ab ipſo mordicus propugnatam, atque in tabulas redactam conſtituendi ſitus moderatorum in cæleſti figura, accipiendique ſimilitudines locorum ad cardines ſuper lineis, & circulis parallelis Verticali magno, qui tranſit per puncta ortus, & occaſus æquatoris; itavt totum fundamentum ſimilitudinum locorum conſtituatur in huiuſmodi circulis parallelis ad verticalem deſcriptis. Et quia eam facilem, & præ cæteris rationi conſonam comprobauit, ſeù potiùs ſuo captui maximè arridentem eam audacter rationalem appellauit; eiuſque ſectatores rationales dixit; quaſi modò cæteræ methodi tum à Ptolemæo, tum ab aliis traditæ irrationales ſint, ab ratione abhorrentes, & ex cerebro cuiuſque auctoris confictæ. Igitur rationales ducunt duos circulos magnos per communes interſectiones finitoris, & meridiani, qui habeant ſolum diſpeſcere æquatorem in duodecim partes æquales, nulla habita ratione ad reliquas proportionales diſtantias à cardinibus ſed eoipſo, ac ſidus aliquod, aut plura coincidunt in vnum huiuſmodi hemicyclum dicunt eſſe in conſimili proportionali diſtantia ad cardines, eoquia ſeruant eandem ad illos figuræ qualitatem, licet non quantitatem. Ad hanc methodum Regiomontanus magno ſtudio, & labore extruxit, vt dixi tabulas aſcenſionum, ac deſcenſionum obliquarum à primo gradu eleuationis poli vſque ad 60. quas mirum in modum ampliarunt, Canonibuſque & Commentariis illuſtrarunt Magiuus, & Argolus. Huic tamen conſtituendorum ſituum rationi oppoſita ex diametro eſt methodus Ptolemaica, quæ circulos poſitionis non definit per communes interſectiones Finitoris, & 150

Dd

Meridiani, ſed per proportionales ſiderum diſtantias motu ſuo horario acquiſitas, ac proinde Domorum interualla diſtribuit per binas temporarias horas. Qua de re egregiè diſputat Titus in *lib.* 2. *c.* 10. cæleſtis Philoſophiæ, oſtendens hanc eſſe veram Ptolemæi mentem, ac veræ, naturaliſque ſimilitudinis ſituum ad cardines rationem.

16. Receptio apud Aſtronomos eſt ſpecies quædam dignitatis, & fortitudinis accedentis duobus planetis, quando (idque præſertim, ſi amici fuerint) permutant inuicem dignitates; itavt alter ſit in alterius domicilio, exaltatione, aut Trigono conſtitutus, & ille viciſſim in alterius dignitatibus. Maximè verò ſi eorum vnus applicet alij, qui in eodem loco dignitatem aliquam obtinuerit: Tunc enim naturam commiſcent, & dicuntur ſe mutuò reſpicere, & recipere. Eſt autem tanta hæc dignitas, vt merito cenſeatur ipſi Domicilij, aut altitudinis prærogatiuæ præpollere, aut ſaltem æquiparari.

17. Rectvm ex Euclide *lib.* 1. *defin.* 4. dicitur corpus, aut linea, quæ æqualiter inter ſua puncta diſtenditur, hoc eſt, in qua nihil flexuoſũ reperitur: ſicut è contrà curuum dicitur quod arcuatim, vel inæqualiter quouis modo porrigitur.

18. Rectangvlvm, ex eodem, audit figura quævis Geometrica conſtans angulis rectis, hoc eſt in quos coëant duæ lineæ rectæ, quarum vna intelligatur perpendiculariter imminere alteri in plano poſitę. Sic triangulum rectangulum eſt quod vnum angulum (neque enim plures habere poteſt) rectum habet; duoſque acutos. Quadrangulum rectangulum, ſi vnum tandem vt ſupponitur admittit angulum rectum, iam neceſſariò omnes quatuor angulos debet habere rectos. Cæteræ autem figuræ rationales rectangulæ eſſe minime poſſunt. Vide Euclid. *lib* 1. *defin.* 27. *& ſeqq.* Meritò igitur Tycho Rectangulum vniuerſæ Matheſis Magiſtrum dixit. Similiter.

19. Rectilinevm dicitur omne id quod rectis lineis conſtat, qualia ſunt parallelogramma, Rhombi, trianguli rectanguli, &c. Euclid. defin. 9. & defin. 19.

20. Rectitvdo Planetæ, teſte Abraham Auenarre, eſt cum is fuerit in cæleſti figura conſtitutus in angulo, aut ſuccedentibus, quemadmodum obliquatio illi accidit, cum eſt in cadentibus.

21. Reditvs lvminis apud Aſtronomos tunc fieri dicitur inter planetas, cum plures mittunt lumen vni tertio debili, puta combuſto, aut retrogrado, qui ob debilitatem ſuam illud retinere non valens, remittit iiſdem planetis lumen,

quod ab illis accepit: hoc autem fieri poteſt, & cum proficuo & cum malo: qua de re vide Abraham Iudæum in ſuo Introductorio *pag.* 4.

Reditus. Vide *Ingreſſus*, aut *Reuolutio*. 22.

Reflexio eſt reduplicatio actionis, vel qualitatis immiſſæ ab aliquo agente in paſſum, qua eadem actio, aut qualitas producta in paſſo, intenditur, & reproducitur, maiori niſu tendens in ipſum agens. Sic lumen à Sole immiſſum in ſpeculum cum ad ipſum peruenerit intenditur, & reuertitur numeris auctum, per idem medium, per quod venerat: quod quidem magnum eſt Naturæ prodigium, vt quod agens naturale vires ſuas omnes exerens directè aſſequi non eſt potis, hoc in ictu ferè oculi præſtet paſſum de ſe nihil addens, ſed ſolum reſiſtens productioni agentis, ſeu receptioni effectus in ipſum. Quandoquidem corpus opacum, in quod reflectitur radius corporis luminoſi, nil habet lucis, quò poſſit ipſam intendere in medio interpoſito; ſpeculum vſtorium in ſe nec formaliter, nec virtualiter ignem continet, qui tamen, ex reflexione ſolarium radiorum, quæ fiat in eo, ſtatim proſilit in materia proportionata inter ipſum, & ſolem conſtituta: quod ergò radij ſolis per ipſam tranſeuntes directè præſtare non potuerunt, hoc præſtant iidem, vt reflexi: qua virtute? qua virium adauctione, equidem ignoratur. Videtur tamen cauſam effectiuam actionis reflexæ eſſe ipſummet effectum quatenus ita producitur in termino, vt inde poſſit alium rurſus effectum producere ſibi ſimilem; at quorſum nobiliorem? non video. Cæterum ex reflexione ſolarium radiorum habemus, quod tot luminibus cælum exornetur, quot ſunt in eo ſidera: ipſa enim in ſe lucem vllam non habent, ſed ſunt corpora opaca, in quibus lumen à ſole immiſſum recipitur, & ſubiectatur, quod poſtea qualitatibus eorum affectum, hanc varietatem effectuum gignit, quam demirantes, ſtupendaque Naturæ opera collaudantes, videmus. Sed de hac re, quæ non minus extra aleam noſtram eſt, quam penè ſuprà captum, ſatis ſint dicta. Plura de Reflexiuæ virtutis prodigiis habet Vitellion *lib.* 10. & Kircherus in *Arte Magna lucis, & Vmbræ*. 23.

Refractionis nomine venit inter Aſtronomos, & Perſpectiuos diuerſitas illa aſpectuum, & aberratio viſus, quæ accidit in ſiderum contemplatione, ſeu etiam quorumcumque corporum quæ de longè aut inſtrumentis opticis, aut per aliud interpoſitum corpus diaphanum ſpeculamur, quando per illud tranſeuntes radij, aut ſpecies obiecti viſibilis infringuntur, & repreſentant illud aliter, ac reuera eſt. Patet 24.

id manifeſtè, in ſpeculis, aut ocularibus alteratis, quæ pro ratione maioris denſitatis, aut raritatis alterant notabiliter ſpecies obiecti viſibilis; quò fit vt aliter illud nobis obiiciatur, quam ſit in re. Id etiam videre eſt non modo in aqua ſed & in pſo aëre, ob cuius craſſitiem, maximè verò circà horizontem craſſioribus vaporibus conſtipatum alterantur ſiderum radij ad nos obliquè immiſſi, proindeque dant illa conſpici grandiora, & clariora, imò & quandoque ſupra terram, cum tamen ex calculo Aſtronomico deducatur, id nullatenùs fieri poſſe, ſed ea adhuc ſub horizonte perſiſtere.

25. Hinc non mirum, ſi aliquando in Plenilunio viſa ſint ambo luminaria ſupra terram, & Luna in telluris vmbram incidens lumine diſtituta. Videmus enim hoc ipſum clariſſimè in nummo in fundo vaſis alicuius alti orificij exiſtente, qui cum directè à latere conſpici minimè queat; ſi nihilominus aqua aut alio craſſiori liquore vas repleatur, illius ſpecies per medium tranſeuntes refractè repræſentant obiectum, & præbent illud conſpiciendum, cum alias ob vaſis impedimentum directè id non potuerint.

26. Porrò refractionum cauſa eſt tum viſus obliquitas, tum corporis interiecti craſſities, quod quò craſſius erit & denſius eo maiores facit refractiones: quod ideò ſtellæ in decliuiore ſitu, & circà Finitorem maximè refractionibus ſunt obnoxiæ: Econtrà in Meridie, vtpote in ſitu eminentiore, ac vaporibus defæcatiore, aut nullas, aut ſanè leues patiuntur refractiones. Hinc pro locorum diuerſitate diuerſæ accidunt ſiderum apparentiæ, proindeque difficilis admodum eſt earum obſeruatio, ni quiſque probè calleat refractionum materiam, quam primus omnium tradidit *Tycho*, & redegit in Tabulas refractiones Solis vſque ad altitudinem grad. 45 ſuprà horizontem; & fixarum ad gr. 20. quæ tamen deſeruiunt pro locis ſeptentrionalibus, quæ maximè vaporibus ſcatent: Nam ſub æquatore, aliiſque regionibus in quibus Polus minus attollitur, illæ tum ratione puritatis aëris, tum ob minorem obliquitatem. incidentiæ radiorum, longe minores accidunt refractiones Vnde in regione ætherea, quæ omnino puriſſima, ac tenuiſſima eſt nullæ accidunt. Porrò refractionum doctrina maximè neceſſaria eſt in luminarium Eclipſibus obſeruandis, vt verum tempus incidentiæ, magnitudo, duratio ab apparentibus diſcernatur. Qua de re egregiè ſcripſit Tycho in ſuis Progymnaſmatis, Keplerus, Maginus, Argolus aliique in tabulis ſecundorum Mobilium.

Refrænatio apud Aſtronomos eſt genus quoddam deteriorationis planetæ, accidens illi quando motu ſuo proprio in Zodiaco applicat alteri corpore, aut radio; verumtamen antequam id aſſequatur fit retrogradus, & vt ita dicam refrænatur, ne talem coniunctionem, aut radium, quem affectare videbatur, obtineat. Coincidit cum fruſtratione, ac perturbatione. 27.

Regiæ stellæ apud Aſtronomos audiunt ſtellæ quædam inſigniores, quæ tum ſuper reliquas tum etiam in influendo regiam poteſtatem videntur habere, atque in natos inducere. Huiuſmodi ſunt inter omnes Regulus, cui antonomaſticè hoc nomen inhæſit, quaſi ſit Regulus inter fixas ob innumeras prærogatiuas quibus pollet, & nos paulò poſt explicabimus. Item Palilitium, ſpica Virginis, Lanx auſtralis, Antares, Hercules, Lyra. In ſignis etiam ſeu ſideribus quæ vocantur Regia qualia ſunt corona Borealis, Capricornus, &c. de quibus vide Argol. in Pandoſ. ſphærico & alibi. 28.

Regvla inſtrumentum & notiſſimum, ac vulgare, quo mediante lineas rectas deſcribimus, diſtantias rectas dimetimur, primaque elementa Geometriæ practicæ comparamus, ea numeris per interualla deſcripta, ad certamque formam redacta exibet celeberrimum illud inſtrumentum dictum *Magnam Regulam Ptolemæi*, cuius vtilitates refert Clauius in Geometria practica. 29.

Regvla avrea. V. *Aurea Regula*. 30.

Regvla harmonica eſt item inſtrumentum Muſicum, quocum rationis adhibito iudicio conſonantiæ, conſonantiarumque partes in chorda perquiruntur. Eius ope Keplerus, vt toties monui, adinuenit harmoniam radiorum, atque familiaritatem, quam ſidera contrahunt in certa ad inuicem diſtantia, nouoſque aſpectus Quintilem, ſeſquiquadratum, biquintilem hactenus inobſeruatos, rationemque qua eorum aliqui hoſtiles ſint, alij fauſti, & perfectæ, vt aiunt, vel imperfectæ amicitiæ. Vide quæ diximus in V. *Aſpectus*. 31.

Regvlares figvræ ab Geometris appellantur quæ æquilateræ & equiangulæ ſunt, quales ſunt omnes figuræ Iſoperimetræ, licet hæc nomina per ſe Synonima non ſint, nam figuræ Iſoperimetræ intelliguntur eſſe quæ æquales ambitus continent, Regulares, quæ angulos, & lineas, ſeu ſuperficies. Econtrà irregulares dicuntur, quæ non ſeruant hanc laterum, angulorumque æqualitatem, vt ſunt Priſmata, & Trapezia, de quibus ſuo loco. Porrò ad dignoſcendum, an aliqua figura ſit regularis, vel irregularis deſcri- 32.

bendus eſt circa eam circulus à centro ipſius ad angulos, cuius circumferentia, ſi æquè tangat omnes angulos, figura erit regularis, ſin minùs, irregularis.

33. REGVLVS, Baſiliſcus, Cor Leonis Arabicè *Albabor*, ſtella fixa de natura Martis, & Iouis, omnium ferè, quæ ſunt in Firmamento potentiſſima, ac notiſſima, inter Regias computata, exiſtens nunc temporis in gr. 25. Leonis, quaſi in ipſa Ecliptica, ideoque exiſtimatur maximæ inter reliquas efficaciæ; quippe quę ſemper cum Sole congreditur ſingulis annis, & habet cum cæteris etiam planetis aliquando congredi, quod non aliis datum eſt. Et quidem ea non multi corporis eſt, vt videre licet ex ipſius diametro, quæ non excedit earum magnitudinem, quæ ſecundi honoris dicuntur, verum ob ſui præſtantiam, & robur, ſolet inter primæ magnitudinis numerari.

34. Quinimò aduertit Titus eam ſolam non modo accipere, ſed & remittere radios omnes ad planetas, ac pro eorum qualitate diuerſam naturam induere; quod in aliis fixis, ſiue ob radiorum exilitatem, ſiue ob aſpectus deuiationem, qui quoniam extrà Eclipticam numquam aſſequuntur vt ſint partiles, minimè obſeruetur. Obſeruat etiam campanella *lib. 2. cap. 3. art. 2.* ex Ptolemæi doctrina, quod, quia Leoni Italia ſubiecta eſt, ſicut Græcia Virgini, propterea quando ſtellæ, quæ ſunt in Leone tranſierunt in Virginem, tunc imperium Italiæ in Græciam tranſiit; at quoniam in eo adhuc perſeuerauit Regulus, vt dictum eſt potentior, & in Ecliptica; ideò Italia fuit quidem depreſſa, ſed adhuc in ea perſeuerauit dominatus, & Imperium ſaltem Eccleſiaſticum: Quando verò etiam Regulus in ſignum Virginis commigrabit, quod erit poſt 600. circiter annos, tunc fortè Italia virtus, & dominatus deficiet; niſi fortè ex ingreſſu Caniculæ in Leonem accidat conſeruari, quod tamen haud ſperant cum ſit latitudinis multæ. Cæterum Regulum in horoſcopo, iugi obſeruatione compertum eſt ferè ſemper tribuere naturalem quandam animi, morumque grauitatem, prudentiam, atque in rebus bellicis ſtrenuitatem, vt inter alios obſeruauit Argolus *de diebus crit lib. 1. cap. 6.* Vide etiam in V. V. *Baſiliſcus*, & *Cor Leonis*.

35. REMVNERATIO apud Aſtrologos, teſte Abraham Auenarre, eſt cum Planeta, qui cùm primum ex puteo, aut alia quauis depreſſione alterum eripuerit aſpiciatur poſtmodum ab extracto; quo tempore ipſe etiam cadat in puteum, aut aliam depreſſionem ex qua planeta à ſe primùm adiutus, eum viciſſim eripiat: quî fit vt reddat ei quodammodo

beneficium, quod acceperat: Vt proinde iure hæc familiaritas, ac præſtiti beneficij ſpecies dicta ſit Renumeratio.

RET in Aſtrolabio dicitur Volutellum, & tabula perforata in parte extima, ſeù in facie Aſtrolabij, ſe circa limbum voluens ac motum primi mobilis circa tellurem in plano repræſentans. In eo enim deſcripti ſunt omnes circuli ſphæræ, ſtellæ fixæ inſigniores, quibuſdam veluti denticulis, & ſuo quæque nomine deſignatæ, ad earum motus, congreſſus cum planetis, altitudines, diſtantias, declinationes, aliaque perſcrutanda, ideoque retis nomen iure eſt illi inditum; nam ſicut rete piſces in mari capimus, ita hoc inſtrumento prudens Aſtronomus ſidera in cælo venatur. 36.

RETROGRADVS apud Aſtronomos appellatur Planeta, qui motu ſuo proprio in Zodiaco contra ſucceſſionem ſignorum incedit, vt ſi à ſecundo gradu Arietis abiret in primum; inde ad 30. Piſcium, poſteà ad 29. &c. Eſt maxima eius deterioratio, & imbecillitas, itavt in maleficis ea, (quidquid alij dicant) commodùm, & opportunè veniat, & oppido ab Aſtronomo deſideranda ſit: ſicut è contra directio, & curſus velocitas maxima fortitudo eſt, atque in infortunis cauenda. 37.

Ratio autem, cur planeta retrogradus debilis fiat, & viceuerſa directus, & curſu velox, fortis, & efficax non ita ab omnibus nota eſt: quare operæ prætium me facturum credo, ſi hic eam luculenter explicem. Ea igitur eſt, quia qui motu velox eſt nititur magis contra primi mobilis motum; ac proinde quò eſt velocior curſus, eò diutiriùs ſuprà terram conſiſtit, ac tempus habet magis, magiſque lucem ſuam diffundendi, atque adeò inferiora iſthæc ſuis qualitatibus alterandi: Non ſic Retrogradus, qui non modò nihil reſiſtit motui primi mobilis verum etiam illo adhuc velocius cadit in inferius hemiſphærium, citius perficit ſuam reuolutionem diurnam circa tellurem, minori videlicet temporis ſpatio, quam 24. horarum, licet id quidem apud nos penè inſenſibile ſit. Quapropter non tam potens euadit ad hæc inferiora ſuis qualitatibus afficienda, ſed quam imprimit qualitatem citò aliò transfert, ſicque debilis fiat. Qua etiam ratione, vt alibi obſeruauimus fixæ nedum ob magnam diſtantiam, ſed potiſſimum quia ferè cum primo mobili integrè rapiuntur non eandem actiuitatem habet quam Erraticæ, quæ dum motu ſuo peculiari contra motum primi mobilis nituntur, aliquantulum ſuprà terram conſiſtunt; ac proinde magis quam illa valent, & efficaciùs vires ſuas exerere, ac terram qualitatibus ſuis imbuere ſicut è contra Lu- 38.

na non ob aliud tantam efficaciam habet in hæc ſublunaria (quæ proinde vel ob id nomen ſumpſerunt) niſi quia longè diutiùs quam reliqua ſidera ſuprà terram moratur.

Porrò, exceptis luminaribus, omnes planetæ retrogradi
32. aliquando fiunt; non quod verè, & realiter retrogradiantur, ſed quia feruntur in ſuo quiſque Epicyclo, qui habet pro centro Solem: ac proinde dum eorum orbes deferentes ſimul motu primi mobilis rapiuntur, inde fit, vt ſub primo mobili reſpectu noſtri ipſa corpora planetarũ retrocedere aliquando videantur, ſtare immobiles, modo citius, modò ſeriùs progredi, cum tamen in re ſemper eodem modò, & æqualiter incedant in Epicyclo: at cum ſunt in prima ſtatione deſcendentes ab Apogæo ad Perigæum nituntur contra ſucceſſionem ſignorum, ac proinde apparent retrogradi: ſicut in ſecunda ſtatione aſcendentes à Perigæo ad Apogæum ſemper videntur directi, quia procedunt ſiniſtrorſum in Epicyclo, atque adeò ſecundum ſucceſſionem ſignorum. Quæ omnia in ſchematiſmo ab omnibus ſphæræ, aut ſecundorum mobilium authoribus expoſito dilucidè videre eſt.

40. Revolutio, vt nominis etymon præſefert, apud Aſtronomos, nil aliud ſonat, quam integram circulationem alicuius ſphæræ vel ſideris donec redeat ad idem punctum, in quo primum erat cum moueri cæpit. Sic dicimus Saturnum perficere ſuam reuolutionem in Zodiaco ſpatio triginta ferè annorum: Iouem duodecim: Martem, duorum: Solem vnius anni, Lunam ferè in menſe, ac tandem Primum Mobile ſuam reuolutionem diurnam circa tellurem ſpatio vnius diei naturalis, hoc eſt viginti quatuor horarum; quo expleto, ſingulæ eius partes redeunt ad eumdem ſitum, eundemque circulum poſitionis, in quo erant prius. Aliquando preſſiùs & antonomaſticè accipitur pro annua Circulatione, ſeu reditu ſolis ad idem præcisè punctum Zodiaci in quo erat initio alicuius rei: Sic ſolet erigi figura introitus Solis in quatuor puncta cardinalia. Vnde initium ſumunt quatuor anni tempora, ad eorum qualitates dignoſcendas: reuolutiones cuiuſque recurrentis anni tum in genere, tum in ſpecie ab ædificatione vrbis, natiuitate hominis, aut ab inceptione cuiuſcumque operis, (quod quomodo fiat, docent paſſim auctores in libellis iſagogicis ad Ephemeridas quæ poſtea cum radicali conferri ſolet, & ſicut ex hac diiudicatur vniuersè de tota vita, ac ſtatu illius rei, ſic ex themate reuolutionis iudicium fertur de ſtatu illius anni. Cardanus, & alij inutilem indicant hanc figuram reuolutionis Solis ad idem punctum Zodiaci, in quo erat Initio alicuius operis,

eo quia, inquiunt, materialiter ſe habet ad radicem, nec vllam ſimilitudinem retinet cum ſitu radicali reliquorum planetarum, aut cum motu directionum, ex quo totam diiudicandi ſeriem expiſcandum eſt. Et *in Aph.* 114. *ſegment.* 5. de reuolutionibus agens, tripliciter ait eas conſiderari poſſe, & in Zodiaco ad idem punctum, vt eſt reditus Solis initio cuiuſque anni ad idem punctum equinoctij, & in Mundo, vt ipſe ait, & eſt reditus ad eandem fixam; & in Geniturіs, & eſt reditus eiuſdem Solis ad priorem locum: verum addit, in hac debere addi tantam partem eclipticæ, quantam peragrare poteſt in vna die naturali. Igitur reuolutio annua Natiuitatis, aut inceptionis alicuius rei, non debet attendi ſolum in reditu Solis ad eundem gradum Zodiaci, ſed requirit aliquid amplius, ſcilicet additionem partis Eclipticæ ſingulis annis, quantum acquirit Sol ſingulis diebus ſucceſſiuè à die radicali cœpti operis, quod tamen, qua ratione fiat, & quid connexionis habeat cum themate radicali non explicat.

Et ſanè, vt benè diſcurrit accutiſſimus quidam Aſtronomus Gallus communis hæc ratio, accipiendæ reuolutionis annuæ ex reditu Solis ad idem punctum Zodiaci, in quo erat in radice operis; atque exinde poſteà futuros euentus diiudicandi, quàm ſit inanis, fallax, erroribuſque multis obnoxia, & ratio probat, & euincit experientia. Quid enim, inquit in hoc rerum ordine tam firmum, ac ſtabile dici poteſt, quod planè in dies ſingulos ex fortuita rerum emerſione notabilem non ſubeat mutationem? Ipſa Geneſis & ſi rerum omnium in vita euenientium prima radix ſit, & fundamentum; nihilominus miro ordine & ſucceſſiuo motu tranſit mox in directiones, in ingreſſus impingit, & per varios ſignificatorum tranſitus variatur. Igitur Thema reuolutionis ad ſummum erit illius tantum differentiæ temporis, in qua erigitur, & non alius mox ſucceſſuræ: ſic nec ipſæ reuolutiones conſiſtunt immobiles, ſed perpetua vertigine agitantur, perinde ac ipſa radicalis figura, conſtituuntque cum ea tam difformem conformitatem, vt inde eiuſmodi effectus prodeant, quos nemo vnquam excogitauerit. Porrò quiſnam ſit hic reuolutionis motus, & quomodo cum radice, & cum effectibus inde emanaturis connexionem habeat, operæ pretium eſt, vt paulò fuſiùs explicemus. 41.

Igitur erecta, & ritè comprobata cæleſti Natiuitatis, ſeu alterius incipientis rei figura, erigendum eſt itidem Thema reuolutionis quinti voluentis anni in eodem momento temporis, in quo erectum eſt thema Natiuitatis, nullo ha- 42.

bito reſpectu ad gradum Solis in Zodiaco, atque earundem tabularum ſubſidio (vt idem ordo ſeruetur) quo illud erectum eſt, quas inter experientia probauit præſtare Tychonicas. Huius igitur Aſcenſio Medij Cæli ſubtrahenda eſt ab Aſcenſione recta, itidem Medij Cæli radicalis figuræ, & proſiliet numerus graduum, quos ſuprà Natum perfecit cœlum in his quatuor interiectis annis, qui erunt ferè 348. Hos autem diuide in quatuor partes, & habebis numerum graduum, & minutorum ſingulis annis competentium, & quos cælum ſua circulatione præteriit, qui erunt quaſi gr. 87. Inſuper hos gradus ſingulis annis competentes in duodecim partes æquales diſpeſce, & habebis numerum ſingulis menſibus competentem, ſeptem videlicet grad. cum minutis 15. ac tandem ſi velis id etiam ad dies deducere habebis minuta eorum ſingulis competentia. Ex his perſpicuum fiet, quàm appoſitè hoc reuolutionis nomen iugi cælorum circulationi, quam ſuper res ab earum exordio cæleſtia corpora faciunt, inditum ſit, quia profectò per eam ſingulis quadriennijs ad idem ferè punctum reditur.

43. Preterea cum Sol in hiſce ſingulis reuolutionum quadriennijs quibus ad idem punctum radicale reuertitur augeſcat duobus ferè minutis, hinc eſt vt quinquaginta ferè horæ minuta antequam perueniat ad tempus reuolutionis, ipſe iam tetigerit locum ſuum radicalem in Zodiaco, quæ minuta in gradus æquatoris conuerſa exhibebunt duodecim circiter annos. Nunc defectus horum annorum duodecim gradibus reſpondentium, ſignat terminum naturalem, quem Deus conſtituit vitæ hominum, vt propterea non ab re multi exiſtimauerint, eam naturaliter extendi poſſe ad centum viginti vſque annos, nec vlteriùs ſine miraculo progredi. Siquidem defectus totius circuli ſpatio quatuor an norum dat 30. quaternas; quæ per quatuor productæ dant 120. Et quidem rationi conſonum eſt, vt cum corpora cęleſtia, quæ ſuis motibus quaſi quodam vehiculo ſuas communicant humanis corporibus qualitates; proindeque influendo in illa dant illis eſſe, & conſeruari, quòd à cauſis ſecundis prouenit; conſequens inquam eſt, vt dum illa ſuis in reuolutionibus deficiunt, & iſta tandem quę ab illis pendent, deficiant; qui defectus toties repetitus, neceſſe eſt, vt extinguat tandem influxum vitalem, qui à ſideribus viuentibus communicatur.

44. Modò vt hæc Theoria reducatur ad praxim, oportet ad gradus æquatoris accipere gradus Zodiaci reſpondentes, ac diſtribuere per ſingulos annos ſuccedentes, & menſes; in-

deque conſtruere tabulas proprias cuiuſque labentis anni. Quo præſtito ad latus cuiuſque anni, & menſis ad rationem culminantis gradus Zodiaci, accipiendus eſt etiam gradus aſcendens in horizonte ad eleuationem poli regionis. Ex quibus comparabitur ſtabile fundamentum veri motus, & ordinis annuarum reuolutionum.

Simili etiam ratione extrahendæ ſunt reuolutiones annorum 9. 13. 17. 21. 25. 29 &c. ſingulorum nempe labentium quadrienniorum; atque ab vniuſcuiuſque aſcenſione recta Medij cæli ſubtrahenda erit Aſcenſio competens proximè precedenti quadriennio, numerus quippe graduum proſilientium erit quos cælum interim circulauerit: & exinde res vt ſupra dictum eſt perficienda. Atque vt accipias tempus præciſum cuiuſcumque reuolutionis, ſcias oportet, id duplici via te aſſequi poſſe: Primò ſubtrahendo Aſcenſionem rectam Solis ab Aſcenſione recta Medij Cæli, ac ſubtractum poſtea in horas conuertendo. Secundò per tabulas domorum, ſumendo horas, & minuta reſpondentia gradui Medij cæli, à quo ſubtrahendum eſt tempus reſpondens gradui Solis: nam id quod proſiliet erit ipſiſſimum tempus annuæ reuolutionis. Et hæc quidem ex mente huius accutiſſimi, atque ingenioſiſſimi viri. 45.

Cæterum Adrianus Neguſantius ingenio non minus acer, ac feruidus, aliam adinuenit longè clariorem, naturæque principiis conformiorem inſtituendæ huius annuæ reuolutionis rationem quam non tam figuram reuolutionis dixeris, quam thema futuræ, vel expletæ directionis. Siquidem eſt conſtitutio cæleſtis ingreſſus Solis in locum ſuum radicalem in mundo, hoc eſt in eundem ſitum, & circulum poſitionis, in quo erat in Radice, cum additione partium æquatoris, quibus interim Primum Mobile ſolem præceſſit, quaſque Sol ſingulis recurrentibus annis motu directorio acquirit, vt dictum eſt in V. Directio: in qua ſanè videre eſt apertiſſimè curſum ipſius directionis, deuolutionem promiſſorum ad loca immobilia ſignificatorum, & habitudinem quam reliqui planetę ad dicta loca, nec non ad inuicem habent, & hæc eſt forte quam ſuprà Cardanus tertio loco memorauit reuolutionis ſpeciem in genituris, quam dicit eſſe reditum Solis ad locum ſuum radicalem *addita tamen parte Ecliptica quantum peragrare poteſt in vna die naturali.* quibus manifeſtè euincitur, ipſum non de ingreſſu Solis in locum Zodiaci radicalem ſed ad ſitum ſuum in Mundo, in quo cũ conſideretur vt ſignificator, concipitur eſſe immobilis. Igitur erigenda eſt figura annuæ reuolutionis eadem hora, at non 46.

eadem die radicis, ſed tot diebus poſt, quot anni interfluxerunt cum eo gradu Solis in Zodiaco, quem ſucceſſiuè acquiſiuit in ſingulos dies à Natiuitate: cuius gradus Aſcenſio recta quærenda eſt, eique addenda vel ſubtrahenda diſtantia quam habebat in radice à meridiano, prout erat vltra vel citrà, nam numerus conflatus, aut reliquus erit Aſcenſio recta Medij cœli figuræ reuolutionis, ad quam poſteà more ſolito erigẽda eſt figura, conſtitutis planetis in iis Zodiaci gradibus, in quibus reperiuntur ea die ſub data hora radicis. Atque hæc eſt figura reuolutionis reſpondens eius initio, hoc eſt radici, vnde cæpit hic regularis motus inſtitui, quatenus incedit ordine directionis, atque adeo potius dicenda eſſet reuolutio annuæ cuiuſque directionis.

47. Pari etiam ratione, ſi inter annum incidat notabilis quædam directio alicuius ſignificatoris, volueriſque cognoscere habitudinem planetarum ad locum directionis, nec non ad inuicem videndum eſt, quotus ſit arcus directionis, & quot annos, & menſes ad amuſſim appellet iuxtà regulam ſuperius traditam tum pro annis tot dies, pro menſibus tot binę horæ adiiciendæ ſunt ad annos qui interim effluxerunt, ſeu figuræ reuolutionis annuæ Solis ad idem pũctum Zodiaci, quod in radice tenebat, atque ad eam diem & horam in quam incidit erigenda erit figura more ſolito, vbi pro miraculo conſpicietur Promiſſor ad locum ſignificatoris quem in radice habebat ad amuſſim deuolutus: videbitur quomodo ſe habeant fortunæ ad dictum locum, quomodo infortunæ: atque adeo non temere coniectari poterit de proſpero, vel in fauſto euentu illius directionis. Sed hæc doctrina melius forte percipietur per reductionem ad praxim, ad quam lectorem remitto.

48. Rhombvs græcè ſignificat figuram geometricam quadrilateram, cuius quidem latera æqualia ſint, anguli vero inæquales, quorum duo ſibi diametraliter oppoſiti, acuti ſint, duo item obtuſi. Talis eſt forma quam præſe fert planus quidam Piſcis, ob id Rhombus communiter appellatus. Differt autem à Rhomboide, & perfecto quadrato, quod hoc iam latera, quam angulos habet æquales, & rectos, illa autem etſi cum Rhombo conueniat in hoc quod angulos obliquos habeat, & partim acutos, partim obtuſos; diſconuenit tamen in hoc, quod & latera habet inæqualia: vnde medium quid eſt inter quadratum, & Rhomboidem de vtriſque æquè aliquid participans, atque ab vtriſque in aliquo etiam diſconueniens.

Rhomboidis, vt modò ſignificauimus, eſt figura quadrilatera habens nedum angulos, ſed & latera inæqualia, ita tamen vt duo, iam latera, quam anguli, ſibi ex aduerſo reſpondentia æqualia ſint, & per conſequens conſtet duobus angulis obtuſis, ac totidem acutis, vt Rhombus: Itaque Rhomboides eſt media inter parallelogrammum & Rhombum, quod ab vno habitudinem laterum, ab altero angulorum proportionem ſumit: ac ſi Rhombum in parallelogrammum transferas, vel parallelogramum in Rhombum illico Rhomboides efformetur.

Riforitas Dumnuta græcè audit Genitura duarum fœminarum & vnius maſculi, in quam conueniant Venus, Mars, & Luna arab. *Dimantarcoris.* Ptolem. cap. de Gemell. in verſ. arab. 49.

Rigel arab. ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Iouis, & Saturni, clara nimis & fulgens in ſummitate pedis ſiniſtri Orionis collacata in longitudine ſub gr. ferè 12. Geminorum cum latitudine auſtrali gr. 31. oritur Rom: cum gr. 13. Cancri, occidit cum 22. Tauri. 50.

Ros humor eſt è cælo ſerena nocte deciduus, ac parua veluti, grataque pluuia, cuius eformationem pulchrè deſcribit Ariſtoteles 1. *Meteor. cap.* 11. ſic inquiens: *Cum Vapor tam modico igne afficiatur, vt non aſcendat ad mediam regionem, ſed propè terram conſiſtat in imo, accedente noctis frigore, expulſoque igniculo ſuſtentante deorſum relabitur.* Ex quibus liquet primò Rorem formari quidem calore ſolis, ſed in infima regione ex vapore ſurſum elato, qui nocturno frigore concretus in humorem aqueum relabatur. Secundò ad eius formationem requiri moderatum calorem, qui faciat, vt vapor non aſcendat nimium, ſed circa terram ſiſtat, & moderatum frigus, cuius ope fiat vt is in humorem aqueum conuertatur: Nam ſi immoderatum foret frigus cederet in pruinam. quæ proinde ros congelatus dicitur, & ab eo re ipſa, & productione non differt. Tertiò ipſum non niſi ſerena nocte defluere; nam ſi aër foret nubilus, aut pluuioſus, vel agitatus ventis, vapor ille tenuis facilè diſſiparetur, ac vel coiret in pluuiam, vel aliò diſpergeretur. Hinc eſt, vt aduertit Aphrodiſæus, ipſum eſſe ſerenitatis indicium. 51.

Quamquam autem Ros vegetet plantas, docet tamen Albertus Magnus *lib.* 2. *tr* 1. *cap* 14. ipſum ſi diu ſuprà illas conſiſtat, non paruum nocumentum afferre, quatenus calore ſolis accedente in æruginem, & in putredinem vertitur; ſimiliter herbas adurit, pannos lineos corrumpit, & 52.

pectoribus ventris profluuium excitat, quatenus viſcoſus eſt, nec ſatis concoctus, vnde dicitur Ros à rodendo. Decidit potiſſimum, & copioſiùs in Verè, & in Autumno: quia tunc temporis nec nimius calor nec frigus eius efformationi poteſt obſiſtere, & cæteris paribus in plenilunio maior eſt ipſius copia quam quouis alio tempore: Vnde vere à D. Ambroſio *in Hexam. libr. 4. capit. 7. Luna larga roris* aſſeritur.

54\. Rori affine eſt Manna: liquor, inquam notiſſimus, ſuauiſſimus, in ſimilitudinem gummi concretus, è cælo ſereno tempore pluens, atque arborum foliis, lapidibuſque adhærens; olim à Deo ſingulari prouidentia datus Iſraelytico populo in deſerto, dum viam ad Terram promiſſionis adornabat. Vnde eius leuitatem demirati exclamantes dicebant *Manhù*, ſcilicet qui eſt hoc? ex quo poſteà illi Mannæ nomen adhæſit. Porrò eius productio, vt & iſtius, quod apud nos eſt, ſaltem quoad ſubſtantiam, naturalis fuit, eiuſdem ſpeciei, licet illud, vt notat Abulenſis *in cap. 16. Exod. quæſt.* 8. fuerit longè ſublimioribus qualitatibus præditum: quod tum ex formæ ſimilitudine patet, tum ex dulcedine, tum etiam ex formatione: vtrumque enim noctis tempore cadebat, & cadit, vtrumque eodem nomine inſignitur, quod apud Syros nil aliud ſonat, quam ros melleus matutinus: Neque enim aliud eſt, quam ros quidam craſſior à ſole recipiens dulcedinem, & maturationem, à frigore autem noctis concretionem in morem pruinæ. Vnde ait Auguſtinus Niphus *in commentar. de ſignis ſerenitatis cap. 5.* Manna ipſum ex rore generari; nam quotieſcumque accidit, vt ros decidat in regionem, quæ aliqua ex parte calida eſt, cum multas partes terreas tenues habeat, quæ calore ambientis aëris coagulantur, reſolutis partibus aqueis, manna fit in arborum foliis inſidens, à calore inſpiſſatum, atque in formam ſeminis coriandri coagulatum, ideoque in regionibus calidis maximè reperitur. Quomodo autem, ſi erat eiuſdem ſpeciei cum noſtro; non eoſdem effectus habebat, corpus reſoluens, dicendum id ex miraculo accidiſſe, vel ex maiore & firmiore ſubſtantia, qua illud erat præditum. Niſi fortè dicere velimus cum noſtro Vecchio. *obſeru. medica 158. in ſacram ſcripturam*, id etiam manna Iſraeliticum habuiſſe, ad quod fortè reſpiciebat populus cum dicebat: Exod. 16. Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Quandoquidem ex doctrina Hippocratis *lib. de alimentis expurgant.* conſtat cibos leues, & qui ſolidam ſubſtantiam corporibus noſtris non tribuunt,

medicamenta etiam eſſe, & corpus reſoluere. Et fieri quidem poteſt, vt cibus iſte ab initio eundem illis effectum contulerit, & fuerit medicamentum ad deponendam cacochimiam, quam ex vſu cucumerum, cæparum, alliorum & ſimilium ciborum, quibus in Ægypto veſcebantur, contraxerant: poſteà verò, expurgatis corporibus.. conſuetudo fecit idoneum, & ſuauem cibum. Hæc Vecchius. Cæterum ipſum optimæ qualitatis, ſuo tempore abundè colligi ſueuiſſe in Monte Libano, teſtatur Galenus *lib. 3. de alimentis cap* 39. addens, eiuſdem regionis ruſticos expanſis humi velleribus ſolitos fuiſſe illud excipere. In Calabria item citeriore ſcimus decidere Manna lectiſſimum, ſi non eiuſdem prorſus qualitatis ac perfectionis, vt erat Iſraeliticum, certè non contemnendum: quod per totam Italiam propagatur, & proſtat in Pharmacopæis paſſim ad medicamentorum vſum. Eius caſum eleganter deſcribit Iulius Cæſar Recupitus in ſuo *Nuncio de Veſuuiano incendio pag. mihi* 136. *Iuxtà Altomontem*, inquit, *in Citeriore Calabria, & in Vlteriore, vſque ad antiqua Tuniana veſtigia, ros è cœlo decidinus ſyluestribus prunis exceptus, quà foliis, quà trunco noctis frigore conſtipatur in grana, quæ poſtea in prædulcem eliquata humorem, medicamenta ſuauiſſima præſtant ſorbenda vel pueris; tanta ſalubritate, vt in eâ cæleſte munus agnoſcas; tanto pretio, vt interdum Neapoli Manna Calabricæ vncia ſeptem nummis aureis vænierit: quaſi è cælo imber aureus cecidiſſet.* hæc ille. Eius vtilitates, & commoda abundè refert Cornelius Celſus, qui eum Rorem *Syriacum appellat.*

Similiter Mel quoad ſubſtantiam, & qualitates parum differt à Manna, niſi quod illud tenuiſſimum ſit, & herbis, floribus, ac terræ ſolo ita adhæreat, vt inſenſibilis penè ſit, & ſolum apum miniſterio colligi poſſit; hoc autem craſſius, & in globulos probè viſibiles, manuque contractabiles coëat. Vtrumque autem ſiderum effectus ſunt: conſtat enim ex aëre decidere certis temporibus ſub matutino ſiderum exortu, præcipuè ſub Cane Syrio: Vnde Plin. *lib.* 11 *cap.* 14 ait Sirio exoriente mel optimum comparari: atque ſi eodem tempore accidat Veneris, Iouis, Mercuriique commixtio, nil hominum malis opportunius eſſe, quam ipſum. Vt meritò alij cæli ſudorem, alij ſiderum ſaliuam, alij purgantis ſe aëris fructum appellent. Igitur tam Manna, quam Mel ex eodem illo vapore tenui, quo ros producitur, fit; iuxtà locorum verò calidorum qualitatem, quia vapor ille habet admixtum aliquid calidæ exhalationis, ideò & inſpiſſatur, 55.

& in dulcedinem concoctus tranſit. Siquidem , vt habet Galenus , 4. *de ſimplicium Medicamentor. facultatibus c. 9.* moderatus calor dulcedinem facit ; & omnia dulcia miti calore ſunt prædita.

56. Ro a. apud Aſtronomos dicitur genus quoddam Cometæ corpore magni , ac figuræ inſtar faciei hominis,mixti coloris ex aureo & argenteo. Eſt de natura Solis , & cum apparuerit portendit mortem Principum , & hominum potentiorum , rerumque mutationem in melius. Vide quæ diximus in V. *Pſeudoſtella*.

57. Ros h Hallilith. hebræo nomine,hoc eſt Caput Miſis, dicitur Caput Meduſæ, ſtella fixa pernicioſa in Perſeo. Hanc autem Miſim Hebræorum Thalmudiſtæ fabulantur fuiſſe fæminam quandam ſtrigem Adæ concubinam, poſtea interfectam atque in Cælum elatam. De qua re vide Kircher. in Oedippo Ægyptiaco.

58. Ro rv equi ſidus vide *Equiculus*.

59. Rota Ixionis , ſidus in Cælo ad Auſtralem plagam, alio nomine Corona Auſtralis. Vide ibi.

60. Rvbail arabicè, Latinè Canopus ſtella fixa primæ magnitudinis in Argonaui , de qua multa diximus in V. Canopus.

61. Rvvabah Iſmaelitis audit ſtella polaris in extremo caudæ vrſæ minoris ſita,nomine à toto aſteriſmo deſumpto.

62. Rvminantia signa , apud Aſtronomos dicuntur quæ animalium ruminantium ſpeciem præſeferunt, qualia ſunt Aries , Taurus , & Capricornus. Hęc enim Animalia , ſicut & omnia cornigera , quoniam in ſuperiore mandibula dentibus carent , cibum ſummatim carpunt , atque in iugulo ſeruant , quem poſteà ad os iterum reuocantes lente ruminant & comminuunt. In his ergò ſignis conſiſtens Luna conſimilem in nobis effectum progignit , & ideò cautum eſt ab Aſtrologis Medicis, ne potiones ſumantur Luna ſigna iſta tenente , quæ ideo ruminantia vocauere , atque animantium ruminantium nomine , & figura inſigniuere , vt eorum innoteſcat natura , ſiquidem , vt iugis ſemper experientia probauit , potiones eo tempore diù in ſtomacho retineri non poſſunt , ſed citò euomuntur. Econtrà Vomitoria quamdiù Luna in ſignis ruminantibus reperitur , appoſitè exhibentur , vt præ cæteris aduertit Ganiuetus *cap. 2. differ. 3.* quia tunc Luna virtutem expultricem roborat. Inter ruminantia ſigna aſcribi ſolet etiam Leo , non quod is verè ex ruminantibus ſit , ſed quia , vt obſeruat Origanus , cum ſit Domicilium Solis , præeſt cordi , ac proinde eundem effe-

ctum

ctum parit, ac ipſa ruminantia ſigna.

Rythmvs græcè, harmoniam, numerorumque proportionem ſonat. Vnde Logarithmi, Iſarythmi, &c. Hinc etiam Scientia quæ de numerorum ordine, qualitate, atque ad inuicem reſpondentia tractat, Arythmetica dicta eſt. Vide in V. *Numerus* & in V. *Proportionalitas*. 63.

## SA

Saclateni Chaldaicè dicitur prior hædorum, ſtella fixa 1.
quartæ magnitudinis de natura Martis, & Mercurij, conſiſtens in vola ſiniſtræ manus Aurigæ, de qua vide in V. *Hadi*.

Sacrarivm, Ara, Thuribulum, ſidus in Cælo ad Au- 2.
ſtralem plagam conſtans ſtellis ſeptem de natura Veneris & Mercurij, ſub ſigno Libræ. Hoc ſidus, tum ratione ſigni in quo eſt, tum etiam ob naturam ſtellarum maximè tempeſtuoſum eſt, ventoſque nimios ciere ſolet. Quod obſeruauit Cicero in Arati Phænom. vbi de eo ſic cecinit.

*Nam cum fulgentem cernes ſine nubibus atris*
*Aram ſub media cæli regione locatam*
*A ſumma parte obſcura caligne tectam*
*Tum validis fugito deuitans viribus Auſtrum*
*Quem ſi proſpiciens vitaueris omnia cautè*
*Armamenta locans tutò labere per vndas,*
*Sin grauis inciderit vehementi flamine ventus*
*Perfringet celſos defixo robore malos:*
*Vt res nulla feras poſſit mulcere procellas,*
*Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem*
*Ceperit, & ſubitis auris diduxerit Ara.*

Hucuſque Tullius. De aliis verò eius ſignificatis abundè diximus in VV. *Lar*, & *Ara*.

Sagen Lunæ in Sphæra barbarica dicitur ſecundus decanus 3.
Sagittarij manens ſub Dominatu Lunæ, proindeque habens ſignificare mæſtitiam, ploratum, dolorem, & affectum ſibi ſemper timendi.

Sagitta, Telum, Iaculum, ſidus in cælo ad Galaxiam 4.
propè Aquilam, conſtans ſtellis quinque de Natura Martis, & Veneris, de qua horoſcopante ſic venuſtè cecinit Pontanus in Vrania.

*Si cælo aſpiciens ocu'o intueare Sagittam,*
*Inſignis Iaculo ediceris, celerique ſagitta,*
*Contingens poſitum quocumque in lim.te ſignum;*
*Sine etiam ſpeculantem alta de turri columbam*

*Deiicis æthereâ contorto verbere fundâ;*

*Squamoſumque petis certo ſub vulnere piſcem.*

In Occidente verò edicit natum periturum inter cædes & ſtrages virorum; idque ſiue bonę ſiue malæ ſtellæ aſtipulauerint. Quod ſi Saturnus ſolus aſpexerit, damnabitur ad ſpectacula, aut caueæ includetur ad mortem: Si verò Mars aſſiſtenie Mercurio ſubdit.

*Vendetur miſer, & fœdabit ſanguine arenam.*

Hæc pontanus more poëtico ludens potiùs, quam veri quid auſpicatus.

SAGITTA etiam dicitur ab aliquibus Sinus verſus, hoc eſt
5. linea recta in area circuli quæ chordæ ſubtenſæ, & ſinui recto adiacet, cum eoque angulum rectum efformat, adeo vt poſito quocumque arcu, & chorda illi ſubtenſa; quæ linea inſtar ſagittæ virumque mediat ac diuidit, porrigiturque à medio chordæ ad arcum, à ſimilitudine teli à chorda per arcum excuſſi, ſinus verſus, ac ſagitta dicatur.

6. SAGITTARIVS, Phillérides, Chiron, Arabicè *Elkaùs*, vnum è duodecim ſignis Zodiaci, nonum in ordine, Domus Iouis & eiuſdem ac Solis Trigonum. Antiqui ponunt in eo exaltari capui draconis, verum id gratis dictum, ac propereà à neotericis non admittitur. Eſt ſignum igneum commune, in prima ſui medietate humanum, in reliqua ferinum. Eius Aſteriſmus in octaua ſphæra incidit in Galaxiam incipiens ab gr. 26. Sagittarij primi mobilis & extenditur vſque ad gr. 28. Capricorni. Habet intra ſe ſtellas 32. ſecundum Ptolemæum, at iuxta Keplerum 34. quas inter vnam nebuloſam in fronte maximè ab Aſtronomis conſideratam. Priores eius partes ſunt frigidæ, & humidæ, mediæ ventoſæ, poſteriores calidæ, & ſiccæ. Pars borealis ventoſa: auſtralis varia, & humida,

7. SALCHADAI idem ſonat Ægyptiis ac Dominus anni, teſtis Aben Ragel de Reuolutionibus. Quiſnam autem is ſit, diximus ſuo loco.

8. SALTATOR ab aliquibus appellari ſolet ingeniculus, ſeu Hercules, Eugonaſis, ſidus propè Ophiucum, de quo plura ſub aliis nominibus dicta ſunt.

SAMEH arab. alio nomine, *Chauſine*, & *Elhaut* dicitur
9. ſignum, & conſtellatio Piſcium, & primus quidem Piſcis ac borealis audit *Sameh Elſchemali*, ſecundus verò, & Auſtralis *Sameh Elgenubi*. Vide iam dicta in V. *Piſces*.

SARTAI MESARTHIN hebraicè dicitur fixa quartæ ma-
10. gnitudinis, de natura Martis & Saturni, prima in cornu Arietis ſtella ſpeciali nota digna, quoniam tempore Ptolemæi,

eiat in ſectione verna, atque adeo ab ea computabatur introïtus Solis in punctum æquinoctij: nunc autem ob motum octauæ ſphæræ elongata eſt, & præceſſit ad grad. 28. min. 47. manens adhuc in Ariete primi mobilis cum latitudine boreali gr. ferè 9.

SARTAN ſiue ELSARTAN arab. Latinè Cancer ſignum quartum Zodiaci. Chaldaicè verò *Sartono*. 113

SATELLITIVM Apud Aſtronomos eſt comitatus, & fulcimẽtum, quod Planetæ ſuo quiſque radiorum fœnore ad Luminaria faciunt, eorumque felicitati ſuis quoque luminibus aſtipulantur: quæ quidem conſtitutio, vt author eſt Ptolemæus in *Quadrip. lib.* 4. *cap.* 3. feliciſſima eſt in natalitio themate, atque huiuſmodi natos etſi alioqui ex infima plebe prodierint, ad ſuprema ſubſellia euehit, magnoſque Reges facit, ac principes. In quo autem conſiſtat huiuſmodi Satellitium, non æquè à Profeſſoribus traditur. Nos de hac re non nihil ſuprà in V. *Doriphoria* libauimus; hic rem breuiter concludemus. Satellitium igitur in alio non conſiſtit, quam in radiorum concurſu ad Luminaria, quibus planetæ dignitatum numeros ipſis cæteroqui fortiſſimis addunt: itavt ipſis in locis idoneis puta in Angulis exiſtentibus, & in propriis dignitatibus alij planetæ ſint ad Solem Orientales, ad Lunam occidentales, & ipſis aliquo modo configurati ſiue in Mũdo, ſiue in Zodiaco, ne ipſis quidem parallelis excluſis aut radiis alioqui hoſtilibus, & infauſtis, quales ſunt ſeſqui quadratus) qui in hac re numeros addit) quadratus, & oppoſitio: qui licet quoad vitam infauſti ſint, quoad honores verò, ac dignitates ſemper felicem ſignificatorũm poſitum roborant, cum reuera de genere familiaritatum ſint, ac ſuos radios eiaculentur. Quod etiam habet locum, ſi in tanta diſtantia luminarium hinc inde conſtituantur, vnde ex vicinitate poſſint eorum lumina abſorbere, hoc eſt intra ſphæram lucis illorum in Sole ad gr. 17. in Luna verò ad 12. ante, & retrò. Id etiam de fixis proportionaliter eſt intelligendum, ſi & ipſa teſtimoniis tuis accedant, aut in tanta diſtantia, vt ſatellitium ad luminaria facere queant, conſtituantur. Ergò poſitis luminaribus, præſertim Sole in angulo Medij Cœli, vel Orientis, aut ſanè non valdè à linea orientali diſtantibus; ſi omnes planetæ ex angulis, aſpectu, parallelo, ac tuis fortitudinum calculis aſſentiantur, ea feliciſſima cælorum conſtitutio cenſenda eſt, atque aptiſſima ad Principatum decernendum. Quò plures planetæ, iique ex genere fortunarum, atque è potioribus locis reſpiciant, eo felicior, quò pauciores ac debilio-

ribus radiis conueniant, eò minus apta, & infelix dicenda eſt Id autem ſemper intelligendum, quatenus ipſa Luminaria, præcipuè autem Sol cæteros vincat in fortitudine, ac dignitate. Nam cum ipſa ſint naturales honorum ſignificatores, iuxtà alibi dicta, ad hoc vt ritè eos poſſint decernere, debent eiſdem ipſa dignitatum numeris cumulari, atque alios vectigales habere. Quodſi alius Planeta fortior fuerit ſupràque ipſa luminaria eleuatus; iam non ipſa principatum tenebunt, ſed potius fortiori ſubſeruient, & ſua lumina tribuent. Vt proinde eius qui fortior fuerit, manifeſta in genitura impreſſa veſtigia conſpiciantur.

13. Satellitivm etiam dicitur comitatus, quem non ita pridem compertum eſt facere ad Iouem, & Saturnum, minores vt ita dicam planetas, ſeu erraticas ſtellulas, quæ circà ipſos rotantur ac retinent pro centro eorum corpora, non ſecus ac Venus, & Mercurius ſolem: Qui proinde vel ob id Iouis, aut Saturni ſtipatores, & Satellites appellantur. Hi primùm detecti ſunt in Ioue quatuor à Galileo, quos ſtellas Mediceas nuncupauit, provt in loco diximus. Poſtmodum in Saturno alij duo, qui aliquando cum eo figuram ellipticam, aliquando vnum corpus omnino ſphæricum efformant. aliquando etiam ab eo ſeiuncti apparent. Neque vero credendum eſt reliquos planetas ſine comitatu incedere, præſertim autem Martem, nam Venus & Mercurius ſunt propriiſſimi Solis ſatellites, cum ab ipſo non multum elongentur, neque omnes aſpectuum configurationes ad ipſum poſſint habere vt reliqui planetæ) ſed ob ſtellarum exilitatem hoc ſatellitium non poſſe oculis diſcerni Vide quæ ad hanc rem diximus in V. *Mars*. Hoc etiam modo.

14. Satellites dici poſſunt omnes planetæ ad Solem (excepta Luna) maxmè in ſententia Tychonis, qui in Mundi ſyſtemate ſolem ponit erraticarum omnium centrum, haſque perpetuò circa ipſum rotari, provt dicemus ſuo loco.

15. Satvrnvs græcè *Phaton* dicitur planeta omnium tardiſſimus atque à terra remotiſſimus, cuius ſphæra eſt immediatè fixarum orbi ſubiecta, ſtella proinde inter erraticas aſpectu omnium minima colore plumbeo, albicante, & ſuboſcuro, natura rigens, ac frigida, hominibus vniuerſoque animantium perfectorum generi inimica. Adeò vt ſi is ab albo planetarum eraderetur, vt etiam eius inimicus Mars, calidæ nimis, & exſiccantis naturæ, homines (inquit Hermes apud Argolum *de diebus criticis cap* 9) æuiterni forent, & immortales. Sed hoc noluit prouidentiſſimus rerum omnium artifex conſtituere; quia hominem, ad cæleſtem glo-

nam deſtinauit, atque adeo hîc in Mundo mortalem voluit, vt ſuæ deſitionis memor in hoc mortali corpore peregrinum agat, atque ad æternam gloriam greſſus ſuos dirigeret, ſuum vltimum finem. Idcircò inquam voluit Summus Deus inter cæleſtia corpora, quæ vitam nobis ſpiritumque ſuppeditant & Saturnum ponere, qui ſua malignitate abſcinderet: benè verò quo minus noceret cum longè à nobis diſſitum voluit, Iouemque contrariæ prorſus naturæ, hoc eſt caloris, humidique naturalis fotorem fecit conterminum, qui eius malignitatem contemperaret. Eſt planetarum omnium maximus excepto Ioue, & Sole, quippe eius diameter continet terræ diametrum ſemel, & nonagies, ſeu, vt alij volunt nonagies ſepties. Conficit reuolutionem ſuam in Zodiaco in annis 29. dieb. 157. hor. 22. in Epicyclo verò anno vno & diebus 13. Habet & duas ſtellas comites, quæ irregulariter circà ipſum rotantur, itaut aliquando ſeiunctæ, aliquando intrà ipſum, aliquando propè & contiguæ in figuram abeuntes oualem conſpiciantur. Habet ſub ſe lapicidas, foſſores, ſenes, auaros Iudæos, inuidos, & huius generis homines.

Cardanus contendit naturam eius eſſe calidam, & humidam, (quoniam omnia Aſtra his qualitatibus pollent) verum calorem eius non eſſe tanti vt poſſit diù hominem conſeruare: benè verò conueniens eſt naturæ plantarum: & ideo cum fuerit benè diſpoſitus iuuat ad ſationem, abiaqueationem, inſitionemque arborum, &c. quod præſtare non poſſet, ſi foret natura frigidus, & ſiccus: ideo, ſubdit, ſub ſe habet & vitam quā largitur ſerpentibus omnibus, exceptis iis qui calidiſſimi ſunt, & quia præeſt omnibus plantis, eas pro qualitate, & ſocietate aliorum planetarum producit, vt venenoſas calidas quales ſunt Napellus, & Euphorbium cum Marte: cum Mercurio male diſpoſito intemperate frigidas, vt Cicutam, Aconita, &c. Si Lunæ commiſceatur parit herbas quæ oriuntur in aquis, & graueolentes, parumque ſalubres: Cum Venere producit Nimpheam, cuius flos maximè luteus benè olet, aduerſatur tamen Veneri. Tandem permixtus Soli, Ioui, aut Mercurio benè diſpoſito, & ipſe ſit boni ſtatus, producit roſas, lilia, ſpicum, &c. In Genethliacis dominationem geneſis nactus facit hominem pallidum, taciturnum, ingenio pollentem, ac tenaci memoria præditum, colore fuſco, corpore gracili, ac melancholicum. Dominatur auditui dextro, Veſicæ, ſpleni, Melancholiæ, dentibus. Ex morbis cauſat omnes qui ex frigidis humoribus ortum habent, quales ſunt Quartanæ febres, hy-

dropiſis, podagra, obſtructiones partium naturalium, hæmorrhoides, herniæ, calculus, Icterus niger & ſimilia. Habet duo domicilia oppoſita domibus Luminarium, Capricornum videlicet, & Aquarium, & exaltatur in Libra.

17. SCALENVM ſpecies eſt trianguli, habentis omnes angulos, & omnia latera inæqualia, per quod opponitur triangulo æquilatero, quos inter mediat triangulum Iſoſceles, quod duo tantum latera habet æqualia, vt dictum eſt ſuo loco.

18. SCHEAT arab. dicitur ſtella fixa tertiæ magnitudinis de natura Saturni, & Mercurij, in dextrâ tibia Aquarij, apud Aſtronomos maximè obſeruata; quæ tunc temporis eſt in gr. 4. Piſcium cum gr. 8. latitudinis meridianæ. Oritur Romæ cum gr. 22 eorumdem Piſcium.

19. SCHEDER item ſtella fixa benigniſſima de natura Iouis & Veneris tertij honoris in ſcapulis Andromedæ conſtituta, quæ eſt in longitudine in gr. 17. Arietis cum latitud. ferè 24. boreali. Oritur Romæ cum gr. 20 Aquarij, & occidit cum 27 Arietis.

20. SCHEDIR. Latinè pectus Caſſiopeæ ſtella fixa itidem tertiæ magnitudinis, de natura Veneris, & Saturni, exiſtens nunc temporis in gr. 3. Tauri, cum latitudine boreali ferè gr. 47. proindeque Romæ ſemper conſpicua, nunquam occumbens. Ea in horoſcopo, inquit Firmicus, facit aurifices, bracteatores, plaſticatores, margaritarios, aut qui gemmis, auroque ſummoperè delectentur, è quibus etiam maxima vitæ ſubſidia conſequantur. In occaſu verò iniquam mortem portendit, aut ex ruina, aut ex dira occiſione.

21. SCIOGRAPHIA ex Vitruuio *lib.* 1. *cap.* 2. eſt deſcriptio frontis, laterumque abſcedentium adumbratio, quæ ædificium conſtruendum habiturum eſt, ex geometriæ præceptis exhibita per correſpondentiam omnium linearum ad circini centrum: ad cuius ideam poſtea Architectura opus ſuum molitur. Differt ab Ichnographia, quæ eſt eiuſdem molitionis deſcriptio in plano facta, quam nos vulgò plantam vocamus.

22. SCIOTHIR, SCIOTHERON, & SCIOTHERIVM latinè horologium vmbratile ſonat, quod artificioſè per Gnomonicæ pariter, atque Aſtronomiæ præcepta delineatum per Solis vmbram & radios eius altitudinē, declinationē, atque horarum ſegmenta demonſtrat. De eorum conſtructione multi ſcripſere: Sed omnibus (pace eorum dixerim) palmam proripuit Marinus Merſennius Religioſus gallus è Minimorum familia, qui etiam noui horologij author fuit, quo per So-

his radium reflexum intrà cubiculum per foramem traiectum, deſignantur quotæ horę diei, abſque vllo prorſus Gnomone, vt ego vidi Romę in ædibus Eminentiſſimi Cardinalis Bernardini Spadę ab ipſo Auctore delineatum. Sed neque ſua laude fraudandum eſt quod in ædibus Sanctorum Apoſtolorum Neapoli ſua manu deſcripſit Erudiriſſimus atque ingenioſiſſimus Parer D. Ioſeph Caracciolus clericus regularis, vir cum in omni literaturâ tum pręſertim in mathemaricis diſciplinis proprio marte comparatis nulli fortè ſecundus. Hic enim in ampliſſimo fornice aulæ commodioris diui Cœnotij ad meridiem ſimile Sciotherium delineauit, additis non modò horarum ad ſingularum nationum morem interſtitiis, verum etiam vniuerſa penè Geographia ad locorum longitudines, ac latitudines vnico ictu oculi eruandas.

Scintillatio eſt fulgor quidem, ac reuibratio lucis aſtrorum, qua dum conſpiciuntur, veluti ſubſilire, & ſcintillas quaſdam fundere videntur, quo fit, vt oculorum intuentium acies & præſtringatur ſimul, & oblectetur. Ea propria eſt fixorum ſiderum paſſio; nam planetæ, vt aduertit etiam Philoſophus, non ſcintillant: & licet cum ſunt propè horizontem, & ipſi ſcintillare videantur id tamen ab intrinſeco non prouenit, ſed accidit ex refractione viſus, ſiquidem ob terræ vapores ſpecies à planeta immiſſæ per atmoſphæram illam tranſeuntes pertingunt refractæ ad oculos intuentium; quod vel eo patet, quia in medio cæli iam conſtituti omni lucis mobilitate deſtituuntur. Cauſam huius ſcintillationis variam afferunt tum Philoſophi, tum Aſtronomi; nec tamen adhuc quiſquam eorum, vt reor ad verum collineauit. Ariſtoteles in fixarum maximam à terra elongationem refudit: quod aſſumens Pontanus in Vrania aſſerit id non ab ipſis ſideribus ſed à viſus debilitate prouenire, ſic enim habet *lib.1.* 23.

*Prætereà cur ſola acies immota Deorum*
*Cernitur, obtutuque lucet defixa ſub ipſo*
*Cum tot, & illa quidem fidentia ſigna, micanti*
*ſcintillent radio, tremuluſque internatet ardor.*
*Scilicet alta illis regio, ſedeſque repoſta:*
*Quo poſtquam aduenit defeſſo lumine viſus*
*Defeſſus tremit ipſe, tamen tremere ipſa videntur.*
*Aſtra micant radiis, ſed lumina noſtra tremiſcunt.*
*At contrà vicina Deûum ſtatio ardua quamquam*
*Proſpectu facilis tamen, atque immota tuenti*
*Quò penetrant ſtant certa loco, inſiſtitque videnda*

*Noſtra acies, fixiſque oculis immobilis hæret.*

Hucuſque Pontanus: cuius tamen ratio non conuincit; nam Mercurius, & Venus nobis viciniores quam Saturnus, & Iupiter ſcintillant, & Venus quidem in maxima altitudine, vt benè adnotauit Simplicius; cum tamen illi longè remotiores etiam propè horizontem haud ſcintillent.

14. Deinde alia eſt ſcintillatio planetarum circa horizontem, alia fixorum ſiderum: illa mollis quidem ac tremula, quæ potius viſum oblectat, & ſucceſſiue ſemper mutatur, ac deperditur, quò magis planetæ ab horizonte elongantur. Hæc ſemper conſtans, eiuſdem rationis in omnibus, fortis, & aciei oculi præſtrictiua. Blancanus in ſphæra mundi cauſam ſcintillationis ſiderum attribuit ſolæ refractioni; ideoque ait plus aliis Sirius, & Proyon ſcintillant, quia non pluſquam gr. 45. ſupra terram aſcendunt: At quonam pacto Iupiter, corpore magnus, lumine clarior, ſitu etiam humilior non ſcintillat? quare Arcturus etiam in maxima altitudine non minus quam Syrius rutilat, cum tamen Dexter humerus Orionis, & Regulus, neque propè orientem ſcintillent? Vt proinde neque conſiſtere poſſit ratio ſcintillationis in ſideribus fixis, quam affert Cardanus de ſubtilitate, celeritatem videlicet motus diurni quam præ ſideribus errantibus habent: nam præterquam differentia iſta motus modica eſt, & planè inſenſibilis, ſi id verum eſſet, dum planetæ retrogradi fiunt, aut ſtationarij, deberent æquè ac fixæ ſcintillare, quia æquè imò & reipſa velociore curſu perficiunt iter ſuum diurnum. Accedit, quod, cum fixæ eodem motu omnes firmamenti concitatiſſimo moueantur deberent omnes eodem modo ſcintillare, & in æquali à terra diſtantia, cum tamen aliquæ vt Syrius, Procyon, & Arcturus inſigniter, & in quacumque cæli parte ſcintillant, aliquæ mediocriter, vt Rigel, & Spica Virginis, aliquæ nullo modo vt pectus Caſſiopeæ, dexter humerus Orionis, & Regulus.

15. Reſtat igitur vt ſcintillationis iſtius cauſa in ſideribus fixis ſit intrinſeca, vera & realis proueniens à luce quadam primigenia, & inſita haud à Sole mutuata, vt Sol ipſe omnis lucis fons & origo, ita rutilat, ac non quidem ſcintillas, ſed validiſſima lucis ſpicula mobili quodam ſemper ardore eiaculatur, vt nemo in eum intendere poſſit aciem. Sic igitur ex fixis, quæ maiore inſita luce ſunt præditæ, maiorem habent ſcintillandi materiam, vt fortaſſe etiam ex planetis Mercurius, & Venus: quæ mediocrem habent, mediocriter etiam ſcintillant, quæ nullam nullo modo, ſed Solis tantum-

modò radiis illuſtratæ mortuo, vt ita dicam modo reſplendent. Quæ mihi ratio præ cæteris arridet, ac diu hærenti probabilior tandem, ac verior viſa eſt, quoad vſque alij meliorem proferant.

Sciron ſic dictus eſt à rupe quadam vnde exſuflare potiſſimum ſolebat, atque Athenas plurimum infeſtare Corus ventus occidentalis, lateralis Fauonio, ſpirans ab occaſu æſtiuali. de quo plura diximus in verbo Cauros. Eo nunc maximè infeſtatur Iapygia regio in Italiæ vltimis finibus conſtituta, vnde & Iapygis illi nomen adhæſit. 26.

Scorpi octauum ab Ariete ſignum aqueum fixum, domicilium Martis & eiuſdem Trigonum, vnaque Veneris & Lunæ; ſic dictum à mira quam habet cum Scorpione terreſtri ſympathia. Siquidem Luna hoc ſignum ingreſſa ſcorpiones maximè feri tunc, & infenſi; Domuſque (quod valdè mirum eſt) ædificari cœpta ſcorpione in horoſcopo exiſtente, experientia teſte ſcorpionum nidus euadet. Eſt item ſignum venenoſum, turpe, prolificum, mendax: vnde Almanſor in Aphoriſmis ad regem Saracenorum *propoſ.* 106. *Auerte*, inquit, *oculos tuos à figura, in qua fuerit aſcendens Scorpio.* Habet ex membris humanis regere pudenda. Scorpij ſidus in octaua ſphæra, amplitudine ſua duo ſigna complectitur; Libram videlicet, & ſcorpium, vnde olim vndecim ſigna Zodiaci enumerabantur, & ſtellæ in Libra exiſtentes, etiamnum chelæ. ſeu branchia ſcorpij ab aliquibus appellantur: Sic enim ludit nobiſcum Natura, vt quæ ſtellæ ob aliquam connexionem occultam ab Scorpione terreſtri nomen hauſerunt, in vnum conglomeratæ efforment ſidus omnium maximum, quando is qui nomen indidit, inter huius generis animantes inuenitur omnium minimus. Continet ſub ſe ſtellas Ægino vndeuiginti, Ptolemæo 21. & adhuc tres ſporades, Keplero 28. Baiero autem 29. mixtæ naturæ: Nam chelæ ſunt de natura Iouis, & Mercurij, & vna potiſſimum Martis. Similiter tres in fronte ſunt Martiæ, & Saturninæ: *Antares*, ſeu cor ſcorpij potiſſimà in hoc ſidere cum aliis duabus in corpore Martem, & Iouem referunt; Nebuloſa eſt Martia, & Lunaris: reliquæ in flexu caudæ Saturninæ ſunt, & Venereæ, præter aculeum, qui eſt de natura Martis, & Mercurij. Vnde nil mirum ſi ob tantam varietatem, & qualitatum mixtionem dicatur ſignum fallax, ac venenoſum mixtio enim qualitatum præſertim contrariarum in cælis corruptionem humorum infert. Primæ eius partes frigidæ ſunt, & niues generant; Mediæ temperatæ, vltimæ turbulentæ: Pars borealis calida eſt; Auſtralis humida. Inci- 27.

pit à gr. 17. Scorpij primi mobilis, & extenditur vſque ad gr. 26. Sagittarij, non computatis in eo chelis, quæ ita ab æquatore premuntur, vt eum ſuſtinere videantur, ipſe autem Scorpio pedibus Ophiuci ſubditus, extrema cauda circulum Hyemalem contingit.

28. Scotomenia, teſte Valla, idem ſonat apud Hebræos, ac Lunæ obtenebratio, quando videlicet incidit in radios Solis, vel in penumbram terræ, quò fit vt vel tenebroſa, fuſca & ſanguinea appareat, aut ſanè omninò inuiſibilis.

29. Scyphones Venti ſunt procelloſi de Typhonum genere, qui nubibus incluſi procellas generant, & aquas ſurſum eleuant, & abſorbent.

30. Secans apud Geometras dicitur linea recta ducta à centro circuli ad lineam aliam extra circulum, quæ ſit perpendicularis extremo diametri ipſius circuli extra illius ambitum, quæ ideircò dicitur tangens: quia vbi illam tangit facit angulum acutum: ipſa verò è contrà dicitur ſecans, quia ſecat arcum circuli, vbi mutuò ſe ſinus tam rectus, quam verſus ſe tangunt.

31. Sectio Equi dicitur ſidus in cælo mutilatum repreſentãs caput equi truncum propè Pegaſum, & æquatorem in parte tamen boreali, quod efformatur à quatuor ſtellis obſcuris, in longitudine circa gr. 18. & 20. Aquarij. Appellatur etiam Equiculus.

32. Sector circuli ex Euclide *lib.* 3. *defin.* 9 dicitur angulus, qui ad ipſius circuli centrum conſtituitur, comprehenſa nimirum figura, & à rectis lineis angulum continentibus & à peripheria ab illis aſſumpta. Sicut etiam.

33. Segmentum circuli dicitur figura, quæ ſub recta linea, & circuli peripheria comprehenditur: ſicuti neceſſariò ſegmenti angulus debet eſſe qui ſub recta linea, & circuli peripheria comprehenditur.

34. Secundi Mobiles denominantur planetæ, & Orbis fixarum, qui præter primum motum vniuerſalem raptus ipſis à primo mobili impreſſum, habent peculiarem motum cuilibet proprium, ab Occidente in Orientem. Licet reuera non detur iſte ſecundus motus; qua de re vide quæ diximus in V. *Motus*.

35. Seduli, apud Hermetem audit cauda Cygni, ſtella fixa ſecundæ magnitudinis de natura Veneris & Mercurij. arab. *Denel. Adigege.* Vide ibi.

36. Selas, teſte Apuleio in lib. de Mundo, vocant Græci incenſi aëris lucem; *Horum*, inquit, *pleraque iaculari credas*

*alia labi, ſtare alia: iaculatio igitur tunc fieri putatur cum meatu aëris, atque impulſu generatus ignis celeritatem ſui curſus rapidaque feſtinationis oſtendit* Sunt igitur hæc medium quid inter cometas & ea oſtentorum genera, quæ nullam ſubſtantiam habent, ſed ex colliſione viſus apparent, quales ſunt Virgæ, Iris, & Areæ, qua de re vide quæ diximus in V. *Cometa.*

SEMICIRCVLVS quid ſua notione inferat, patet: Dimidium nempe circuli. Vnde in ſphæra & in circulis maximis importat congeriem grad. 180.& in Zodiaco ſex ſigna. Quare ſæpiſſimè apud ſcriptores inuenitur ſemicirculus auſtralis & borealis, Orientalis, & Occidentalis; aſcendens & deſcendens, &c. 37.

SEMILVNIVM appellatur tempus illud, in quo Luna eſt in quadrato Solis, & apparet dimidiata: quemadmodum Nouilunium, quando eſt in coniunctione; & Plenilunium, cum eſt in oppoſitione luminibus plena. 38.

SEMIQVADRATVS eſt aſpectus duorum ſiderum in diſtantia grad. 45. vel ſane quartæ partis ſemicirculi in Mundo conſiderati, quem etſi aliqui etiam ex antiquioribus agnouerint, tamen nuper ab nouis Aſtronomis detectum eſt eſſe efficaciæ non ſpernendæ, præſertim in morbis, atque in Apheiæ conſideratione, & motu directionis. Hali Rodoan *in Comment. ad Ptolomæum* ipſum conſiderat tantum in medicinalibus, & in circulo poſitionis cometarum, & in aliis rebus non item. Titus ſe tantum obſeruaſſe ait Aphetam in ſecunda medietate vndecimæ domus conſtitutum non ita benè aptum euadere ad prorogandæ vitæ rationem ineundam, quia profectò incidit in ſemiquadratum ad horoſcopum. Alij in omnibus illum aliqua vi præditum de natura ipſius quadrati, ſe expertos eſſe teſtantur. Et ſanè in Morbis nemo ibit inficias, primæ criſis indicationem ab hoc aſpectu formari, quod & obſeruauit Argolus de diebus criticis, & nos in loco vbi de iiſdem ſermo incidit, admonuimus. In figura etiam ſexdecim laterum, cuius meminit Ptolemæus in centiloquio, ipſe etiam ſuas partes habet. 39.

Præterea in lunationibus hic aſpectus magnam vim obtinet ad ſignificandas aëris mutationes a tota lunatione emanaturas, nec quidem abſque ſolido fundamento, quandoquidem Luna in ea diſtantia à Sole incipit primò ſe viſibilem reddere, ac manifeſtos effectus ſuæ lucis extenſione in ſublunaria iſta exſerere. Vnde Axioma illud ruſticum. *Quarta, quinta qualis, tota Luna talis.* Idipſum Ptolemæus, Plinius, Aratus, aliique experimento probarunt. 40.

41. SENACHER SOLIS in ſphæra barbarica dicitur ſecundus decanus Arietis, cuius dominum, ac diſpoſitio ſpectat ad Solem: proindeque eſt ſignificator nobilitatis, magnanimitatis, altique dominij. Item.

42. SENCINER ibidem audit tertius decanus Scorpij, manens ſub dominatu Veneris, habenſque ſignificare ebrietates, violentias, ſcortationes, cum ira, & præualentia. Similiter-

43. SENTACER ibidem dicitur primus decanus eiuſdem Scorpij, cuius diſpoſitio ſpectat ad Martem dominum eius ſigni, qui proinde habet ſignificare rixas, triſtitiam, deceptionem, detrectationem, proditionem, inſidias.

44. SEPARATIO apud Aſtronomos eſt ſpecies quædam defluxus planetæ ab alterius coniunctione, quando videlicet planeta leuior poſt coniunctionem partilem cum ponderoſo diſcedit ab eo, & tantum elongatur, quantum importat agregatum ſemidiametrorum vtriuſque, & ea quidem duplex, ſimplex vna, quando vterque eſt directus, ſed leuior in pluribus partibus: Altera quæ dicitur mutua, quando nimirum planeta, qui in pluribus partibus eſt directè graditur, quique eſt in paucioribus fit retrogradus.

45. SEPHINA Hebræo nomine dicitur nauis ſidus in cælo ad Auſtralem plagam, de qua plura diximus in V. Argonauis, teſtis eſt Kircherus in Oedipo Ægyptiaco.

46. SEPTANGVLVS, & *Heptangulus*, apud Geometras audit figura ſeptem angulis conſtans, ſiue ea plana ſit, ſiue ſolida: ſiue regularis, ſiue irregularis.

47. SEPTENTRIONES dicuntur communiter ſeptem ſtellæ propè polum Arcticum efformantes conſtellationem, & imaginem Vrſæ minoris: quanquam etiam eo nomine veniunt aliquando, quæ in eadem poſitione ſunt in Vrſa maiore, & conſtituunt Plauſtrum eoquia ſunt illis ſpectabiliores, & quia vtraque figura ad polum Arcticum magis accedit, hinc eſt, vt polus ipſe ab iis denominationem ſumpſerit. Vnde etiam.

48. SEPTENTRIONALE appellari ſolet omne id quod quodammodò ad dictum polum pertinet, atque ad ipſum refertur. Sic Septentrionalis plaga Mundi dicitur quam nos Europæi citra Æquatorem inhabitamus, Septentrionalis declinatio, latitudo, ſemicirculus, &c. Similiter.

49. SEPTENTRIO abſolutè audit Ventus directè ab ea mundi parte exſufflans, quæ polo Septentrionali ſubſternitur; eſtque vnus ex quatuor cardinalibus, imo & cardo omnium ventorum, quandoquidem ipſe, ſicut & eius aduerſarius Notus ſunt omnium ventorum ſemina, & radices; eapro-

pter vt obſeruat Ariſt. *lib. 2 Meteor cap.* 4. ipſi ſolum quolibet anni tempore ſpirant, quando alij certis tantum temporibus. Hunc nos Itali vulgò Tramontanam vocamus Græci Aparctias. Eſt de natura ſua frigidus & ſiccus, adeoque ſalubris omnia à corruptione præſeruans, licet ob nimiam frigiditatem euadat floribus,& germinanti vineæ pernicioſus. Vide quæ diximus in V. *Aparthias.*

SERPENS Arab. *Alangue* ſidus in cælo ad borealem plagam propè æquatorē conſtans ſtellis 18. licet Baierus addens illi quæ propè illum extant informes in ſua Vranometria enumeret omninò 37. omnes ferè de natura Veneris, & Saturni: vt propterea contrariis qualitatibus prædita euadant noxiæ,corruptiuæ, ac venenoſæ. De hoc ſidere horoſcopante ſic cecinit Pontanus in ſua Vrania. 50.

*Exoriens facit Marſos, qui vulnera cantu,*
*Qui ſanent morſus, nigro qui ſorte veneno*
*Vnguine Pæonio, & ſuccis medicentur, & herbis.*

Si verò fuerit in occaſu, ſequitur idem Pontanus, ipſum portendere mortem ex morſu Serpentis, aut ex ictu venenatæ ſagittæ, aut ſane ex propinatione veneni.

SERPENTARIVS aliud ſidus repreſentās hominem Marſum, ſiue Æſculapium manu ſupradictum Serpentem geſtantem: Alio nomine Ophiucus, in quo multa diximus. In hoc ſidere apparuit noua ſtella anno 1604. & durauit ad multos annos, quæ ſui nouitate multam Aſtronomis fecit materiam ſpeculandi, ſcribendi, eiuſque effectus prognoſticandi: quemadmodum aliæ duæ vna in pectore Cygni, altera in ſede Caſſiopeæ. Sed & de hac, quæ apparuit in genu Serpentatij ſcribit Keplerus, ſe magnoperè addubitare, num importet Mahometicæ ſectæ deſitionem, nùm Indi vniuerſaliter conuertendi eſſent ad fidem; num monarchia aliqua reliquis omnibus imperatura ſit, nùm Religionis ingens, & vniuerſalis mutatio inſtet, nùm denique mundi finis. Et aduertit, tres omninò genuinas, veras, & nouas ſtellas in Firmamento intra paucos annos apparuiſſe, poſt maximam ſuperiorum coniunctionem in Piſcibus: Et quemadmodum primus Trigonus igneus mundi creatione, quintus Chriſti domini natiuitatē nobilis extitit; ita hunc poſtremum haud temerè credendum eſſe Ecpyroſi, atque incendio Mundi ſecundum Chriſti aduentum denunciaturo præluxiſſe. Tandem pia quadam parenæſi ad lectores facta, concludit. *Interim non ſanè peccant ſi hac ſtella commonefacti vitam inſtaurent Chriſtianam; itaque ſe comparent, vt Chriſtum Dominum iam iam excepturi.* 51.

SERTVM PVPILLÆ ſidus. Vide Corona Gnoſſia. 52.

53. Servcvth in ſphæra barbarica dicitur primus decanus Libræ manens ſub dominatu Lunæ, proindeque habens ſignificare iuſtitiam, veritatem, ac genium auertendi fortes ab imbecillis, adiuuandi miſeros, & pauperes, &c.

54. Sesqviqvadratvs radivs nouum genus eſt familiaritatis à Keplero nuper detectum, atque à Tito aliiſque Aſtronomis experimentis probatum, intercedens inter duo ſidera poſita in diſtantia vnius, & inſuper medietatis alterius ſequentis quadrati; hoc eſt in Zodiaco grad. 135. Eſt de natura ſua infauſtus, imperfectæ, vt aiunt, inimicitiæ eiuſdem rationis, ac ipſe quadratus, licet non tantæ virtutis, & efficaciæ. Vide quæ diximus in V. Aſpectus.

55. Sexangvlvs apud Geometras dicitur figura ſex angulis conſtans.

56. Sexagenaria divisio celebris eſt apud omnes Aſtronomos: per eam enim diuiduntur partes ſignorum, & gradus æquatoris in ſexagenas minutias, & harum ſingulæ in alias ſexagenas in infinitum. Extat apud Auctores tabula ſexagenaria partium proportionalium continens quadrata, & rectangula protracta vſque ad gr. 180. ex vno latere 60. per alterum, cuius ope facillimè completur quicumque calculus aſtronomicus; & leuantur tirones à faſtidioſa numerorum multiplicatione, diuiſione, & partis proportionalis ex regula aurea inuentione; cum vnico intuitu inueniatur in fronte, vel in area tabulæ numerus multiplicatus, aut ex diuiſione quotiens, & pars proportionalis. Nam ſi quis velit numerum multiplicatum, inueniet ipſum in area communi tabulæ, datis duobus per quos facienda eſt multiplicatio, accipiendis vno ex latere, altero in fronte ipſius tabulæ. Si velit partiri aliquem numerum accipiat diuidendum in area ſeu corpore tabulæ, & partitorem à latere, & ſtatim habebit numerum diuiſum, ſeu quotiens in fronte ipſius tabulæ. Sed enim res meliùs intelligitur per praxim; ac per ea, quæ pænè omnes auctores de eius vſu tradunt, quam per quamcumque noſtram deſcriptionem. Ideò ſuperuacaneum eſt in ea re declaranda diutiùs immorari.

57. Sextans Astronomicvs, ſeù *Trigonicus* eſt inſtrumentum Mathematicum à Tychone nuper excogitatum, quo ſtellarum poſitus, altitudines, remotiones, declinationes, aliaque permulta mira facilitate, ac ſubtilitate exuuntur. Eius partes, & vſum fusè explicat ipſe Tycho to. 2. de noua ſtella Caſſiopeæ.

58. Sextilis radivs Græcè *Hexagonus* eſt familiaritas à ſideribus contracta per ſextam circuli partem, ſeu in diſtan-

tia duorum ſignorum ad inuicem. Eiuſdem naturæ eſt, ac Trinus, licet imperfectior.

SIDVS propriè exprimit plurium ſtellarum in certam quandam formam congeriem, quales ſunt omnes 48. imagines octauæ ſphæræ; necnon aliæ duodecim in parte auſtrali à nouis Aſtronomis nuper adiectæ, in quas omnes ſtellæ fixæ, quibuſdam paucis exceptis, (quæ propterea informes dictæ fuerunt,) conglomeratæ ſunt. Differt autem ſidus à ſigno, eo quod hoc propriè appellet duodecimam quamque Zodiaci partem in primo mobili conſideratam: proindeque præſcindentem à quocumque aſtro, ſed prout habet relationem ad quatuor puncta cardinalia, vnde incipit proportionalis influxus aſtrorum, (vt mox dicemus) ſidus autem dicit tantum certum ſtellarum numerum, ſiue in Zodiaco, ſiue in reliquo ſtellati orbis expanſo conſiſtentium: atque adeo nullatenus conſideratur in primo mobili, ſed in Firmamento; licet alioqui ſigna Zodiaci ab ipſis ſideribus, quæ tempore Ptolemæi erant ſub tali ſitu primi mobilis denominationem ſumpſerint; cum tamen modò ob motum octauæ ſphæræ non parum à loco receſſerint: atque adeo conſtellatio Arietis iam non ſit amplius ſub eiuſdem nominis ſigno, & circa æquatorem, ſed ferè tota tranſierit in Taurum, ſicut & Taurus iam eſt ſub Geminis, &c. Et hæc quidem quoad nominis proprietatem. Cæterum ſidus, & ſignum ſæpè confunduntur: Quinimò ſidus aliquando accipitur non modo pro ſingulis vnius Aſteriſmi ſtellis, verum etiam pro ipſis planetis. Vnde Quintilianus: *Quid hac, inquit, fulgentium ſiderum veneranda facies, quæ quidam veluti infixa, ac cohærentia perpetua ſemel capta ſede colluccent: alia toto ſparſa cælo vagos curſus certis emetiuntur erroribus.* 59.

SIDERA DISCVRRENTIA etiam vocantur ſpecies quædam accenſarum exhalationum in aëre apparentium, quæ in longum curſum protenſæ ſimilitudinem exhibent alicuius ſtellæ per aëra diſcurrentis, quatenus ex vno loco in alium pergit, ſiue ſurſum, ſi accenſa fiat leuior, ſiue ad latus, ſi alioqui in altum tendens impediatur à corpore aliquo denſo, & contrariæ qualitatis, vt puta à nube; ſiue deorſum deſcendat, ſi videlicet habeat materiam aliquam terream permixtam, aut è nube magno impetu foras exiliat ex parte inferiori; vt videmus in ignibus artificiatis. Hæc autem ventos portendere docet Ariſt. 1. *Meteor. cap.* 7. quia cum tales accenſiones eueniunt, neceſſe eſt, magnam iſtiuſmodi exhalationum copiam eſſe in aëre: Atqui exhalationes 60.

commouent ventos, vt ſuo loco dicemus.

61. Sideratio aliquando accipitur pro ſiderum coaptatione in cæleſti themate, aliquando etiam idem ſonat, ac ſideris percuſſio, quales ſunt certi morbi à determinatis conſtellationibus, quę terris proximè iuſident, prouenientes. Auctor eſt Varro.

62. Silens Lvna dicitur in coniunctione cum Sole toto eo tempore, quo non lucet tam ante quam poſt partilem congreſſum; eo quia tunc temporis nulla, vel ſaltem exigua virtute pollet; vnde quaſi otioſa, & ſilens eſſe videtur. Hinc Columella *lib. 2. cap. 10. Silente* inquit, *Luna fabam vellito ante lucem.* Durat autem id tempus quovſque à ſole liberaratur, exurgitque in cornua; quam Lunæ phaſim Græci Menoidem appellant. Toto hoc tempore Formicæ nil operantur.

63. Signa apud Aſtronomos, (vt paulò ante explicatum eſt) ſunt notę quædam in Zodiaco per duodenas æquales partes diuiſæ, quarum ſinguiæ triginta gradibus conſtant in longum, atque in latum duodecim, atque vt eorum natura dignoſcatur, ſiue ratione ſtellarum fixarum, quæ in iis ſunt, ſiue ex effectibus, quos parit in hiſce inferioribus Sol per illas diſcurrens variis animalium, aliarumque rerum imaginibus inſignitæ. Sunt autem Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces. Dicuntur autem omnia ſidera eſſe in aliquo ſigno non modo quæ intra latitudinem Zodiaci conſiſtunt, ſed etiam quæ extra vagantur, quatenus ſi Ecliptica in duodecim partes æquales diuidatur, atque à punctis diuiſionum per polos Zodiaci circuli deſcribantur; quidquid inter duos ſemicirculos includitur, ſeu in ſuperficie, quam duo ſemicirculi ab vno in alterum Zodiaci polum claudunt, ad ſignum illud dicitur attinere, quod in Zodiaco inter duos illos ſemicirculos intercluditur.

64. Porrò hæc diſtinctio ſignorum Zodiaci, vt benè aduertit Titus in *lib. 1. cap. 10.* Cæleſtis Philoſophiæ, non eſt fictitia, nec ſine vlla ratione excogitata, ſed vera & realis, per realem aſtrorum influxum à locis vnde incipiunt influere primas qualitates, vel vnde emittunt radios efficaces, quibus intenditur, aut remittitur efficacia talis influxus. Siquidem Planetæ à punctis mobilibus Zodiaci incipiunt influere primas qualitates; atque à punctis proportionalium diſtantiarum attingunt proportionales gradus talium qualitatum: Quandoquidem initium Tauri eſt in Trino ad initium Capricorni, & in ſextili ad initium Cancri, vnde incipiunt planetæ

planeta influere qualitates paſſiuas: & initium Geminorum eſt in Trino ad initium Libræ, & in ſextili ad initium Arietis, vnde incipiunt influere qualitates actiuas: quod idem in aliis ſignis videre eſt. Igitur diſtributio iſta ſignorum realis eſt, ac nomenclatio non inanis ſed iure excogitata ad eorum naturam exprimendam. Similiter non ab re quædam ex ipſis dicuntur maſculina, alia fœminina, aliqua humana, aliqua ferina, hæc pulchra, illa deformia, &c. ob diuerſos reſpectus, & effectus, quos habent parere in hiſce inferioribus ſidera in ipſis conſtituta. Sic etiam ratione ſitus dicuntur præſidere ſuper certas regiones & ciuitates, vel quia ipſis ſint verticalia, vel quia in earum ædificatione fuerint aſcendentia. Ex membris etiam humanis habent ſingula ſingulis præeſſe; item certa certis animantibus, lapidibus, ac plantis: vt in loco ſæpius diximus, idque vel ratione, vel ſanè ex iugi & nunquam fallente experientia. Quæ autem ſigna ſingulis membris præſideant eleganter expreſſit Manilius in Aſtronom. lib. 1. his verſibus.

*Namque Aries capiti; Taurus Ceruicibus hæret;*
*Brachia ſub Geminis; cenſentur pectora Cancro:*
*Te ſcapulæ Nemæe vocant: teque Ilia Virgo:*
*Libra colit clunes; & Scorpius inguine regnat:*
*Et femur Arcitenens; genua & Capricornus amauit:*
*Cruraque defendit Iuuenis: veſtigia Piſces.*

Horum etiam dominatus eſt per planetas diſtributus, itavt luminaria, quæ potiora ſunt, potiora ſibi vendicent, ea videlicet in quibus potentiores fiunt, & manifeſtos effectus pariunt, & quidem ſingula ſuum, & vnicum, Sol nempe Leonem, Luna Cancrum: reliquiſ planetæ bina ſinguli obtineant, pro habitudine ad ipſa luminaria, provt provt fusè dictum eſt in V. *Domicilium.* Hinc etiam.

Signifer dicitur circulus obliquus Zodiaci, in quo huiuſmodi ſigna conſiderantur, & quem motu ſuo cuique proprio ab Occidente in Orientem Planetæ ſtatis temporibus peragrant, & percurrunt. Qui profectò circulus conſideratur in primo mobili latus, vt dictum eſt ſex, aut certè nouem hinc inde gradibus ad omnium planetarum per ſuam latitudinis orbitam incedentium viam concludendam: itavt extra illum nuſquam exorbitent. Nam in Firmamento, ſeu octaua ſphæra intelligitur eſſe alius Zodiacus huic iam dicto ſubſtratus, qui ſimiliter in duodecim ſigna, ſeu potiùs Aſteriſmos diſpeſcitur eiuſdem nominis, & figuræ, quoniam olim, vt dictum eſt, erant illis immediate ſubie- 668

cti, & credebantur eſſe in primo mobili; Nunc autem experientia compertum eſt, eos cum ſua ſphæra eſſe loco dimotos, & vlterius ad 28. ferè gradus proceſſiſſe. Vnde iſta ad eorum differentiam ſidera appellantur; quorum natura longè ab illis diuerſa, iam non vt olim à proportionalibus diſtantiis à punctis cardinalibus, ſed ſolum à ſtellarum ex quibus conglomerantur qualitatibus venanda eſt, proindeque actiuiora ſunt quam illa, quæ ex ſeipſis nihil habent influere niſi per accidens, quatenus planetæ in ipſis reperiuntur: præcipuè autem Sol, qui ex acceſſu, & receſſu ad hæc & illa loca Zodiaci efficit viciſſitudinem temporum, & miram iſtam effectuum quos in Natura videmus varietatem. Ob idque prouidit ſapientiſſimè rerum omnium Artifex, vt circulus iſte obliquus eſſet, ſecareturque ab æquinoctiali in duas partes, quarum altera in ſeptentrionem vergeret, altera ad Auſtrum, nam ex acceſſu Solis ad punctum ſolſtitii maximè ab æquatore diſtans, hoc eſt gr. 23. & ſemis, calor intenditur, quia nos ſemper directioribus radiis verberat, ex receſſu remittitur: Ideoque ſemicirculus ille ab initio Capricorni per ſucceſſionem ſignorum ad initium Cancri appellatur Aſcendens, quia in eo ſol ſemper ad verticem capitis noſtri aſcendit, qui autem ab initio Cancri per Libram ad Capricornum protenditur, vocatur deſcendens: quia in eo ſol ſemper à vertice capitis noſtri deſcendit. Plura in V. *Zodiacus*.

67. SIGNIFICATORES apud Aſtronomos appellantur loca quædam in cælo, quæ ſe habent tamquam ſubiectum paſſibile erga actiones aliorum ſiderum, in quorum corpora, aut radios directione impingunt, proindeque habent aliquid ſignificare tempore expletæ directionis implendum. Sunt autem quinque ex Ptolemæo: Sol, Luna, Linea Orientalis, Culmen, & Pars Fortunæ; ex quorum directionibus accidentia omnia tam proſpera, quam aduerſa, quæ natis obuenire poſſunt circa corporis affectiones, animi propenſiones, & reliqua tum intrinſecus, tum extrinſecus aduenientia venari poſſe contendit, 3. *Quadrip. cap.* 13. qui etiam ab aliis vocantur Prorogatores, moderatores, &c. à moderandarum rerum prouincia, quam ſortiuntur. Quandoquidem gerunt vicem creditoris recepturi aliquid à promiſſoribus aſtris certo, & definito tempore quo iſta tandem ad ipſos deuoluantur; itavt ipſi ſignificatores, conſiderentur immobiles in ſuis circulis poſitionum expectare aduentum promiſſorum, qui motu primi mobilis ad ipſos ferantur; quod quomodo fiat luculenter explicatum eſt in V. *Di-*

*ratio*: Addunt Recenſiores non modò dicta loca, & luminaria, ſed & reliquos quinque planetas, necnon & cuſpides ſingularum domorum poſſe obire munus ſignificatorum pro eorum ſignificatis; vt ſecundam domum pro diuitiis, tertiam pro fratribus, &c. atque adeò habere rationem ſubiecti paſſibilis, ſi conſiderentur & ipſi immobiles in ſuis circulis poſitionum expectare aduentum aliorum ſiderum, etiam ſi alias planetæ habeant rationem cauſæ efficientis reſpectu aliorum, cum non repugnet idem ſecundum diuerſa poſſe duplici virtute pollere, vt patet in ipſis luminaribus, quæ inter promiſſores etiam connumerantur. Nec ſanè abſque fundamento, cum plurima accidentia, experientia duce, ex eorum directionibus dignoſcantur, quorum ne vmbratilis quidem notitia haberi poteſt ex directione prædictorum quinque ſignificatorum, Proinde rei periculum facere non erit forſan inutile. Vide etiam in V. *Moderatores*.

SIMPHASIS, Græcè dicitur multarum ſtellarum vna emerſio, & conſpectus: teſte Ioſepho Laurentio in Amalthea. 68.

SINAPHIA dicitur Luna cum alicui ſtellæ, aut planetæ corpore copulatur. 69.

SINVS præciſè indicat amplitudinem quandam intra duos terminos conſtitutam: Hinc curuitas illa, quæ eſt intra pectoris, brachiorumque complexum antonomaſticè ſinus audit. Similiter littora curua, quæ duobus continentis, quaſi brachiis in mare longiùs procurrentibus includuntur, & alia his ſimilia per tranſlationem ſinus etiam appellantur; vt videre eſt in Theſauro linguæ Latinæ. Porrò eadem ratione apud Geometras lineæ rectæ quæ alicuius arcus cauitatem, & aream claudunt, ſinus vocantur, ſeu potiùs chordæ, quarum tamen ſemiſſes veriùs dicuntur ſinus, & quidem recti, ſi rectè arcui ſubtendantur, verſi verò ſi ad modum ſagittæ ſinubus rectis adiaceant, ita vt cum iis angulum rectum efforment. Omnis igitur ſinus cum altero verſo modo collatus ſinus verſus dicitur. Quapropter diameter circuli vocatur vtriuſque arcus chorda: ſemidiameter, ſeu ſemiſſes chordæ ſinus tam verſus, quam rectus: ſinus maximus tota ſemidiameter, lineæ huic parallelæ reliqui ſinus. Plura apud auctores in explicatione Tabulæ ſinuum, tangentium, & ſecantium. 70.

SINVS ABRAHÆ, ſeu, *Limbus Sanctorum Patrum*, dicitur communiter locus in Inferno, hoc eſt in telluris meditullio, vbi olim iuſtorum animæ poſt mortem loco depoſiti 71.

detinebantur, quouſque per Chriſti mortem redimerentur, atque in cæleſtem Patriam deportarentur. D. Auguſtinus pluribus in locis, ſed præſertim *Epiſt. 57. ad Dardanum* exiſtimat ſinum Abrahæ, de quo fit mentio in Euangelio *Luc. 16.* vt in eum deportata fuiſſet ab Angelis Lazari pauperis Anima, non fuiſſe locum ſubterraneum, ſed vel de paradiſo, vel de loco non corporeo dici; quandoquidem in Euangelio magnum chaos conſtitutum eſſe dicitur inter ſinum Abrahæ, vbi Lazarus ſolatio fruebatur, & infernum, vbi diues in tormentis ardebat: atqui in loco, quem concipimus, ſubterraneo quale gaudium eſſe poteſt, quæ amænitas, & quodnam chaos inter ipſum, & infernum firmatum, cum ſanè non longè ab ipſo diſtans concipi debeat? Nihilominus communis Theologorum ſententia docet in inferno tria, ſeù potiùs quatuor eſſe receptacula aliquibus clauſtris, & interſtitiis diſtincta; quorum vnum, & inferius ſit obſcuriſſimum, igne repletum, ac recipiendis, torquendiſque animabus in lethali culpa decedentibus, deſtinatum; aliud ſuprà ipſum, quod dicitur purgatorium, vbi animæ non ſatis per pœnitentiam expiatæ detinentur, atque igne purgantur, quouſque integrè ſuorum criminum pœnam luant: alia duo ſiue vnum & idem ſint, ſiue etiam repagulis interſtincta, pro recipiendis animabus puerorum in peccato originali decedentium, & SS. Patrum, ante completam Chriſti redemptionem, quæ loca ſint aliqua luce perfuſa ex terræ hiatibus tranſpirante, vbi nullus ignis, nullus dolor, ſed ſola carceris detentio, & pœna damni; quæ & pueris nullam de Deo cognitionem habentibus, nullam afflictionem facit, & ſanctis Patribus ingens deſiderium cæleſtis patriæ ingerebat, quam ſpes tuta certæ redemptionis ab omni mæſtitia ſubleuabat. Conſonant ſacræ paginæ, vbi Chriſtus poſt mortem in Infernum deſcendiſſe fertur vtique Sanctos Patres redempturus, quod longè antè præuidens Zacharias Propheta pia quadam apoſtrophe ſic ipſum interpellat cap. 9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu*, quæ verba de infernali loco explicans D. Hieronymus in Commentar. ſic ait: *In ſanguine paſſionis tuæ eos, qui vincti in carcere tenebantur, in quo non eſt vlla miſericordia, tua clementia liberaſti.* Quod autem inter iſtum locum, & Infernum damnatorum magnum chaos firmatum eſſe dicatur, vt inde huc tranſmeari non poſſit id non officit, cum vel de Purgatorio intelligi poſſit, vel ſanè de firmiſſimo, atque immutabili Dei decreto, quo veluti interiecto magno quodam impedimento, horum & illorum

cōmunicatio prohibeatur; cum tamen ambo ſub eodem terrenæ concauitatis ambitu cōprehendantur. Cæterum quanta ſit loci iſtius amplitudo certò definiri non poteſt. Bonardus tamen ex variis congruentiis colligit ipsũ diſtare à ſuperficie terræ milliariis 3748 cum triente, quod quidem cum nuperis recenſiorũ obſeruationibus ſtatuentibus telluris ſemidiametrũ 3035 milliariis cum quinq; vndecimis longã ſtare non poteſt. Porrò hic locus modò vacuus eſt, vel certè à ſolis infantulis inhabitatur: qui tandem poſt diem iudicij ruptis repagulis in vnum infernum coibit, quemadmodum & Purgatorij locus ad tot corporum multitudinem recipiendam.

Sirius, non Syrius (vt malè quidam à Syria) ſed à Græ- 72.
co verbo Σείριος, vel à Σειρεῖν, quod eſt hiare, dictus eſt Canis Maior ſidereus, ſtella fixa primæ magnitudinis, de natura Iouis, & Martis, eoquod tellus ſub hoc ſidere præ ſiccitate hiulca reddatur, & arida. Et quidem non eſt in Firmamento ſidus iſto potentius & efficacius: quippe eo exoriente tota pœne Natura turbatur: Canes aguntur in rabiem, fluctuant in doliis vina, febres ardentes graſſantur, aliaque mirabilia accidunt quæ refert Plin. *lib.* 2. *cap.* 4. ſed & conſideratione dignum eſt quod ſcribit *lib.* 11. *cap.* 14. de melle ſub Sirio elaborato: ait enim *Alterum genus eſt mellis æſtiui, quod ideò vocatur horæum à tempeſtate præcipua ipſo Sirio explendeſcente poſt ſolſtitium diebus triginta fere: namque ab exortu ſideris cuiuſcumque, ſed nobilium maxime, aut cæleſtis arcus, ſi non ſequantur imbres, ſed ros tepeſcat Solis radiis, medicamenta non mella gignuntur, oculis, vlceribus interniſque viſceribus dona cæleſtia. Quodſi ſeruetur hoc ſirio exoriente, caſuque congruat in eum diem, vt ſæpè, Veneris, aut Iouis, Mercuriique ortus, non alia ſuauitas, vſuſque mortalium malis à morte vocandis, quam diuini nectaris fiat.* Hucvſque Plin. Ergò, vt benè obſeruat Ricciolus, ſaliua Canis cæleſtis, (ſic communi hominum vſu mel appellare licet) tunc ſuauis, & vitalis mortalibus redditur, cum canum terreſtrium in rabiem abeuntium ſaliua mortalis euadit ac venefica: idemque ſidus vno eodemque influxu, & deleterium exhibet & antidotum.

Sithacer Græco barb. dicitur in ſphæra barbarica ſecundus decanus Leonis, cuius dominium eſt penes Iouem, habens ſignificationem rixarum neſciorum, neceſſitatis miſerorum, victoriæ vilium per neſcios, occaſionis enſes ſtringendi, præliorum, &c. 73.

Soail Iamani in Tabulis Perſicis dicitur Canopus in Argonaui, ſtella fixa fulgentiſſima primæ magnitudinis, quæ 74.

ex Rhodo inſula incipit eſſe viſibilis arab. *Suhel.*

75. Sol quaſi *ſolus* dicitur Planeta omnium nobiliſſimus, & luce, actiuitate, virtute, corporis magnitudine cæteros omnes præcellens in medio eorum ſitus, tanquam Vniuerſi cor, ac Rex in ſolio conſtitutus, atque, vt habet Plinius, *Erratium ſiderum medius Sol fertur ampliſſima magnitudine & poteſtate, nec temporum modo, terrarumque, ſed & ſiderum etiam ipſorum cælique rector.* Hebraicè dicitur *Chammah*, & *Semes* à miniſtrando, eo quod ſit quaſi Dei, & Naturæ miniſter, quo vtatur ad vniuerſum fæcundandum, ac viuificandum. Hinc eum Vas admirabile, Opus Excelſi, Mundi Animam, luminis fontem, Cœli oculum, moderator temporum expreſſam diuinæ bonitatis imaginē, Sacræ Paginæ, Sancti Patres, aliiq; dixerunt. Habet pro cetro tellurem (cum tamen ipſe ſit omnium planetarum excepta Luna centrum,) circa quam ſpatio viginti quatuor horarum motu primi mobilis ductus, atque interim motu ſuo annuo varios parallelos deſcribens efficit diuerſitatem illam temporum, ac diei noctiſquè viciſſitudines, vnde ortus, & interitus rerum, alterationeſque omnes, quas in Natura videmus originem ducere teſtatur Philoſophus, & cum eo Areopagita 4 *de Diuinis nominibus.*

76. Cæterum, vt eius claritas, efficientia, calor, fœcunditas omnibus nota eſt, ita & ſubſtantia omnibus obſcuriſſima, Ariſtoteles aliique Philoſophi indignum exiſtimantes Cœli lumina eandem cum ſublunaribus hiſce participare materiam, quintam quandam conſpicati ſunt ſubſtantiam, quam cœlos ſideraque obtinere tradunt *lib. 2. de cœlo cap. 7.* atque adeò Sol, inquiunt non re, ſed virtute calidus eſt, eoquod ſuo lumne calorem, & ſiccitatem in inferioribus iſtis producat. Sed enim id cœleſtibus luminibus indignum non eſt, eandem cum ſublunaribus habere materiam, præſertim cum tot tantique rationes id manifeſtè ſuadeant, actiuitas, effectuum ſimilitudo, rerum proportio, conuenientia qualitatum, connexio, & ſympathia, quæ clarè innuunt eſſe aliquid cœleſtibus æquè ac terrenis commune, quo mediante generationes rerum, alterationes, corruptioneſque fiant. Neque enim ego vnquam dixerim cœleſtia corpora participare materiam hanc ſublunarem, ſed potius inferiora iſthæc cœleſtis ſubſtantiæ partem eſſe, quæ inde hauriant qualitates, mutationumque principia.

77. Et ſanè igneum ſolem eſſe, nec noua, nec adeò abſoleta opinio eſt, vt non quouis tempore ſuos, eoſque magni nominis ſectatores habuerit. Eam ex antiquis Anaxagoras,

Zeno Citticus, Democritus, Metrodorus, Plato, aliique permulti, quos habet Plutachus *lib. 2. de Placitis Philoſophorum cap. 20.* ſequuti ſunt. Eam ex recenſioribus ſuſtinent Keplerus, Bulliardus, Kircherus, Rheita, Schinerus, & alij, quos refert Ricciolus *in Almageſto lib. 3. cap. 1.* quibus certè ipſa ſacra eloquia non obſcurè aſtipulantur, ſæpè Solem igneum appellantes, præſertim Eccli. 43. *Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris, tripliciter ſol exurens montes, radios igneos exſufflans*, necnon multi ex SS. Patribus, quos abundè congerit Fornerius, Fauet etiam Eccleſia dum in Hymno Feriæ quartæ ſic canit.

*Quarto die qui flammeam*
*Dum ſolis accendis rotam.*

Sed & experientia ipſa & oculorum teſtimonia id euincunt: Videmus enim ipſum per Teleſcopia grandiora tanquam ignitam fornacem flammis vndique fluctuantem. Quapropter Reſta *in lib. de Meteoris*, non refugit opinari, corpus ipſum ſolare aliud planè non eſſe quam collectionem plurium corpuſculorum igniorum lumine inſito coruſcantium: quod vel ex eo probat, quod *Geneſ. 1.* dicitur Deus primo die creaſſe lucem, & quarto ſolem conſtituiſſe; nec deſunt expoſitores, qui dicant lucem primo die genitam, quarto fuiſſe in ſole repoſitam, & in eum nihilo ſecius confluxiſſe, quàm cum poſt creationem aquarum, ad Dei nutum facta eſt ſeparatio aquarum ab aquis, earum inquam, quæ ſub firmamento ſunt ab his quæ ſuper firmamentum, eaſque poſtea coiuiſſe in locum vnum, fuiſſeque *Maria* appellata. Hinc maculæ illæ ſeſe in orbem mouentes, quas in Mundi oculo oculis pluſquam lincæis primus omnium obſeruauit præcitatus Scheinerus; ſunt etenim partes primigeniæ illius lucis ſolidiores, quæ in Sole eundem effectum pariunt, eamdemque apparentiam, quam in Saturno ſtellulæ illæ duæ comites, quæ, vt alibi diximus, circa ipſum ſeſe rotantes aliquando ſeiunctæ, aliquando intra ipſum perinde ac duæ quædam maculæ videntur. 78.

Eius figuram rotundam, ac perfectè ſphæricam nemo eſt, qui non aſſerat, nihilominus propè horizontem tam in ortu quam in occaſu apparet ellipticus, quæ tamen forma paulatim in circularem regreditur, quò nempè Sol magis ab horizonte elongatur: Quæ res multam dedit philoſophandi materiam noſtris Aſtronomis recenſioribus, præſertim dicto Scheinero, qui peculiarem libellum de hoc argumento edidit inſcriptum *Sol Ellipticus.* Quam viſus varietatem in refractiones per vapores horizonti proximos factas re- 79.

fert; idque eò magis quod quantò iſti ſunt craſſiores, eò magis videtur, atque amplior hæc elliptica in ſole figura.

80. Magnitudinem eius veram definire impoſſibile eſt; apparentem, per quam difficile; licet Keplerus aſſerat, exploratum eſſe Solis diametrum in Apogæo eſſe minut. 30. in Perigæo 31. quem tamen deridet Ricciolus *lib. 3. cap. 10.* Ratio autem huius difficultatis eſt tum inſtrumentorum fallacia, tum penumbræ interpoſitio, quæ ſemper eius apparentem figuram variat, & conturbat: vnde & circà horizontem maior apparet, (vt & reliqua ſidera) quam circa Meridianum. Communiter tamen viſa eius diameter ſtatuitur minutorum 31. & per conſequens magnitudo eius concluditur eſſe tanta, vt contineat terræ magnitudinem 166 cum duabus tertiis vt teſtatur Clauius in ſphæram. Cæterum ſol eſt Planeta maſculinus calidus, & ſiccus fortuna per aſpectum, infortuna per corpus, habens ſignificare Principes, magnates gloriam, &c. Qua de re vide quæ diximus in V. Luminaria.

81. Solicitivm Lvnæ vocat celſus eius cum ſole congreſſum, quo tempore, inquit, ac teſtatur Argolus *de diebus criticis lib. 1. cap. 16.* Cynocephalum animal Ægypto familiare, *ſi id maſculum ſit nec videre, nec cibum ſumere, fœminam vero ſanguine ex deciſione Lunæ diminui:* mox vtique & lumen oculis, & ſanguinem reddi viſceribus, prout dea in reſtaurationem ſui luminis fraterna charitate redierit. Hæc ille, addens hoc ipſum animal tempore æquinoctij duodecies in die, hoc eſt ſingulis horis vrinam mittere, tanta illi cum luminaribus conuenientia, & affinitas. Hinc factum eſt, vt in poſterum dies ac noctes ſingulæ in duodecim horas diſpeſcerentur, atque ea de cauſa horologiis incumbentem ſemihominem iſtum inſculperent.

82. Solitvdo Planetæ ex Abraham Auenarre eſt cum is ſeparatur à ſuo ſocio à coniunctione quindecim graduum, vel ſex per aſpectum, & nulli alij copulatur, donec in illo fuerit ſigno; aut ipſum non aſpiciat planeta donec fuerit propinquus aſpectu perfecto, quicumque tandem is fuerit. Vide eius Introductorium cap. 7.

Solidvm ex Euclide definitur eſſe *Corpus quod longitudinem, latitudinem, & craſſitiem habet*; per quod differt à linea, atque à ſuperficie; hæc enim admittens longitudinem ac latitudinem, ſola craſſitudine caret, illa ſola longitudine contenta eſt: ſolidum autem, & longum, & latum, & profundum requirit eſſe. Qua propter, vt ritè ipſum con-

cipiamus, debemus imaginari vel lineam quandam ſurſum, & in latum moueri, vel ſanè ſuperficiem in altum tolli. Porrò corpora quæcumque ſolida diuidūtur in ſphærica, aut elliptica, quæ nullum latus propriè dictum, nullumque angulum habent, in Priſmata, quæ planis continentur, quorum aduerſa duo ſunt & æqualia, & ſimilia, & parallela, alia verò parallelogramma, & ſimiliter æquales ex aduerſo angulos habent; & in trapezia quæ ſunt figuræ irregulares, quæ neque angulos neque latera habent æqualia. Solidus autem angulus dicitur eſſe qui pluribus, quam duobus planis angulis in eodem non conſiſtentibus plano, ſed ad vnum punctum conſtitutis continentur. Egit de ſolidorum corporum dimenſione Euclides integris ſex poſterioribus libris; Quamquam non deſunt, qui ex iis tres tantum Euclidi tribuant, quartum verò & quintum Hypſicli Alexandrino: Sextus autem ſeu omnium elementorum geometricorum decimus ſextus & vltimus, in quo variæ ſolidorum regulariū ſibi mutuò inſcriptorum, & laterum eorum comparationes explicantur, nulli dubium quin Franciſci Fluſſatis Candalla opus ſit, quos omnes præclariſſimis Commentariis illuſtrauit Chriſtophorus Clauius.

SOLIDVS etiam *numerus* per analogiam dicitur ab Arithmeticis qui ex tribus numeris ſeſe mutuò multiplicantibus efformatus fuerit: in qua re numeri ipſi ſe inuicem multiplicantes latera appellari ſolent, vt ſunt 2. 3. 4. reſpectu 24. Quemadmodum inter ſolidos numeros connumerantur etiam ſuo modo & Quadrati, & Cubi, & alij de quibus fuſè agit Euclides lib. 7. Eſt enim Quadratus numerus qui æqualiter æqualis eſt, vel qui ſub duobus æqualibus numeris continetur: Cubus autem, qui ſub tribus æqualibus numeris. Sic numerus 27. verbi gratia cubus eſt, quia ex multiplicatione 9. in 3. fit 27. econtrà numerus 25. dicitur quadratus, quia æqualiter æqualis conſurgit ex multiplicatione mutua 5. in 5. 83.

SOLSTITIVM commmuniter appellatur tempus, quo Sol puncta tropicalia ingreſſus, maximè ab æquatore deflectit; ac proinde tunc maximè reddit dies noctibus inæquales, quaſi modo Sol tropicorum limites aſſequutus ſtet, nec vltrà progredi audeat, ſed mox reuertatur ad æquatorem & declinationem incipiat minuere; ſiue etiam quia tunc temporis per aliquot dies ſtare videatur, dum inſenſibiliter in eodem parallelo mouetur nullis ferè ſpiris, ſed perfectis circulis efformatis. Porrò duo ſunt ſolſtitia, Æſtiuale, quando initium Cancri ingreſſus Sol efficit maximum diem artifi- 84.

cialem, noctemque breuiſſimam, quam ſit in toto anno; & Hyemalem, quando in primo Capricorni gradu conſiſtens facit diem breuiſſimum, noctem verò longiſſimam. Hoc autem accidit ſolum in noſtris Regionibus borealibus, & eò magis, quò maior fuerit eleuatio Poli: quandoquidem ſub æquatore nulla eſt variatio, ſed continuum æquinoctium. In regionibus verò Auſtralibus noſtris Antœcis contrarium accidit; Nam Solſtitium æſtiuum, & maximam diem artificialem experiri eſt, Sole ingreſſo initium Capricorni; Solſtitium verò hyemale, & maximam diem, dum Sol luſtrat initium Cancri.

85. Solſtitij tempore mutationes maximæ in natura fiunt: in hyemali origanum aliique id genus frutices in domibus aridi aſſeruati illicò efflorefcunt. In æſtiuali filix vno die florem profert & fructum. Sed & illud obſeruatione dignum, quod hyemale vt plurimum ſerenum affert, adeoque conſtans, vt eo tempore Alcyones in littore maris nidificare non dubitent. vnde & dies illi ſerenitatis, Alcyonij dies audiunt: & æſtiuale aquas mirum in modum concitat, & adducit, vnde & pluuiis tempus obnoxium valdè eſt, & Nilus in Ægypto ex occulta naturæ vi ita exundat, vt campos omnes repleat. Hinc iure Virg. 1. Georg.

*Humida ſolſtitia, atque hyemes optare ſerenas*

Ait prouidos Agricolas. An quia Cancri ſignum in cuius initium incidit ſolſtitium æſtiuale aqueum eſt. Capricornus autem terreus: vnde, etſi alioqui temporum conditio aliter petat, nihilominus Sole aqueum ſignum intrante, aquas alliciat, & apportet, terreum verò dum intrat, terreas qualitates adeoque ſiccitatem, & ſerenitatem adducat: ita acutè philoſophatur amiciſſimus meus Angelus Duratius, vir ingenij liberalitate ac ſecretiorum naturæ arcanorum cognitione cum paucis numerandus.

86. Sors accipitur aliquando, ſed ſæpiſſimè à veteribus Aſtronomis pro Fortunæ parte, ſeu horoſcopo Lunari, de quo fusè ſuo loco.

87. Sossos idem ſonat ac Dioptra apud, aliquos tamen vſurpatur pro Inſtrumento geometrico ad menſurandas rerum diſtantias, magnitudines, ac profunditates idoneo.

88. Sothis in ſphæra barbarica dicitur Primus decanus Cancri, cuius diſpoſitio eſt penes Venerem habens ſignificare alacritatem, amabilitatem, &c.

89. Sothin adhuc Ægyptiis dicitur Canis Maior Syrius: Vnde &

90. Sothiaca periodvs dicebatur Annus Magnus Canicu-

laris, de quo vide in V. *Annus*.

Sphæriscvs, ſiue Cuneolus apud Geometras dicitur corpus ſolidum inæqualem habens longitudini latitudinem, ac longitudini, ac latitudini profunditatem. Sunt qui hanc figuram vocent *Bomiſcum*. 91.

Sphera græcè, latinè Globus definitur ex Euclide, quod ſit *corpus ſolidum vnica ſuperficie contentum; in cuius medio punctum concipiatur ad quod quæcumque lineæ à ſuperficie ductæ inueniantur æquales*: ſeù vt habet Theodoſius, eſt *tranſitus circumferentiæ dimidij circuli, quæ fixa diametro eouſque circumducatur, quouſque ad locum ſuum redeat*: itavt totum id quod ab arcu ſemicirculi circumducto deſcribitur dicatur ſphæra. Et per hæc patet in quo ſphæra differat à circulo, qui, vt in loco diximus, eſt figura plana ſub vna linea comprehenſa: itavt terminus circuli ſit linea à centro æqualiter ducta; terminus verò ſphæræ ſit ſuperficies nullis terminis concluſa. Et hæc quidem de ſpæra vniuerſaliſſimè ac geometricè ſumpta. At verò 92.

Sphera ab Aſtronomis magis preſsè accipitur pro tota cæleſti machina, ſeu Ætherea regione, ſphæricam figuram habente; maximè vero pro primo mobili omnes orbes, ac cæleſtia corpora complectente, quæ ſpatio vnius diei naturalis circà tellurem ſuprà certos quoſdam polos ſibi oppoſitos voluitur, & rotatur. Quæ inſuper pro diuerſa habitudine partium telluris ad polos recta, & obliqua denominatur: Et quidem recta, quando polorum neuter ſupra terram attollitur, ſed ambo incidunt in horizontem, in qua æquator rectè ſemper aſcendit, tranſitque per verticem regionis cuiuſmodi experiri eſt in inſula S. Laurētij, Tapobrana, Maldiuiis, aliiſque regionibus ſub æquatore degentibus, in quibus quouis anni tempore dies noctibus ſunt æquales, ſtellæ omnes ſunt viſibiles, æqualiter aſcendunt, & occidunt, atque æquales ſemper arcus tam ſemidiurnos, quam ſeminocturnos efformant. Sphæra obliqua eſt, cuius alter polorum ſuprà horizontem attollitur, alter infrà deprimitur; qualem experiuntur quotquot extrà æquatorem verſantur. Et quò magis polus attollitur, eo ſpæra nuncupatur obliquior; itavt quæ polum habet verticalem dicatur omnium obliquiſſima, quæ etiam dicitur parallela, eoquod æquator directè incidit in horizontem, eique ſit parallelus; In quibus profectò locis dies maximus eſt ſex menſium: tanto enim temporis ſpatio Sol luſtrat ſuperius hemiſphærium diſcurrendo per ſex ſigna ſeptentrionalia, aut meridionalia, quæ illic nunquam aſcendunt, ſeu emergunt ex horizonte, aut 93.

occultantur : ac ſimiliter nox eſt ſex menſibus longa, dum ſcilicet Sol in ſignis oppoſitis ſemper deliteſcentibus reperitur. Hinc etiam in iſtis locis vnicus dies naturalis completur integro anno. Porrò ex diuiſione ſphæræ in rectam , & obliquam conſurgit etiam diuerſitas Aſcenſionum, graduum ſcilicet æquatoris , & partium illis reſpondentium , diuiſioque illarum in rectas , & obliquas : in Recta enim Aſcenſiones omnes ſunt rectæ, in obliqua obliquæ, nec ſibi inuicem reſpondenres , ſed quò magis obliqua fuerit ſphæra, eò magis obliquæ erunt arcuum aſcenſiones , & conſequenter maior portio graduum æquatoris ſupra horizontem aſcendent.

In hac etiam ſphæra , ad ſiderum motus , variaſque affectiones declarandas concipiunt Aſtronomi certos quoſdam circulos vt æquatorem , coluros , tropicos , alioſque ſuo loco deſcriptos , quos omnes oculis exhibet contemplandos.

94. SPHÆRA MATERIALIS Inſtrumentum videlicet Aſtronomicum ad ſphæræ cæleſtis ſimilitudinem efformatum, in quo quidquid in cælo imaginamur , ſiue circulos , ſiue polos , ſiue axem mundi , ſiue ſitum ; id omne per materiales notas, ac circulos , ſeu ſenſibiles armillas ſibi inuicem coherentes exhibetur ad rerum facilem notitiam comparandam : Eaque duplex eſt Arathea , ex globo vndequaque ſolido in cuius extima ſuperficie ea omnia, ac ſtellæ fixę ſuis quæque locis ſunt deſcriptæ : & Armillaris ſolidis tantum armillis conſtans : quæ tamen ad viuum cœlorum motus, aliaſque ſiderum affectiones repręſentant,de quibus ſuo loco dictum.

95. Quoniam autem non ipſum modò Cælum ſupremum, ſeu Primum mobile , ſed & ſinguli orbes inferiores ſuos peculiares motus , ac periodos habent , ideò ad eorum varietatem facilius indicandam,Aſtronomi cum Ariſt. 12. *Met. text.* 44. modò nouem,modò decem, modò vndecim ſphęras in Cœlo conſtituerunt ,quarum quæcumq; ſuperior inferiorem ſibi contiguam , & concentricam circumferret , idque ad ſaluandas apparentias , atque omnes irregularitates , quas in motibus iſtis conſpicabantur , haud conſiderantes idem duobus motibus contrariis cieri non poſſe.

Itaque Vndecimam Sphæram dicebant eſſe Primum Mobile , quæ vniformi , regulari , concitatiſſimo motu ſuper mundi polos ; vt dictum eſt , ab oriente in occidentem voluitur ſpatio vnius diei naturalis, ſecumque omnes inferiores orbes ac ſphæras rapit.

Decimam ſphęram dicebant , quæ motu librationis à

ſeptentrione in Auſtrum, atque ab Auſtro in ſeptentrionem moueretur ſub Coluro ſolſtitiorum primi mobilis per min. 24. vltrò, cirroque remeans, & circulum non perficiens: cuius motus inæqualitas obſeruata eſt in ſtellis fixis, & maxima Solis declinatione. Cenſebant autem huius librationis ſpatium eſſe annorum 3432.

Nona Sphæra erat quę motu quoque librationis ab ortu ad occaſum & iterum ab occaſu ad ortum concipiebatur moueri ſub Ecliptica decimæ ſphæræ, & ſuper polos eiuſdem per minuta 40. ſpatio annorum 1716.

Octaua Sphæra eſt Firmamentum, & locus fixarum de quo ſæpius dictum, quam præter triplicem motum à ſuperioribus ſphæris acceptum, dabant moueri ſuper Eclipticæ polis ſpatio annorum 25798. obſeruabant enim diſtātias ſtellarum fixarum à punctis ſolſtitialibus, & æquinoctialibns non manere ſemper eaſdem, ſed ſucceſſiuè creſcere, & augeri verſus orientales partes.

Sequebantur poſtea planetarum propriæ cuique ſphæræ, Saturni, quæ præter quatuor iam dictos motus haberet ſuum proprium ab occidente in orientem annis ferè 30. Iouis, quæ ſimiliter ab occaſu in ortum circulationem ſuam compleret in annis ferè 12. Martis, quæ in duobus, Solis, quæ integro anno, ſeu diebus 365 & ferè ſex horis. Veneris, & Mercurij quæ ferè in vno anno. Tandem Lunæ, quæ circulum ſuum perageret ferè in menſe hoc eſt diebus 27. & horis ferè 8. Et hæc quidem communis Aſtronomorum ſententia fuit, & etiam nùm apud plurimos viget de pluralitate, ac diſtinctione cœleſtium orbium, quoniam, vt dixi cœlos conſtituebant ſolidos, nec poterant alioqui ſaluare motuum apparentias.

Verum quia modò ex tempore Tychonis iam Cœli fluidi facti ſunt, & optimè ſaluari poſſunt omnes apparentiæ non 96.
modò per vnum cœlum, per cuius expanſum ſidera omnia ſuo quæque motu diſcurrant, ſed etiam per vnicum motum, ideò nos vnicam tantum ſphæram mobilem cum recenſiorum peritiſſimis conſtituimus, & vnum motum Qua de re vide iam dicta in V. *Cælum*, & in V. *Motus*.

Sphæra etiam dicitur à Philoſophis, atque Aſtronomis ſpatium quoddam orbiculariter definitum, ad quod ſe ex- 97.
tendit virtus agentis, atque in ſideribus extenſio lucis, intrà cuius ambitum dicuntur habere familiaritatem, atque aſpectus platicos: ita vt extenſio lucis Saturni ſit ad gr. 10. Iouis ad 1 . Martis ad 7. cum dimidio. Solis ad 17. veneris ad 8 Mercurij ad 6. Saturni ad 11. cū dimidio. Fixarū primæ magnitu-

dinis ad gr. 7. & ſemis, ſecundæ ad 5. min. 30. Tertiæ ad gr. 30. min. 40. Quartæ ad gr 1. min. 30. Quintæ ad minut. 50. &c.

98. Spica Virginis, arab. *Azimech*, dicitur ſtella fixa primæ magnitudinis benigniſſima, de natura Veneris, & Mercurij, exiſtens in manu Virginis, atque in longitudine gr 19. Libræ cum ferè 2. latitudinis meridianæ. Ea hoc peculiare habet præ cæteris ſtellis, vt diuitiarum, & bonorum temporalium affluentię ſit naturalis ſignificatrix, itavt in ſecunda, vel cum Parte fortunæ, aut cum Luminaribus reperta ferè ſemper immenſas afferat diuitias: econtrà cum Saturno mendicitatem. In horoſcopo etiam, vt notat Argolus de diebus criticis lib. 1. cap. 6. tribuit morum grauitatem, ac naturaliter ad religionem piumque affectum inclinat. Aliter verò de ea pronunciat Pontanus in ſua Vrania: ſic enim canit.

*Diuerſos mores, & pectora dura per ortum*
*Spica dabit: frumenta feret, graue figet aratrum;*
*Mella fauis expreſſa liquet, nihil vſque remittens*
*Ad vita varios vſus. Maria alta ſecabit*
*Piſcator, nunc caſſe cibum: nunc comparat hamo:*
*Dat varios animi fluctus, & pectora turbat.*

At enim de eadem in occaſu reperta cum prauo maleficarum radio ſtatim ſubdit.

*Iratus miſeram famem, illuuiemque minatur*
*At Mauors furti damnat, populoque repoſcens*
*Annonam dictis, & pœna crimen acerbat.*
*Quin pendat ſacrum laniato corpore furtum*
*Et populo ſpectante lacer dat ſanguine pœnas.*

Oritur Romæ ſpica cum gr. 20. libręcirca duodecimam diem Octobris, occidit cum gr. 15. eiuſdem. Vide quæ diximus in V. *Azimech*.

99. Spicarum manipulus dicta eſt ab aliquibus Coma Berenices, ſidus ad caudam Leonis, de qua vide ſuo loco, nec non in V. *Trichen*.

100 Spiræ dicuntur circuli non perfecti, ſeu qui non in ſeipſos recurrunt, ſed aliqualiter deuiant, quales ſunt funium inflexiones, & complicationes ſerpentium, quo ſenſu cecinit Poëtarum princeps lib. 3. Georg.

*Squammeus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.*

Hinc Aſtronomi ſiderum diurnas reuolutiones, quibus in eundem circulum poſitionis redeunt, ſed non in idem circuli punctum, ſpirales appellant.

101 Ex quibus liquet quomodo etſi ſingulis diebus promiſſores.

ferantur in circulos poſitionis ſignificatorum, non tamen inducere effectum directionis; niſi poſt annum pro ſingulis gradibus; quia profectò non redeunt ad amuſſim in eundem ſitum ſignificatorum, ſed ante definitum tempus vel citrà vel vltrà: definito autem tempore expletis omnibus ſpiralibus circulationibus, incidunt immediatè in dicta loca, vnde & effectum ſtatim inducunt.

Splendor eſt lux à corpore luminoſo diffuſa, quæ dicitur lux de luce, adeoque eſt reflexio recepti luminis. Vnde propriè loquendo, ſplendor differt à radio, quod hic eſt directus, ille ſemper reflexus; hic proſilit à corpore luminoſo, ſeu prædito ab intrinſeco luce, tanquam propria ipſius paſſio, ſplendor autem à corpore illuminato, quod in ſeipſo, cum aliàs opacum ſit, & ex leuigatione aptũ recipere extrinſecùs lucem ipſam remittit, quæ proinde aliud non eſt, quam radius ipſius corporis luminoſi, ab eo in corpus illuminandum immiſſus, atque ob eius denſitatem in ſeipſum reuerſus; vt accidit in ſpeculo, in lapide pretioſo, & ſimilibus. Hac ratione quoniam Sol vt ſupra dictum eſt, eſt fons totius lucis, ſidera autem lucem ſuam ſoli acceptam referunt, ideò radius propriè Soli conuenit, ſplendor autem ſideribus. 102

Sporades apud Aſtronomos ſæpiſſimè appellantur ſtellæ quædam informes in Firmamento diſperſæ, neque adhuc in certas imagines coarctatæ, quale ſunt Arcturus conſiſtens inter crura Bootis, aliquæ ſupra Lances Libræ, multæ circa Canem maiorem, &c. Dictæ ſunt autem Sporades, ſumpta analogia à Sporadibus Inſulis circa Cretam in Mari Carpathio conſiſtentibus, quæ à Ptolemæo, non ſunt deſcriptæ, neque in vniuerſali Orbis delineatione comprehenſæ. 103

Statio apud Aſtronomos audit conſiſtentia illa planetarum in ſuo Epicyclo, vbi maximè à centro elongantur (intellige reſpectu Zodiaci (atque incipiunt fieri directi, aut retrogradi. Pro cuius rei intelligentia ſciendum eſt, omnes planetas excepta Lunâ moueri in ſuo orbe paruo, quem dicimus Epicyclum, circà Solem quem retinent pro centro (vt docet iam plauſu omnium recepta Tychonis ſententia,) & interim tum ipſos, tum ipſorum maiores orbes deferentes raptari motu primi mobilis, quod quia ſui repedatione exæquare non poſſunt, inſtituunt alium ſecundum motum ſub Zodiaco ſecundum ſucceſſionem ſignorum, quem nos proprium vocamus ad differentiam motus vniuerſalis, prout ex apparentiis obſeruamus. Interim corpora Planetarum mouentur, vt dixi regulariter, & continuò in ſuo Epycyclo, 104

dumque mouentur, quatuor in eo deſignant puncta deno-tantia varias paſſiones, quibus afficiuntur circa motum, & illuſtrationem à Sole. Primò Apogæum, vbi maximè remo-uentur à terra, & ſunt omnes ſupra Solem in gradu ecliptico eidem coniuncti, vnde incipiunt fieri Superiores quidem orientales, inferiores occidentales, & augeri lumine. Se-cundum punctum eſt Perigæum, vbi ſunt infrà ſolem maxi-mè terræ vicini: item coniuncti eidem Soli in gradu Eclipti-co, atque exinde incipiunt eſſe ſuperiores quidem occiden-tales, inferiores verò orientales, & lumine minui. Reli-qua duo puncta hinc inde ad angulos rectos, in quibus pla-netæ maximè à Sole elongantur, dicuntur ſtationes, quia aſcendentes ad Apogæum, ac deſcendentes ab eo ad Peri-gæum, videntur quodammodò ſtare, dum non permutant ſitum in Zodiaco: Et prima quidem ſtatio dicitur, cum à dextris Solis conſiſtunt, & incipiunt retrocedere in Zodiaco tranſeundo per Perigæum vſque ad ſecundam ſtationem. Hæc verò dicitur ſecunda ſtatio, quia exiſtentes à ſiniſtris Solis incipiunt fieri directi, & moueri in conſequentiam ſignorum per totam illam medietatem Epicycli vſque ad primam ſtationem. Hoc totum expreſsè videtur in Syſtema-te Tychonis, ac præſertim in duobus ſatellitiis Solis, Vene-re, & Mercurio. Hinc

105 STATIONARIVS dicitur planeta exiſtens circa primam, & ſecundam ſtationem, vt modò explicuimus, aſcendens vel deſcendens in ſuo Epicyclo ad Apogæum, vel Peri-gæum; ita vt in Zodiaco vel nullatenus, vel certè inſenſibi-liter moueatur, ſed perſiſtat diu in eodem gradu quamdiù aſcendit; vel deſcendit in partibus illis ſui orbis, quę dire-ctè ſubſunt vni gradui Zodiaci.

106 STELLA, græcis Aſtrum eſt corpus ſphæricum lucidum, ſiue ſua, ſiue aliena luce præfulgens in ętherea regione, ac ſua pulchritudine mirè intuentium oculos rapiens, & præſtrin-gens: ex quo Aſtri nomen deriuatum exiſtimat Plato in Cratilo. Dicitur autem promiſcuè tam de erraticis quinque, quarum ſingulæ ſuo motu proprio ab aliis differente mouen-tur ab occaſu ad ortum, quam de fixis in Firmamento, quæ mouentur omnes ſimul cum ſuo orbe motu itidem proprio, ab occidente in orientem. Et hæ ſtellarum ſibi nomen reti-nent, (nam illæ proprio nomine Planetæ appellantur) & ſunt propemodum infinitæ in expanſo Firmamenti diſperſæ, atque in varios aſteriſmos, quæ ſidera dicta ſunt, diſpoſi-tæ, & ordinatæ. Cuius autem ſubſtantiæ ſint, eſt prorſus ignotum. Hoc planè certum eſt, eas neque igneas eſſe, vt volebat

volebat Plotinus neque ex denſiori aëre, vt Anaximander, neque adamantinas, vt plures Peripatetici, ſed ex ſubſtantia ætheris puriore nobis ignota. An autem eandem cum ſublunaribus hiſce materiam habeant valdè inter Philoſophos controuertitur. Ego ſanè non aliunde id affirmarim, niſi ob qualitatum ſimilitudinem, conuenientiam, actiuitatem in ipſa, quæ clarè indicant in vtriſque aliquid eſſe commune, vt dixi cum de Sole.

Cæterum ſtellarum numerum innumerabilem eſſe cenſendum eſt; licet Ptolemæus & antiquiores 1022. tantum viſibiles enumerent, quas nec plures, nec pauciores eſſe contendit Clauius, ſed etſi aliquando in hyeme plures appareant, ait viſum hallucinari. Recenſiores verò ferè omnes longè plures conſtituunt. Griembergerus 1225. Keplerus 1392. Bayerus 1709. Schickardus, & Schillerus 1692. Sed etſi omnes, quæ nuper Teleſcopio detectæ ſunt numerare velimus, deficiet animus, eum propè infinitæ eſſe comperiantur. Iordanus Brunus eas reipſa infinitas eſſe aſſerere non dubitauit lib. . . de infinito, & menſurabilibus. Equidem Galilæus, vt teſtatur in Nuncio ſidereo in ſola nebuloſa Orionis 21. numero ſtellas conſpicatus eſt, in nebuloſa Præſepis 36. in Pleiadibus pluſquam 40. atque in Orione inter vnius, alteriuſve gradus ſpatium numerauit pluſquam 500. adeovt deterritus, ac labore fractus manum ſubtraxerit ab enumeratione totius Imaginis, quam expingere decreuerat, ac lectoribus exhibere ſpectandam parauerat in ſuo Nuncio. In finem non dubitat affirmare quin eæ omnes ſint numero 10000. & eò amplius. Reita in Orione ſtellas quaſi bis mille ſe tubo obſeruaſſe teſtatur. Ex quibus omnibus concludit Ricciolus in Almageſto: *Itaque ſi quis ſtellas vltrà vicies centena millia putet, mihi quidem nihil inopinabile finxerit.* De ſtellarum efficientia diximus in V. *Fixa* de ſcintillatione, eiuſque cauſa in V. *Scintillatio.* Denique de ſingularum præſertim inſigniorum qualitatibus, loco, magnitudine, lumine, proprietate, aliiſque ſuis quibuſque locis. 107

Stereometria vna eſt ex non infimis Matheſis diſciplinis Geometriæ ſubalterna, quæ agit de ſolidorum corporum dimenſione. 108

Stilpon dicitur græcè Mercurij Aſtrum, hoc eſt radians; eoquia præ cæteris planetis mirè ſcintillat, & emiſſitiam quamdam lucem habet. Hinc etiam 109

Stilpontes apud nonnullos vocantur cætera aſtra quamdiù in motu ſunt, & ex occulta quadam qualitate intenſius 110

lumen vibrant, radioſque aliquot extraordinarios eiaculantur.

111. Stipatores propriè audiunt planetæ Solem conſtipantes, ac circà ipſum veluti in proprium centrum ſeſe voluentes, quales in omnium ſententia ſunt Venus, & Mercurius, & ſecundum Tychonem etiam ſuperiores Mars, Iupiter, & Saturnus. Porrò hi duo poſteriores ſuos item habent inferioris notæ ſtipatores minores ſtellas; Saturnus quidem duas, Iupiter quatuor, quæ à Galilæo oculatiſſimo Aſtronomo non ità pridem detectæ ſunt ope ſui admirabilis Teleſcopij: de quibus in Saturno, & Ioue, & in V. *Medicea ſtella* abundantius dictum eſt. Cæterum ſtipatorum nomine aliquando veniunt ſidera omnia, & planetæ corpore, aut radio Luminaribus aſſiſtentes: qua de re vide in V. *Satellitium*.

112 Strobilus, & *Ecnephias* ex Ariſt. in lib. de Mundo cap. 3. dicitur ventus de Typhonum genere, qui infernè ſpirans, ſurſum verſus repente conuoluitur. Huic affinis eſt Thyella flatus inquam qui repente proſilit, & Cathægis, & Anaphyſema de quibus ſuo loco.

113. Sublunaria dicuntur omnia corpora infrà Lunam conſiſtentia, qualia ſunt Elementa, mixta omnia tam perfecta, quam imperfecta; tam inanimata, quam animata irrationabilia, quæ omnia, vt habet Scotus *in* 2. *ſentent. diſt.* 14. ſubſunt corporum cæleſtium, præſertim verò Lunæ (vnde iis nomen deriuatum eſt) impreſſionibus: habet enim Luna actionem in omnes humores, eos augendo dum lumine creſcit, minuendo dum decreſcit: habent & omnia ſidera in elementa, eadem alterando, corrumpendo, in alia tranſmutando: habent in mixta imperfecta, cuiuſmodi ſunt foſſilia, lapides pretioſi, meteora, quæ ſiue in terræ viſceribus, ſiue in aërea regione generantur ex congreſſu planetarum cum aliquibus fixis, vt experientia ipſa demonſtrat: habent ſuper mixta perfecta, vt ſunt metalla, quæ in quibuſdam regionibus generantur ex conſtellatione habente reſpectum ad illas tantum regiones, & non ad alias: habent ſuper vegetabilia, quatenus ex eorum acceſſu, & receſſu ad certas partes Zodiaci germinant, aut langueſcunt: habent ſuper animantia ſenſitiua, alterando ſcilicet eorum corpora ad qualitatem animæ conuenientem, vel diſconuenientem, ſicque vim habent ad eorum generationem, & corruptionem. Super hominem autem non habent actionem, niſi inquantum ſenſu, & vegetatione præditus eſt; non autem inquantum homo hoc eſt rationalis præditus intellectu, & voluntate, niſi indirectè, & per accidens, per

connexionem, ac ſympathiam, quæ eſt inter phantaſiam, & rationem; & inter appetitum ſenſitiuum & voluntatem. Nam organa ſenſuum quæ ſunt corpora mixta poſſunt immutari, & alterari ad aliquem gradum illis conuenientem, vt nata ſunt eſſe organa ſenſuum, & etiam ad diſconuenientem ſenſui, & ita poſſet organum corrumpi & lædi, & perconſequens etiam intellectio & volitio perturbari; quæ à phantaſmatibus pendent, & ſunt iis quodammodo alligatæ. Sic videmus in phreneticis, & Lunaticis, in quibus ſunt organa læſa, & per conſequens imaginatio confuſa, & intellectio perturbata, vt nihil rationabiliter operentur: Sic etiam quando appetitus ſenſitiuus eſt corruptus, & alteratus videmus ſecum trahere voluntatem ad proſequendum quod efficaciter appetit, & ideo propter iſtam deordinationem, habent Planetæ & alia corpora cæleſtia inclinare voluntatem; non autem vllam actionem directam, quia illa eſt purè ſpiritualis, libera, & independens, & poteſt pro ſua libertate inclinationibus ſenſuum contraire. Hinc quia homo ſecundum meliorem ſui partem non ſubeſt impreſſionibus corporum cæleſtium, & qua prædictus eſt libertate poteſt ſenſibus imperare, ſtellarum in ſe actiuitatem præuertere, ideò abſolutè ſub vniuerſali ſublunarium aggregatione non venit, benè verò reliqua animantia, & corpora inferiora. Hæc omnia ex Scoto loco citato.

Svbsolanvs, græcè *Apeliotes* Ventus vnus ex quatuor Cardinalibus ſpirans directè ab ortu æquinoctiali, ſic dictus, quod ſub Sole naſci videtur, natura ſua calidus, & ſiccus temperatè, ideo ſalubris, corpora ſeruans, & contagio putrido obſiſtens. Spirare ſolet oriente Sole; & nocte vtplurimum quieſcit Dicitur etiam ab aliquibus Eurus; qui tamen verè alius à ſubſolano eſt, illi collateralis, & ſimilis in qualitate: ob deflexionem autem ad auſtrum acquirit aliquid humiditatis, & in fine turbat aërem, paritque mutationes repentinas, & tonitrua. Subſolanum mouent præcipuè Pleiades cum Sole exorientes: quò tempore ſi diutius perflet, catharros, & fluxiones excitat: in æſtate verò calorem adauget, bilem mouet, febres acutas ingerit cum ſiti, & maxima ariditate. 114

Svccedens dicitur in cæleſti figura Domus quæcumque angulum ſequens, qualis eſt Vndecima, quæ ſequitur Angulum Medij cæli; Secunda, quæ angulum Orientis; Quinta, quæ Imum Cœli; & Octaua, quæ cardinem Occidentis. Hæ igitur quatuor domus ſuccedentes appellantur, non tam ordine quam conditione ac dignitate: in iis enim reperti 115.

planetæ exiſtimantur mediocriter fortes, ac vires ſumere ſi-cet non tantas, ac ſi forent in Angulis. Econtrà in cadentibus fiunt debiles, & maximè deteriorantur: licet id etiam aliquam exceptionem habeat, vt alibi dictum eſt.

116 SVCVLÆ latinè audiunt quæ apud Græcos Hyades, ſtellæ videlicet ſeptem in capite Tauri ſideris conſiſtentes, procelloſæ nimis, ac pluuioſæ, ſic dictæ, quod quaſi ſues luto, & humoribus delectari videantur. De his in horoſcopo repertis ſic pronunciat Firmicus *lib. 8 cap. 6* Natus, inquit, erit inquietus, turbulentus, popularis, & qui plebem turbulentis ſemper ſeditionibus exagitet, eius animos clamoſis, ac furioſis contentionibus inflammans; inimicus quietis, & pacis: atque inteſtina, & domeſtica bella furioſa mentis cupiditate deſiderans. Sed huic varij quæſtus ex aſſidua ſollicitudine ſæpè naſcuntur. Facit enim hoc ſidus bubulcos, opiliones, armentarios, ouiumque paſtores. Si verò in occaſu fuerint inuentæ, & locum iſtum maleuolarum radius impugnet, repentinum, & inſperatum mortis exitium decernitur. Turbulentis enim ſeditionibus oppreſſi, & popularibus paſſim manibus diſſipati penitùs interibunt: itavt mortis eorum auctores nec inueniri poſſint aliquando, nec dici. Hæc Firmicus. Oriuntur Suculæ Romæ die 27. Maij cum gr. 6. Geminorum. Plura in V. *Hyades*.

117 SVHEL arab. latinè Conopus ſtella fixa fulgentiſſima de natura Iouis & Saturni, alio nomine Rubail, in temone Argonauis conſiſtens, nobis Italis inconſpicua, de qua vide quæ diximus in V. Canopus.

118. SVPERFICIES, quaſi *ſuperna facies* apud Geometras dicitur extima pars alicuius corporis, quæ oculis excipitur, aut manu tangitur, & vt definit Euclid. lib. 1. def. 5. quæ longitudinem quidem & latitudinē habet, minimè verò profunditatem. In quo differt à puncto, quod nullam admittit dimenſionem: à ſolido quod omnem (ac tandem à linea quæ ſola gaudet longitudine, latitudinis, & profunditatis omninò expers: itavt ſuperficiei extrema ſint lineæ, quibus ipſa interiacet, ſuperficies autem extremum ſit corporis ſolidi.

119 SVPERIORES antonomaſticè ab Aſtronomis dicuntur tres planetæ Saturnus, Iupiter, & Mars, quorum orbes & ſitus ſunt ſuprà Solem: quemadmodum vice verſa Inferiores appellantur reliqui Venus, Mercurius, & Luna, eoquia propiùs terris infra Solem conſiſtunt.

120 SYDVS, SYDERATIO, vide SIDVS.

121 SYMMETRIA græcè, latinè proportio, definitur ex Vi-

truuio lib. 1. cap. 2. eſſe ipſius operis membris conuenientem conſenſum, ex partibuſque ſeparatis ad vniuerſæ figuræ ſpeciem ratæ partis reſponſum, ea eſt facultas ex geometricis præceptis comparata, quæ præſtat in Architectura, vt iuxtà naturæ ordinem partes alicuius ſtructuræ reſpondeant ad totum, docetque ex amplitudine domus, quanta debeat eſſe longitudo, & latitudo, quantæ amplitudinis veſtibulum, quanta columnarum moles feneſtratum interſtitia, &c. vt in ſtatua vt ex pedis, aut manus menſura colligatur quanta debeat eſſe proportio cæterorum membrorum: vt vetus illud Adagium: *Ex vngue leonem*. Hinc rata humani corporis diſpoſitio naturæ legibus ad Vniuerſi ſimilitudinem præſtituta ſymmetria dicitur, quæ ex eodem Vitruuio *lib. 2. cap.* 1. ea eſt, vt os capitis à mento ad frontem, ſeù ad imas capillorum radices, decima totius corporis pars ſit: tantumdem longitudo manus à linea, quam percuſſuram chiromantes dicunt, ad extremum digitum medium: caput à mento ad ſummum verticem octaua pars: à ſummo pectore ad imas radices capillorum, ſexta: ad ſummum verticem quarta: ipſius autem oris tertiam partem longitudinis eſſe conſtat ab imo mento ad imas nares: tantundem naſum ab imis naribus ad finem medium ſuperciliorum: tantumdem à ſuperciliis ad radices capillorum, vbi frons prominet: pes item ſit ſextæ partis longitudinis totius corporis; cubitus quartæ; pectus item quartæ; ac tandem totius corporis habitudo ea eſſe debet, vt quæ diſtantia, & longitudo eſt à planta pedis ad ſummum vericem eadem, ac tanta ſit latitudo ab extremis manuum digitis extentis brachiis computanda: quanta eſt longitudo oris tanta ſit latitudo manus, &c. idque per analogiam ad Vniuerſum, (cuius, vt alibi diximus, homo imaginem, & compendium præſefert,) 122
in quo videmus tantumdem diſtare vnum polum ab alio, quantum diſtat vnum ex duobus punctus æquinoctialibus ab alio: tanta eſt diſtantia tropicorum ab æquatore, quanta eſt polorum Zodiaci à polis Mundi: ignis locus naturaliter in inferno ſit, hoc eſt in Mundi centro, vt in homine calor in corde ſedem ſuam obtinet, quod eſt totius corporis centrum, &c. quæ nobis ad alia properantibus ſufficiat tetigiſſe, ac lectoribus conſideranda exhibuiſſe. Porrò, vt ad inſtitutum reuertamur; aliam, atque aliam ſymmetriarum rationem quærere locorum, rerumque naturam, in perſpecto eſt: alia enim proximè ad oculos ſunt, alia excelſa, & remota; alia obſcura & concluſa, alia patentia, & aperta: idcircò ad eam habendam maximè neceſſaria ſunt Geome-

triæ præcepta : qua de re vide Vitruu. præſertim *libro* 6. *cap* 1.

111 SYMPATHIA græcè dicitur mira illa rerum in vniuerſa Natura conſenſio, qua duo corpora occulta quadam vi inuicem afficiuntur, alterantur, ac mirum in modum ad mutuam efficientiam excitantur, quamtumuis & loco, & tempore, & natura diſſita, & diſiuncta. Et ſi quidem hæc mutua affectio ſit in bonum, amicitiamque pariat, aut foueat, *Sympathiam*; ſin autem odium, auerſionem, ac pugnam, *Antipathiam* vocitamus. Nulla in tota Philoſophia quæſtio iſtâ magis implexa; nihil quod magis captum hominis fugiat. Vnde enim homini primò in duos colludentes, aut dimicantes occurrenti inſitus ille affectus, vt ergà iſtum naturaliter ſit propenſus, ergà illum ſentiat ſe auerſum; huic victoriam, illi caſum, deterioreſque partes precetur? Vnde duarum fidium æquè tenſarum interior diſpoſitio, vt ſi è lupi altera, altera ex agni neruis compacta ſit, illis tactis, iſtæ protinus diſrumpantur? ſi verò ex eodem chordarum genere conſtituantur, inuicem benè reſpondeant, ac tactâ vnâ reſonet ſimul & altera? Vnde herculei lapidis ad polum conuerſio? Vnde ferri ad ipſum attractio? Vnde eam miræ, tamque diuerſæ Malaciæ affectiones? Quid imaginatiuæ vis in membra inferiora? Quid faſcinus? aliaque penè innumerabilia Naturæ arcana, quæ quotidie detegimus, oculis tenemus, manibus palpamus, & tamen cauſam dignoſcere, ac perſcrutari omninò non poſſumus. Etenim quam vulgò circumferunt ſympathiam omnem ex Naturæ ſimilitudine, Antipathiam verò ex diſſimilitudine oriri, eo ſolum capite minùs probare poſſum. Nam rerum longè diſſimilium eſt compaſſio, & conſenſus: econtrà ſimilium plurimorum diſſenſus, atque antipathia: neque enim magnes magnetem attrahit, ſed ferrum; Canis cum Lupo, à quo vix diſcernitur, magnam habet contrarietatem, at cum oue quantumuis diſſimili Sympathiam. Galli gallinacei cum Sole, Lupi cum agno, felis cum mure antipathiam ne dixerim, an ſympathiam? cum ni foret illi connaturalis, haud illum tantopere inſequeretur, & quocumque cibo ſuauiorem reperiret. Quidquod videmus quotidie aliquem impensè alium deperire, qui tamen ei naturaliter auerſus, tanto reſpondet odio, ac deſpectu, quanto eum ille amore proſequitur. Vidimus Gallos infenſos Hiſpanis, quamuis finitimos, atque in eodem ferè climate conſtitutos, Hiſpanos Germanis, aliiſque ſeptentrionalibus gratos, quamuis, moribus, Religione, climate toto cœlo disjectos. Sed &

hanc rerum connexionem, mirumque ordinem in vniuerſa penè natura inter diſſita quæuis comperimus.

Hinc iure meritò eruditiſſimus Campanella hanc Vniuerſi faciem demirans, ità philoſophatur *lib.* 2 *cap.* 5. *Neſcio* inquit, *quæ ſympathia nobis cum tota Naturæ ſerie ineſt: nam cum vua calcatur, ſolent graſſari prælia, & ſanguis humanus effundi. Plerumque cum putantur vineæ capita truncari humana, & ſuffocatiui catharri graſſari ſueuerunt. Cum florent arbores, ſemina corporis, & ingenij turgent, florentque, & ad quaſdam incitantur fructificationes: cum colliguntur ſterileſcimus: Vnde ſignum Virginis ſterile vocatur. Cum venti plurimi diù ſtant, colligimur in penetralia domorum, & tunc conſilia peſſima ineuntur: vnde fœminæ ſolent inſidioſa molimina prognoſticari.* Quid cum humano ſanguine muſti expreſſio, & non potiùs ouium pecudumque mactatio? Quid capitum detruncatio cum vineæ putatione? Quæ arborum efflorеſcentiæ cum ingenij feruore connexio? Quæ ventorum vis cum peſſima conſiliorum molitione? Verum hæc altiſſima diſpoſitione prærordinata ſunt, atque vnam ſuperiorem cauſam appellant, reſpiciuntque: ſubdit enim ſapientiſſimus vir. *Nec iſta ratione vacant; nam etſi reſpectu cauſarum ſecundarũ & per accidens fiat, vt hæc herba ſimul cum illa floreat,* (inquit *S. Thomas ſuper 6. Metaph.*) *tamen reſpectu cæli habent cauſam: ſimiles enim affectus corporeos influunt omnibus ſtella corporibus, ſed modificantur pro genere, & qualitate recipientium.* Hæc ille. 123.

Ergò ſtellarum influxus vniuerſales ſunt, æque omnibus corporibus ſubiectis communicantur; æquè omnes mundi partes afficiunt, ſed non eoſdem, pares, aut ſimiles in omnibus ſubiectis habent effectus producere, quando iſta aut genere aut ſpecie diuerſificantur, ſed pro qualitate recipientium in aliquibus connexos, complexos, conſimiles, ſibi mutuò correſpondentes; in aliis diſſitos, alienos, æquiuocos, ſibi inuicem aduerſantes. Sic vbi Naturæ conformitas, tum mixtorum ad inuicem, tum ad cauſam ſuperiorem, ibi communicatio, conſenſus, & amicitia; vbi difformitas & nullus ordo, contrariæ affectiones, diſſidium, atque inimicitia. Qua de re alibi me dixiſſe recordor, Luminaria, quæ ſunt cauſæ vniuerſales & æquiuocæ omnium producibilium, cum Ioue, aut Venere Naturæ humanæ conformibus producere mixta hominibus opportuna, cum Saturno verò foſſilia, venenata, fœtida, vitæ hominum aduerſantia. 124

125 Hinc liceat expiſcari veram abditiſſimi huius Naturæ motus originem in partium quamtumuis etherogenearum conſenſu, atque diſſenſione.. Equidem cum omnes Mundi partes ſint inuicem colligatæ, omnes in vnum totum confluant mira varietate, ac difformi conformitate connexum; inde fit vt inter ipſas neceſſarius intercedat aliquis Ordo, qui miram iſtam rerum difformitatem faciat, & vbi datur aliqua ſeu qualitatum ſimilitudo, ſeu earundem adinuicem colligantia ex mutua actione, & repaſſione, ibi neceſſarius ſit conſenſus, ac ſympathia, vbi verò diſſimilitudo, diuerſitas, nulla agendi, & patiendi neceſſitudo, ibi diſſentio, atque antipathia.

126 Porrò hoc idem per partes explicemus, & vt aliàs conſueuimus, à Microcoſmo ad Macrocoſmum tranſeuntes, philoſophemur. Omnem noſtri corporis ſympathiam Galenus Medicorum princeps, tum *in propria diſputatione aduerſus Lycum*, tum in *Lib. de morb. vulg* vbi caſum Pythonis explanat, in tres differentias commodè diuidit: aliam, quam dicit eſſe Sympathiam generis; aliam operis familiaritatis; & aliam vicinitatis. Per ſympathiam generis intelligit conſenſum illum, qui communicatur alteri parti ob eiuſdem partis viuentis continuitatem; ſicut læſa ceruice læditur manus, quoniam neruus veſtiens manum è ceruice dependet, & conſenſus per eiuſdem nerui quamuis in diſſitis partibus conſiſtentiam, & continuitatem ſeruatur, quæ ſympathia generis non intercedit inter partes quamuis viciniores; vtpote inter cor, & ventriculum, atque inter iſtum, & hepar, aut manum; qua de re toto cœlo erraſſe Lycum aduertit Galenus aſſeuerantem tremorem manus ab ſtomacho prodire, cum nullus neruus à ventriculo procedat ad brachia vt Anatomes obſeruatoribus compertum aſt. Secunda ſpecies ſympathiæ eſt operis familiaritatis, quam dicimus intercedere inter mammas, & vuluam, non enim vlla intercedit inter illas connexio, quam quod ad idem opus ambæ à Natura ſint deſtinatæ: hinc ex vteri affectionibus in mammis tuberculi, durities, carcinomata dira ſuboriuntur, hinc etiam conceptus tempore venas vberum oppleri, & turgere conſpicimus, ac pro qualitate fœtus mammas aut intumeſcere, aut languere, vt docet Galenus *in ſextum Hippocratis de morbis vulgaribus commentar.* 5. & 14. *de vſu partium* 4. & 8. Andreas Laurent. *lib.* 7. *quæſt. anatom.* 11. Ludouicus Dürrerus *in Coac. in append. de Vulneribus ad commentar. text.* 44. & alij. Quin & ipſe Hippocrates, loco citato

tait; *ſi mammarum papillæ, & rubrum viride ſit, ægrotare conceptaculum.* Et alia id genus, quæ fusè adducit & explicat Sanctorus Sanctorius *de vitandis erroribus in artemedica lib. 2. cap. 4. & ſeq.* Tertia ſpecies ſympathiæ eſt quam dicunt viciniratis, per quam vnum membrum alteri condolet ex vicinia; talis eſt anus, & vteri, capitis cum ceruice, manus cum brachio, &c. Et hæc, cum manifeſta ſit, maiore explicatione non indiget. Omnis igitur Sympathiæ affectio in partibus corporis noſtri ex aliqua condolentia fit, quæ ex prædictis capitibus originatur. Nam vt benè diſcurrit Valeſius *lib. 4. controuerſ. medic. & philoſophic. cap. vlt. Quæ patiuntur, aut ex ſeipſis patiuntur à ſuaque natura & ea propria illorum paſſiones ſunt, quas proinde Idiopathias poſſis propriè appellare, aut patiuntur ab aliis, idque vel ratione ſimilitudinis, quæ cum aliis eis intercedit, vel quod contraria ſint: tamen contrarij ratio quanto cum maiori ſimilitudine coit, tantò facit maiorem paſſionem, nimirum quæ ſunt omninò ſimilia nullatenus ſeſe immutant. Quæ contraria admodum ſunt agrè congrediuntur, tamen cum ſemel ſunt congreſſa plus mouentur, quia longius diſtant. Ea verò quæ contraria ſunt, quantum ad agendum eſt ſatis, & tamen ſunt ſimilia faciliùs compatiuntur. Ignis citius mouet aërem, Sed plus mouet aquam. Facilem commutationem, quæ fit gratia ſimilitudinis, potes ſympathiam, magnam verò, quæ fit gratia contrarij, antipathiam appellare, quamquam eſt verior altera ſympathia ſpecies quam in membris humanis Medici conſiderant, cum ſcilicet aliquid patitur ab alio, quia ſimile illi eſt, & quia illud à quo patitur, patitur ab alia cauſa prius. Nam natura fit, vt cum res aliqua patitur, eas omnes, quæ illi ſunt valdè ſimiles & vicinæ ſatis trahat ad contagionem*, & poſt pauca. *Membrum quodcumque*, inquit, *aut patitur per ſe, aut alteri condolet, vt caput alteri dolet ex intemperie cerebri, alteri ex intemperie ventriculi* Quod per ſe patitur, nec aliunde dependet, hoc ex morbo propriè fieri aſſerit vocatque Idiopathiam, quod ex alterius membri conſenſione, hanc ſympathiam: *Nam omnis morbus*, ſubdit, eſt *affectus, Sympathia autem paſsio.* Aduertit tamen ex Galeno membrum aliquod trahi in alterius ſympathiam duobus modis, aut tranſmiſſo in illud quod non tranſmitti oportebat, aut impedito influxu, quo indigebat quæ omnia clarè innuunt, omnia hec fieri per aliquam alligationem partium inte ſe cum ex Ariſt. omne agens ſemper agat quodam tactu, nec dari poſſit vlla actio in diſtans.

127 His igitur ita conſtitutis, iam ad omnem ſympathiæ rationem, quæ inter Vniuerſi iſtius partes inuicem colligatas inſpicitur explicandam deueniamus. Siquidem ita hominem conſtituit ſummus Opifex vt eſſet veluti Vniuerſi ipſius compendium, atque ex eius conſideratione vniuerſam mundi faciem, intimamque conſtitutionem contemplemur. Omnis igitur ſympathia rerũ aut ex naturę ſimilitudine, viciniâque; aut ex familiaritate operis, actuumque conformitate; aut demum ex genere, quod ex vno eodemque principio promanent, ſintque veluti aliquo ſuperiori vinculo colligatæ, originem trahit. Ex naturæ ſimilitudine habetur, quod homo alteri homini condoleat, pecus pecudi, quod vinum in doliis fluctuet, cum vites in vineis efflorеſcunt. Ex naturæ ſimilitudine fit, quod in morbis contagioſis alter alterum lædat aſpectu, voce, contactu; quod primo ſanguine menſtruo, aut ſecundinis in loca cænoſa deiectis, fœminæ malè habeant, quod cineribus calidis ſuper recens excretas hominis fæces impoſitis: ille mox diſſenteria corripietur, quod mox ſiſtatur lac in vberibus, ſi fœmina eiuſdem lactis modicum in prunas emulgeat: & cætera quorum longam ſeriem affert Kircherus in *Arte magnetica*, & nos quotidie non ſine ſtupenti oculo experimur. Item ex vicinitate accidit, quod vna prouincia peſte infecta: altera illi propinquior, quamuis non ſub eodem cœlo eodem morbo afficiatur; quod aër calidus aquam propinquiorem magis quam remotiorem, etſi qualitatibus primis non diſcrepent, calefaciat, quod magnes, qui polum naturaliter aſpicit, ad eam partem, quamuis ab ipſo polo ſemotam feratur, cui, & quantò eſt ipſe vicinior, &c.

128 Secundò ex familiaritate operis, tum etiam ex naturæ ſimilitudine eſt ſympathia illa quam in rebus videmus, cum ſcilicet, vno aliquid operante, videmus aliquem ad idem opus quamuis nil tale cogitantem excitari. Vt cùm altero oſcitante, & ipſi mox oſcitamus, alterò mingente cietur & nobis lotium, quod ex imagine obſcœna, Venus in aſpiciente extimuletur. Nec dicas cum Valeſio *vbi ſuprà* hæc, & ſimilia Naturæ arcana ex imaginationis vi, quatenus mens in cerebro reſidens per facultatem animalem in ſingula membra influit, atque operari facit, pendere. Nam etſi id vt plurimum verum ſit, tamen non ſemper: quandoquidem videmus ſæpè aliquem nil tale cogitantem, vt dixi, quin & ab altero oſcitante vultu, aut animo auerſum, vel oculis captum, (quò fit, vt nil de oſcitatione recogitet) nihilominus oſcitare; quod argumento eſt, ipſam naturam

ex ſola operis familiaritate immediatè, abſque vllo ſupe-
rioris facultatis imperio, ad operandum excitari: idipſum
planè euincit duarum chordarum æquè tenſarum experien-
tia; dum vna pulſata, altera licet ſenſu, & ratione carens
ad eoſdem modulos reſonet.

Tandem longè mirabilior, atque vniuerſalior eſt ſympa- 129
thia generis, quæ per omnes ferè res huius Mundi ſublu-
naris tranſcendit, maximè verò eas in quibus, vt ſuprà di-
cebamus, apparet aliqua generis ſimilitudo, aut contrarie-
tas, quæ eumdem penè effectum progignit in iis, quæ agere
ſimul, & pati inuicem nata ſunt. Talis eſt aliquorum ani-
mantium, plantarum, hominum mutuus amor, aut diſſi-
dium: certarum ſtirpium qualitas, quæ aliquibus exitialis
eſt, aliis iucundiſſimum alimentum. Sic Doronici canes ex
eo paſtos occidunt, hominibus opitulantur: Cicuta è con-
trà his deleteria eſt, aſinis verò ac ſturnis commodum pa-
bulum. Aconitum venenum eſt præſentaneum his qui benè
habent; at venenatis, & iis, qui quauis ratione venena in
cibos ſumpſerunt, antidotum; Elleborum mente captos in
rationem reuocat, ſui compotes fatuos reddit. Sunt aliqui
lapides, (inter quos præſtat potiſſimum Bezoar in viſceri-
bus cuiuſdam animalis repertus) qui omnibus venenis oc-
currunt, quamuis contraria qualitate pollentibus; ſunt &
herbæ, quæ malis ferè omnibus præſtò ſunt, quæque ob
effectus, quos, non in diuerſis modò, ſed quod mirum eſt
in vno, eodemque ſubiecto, pro diuerſa loci, ſitus, ac tem-
poris ratione pariunt, neſcias queiſnam qualitatibus po-
tiantur. Aſari folia ſi quis decerpendo ſurſum vellicauerit,
purgabunt corpus per vomitum, ſin verò deorſum carpendo
contorqueat, ſolam aluum deijcient: Perſicaria, ſeu Piper
aquaticum, Conſolida, Braſſatella, aliæque plures id genus
herbæ id habēt peculiare, vt ſi frigidæ mergantur in aquam,
& ſuper vlcus, aut vulnus alicuius ægri intepeſcant, mox
defodiantur cænoſo loco; vbi putrere incipiunt, attrahunt
ex patiente quidquid nocuum eſt: & alia id genus multa
Naturæ arcana, quæ quáuis cognitu difficilia, hoc tamen vnū
apud omnes in manifeſto eſt, id non niſi ex quadam mutua
rerum alligatione prodire, habereque vnam quandam vni-
uerſalem cauſam æquiuocam, à qua omnes miri iſti effe-
ctus deriuent. Quod & longè antè agnouit Philoſophus 8.
*Phyſicorum*, qui admirans hanc in vniuerſa Natura confor-
mitatem, omnem in cauſam vniformem, ideſt in vnum ac
ſimpliciſſimum motorem refundit.

Quare nullum mihi firmius argumentum ad Mundi for- 130

mam, quam ſuprà probauimus ſuppetit aſtruendam, quam mirus hic rerum ordo, conſenſus diſſenſuſve partium, quem non ab alio fonte, quam ab hac Mundi forma perenni motus huius ſcaturigine, neceſſe eſt promanare. Sicut ergò in humano corpore diuerſi motus, ac membrorum colligatio, & conſenſus arguunt vnicam eſſe animam, quæ omnia regat, & ordinet, vt probè notat Valeſius in hæc verba. *Igitur hec mihi ſignificant vnicam eſſe animam, qua hac omnia fiunt, nutritio, pulſus, & ſenſus: eam verò uti diuerſis potentiis, vt ego ipſe meas manus moueo, & crura, atque ad alia manus moueo, ad alia crura. Vt ergo ego cum medioeri vehementia ſolas manus moueo, cum verò maiori vehementia, iam non ſolas, ſed cum eis crura quoque, & nonnumquam membra omnia, quamquam res ſolis manibus agenda ſit, ita anima omnes potentias mouet quaſi ad conatus apponendos, cum illarum aliqua mouetur vehementiſſimè. Hinc, ſi diuerſa anima forent, non tantum diuerſa facultates non viderentur poſſe fieri, vel ſaltem non tam concinnè: nam cum vnitas membri non ſufficiat ad illum conſenſum, maiori aliqua vnitate eſt opus: ea non videtur qua alia ſit, quam anima, nam facultatis non eſt; diuerſarum enim actionum diuerſas oportet eſſe facultates: Ad ſympatias quaſdam, quæ ipſis inſtrumentis contingunt ratione alligationis, ſufficit alligatio, ſed ad dictos modo conſenſus non videtur ſufficere, ſi modo à diuerſis animis hac agerentur.* Hæc ille. Sicut igitur, vti dicebam, hæc omnia in corpore humano vnicam animam probant. Ita hæc eadem in tota mundi conſpiratione, atque conſenſu vnicam formam, eamque vitalem euincunt.

151. Accedit quod, vt paulò antè notauerat idem Valeſius, in partibus humani corporis, multæ ſunt ſympathiæ quæ non videntur ad vllam ex prædictis reduci poſſe, ſed neceſſariò ad quamdam occultam virtutem & conſenſionem, quæ prodat ab vno eodemque principio, refundendæ. Quæ enim conſenſio inter tranſuerſum ſeptum, & cerebrum? aut quis nexus inter os venticuli & cor? & tamen inflammato ſepto ſtatim caput delirat, laborante ore ventriculi deficit cor. Nec iuuat dicere, quod aſcendunt quidam fumi & halitus ab inflammatione ſepti tranſuerſi ad cerebrum, qui illud perturbant, atque ab ore ventriculi ad cor, qui illud angunt. Nam vt benè idem aduertit, longè vicinius eſſe cerebro os ventris: ergò maior halituum copia aſcendet ex oris ventriculi inflammatione (cum præſertim ibi ſit horum alituum officina, & ſedes) quam ex ſepti tranſuerſi, & tamen hæc de-

ſirare facit non illa *Hac etiam ratione*, inquit, *cor citiùs afficeret ſeptum tranſuerſum, quam os ventris; nam viciniam cum corde non habet minorem, & inſuper habet motum ſed videmus ex affectionibus oris ventriculi promptiſſimè fieri ſincopes, ex affectione ſepti deliria: ergò non trahunt hæc membra alia in ſympathiam his rationibus communibus in quibus ſuperantur ab aliis, quæ non faciunt perinde, ſed intercedit propria aliqua natura, quæ hæc ſiunt inter ſeptum & cerebrum; os vetriculi, & cor, quam nos ignoramus.* Hæc igitur in hac mutua facultatum conſpiratione conſiſtit, quæ vt dixi, ab vno animæ pendet regimine, atque analogiam non ineptè appellarunt, cum in rebus longè diſſimilibus, ac diſparatis, quandam nihilominus ſimilitudinem ſeruet.

Simili modo in hac Mundi, & Macrocoſmi iſtius conſtitutione videre eſt hanc rerum analogiam, quæ non in ſola ſimilitudine, vicinitate, operis familiaritate, aut noto quodam vinculo ſaluari poteſt, cum hæc eadem ſympathia in rebus longè maiori vinculo nexis minimè videatur, quia tamen eam experimentis ſentimus, aliquam longè iſtis ſuperiorem eſſe euidenti ratione deducimus, atque adeò in mundi formam, & conuentionem in vnum quoddam vniuerſale principium iure merito importamus. Vnde enimuerò eſt, vti dicebam, quod Galli ſemper, & vbique ſunt Hiſpanis infenſi, moribus, colore, genio diuerſiſſimi? illi ſubiti, iſti graues: illi corpore vt plurimum magni, iſti breuiuſculi; illi colore candidi, & capillitio flaui iſti nigro? Scoti quamuis eiuſdem religionis, eiuſdem Inſulæ acolæ ſemper nihilominùs Angliis infenſiſſimi extitere; itavt ne facta quidem regnorum vnione, potuerint vnquam animos temperare, & in mutuæ neceſſitudinis nexum venire. Itali olim Orbi imperitabant; nunc autem diuerſarum gentium imperio, ac ludibrio ſubſunt. Sed quid eſt, quod canis vel minimus gallinam fugat, & deuorat; quam tamen poſtquam pullos excluſit, adeò reformidat, vt eâ viſa fugam quantumuis generoſus arripiat, hæcque in illum audax proſiliat? hæc enimverò Naturæ ludentis arcana ſunt, quæ tamen ſuam cauſam, noſtro captu ſuperiorem habent. 132.

Sed age, eam vtcumque explicare conemur. Ptolemæus in *Quadrip lib* 4. *cap*. 7. cauſam omnem amicitiæ, & inimicitiæ naturalis, adeóque conſenſus, diſſenſuſve rerum, in cœleſtium corporum conſtitutionem refundit. Cùm enim eadem ſeu ſe ſolis, ſeu cum aliorum adiumento ſint diffe- 133.

rentium tum genere, tum ſpecie effectuum cauſæ, exque vniuerſaliſſimæ, & æquiuocæ; cumque etiam inter ipſa intercedat mutua amicitia, aut inim citia, inde eſt, vt effectus ipſi eandem interſe proportionem, atque analogiam ſeruent, quam ſuperiùs ſuæ cauſæ, & eò maiorem quò maior inter illa intercedit neceſſitudo. Sic Iupiter exempli gratia habet ſub ſe ex membris humanis pulmonem, coſtas, arterias, cartilagines, hepar, &c. Ex lapidibus pretioſis Smaragdum, Sapphyrum, Amethyſtum, Turcoidem; ex animalibus Elephantos, Damas, Ceruos, Tauros, Columbas, Turtures, Coturnices. Mars autem ſiniſtram, fel, renes, adamantem, iaſpidem, magnetem, euphorbium, ſcammonean, &c. Et hæc prima ſympathiæ generis radix: quæ enim ab vno eodemque principio originem trahũt ea inter ſe mutua neceſſitudine vinciuntur. Item Planetæ inter ſe, idque ratione qualitatum quibus pollent, ſunt amore, odio, vel nullo vinculo colligati. Saturnus & Iupiter, Iupiter, & Sol, Mercurius cum Sole, & Saturno ſunt adinuicem amici. Iupiter autem amicus Mercurio, at non ipſi viciſſim Mercurius, ſed neque inimicus: Marti ſola Venus amica, cum tamen Veneri non ſolum Mars, ſed & Sol, & Luna, & Iupiter ſint amici: Mercurius Veneri neque amicus, neque inimicus; Lunæ ſolus Sol inimicus, amici Venus & Iupiter, at ipſa non ei vicem rependit, ſed neque alteri inimica, aut amica, excepta vt dixi Venere. Hinc, cum ſemper effectus aliquam ſimilitudinem referre debeat ſuæ cauſæ, hanc eandem neceſſitudinem inter ſe Planetarum effectus ſeruare neceſſum eſt, quam ſeruant inuicem ſuæ cauſæ.

134 Præterea cum pro diuerſo ſiderum poſitu tam in Zodiaco, quam in Mundo diuerſas contrahant familiaritates, vt ſuo loco diximus, eaſdem per quandam analogiam rebus ſibi ſubiectis communicant: quæ verò nulla familiaritate nectuntur, vt in ſignis inconiunctis, ea nullum etiam amicitiæ vinculum in ſuos effectus deriuant, & hic cardo omnis ſympathiæ atque antipathiæ. Hinc iure Ptolemæus loco citato præcipit in amicitiis, & inimicitiis hominum dignoſcendis reſpicienda eſſe Aſcendentia vtriuſque nati, commutationes planetarum, præſertim Luminarium, aſpectus, coniunctiones, Antiſcia, ſeù Intuentia, ſeù Imperantia, atque obedientia, & ex his de hominum amicitia, inimicitiaque iudicium proferendum. Nam ſi Aſcendentia in Genituris conſenſerint; erit inter natos neceſſitudo & ſympathia; ſi fuerint inconiuncta erunt naturaliter auerſi, ſi vero fuerint in quadrato, aut oppoſito erit adhuc inter

illos odium, perſecutio, atque antipathia. In locis permutatis erit ſimiliter, ſed longè maior neceſſitudo: qui Luminaria, Hileg, aut præcipua figuræ loca habebit in alterius antiſcio obedienie, illi fatali quadam vi imperitabit, qui verò in imperante eidem ſubiectus erit. Quæ quidem data proportione in aliis rebus inanimis locum habent. Vnde, vt benè notat Iulius Cæſar Bulengerus *de ratione diuinationis lib. 2. cap. 15. triplex rerum ordo conſurgit, quarum alia inter ſe concordant, alia diſcordant; quædam nihil concordiæ, aut diſcordiæ inter ſe habent, quod vtraque ſimili temperamento ſint: & ſimile à ſimili non afficiatur* Quamquam quod ipſe ſuperius dixerat, inſitam hanc rerum conſenſionem, diſſenſionemque non à cælo, ſed à forma petendam eſſe; aut à primis qualitatibus, in quarum rationibus eſt inuoluta, cum ex iis rerum omnium temperamenta conſurgant; minùs probare poſſum; quandoquidem ſuprà tum ratione, tum grauiſſimorum doctorum auctoritate ſtabiliuimus mixtorum mirabiles qualitates minimè elementares eſſe, ſed omninò cælitus deriuatas. Si enim ipſe tantam virtutum copiam in Helleboro, quanta à Plinio deſcribitur; cœlo acceptam ferre non audet, cum alioqui hoc cauſa vniuerſalis ſit eminenter omnes inferiores virtutes continens, qui eamdem vni formæ particulari attribuit, aut primis qualitatibus, itavt altera alteri non officeret? Reſtat igitur, vt Soli potius aſcribamus corporibuſque cæleſtibus, quorum vniuerſalem virtutem, actiuitatem*, ſupereminentiam in iſthæc inferiora nemo ſanæ mentis detrectari poterit. Neque enim ſelenites Lunæ curſum ac motum, phaſeſque tantopere imitaretur, niſi eidem aliquo ſuperiori vinculo eſſet aſtricta. Neque Heliotropium Solem inſequeretur, neque canes in rabiem agerentur cane ſirio exurgente, neque Luna in Scorpij ſigno conſtituta Scorpiones terreſtres tam ſæui forent, ni vllam deſuper qualitatem referrent, quæ ita eos ſideribus illis addiceret.

Nunc autem ſingulorum iſtiuſmodi effectuum origines perſcrutemur. Magnes ferrum attrahit non alium magnetem, quia iſte omninò ſimilis, & in talibus non eſt paſſio, ferrum autem, licet in qualitatibus ſimile, eſt tamen illi ſubordinatum, patique magis idoneum. Magnes item ad polum vertitur, quia cum natura ſua ſit frigidus, & ſiccus, eaſque qualitates eminentius quam cætera mixta habeat, eò vertitur vbi ſiccitas, & frigiditas regnat: quod ideo, vt dixi non ad polum ſimpliciter, neque ad Arcticum modo, ſed ad regionem vtcumque frigidam, & ſiccam pro ſitus va- 135.

rietate tendit, adeo vt trans æquatorem ſe vertat ad Auſtrum. Similiter ſuccinum, & alia id genus foſſilia, non quidem, vt aliqui opinantur, per quodam effluuios ſpiritus paleas ad ſe attrahunt (alias confricatio, quæ in iis ante attractionem requiritur, officeret magis, quam prodeſſet) ſed quia igneis qualitatibus pollent, adeoque aridas ſtipulas, conſimilis naturæ, aptaque ignis pabula ſibi copulant, nec niſi confricatione incaleſcant. Econtrà quæ diuerſi, aut diſparati omninò temperamenti ſunt, aut ſibi inuicem aduerſantur, aut in mutuam conſenſionem, diſſenſionemve venire non poſſunt. Sic allij ſuccus magnetis vim adimit, quia eum contrariis qualitatibus inficit: cicuta hominibus exitialis eſt, quia intemperatè frigida, caloris naturalis ſuffocatiua, at non aſino, at non ſturnis, quia ratione temperamenti non ita iis incommoda. Aconitum ſanos extinguit, venenatos ſanitati reddit, quia longè ſuperioribus qualitatibus pollens, in pugna cum iis congreditur quas ad pugnandum paratas, validaſque inuenit, eaſque in pugnando inferiores vincit. Atque ad hæc & ſimilia rerum principia, omnis ſympathiæ, atque antipathiæ ratio reducenda eſt. Quare, vt benè monet doctiſſimus Matauiglia *in ſuo Proteo Ethicopolitico lege 21. Reliqua prorſus admiranda Naturæ arcana ita rimari debet Naturæ inueſtigator, vt ſemper eorum cauſas, & principia agnoſcat in natura, quæ in omnibus, quæ quoquo modo mouentur, aut quieſcunt, principium eſt, vt aiunt Philoſophi.*

Sumphasis. Vide *Simphaſis.*

Synechon, Græcè dicitur Firmamentum fixarum à τὲ τε
136 σύνεχειν quod eſt continere, quia in ſuo expanſo tot ſtel-
larum multitudinem continet.

Synodus Græcè idem ſonat ac Latinè conuentio, & con-
137 greſſus. Ideò apud Aſtronomos accipitur pro duorum vel
plurium aſtrorum conuenientia & concurſu ſiue in eumdem circulum poſitionis, ſiue in eumdem gradum eclipticum, vbi ſimul natutam, atque influxus commiſceant. Vide abundantius in V. Coitus, & coniunctio.

Syrius. Vide *Sirius.*

138 Syroycus vulgò dicitur ventus ſpirans à medio loco inter Orientem, & Meridiem, à *Syria* vnde tranſiens ad nos venit Græcè nota peliotes. Cum perflat viſum habetat, capiti grauat, humores diſſoluit, fluxiones excitat, raucedinem tuſſes, vertigines, apoplexiam, epilepſiam, ſurditatem, oculorum lippitudines, mulierum abortiones, aliaque id genus facit, quæ æquè Auſtro ac ventis ſibi collateralibus ſunt communia.

Systema

Syſtema, Græcè audit Vniuerſi proba conſtitutio, & harmonia cæleſtium corporum inter ſe, & ergà tellutem ita diſpoſitorum vt ſitus, ordo, motus, ac paſſiones apparentiis, ac demonſtrationibus tum philoſophicis apprimè reſpondeant. Ricciolus *lib. 9. ſect. 3. cap. 2.* ſic illud deſcribit. *Syſtema Mundi nihil aliud eſt quam coordinatio, ſeù compoſitio magnarum mundi partium, videlicet elementorum, ac cælorum; cuius veluti materia eſt numerus cælorum, atque elementorum tum totalium, tum partialium; forma autem eſt ordo, ac ſitus eorum inter ſe, ac relatiuè ad centrum Vniuerſi.* Celeberrimum olim fuit quod concinnauit Mercurius Triſmegiſtus, admiſerunt Timocharis, Epimenides, Hipparchus, Archimedes, ac Ptolemæus in Almageſto inſigniter commendauit, probauit, ſtabiliuitque hoc ordine; vt terra ſimul cum aqua vnum globum efficiens foret Vniuerſitatis centrum; mox aëre circumquaque ambiretur, qui vt leuius elementum, minus tamen quam ignis ſecundum locum teneret; inde ſphæræ ignis; cuius regionis termini conſtituerentur ab vltima ſuperficie ſupremæ regionis aëris, vſque ad concauum Lunæ: Poſtea ſuccederet orbis Lunæ, & per ordinem alij ſuperiores Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, & Saturni; eodem ordine & habitudine ad tellurem tamquam ad omnium centrum, poſt quos ſequeretur Firmamentum, ſeu Orbis fixarum, ac tandem Primum Mobile omnes concentricos habens, & complectens.

Inueterata hæc mundi conſtitutio perdurauit vſque ad Nicolai Copernici ingenioſiſſimi alioqui Aſtronomi tempora; qui ex nouis obſeruationibus videns, non poſſe ſubſiſtere prædictum Syſtema Ptolemaicum, aliud excogitauit ſeù potius exſuſcitauit à paucis olim antiquis Philoſophis excogitatum, ſed cum ipſis emortuum. In eo conſtituitur ſol immobilis in Vniuerſi centro: Poſt orbis Mercurij, qui diebus 80. ſuam integram reuolutionem perficeret. Secundo loco ſuccederet Venus nouem menſium ſpatio ſuum circuitum complens. Tertio loco terræ globus vna cum Lunâ, quæ itidem continuè ergà tellurem circumagatur. Atque huic triplicem motum aſſignant; diurnum, quò ex Occidente in Orientem ducitur ſpatio 24. horarum (quem nos motum raptui primi mobilis damus:) annuum, quem nos ſoli: ac tertium, quem vocant librationis, quo inæqualitas æquinoctiorum oſtenditur, atque Eclipticæ obliquatio ab Æquatore. Sequitur poſteà Mars, reuolutionem ſuam ergà ſolem in annis duobus perficiens: inde Iupiter in 141

annis 12. Tandem Saturnus in annis 30. Poſt quos poſtre-mam omnium conſtituunt ſphæram fixarum immobilem.

141 Et hæc eſt conſtitutio Vniuerſi, ex Philolai primum, mox ex Copernici placitis excogitata, in quam mirum eſt, quam multi ex neothericis conſpirantes adhæſerint, ac magno plauſu receperint. Et ſanè ſi modum ſpectemus, quo optimè ſaluantur omnes apparentiæ, ad cuius normam inſtitutæ radices cœleſtium motuum, iſti ad amuſſim reſpondent, eâ certè vſque ad Tychonis tempora, nulla viſa eſt concinnior, pulchrior, & vſui accommodatior. Verum hoc ſyſtema intolerabilem errorem admittit, terram vtique mobilem; quod experientiæ, & (quod magis intereſt) vni ſacræ ſcripturæ teſtimonio aduerſatur, terram omninò immobilem aſſerentis. Scio equidem nonnullos eſſe, qui dicant ſacram ſcripturam vſu humano loqui prout in multis perſpicuum eſt, proindeque ea teſtimonia huic aſſertioni minimè refragari. Quin etiam Didacus Aſtunica ex illo *Iobi* 9. vbi de Deo dicitur: *Qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur*; hanc terræ mobilitatem probere nititur, additque nullum eſſe in tota ſcriptura locum, qui tam diſertè dicat terram non moueri, quam hîc moueri dicit. Sed, vt optimè oſtendit Pineda in hunc locum, inde potiùs euinci poteſt naturalis terræ firmitas, & habitudo, quæ cum ea ſit, vt loco minimè dimoueatur, Dei potentia fit, vt contremiſcat, atque ad eius nutum concutiatur, quod de terræmotibus, quibus terra à facie Domini trepidare dicitur intelligendum eſt, vt communiter explicant Patres: eò maximè quod columnæ, (de quibus hic ſermo eſt) quandam ſtabilitatem magis quam commotionem ſignificant. Quod autem terræ ſtabilitas à ſcripturis diſertiſſimè aſtruatur; patet id apertiſſimè, & nos in loco adnotabimus: & omnes huiuſmodi loquutiones, Sancti Patres communiter ad literam de terræ ſtabilitate, qua in centro Mundi omninò immobilis conſtituta eſt, explicant, & intelligunt: à quibus profectò recedere temerarium foret. Quare iure meritò hoc ſyſtema Copernicum, tamquam falſum, ſacræ ſcripturæ aduerſum, atque à veræ Philoſophiæ principiis alienum, damnatum fuit à ſacra Congregatione Cardinalium peculiari decreto: atque in Galilæum, qui illud nihilominus ſemel & iterum ſuſtinere ardentius quam Chriſtiano homini par erat, annitebatur, ſeuerius animaduerſum.

142 Tandem Tycho Brahe Danus verus Aſtronomiæ inſtaurator, poſt longam quinquaginta ampliùs annorum obſer-

bationem, adiutus à pluribus peritiſſimis Mathematicis primus omnium cælum liquauit, hactenus omnem regionem fluidam conſtituens ad morem aëris permeabilem, ſed longè aere ipſo ſubtiliorem, ac leuiorem: in cuius expanſo, & latitudine omnia cæleſtia corpora collocauit, ſuo quodcumque ordine & loco, motuque proprio præditum, prout ex apparentiis euinci poteſt. Hinc nouum ſyſtema excogitauit ſacræ Rom. Eccleſiæ conſtitutis inhærens, obſeruationibus apprimè reſpondens, ac ſacræ ſcripturæ oraculis, Patrum dictis, veræque Philoſophiæ principiis maximè conſonum: in quo terram ſtatuit amborum luminarium, ac Firmamenti, ſeu Orbis ſtellati centrum: Solem verò reliquorum quinque planetarum: qui proinde omnes eccentrici eſſent ad terram; & per vaſtiſſimam illam Ætheris regionem conſtantiſſimè, & numquam fallente gradu perpetuò rotarentur ad ſolem; itavt Mars quando fieret Achronicus in ſolis oppoſitione reſpectu noſtri in Zodiaco, fieret etiam terræ proximior ipſo ſole, & conſequenter corpore etiam grandior videatur quam conſtitutus in Apogæo, Venerem ipſam magnitudine ſuperet, vmbram faciat, ac trium minutorum paralaxim patiatur, vt ego ſemel, & iterum obſeruaui. Sicque exhibita hæc cæli facies omnes motus, & apparentias ſaluat, nouis Phænomenis in Æthere viſis, haud egrè locum, & materiam tribuit, difficultates omnes ſoluit, atque humanum captum in rei veritate roborat, & obfirmat. Alia item Mundi ſyſtemata circumferuntur, quæ, quoniam à prædictis parum deuiant, vel non ita communi plauſu recepta ſunt, ideò breuitati conſulentes omiſimus.

SYTH in ſphæra barbarica dicitur ſecundus decanus Cancri manens ſub diſpoſitione Mercurij; iocoſitatis, confabulationis muliebrium, diuitiarum, vbertatis, &c. 143

SYZYGIÆ apud Græcos ſignificant cæleſtes ſiderum copulationes; non modò per corporalem coniunctionem, vt aliqui rigoroſè nimis intelligunt, ſed etiam per aſpectum, & quamcumque familiaritatem; quâ videlicet fiat radiorum commixtio, & virtutis in vnum coadunatio. Et ita rem radicitus explicat Valentinus Naiboda in Alchabitium. 144

T

1. TABDIL apud Ptolemæum in Quadrip. lib. 4. cap. 7. ex verſione arabica, idem ſonat, ac loca ſiderum permutata in cæleſti figura: vnde inueſtigari poſſe autumat omnem, quæ inter duos homines intercedit, ſympathiæ, antipathiæve rationem, atque originem. Nam ſi loca luminarium in vtriuſque figura perſpectâ fuerint inuicem permutata, aut cum horoſcopo, vel Parte fortunæ, magna erit, inquit, inter ipſos naturæ conuenientia, atque amoris neceſſitudo. Econtrà ſi hæc in locis fuerint inconiunctis, aut oppoſitis, magnam arguunt naturarum diuerſitatem, proindeque antipathiæ, & auerſionis naturalem fomitem, ac ſeminarium. Porrò hæc permutatio dupliciter fieri poteſt; & in Zodiaco. ſi quem gradum eclipticum ſol obtinet in alicuius natiuitate, in alterius occupet Luna, & vice verſa: Et in Mundi ſitu, ſi videlicet permutentur circuli poſitionum, itavt tantum diſtet à culmine, vel ab imo cæli ſol in vnius Themate, quantum in alterius Luna: & ſic de ſingulis, de quibus fusè agit Ptolemæus *loco citato*.

2. TANGENS antonomaſticè appellatur à Geometris linea recta perpendicularis extrà circulum cadens ad extremum diametri ipſius circuli; quæ ſi vltra adhuc protraheretur, ſecaret ipſam lineam trianguli ſimiliter vltrà protractam ad angulos rectos. Hæc, inquam linea ita conſiderata dicitur *Tangens*, quia aliam lineam à centro circuli oblique protractam, & ipſum circulum ſecantem, tandem opus eſt vt contingat: ex quarum poſtea habitudine, ac proportione adinuicem arguatur habitudo arcus ad ſinus, & complementum ſinuum.

3. TANIN ſiue cum articulo *El-tanin* hoc eſt anguis Hebraicè, dicitur Draco ſidus ad polum Zodiaci arcticum illud circumquaque ambiens: de quo vide quæ diximus in V. *Draco*.

4. TARAUPAZ Græco-barb. dicitur in ſphæra barbarica Centaurus ſidus in cœlo, de quo alibi dictum eſt.

5. TAVRVS ſecundum Zodiaci ſignum, fixum, terreum mutilatum Domicilium Veneris, & Exaltatio Lunæ in quo, vtpote in principe ſigno ſui trigoni, primùm apparet poſt congreſſum cum Sole in Ariete ipſius Solis exaltatione: Arabicè *Ataur*. Præeſt ex membris humanis collo, ceruici, gutturi. Et ideò hoc Tauri nomen eſt inditum, quia experientia probatum eſt, homines ſub illo naſcentes laborioſis quod

ſed pigri & ingenio rudes, fronte elata, atque vtrinque prominentes, quales ſunt boues: ſed adhuc alia ratio ſuppetit, quia hoc ſignum ſpecialiter eius generis animantes afficit, vt eo malè affecto atque ab infortunis poſſeſſo, malè futuram eſſe pecudibus expectandum ſit.

Narrant quippe Pontanus ac Niphus in cõment. Apotelesm. Ptolemæi, ſuo tempore Saturni & Martis coniunctionem in Tauro, horridiſſima hyemis frigora ſuſcitaſſe, magnamque bobus calamitatem, perniciemque intuliſſe: & quanquam oues tolerando frigori ſint imbecilliores, nihilominus in boues maximè peſtem illam deſæuiiſſe, propter ſignum cœleſte ad quod terreſtris bos refertur, vt Arieti boues & armamenta ſubſunt, Caniculę canes terreſtres, &c. quapropter ſi in Ariete ea ſynodus maleficarũ celebrata fuiſſet vtiq. in oues potiùs ea peſtis debachata fuiſſet. Eius Aſteriſmus in octaua ſphæra continet ſtellas 33. & vndecim in formes: Quamquam Bayerus in eo ſidere enumeret ſtellas 48. & Keplerus 52. inter quas celeberrimæ ſunt Pleiades, Hyadeſque, hæ in capite, illæ in genibus conſtitutę: initium ſumit à gr. 17. Tauri primi mobilis, ac protenditur vſque ad gr. 25. Geminorum. Natura eius diuerſa eſt ob diuerſitatem ſtellarum, quę in eo ſunt: nam primę eius partes, in quibus ſunt Pleyades ſtellæ procelloſę, violentę ſunt, & maleficæ: mediæ temperatæ, & aliquantò humidiores: Poſtremæ calidæ in quibus hyades, fulgura, coruſcationes, & ſimilia adducentes. De ſtellis in eo conſiſtentibus in particulari ſuis quibuſque locis diſſeruimus. 6.

Telescopivm eſt inſtrumentum opticum ex tubis, ac duplici, vel etiam multiplici vitro, concauo quidem primo, conuexis autem, ac lenticularibus aliis, per cuius medium in determinata diſtantia exceptæ obiecti viſibilis ſpecies refranguntur, ac mirum in modum dilatentur, referatque obiectum longè potentiæ viſiuæ approximatum, cuius ope factum eſt, vt corpora cæleſtia, eorum maculæ forma, luminis qualitas, aliæque affectiones probè noſtris temporibus internoſci potuerint, infinitæ propemodum ſtellæ in Firmamento obſeruatæ, noua Phœnomena circa Iouem & Saturnum item detecta ſint, quæ priùs ob ſui exilitatem, & loci diſtantiam oculorum aciem fugiebant. Huius admirabilis inſtrumenti inuentionem, aut ſanè dilucidationem debemus Galilæo Galilæi inſigni Mathematico, à quo apud nos Italos nomen accepit; licet noſtris temporibus ab Fontana, aliiſque ingenioſis viris mirum in modum ampliatum ſit, vt iam nil amplius in eo gene- 7.

re deſiderari poſſe videatur.

1. Telvm, ſagitta, iaculum, Dæmon Meridianus, ſidus ad borealem plagam propè Aquilam: de quo ſatis dictum eſt ſub his dictionibus.

2. Temperamentvm communiter dicitur proportio, & mixtio quatuor primarum qualitatum, quæ conſtituunt vniuerſa corpora mixta, atque à maiori vel minori vnius ſuper aliam qualitatem prædominio, & exceſſu, diuerſificatur, vnde & *complexio* apud nos, & *Craſis* apud Græcos appellari ſolet. Eius nouem ſpecies ab Hippocrate, Galeno, aliiſque Medicis aſſignari ſolent: aut enim in corpore mixto iſtæ qualitates omnes in gradu remiſſo ſunt & æqualis omnium eſt proportio, & conſtituit iuſtum, perfectumque temperamentum, quo melius excogitari nequit, quodque eſt reliquorum veluti canon, & norma; aut hæc proportio eſt inæqualis, itavt non ſit par intenſio qualitatum, & id duobus modis euenire poteſt, primò vt cæteris tribus moderatè ſe habentibus vna qualitas ſupereminéat, & ſic, vti quatuor qualitates ſunt, quatuor etiam differentias temperamenti ſpecificant, atque à ſeipſis denominant, calidum videlicet, aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum: Secundò, vt duæ reliquis duabus præualeant, quemadmodum in elementis videre eſt, & ſic alias quatuor mixtorum ſpecies ſtatuunt ab elementis denominatas, ſicque dicimus illum complexionis eſſe ſanguineæ, quia in eo abundant caliditas, & humiditas; alium eſſe cholericum, quia in eo flaua bilis, & ſic calor & ſiccitas, alium Phlegmaticum, quia flegma, hoc eſt humor aqueus frigidus, & humidus: alium denique melancholicum, quia præcellit in eo melancholia, & atra bilis cum ſiccitate & frigiditate. Porrò hæ qualitates, etſi in pluribus mixtis elementares ſint, in cæleſtibus etiam inueniuntur eminentiori modo, quæ etiam diuerſam cæleſtium corporum conſtitutionem indicant pro diuerſa earum mixtura, quæ ab effectibus innoteſcit. Vnde & probabile eſt mirabiles qualitates aliquorum mixtorum quas videmus elementaribus longe præcellere, non ab elementis, ſed à cæleleſtibus ortum ducere, qua de re plura diximus in V. *Mixta*.

18. Tempvs quid ſit, adeò difficilè eſt explicatu, vt iure dixerit Auguſtinus *lib.* 1 *Confeſſ. cap.* 14. *Quid eſt tempus, ſi nemo ex me quærat ſcio, ſi quærenti explicare velim, neſcio*. Eius quidditatem obſcuriſſimè tradit Philoſophus 6. Phyſicor. text. 10. *Tempus eſt*, inquit, *numerus motus ſecundum prius, & poſterius*: indicat enim rerum fluxibilitatem,

eſtque veluti menſura eorum motus, & variationis; Vnde quia cælorum motus eſt regulariſſimus, notiſſimus, citatiſſimus, multiplex, ac perpetuus ideò in eo aliqui rationem temporis conſtituere, indeque dictum autumant, quaſi temperatum, ab Solis, Lunæ, aliorumque ſiderum tenore, & temperato curſu. Sed enim benè inſurgit idem Auguſtinus? *loco cit. cap. 31 Audiui à quodam homine docto, quod ſolis & Lunæ, ac ſiderum motus ipſa ſint tempora & anni: cur enim non potiùs omnium corporum motus ſint tempora? An verò, ſi ceſſarent tali lumina, & moraretur rota figuli non eſſet tempus?* Iure quidem: quinimò ſi omnis motus ceſſaret, omnis fluxibilium duratio deperiret an non eſſet tempus ſaltem imaginarium? At enim quia mobilium omnium, vt dictum eſt conſtantiſſimi, ac regulariſſimi ſunt cæleſtes orbes, ideo non ab re dictum eſt ab eo viro docto tanquam per antonomaſiam ipſos eſſe tempora & annos, ſiquidem iurè aduertit D. Thomas 1. *parte quaſt.* 10, *art.* 6. tempus eſſe in primo mobili tamquam in ſubiecto, ac primo menſurato, correſpondet enim quodlibet temporis momentum cælorum conuerſioni, & quot in cælo conuerſiones, tot etiam tempora diſtinguuntur; Sed eorum omnium rector eſt primum mobile, quod ſpatio 24. horarum ſeſe in gyrum voluens diem conſtituit naturalem, Lunæ periodus, qua totum Zodiacum luſtrat, menſem; Sol autem ſua integra reuolutione per Zodiacum efficit annum; ſic etiam anni magni, & Epochæ, aliæque temporum differentiæ ex diuerſis reuolutionibus, aut congreſſibus cæleſtium corporum, præſertim vero luminarium vt in locis dictum eſt, conſtituuntur. Hinc eſt quod ſolis regiam pulchrè deſcribens Ouidius 2. Metamorphoſ. ei temporum diuerſa ſpatia, & interualla pro ſatellitio, & comitatu aſſignet: ſic enim canit.

*In ſolio Phœbus, claris lucente ſmaragdis*
*A dextrâ læuâque Dies, & Menſis, & Annus*
*Seculaque, & poſitæ ſpatiis æqualibus Horæ:*
*Verque nouum ſtabat cinctum florente corona*
*Stabat nuda Æſtas, & ſpicea ſerta gerebat*
*Stabat, & Autumnus calcatis ſordidus vuis*
*Et glacialis Hyems canos hirſuta capillos.*

Sunt autem nouem, præcipuæ temporum differentiæ, ſeu vt alii volunt, addita etiam hebdomada, decem: Annus, Menſis; dies, quadrans, hora, punctum, momentum, vncia, & atomus. Annus, vt dictum eſt, definitur à proprio curſu ſolis; menſis à Luna, ſed rectiùs ab ipſo ſole in men- 11.

ſe ſignum vnum permeante: hebdomada item à Luna, quæ tanto temporis ſpatio quartam Zodiaci partem perluſtrat poniturque in Solis quadrato, inde in oppoſito, poſteà in ſecundo quadrato, ac demum redit ad nouam coniunctionem. Dies deſignatur à Solis circulatione diurna motu primi mobilis abſoluta, qua totus æquator perfectè in gyrũ vertitur, ac ſingulæ eius partes ſpatio 24. horarum redeunt ad idem punctum. à quo pridie moueri cæperant: Quadrans eſt quarta diei pars, ſex horis conſtans, quo tempore Sol & reliqua ſidera ab vno ad alium cardinem Mundi feruntur, aſcenduntque æquatoris grad. 90. Hora eſt duodecima quæque diei noctiſque pars, ſiue ea inæqualis ſit, ſiue æqualis, vt in æquinoctiis, in qua aſcendunt quindecim gradus æquatoris ſupra horizontem, & punctum aliquod tranſeunt. Hora diuiditur in quatuor puncta, quæ nos horæ quadrantes vocamus, continentque 15. minuta temporis: in quo aſcendunt gr. 3. & min. 45. æquatoris. Punctum rurſus diuiditur in decem momenta: momentum in duodecim vncias: Vncia in 47. atomos. Atomus autem indiuiſilis conſtituitur, eſtque inſtans temporis præſens, qui dicitur nunc, cum aliàs aliæ differentiæ temporis, aut dicantur præteritæ, aut futuræ.

12. Sed hic Philoſophi in hac atomi conſideratione fatiſcunt. Quidni enim? Hæc atomus, hoc indiuiſibile inſtans, tempus eſt, an non tempus? Si tempus; ergò ſucceſſiuum eſt: ergo habet prius, & poſterius: ergò non totum præſens, ſed ex partibus conſtat, quarum vna præteriit, & non eſt, altera futura eſt, & adhuc non eſt: ergò non iam indiuiſibile inſtans. Si non tempus; quonam pacto in huiuſmodi atomos diuidi poteſt tempus? Quomodo cum tempore connexionem habere poteſt? quomodo præteritum ſimul, & futurum necti? Et ſi nectit, quomodò duo quæ reuerà non ſunt nectit? quonam pacto vnio vlla realis intelligi poteſt inter duo, quorum vnum iam eſſe deſtitit, alterum nondum eſſe cœpit? Rurſum ſi hæc eadem atomus in ſe fluxibilis eſt, quomodo ſucceſſiua? quomodo actu præſens? & qua ratione permanens eſſe poteſt, quæ ſtatim corrumpitur, ac deſinit eſſe? Benè Auguſt. *loco citato: ſi nihil præteriret*, inquit, *nõ eſſet præteritum tempus; & ſi nihil adueniret, non eſſet futurum tempus; & ſi nihil eſſet, non eſſet præſens tempus. Duo ergò illa tempora præteritum, & futurum quomodo ſunt, quando & præteritum iam non eſt, & futurum nondum eſt? Præſens autem, ſi ſemper eſſet præſens nec in præteritum tranſiret, iam non eſſet tempus, ſed æternitas: Si ergò præſens,*

*vt tempus ſit, ideò ſit, quia in præteritum tranſit, quemodo & hoc eſſe dicimus, cui cauſa vt ſit illa eſt, quia non erit, vt ſcilicet dicamus tempus eſſe, niſi quia tendit in non eſſe?*

Verùm omninò concludendum eſt, tempus ex atomis indiuiſibilibus ſingulis ſucceſſiuè præſentibus, atque actu exiſtentibus fieri: ſi enim ex partibus in infinitum diuiſibilibus conſtaret, vel neceſſario multæ particulæ temporis adhuc in infinitum diuiſibiles ſimul exiſterent, vel ſanè nunquam præterirent, quia nunquam ad partes vltimas, quæ totæ ſimul exiſterent, deueniretur, & ſi demum deueniretur, eæ iam non eſſent partes vlterius in prius, & poſterius, præteritum, & futurum diuiſibiles, ſed formaliſſimæ atomi. Quod autem hæ ſeorſim tempus non ſint, non arguit tempus non ex ipſis conſtare: Nam Tempus per omnes eſt numerus, & numerus motus: ergò debet ei conuenire quod numero, & tali numero motus. Numerus autem ex pluribus vnitatibus conſtituitur, quæ quidem ſingillatim numerus non ſunt, ſed vnitæ. Ita planè philoſophari licet in tempore, quod ex pluribus atomis indiuiſibilibus conſurgit, quamquam ipſa indiuiſibilia ſeorſim ſumpta tempus non ſint. Neque enim ex hoc quod omne tempus diuidatur in præſens, præteritum, & futurum, ſequitur aut aliquam differentiam temporis totam eſſe ſimul, ac proinde non habere ſucceſſionem: aut quodlibet inſtans ſeorſim tempus dicendum eſſe. Nam quælibet differentia temporis, aut accipitur materialiter aut formaliter: Si materialiter, dicit tot indiuiſibilia, quibus conſtat; ſi formaliter, dicit totum quid in vnum collectum ſiue præſens, ſiue præteritum, ſiue futurum, quod tamen habet ſucceſſionem: ſicut numerus materialiter ſumptus dicit tot, vel tot vnitates in ſeipſis indiuiſibiles, formaliter autem quilibet numerus eſt totus ſimul ex pluribus cõſtitutus: quaternarius enim vnus eſt non quaternus denarius vnus eſt, centenarius vnus eſt in plures centenarios indiuiſibilis, quamuis horum quilibet materialiter diuidi poſſit & in plures numeros, vt centum in duos quinquagenarios, decem denarios, viginti quinarios, denarius in duos quinarios, quaternarius in binos binarios, &c. & inſuper iam non in numeros, ſed in ſingulas vnitates, quarum ſingulis non competit ratio numeri, niſi cum aliis vniatur. Nunc autem quodlibet tempus, quoad vſque ad atomos deducatur vnum eſt habens prius, & poſterius, adeoque rationem ſucceſſionis, quamuis dicatur formaliter totum præſens, aut præteritum, aut futurum. Sic dicitur præſens ſæ- 13.

culum, quod centum annis conſtat formaliter totum actu, quia non dum tranſactum, ſed nec futurum: ſic præſens annus, præſens menſis, præſens dies, &c. quæ omnia dicuntur in ordine ad præcedentem aut ſubſequentem diem, menſem, annum, &c. licet & ipſi quoad partes ſucceſſiui ſint, quoadvſque ad vltimos atomos deueniatur: ſicut in numeris ſemper adeſt diuiſibilitas in plures, & plures numeros, quoadvſque tandem deueniatur ad vnitates omninò indiuiſibiles.

14. Item tempus, vt dictum eſt, eſt numerus motus: ergo id ei competit, quod & motui. Sicut igitur motus eſt in continua acquiſitione, ac deperditione partium; ità & tempus eſt in continua acquiſitione ac deperditione partium, ſcilicet inſtantium, quibus conſtat, licet formaliter in ſeipſo conſiſtat in ratione talis differentiæ temporis indiuiſum, atque ab aliis omninò diſcretum. Quod ſi cui difficile captu ſit, ſciat id eſſe proprium cuiuſlibet entis ſucceſſiui, eſſe ſcilicet in continua acquiſitione, ac deperditione partium. Nam vt benè Pererius *de principiis rerum naturalium lib. 12. cap. 1. Ens ſucceſſiuum dicitur eſſe, cum habet partes in continua quadam ſucceſſione; ita vt prior copuletur cum poſteriori per nunc præſens; ſicut dicitur generatio perpetua, non quod aliquod generatum ſit perpetuum, ſed quia ſucceſſio generatorum vnius poſt alterum ſit perpetua, & nunquam interrupta.* Id ipſum videre eſt in quolibet motu, vt in nutritione animalis, itinere, tranſitu, rota figuli, &c. quæ omnia ſunt in continua acquiſitione, ac deperditione partium ſui eſſe, quæ inuicem copulantur per nunc præſens, & cum hoc per extrinſecam immediationem, quamuis quæ præterierunt iam deſtiterint eſſe, & quæ futura ſunt non adhuc ſint. Ita profectò & tempus optimè poteſt intelligi ſecundum ſe totum quid reale eſſe, licet ſecundum partes ſemper in motu ſit, atque adeò ſemper in acquiſitione, ac deperditione partium ſui eſſe.

Temporum Domini. Vide Chronocratores.

15. Tenacium. Cometæ ſpecies ſubcinericio fumo luridi, quem Græci Pitheten appellant: reducitur ad Doliarem. Alij ex forma contendunt dicendum eſſe *Cœnaculum.* Vide ibi.

Tenebrosi gradus. Vide in V. Gradus.

16. Tepisatosoa Solis. græcobarb. dicitur in ſphæra barbarica tertius Decanus Geminorum manens ſub Dominatu Solis, dedignationis, iocandi, cauillandi, futilia audiendi, &c.

TEPISATRAS LVNÆ. ibidem dicitur tertius Decanus 17.
Aquarij,ſignificator detractionum, & deceptionum, ſub diſpoſirione Lunæ.

TEPISEVTH SOLIS. ibidem eſt ſecundus Decanus Scorpij, 18.
deceptionis, detractionis, nouas inimicitias inter homines ſerendi, & veteres confirmandi, cuius dominium ſpectar ad Solem,

TERMINI, ſeu *Fines Planetarum* ſunt certi quidam, & 19.
limitari gradus ſignorum, in quibus repertos planeras obſeruauir Antiquitas vires ſuas augere, ac maximas habere prærogariuas De iis multa diximus in V. *Fines.* Hic autem hoſtr curæ erir huiuſmodi diſtributionis congruentem rationem reddere, quam nuper excogitauit Tiius *in Cœleſti, Philoſophia* : ac non de finibus modò, ſed & de iure Domicilij, Altitudinis, ac Trianguli, Sic enim habet *lib. 2. cap. 12. Cauendum eſt, quod quinque Planeta Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, & Mercurius ratione ſuarum; proprietatum, & maximè coloris ſui lum nis habent inter ſe determinatos quoſdam qualitatum gradus ſimilis natura gradibus illis, quos Luminaria producunt omnibus ſuis lationibus. Dixi ſimilis natura; intelligo ſaltem quoad gradus, non quoad naturam qualitatis: Nam Luminaria non efficiunt qualilitates, quas Mars, & Saturnus, qua omninò corruptiua ſunt, &c. Et cenſeo, quod Iupiter habeat illos gradus qualitatis caloris, qui ex radio trino oriuntur; humiditatis verò illos gradus, qui ex radio ſextili: & propterea quod Iupiter ſit Fortuna maior, ratione maioris intenſionis caloris, &c. Sicut alibi dixi. Venus, quod contineat illos gradus caloris, qui ex radio ſextili ſiunt, humiditatis vero, qui ex trino: & hinc quod ſit fertuna minor ratione maioris qualitatis paſſiua. Saturnus, quod habeat illos gradus frigiditatis, qui ex oppoſitione ſiunt, ideſt ſummos, ſiccitatis verò illos gradus, qui ex quadrato oriuntur, & idcirco quod ſit Infortuna Maior, ratione exceſſus frigiditatis ſupra ſiccitatem: Tandem Mars obtineat illos gradus ariditatis, qui ex oppoſitione emergant & caloris deſtructiui illos gradus, qui ex quadrato; & ideò quod ſit Infortuna minor. Mercurius, quia inconſtantis apparet coloris, inconſtantis natura cenſetur eſſe, & experimento conſtat.* Cuius rei triplicem rationem aſſignat: primò quod Luminaria ſuis lationibus generant quatuor primas qualitates à primo gradu vſque ad octauum, & ſummum: Secundò quia Luminaria eo quod exhibent omnes colores ſua luce, conſequenter veniunt exhibere etiam illos gradus qualitatum, quos ſingulari planetæ exhibent

ſuis coloribus : Tertiò tandem ad proportionem radiorum, ad ſonos harmonicos, ac permixtione radiorum ad ipſos. Hinc Luminaria à iure finium excluduntur, & ſolum quinque erratica aſſumuntur. ( quamquam Campanella aliam rationem aſſignat *lib.* 1. *ca.* 7. *art.* cur termini Luminaribus non aſſignentur: quia, inquit, terminus ſpecificat effectum: Luminare autem generaliter operatur, ſed omnia ſigna à Leone in Capricornum ſunt quaſi termini Solis, vti à Cancro in Aquarium, Lunæ. ) Hinc poſito hoc ſtabili fundamento, deſcendit ad finium rationem reddendam. *In exordio*, ait, *Arietis ſex partes Iouis fines ſunt, & ſex ſequentes Veneris; quia ibi incipit augeri lumen dierum viuificum ſupra tenebras noctium; ideoque partes illa benefica ſunt: deinde octo partes Mercurij ex radio inde quintili ad Tropicum Cancri: quæ ſuperſunt fines Martis, & Saturni ſunt, qui ſemper vltimas partes ſignorum habent eoquod radij antequam attingantur ſecundum ſuas proportiones, non adeò felices ſunt, quemadmodum conſonantia harmonica diſſentiunt validiſſimè ante veram proportionem. In exordio Tauri octo partes, fines Veneris ſunt, ratione trini ad tropicum Capricorni, & ſextilis ad Cancrum: poſteà ſex Mercurij ex biquintili ad Libram: quamuis reuerà ſecundum partes non aquè benè correſpondeant: inde octo Saturni ratione ſeſqui quadrati, qui radius hoſtilis eſt, ad initium Capricorni, & Libra; quinque Iouis ratione biquintilis ad tropicum Capricorni: qua remanent Martis ſunt. In Geminis ſex Mercurij, ratione Domus, & ſicut dixi ſex Iouis, & ſex Veneris ratione quintilis ad initium Arietis: Et ita correſpondet hic radius, vt ponatur in medio finium Iouis, & Veneris, ne putes hac eſſe figmenta; qua potius admiratione ſunt digna: reliqua partes infortunis dantur. In Cancro, ſeptem partes ſunt Martis ex quadrato ad initium Arietis; ſex Veneris, ratione humiditatis tropici: ſex Mercurij, & ſeptem Iouis ob quintilem ad initium Libra: quatuor vltima Saturni. In Leone ſex Iouis propter trinum ad Arietis initium; quinque Veneris, ob radium biquintilem ad tropicum Capricorni: ſeptem Saturni, quia incidit ibi ſeſquiquadratus ad initium Capricorni, & Arietis: qua remanent Mercurij, & Martis ſunt. In Virgine ſeptem ſunt Mercurj ob ſextilem ad Cancrum: Decem Veneris, & quatuor Iouis propter quintilem ad tropicum Cancri; reliqua infortunarum. In Libra ſex Saturni propter oppoſitionem ad initium Arietis & quadratum ad Cancrum: octo Mercurij indifferentes: ſeptem Iouis, & ſeptem Veneris, ex quintili ad tropicum Capricorni; adeo vt*

*quintilis ſit ferè in medio finium Iouis, & Veneris: reliqua dua Martis. In Scorpione ſeptem Martis ex quadrato ad Leonem: quatuor Veneris ratione trini ad tropicum Cancri: octo Mercurij, quas cenſeo maleficas eſſe ob ſeſquiquadratum ad initium Cancri, & Arietis: quinque Iouis ex biquintili ad tropicum Cancri: ſex Saturni. In Sagittario duodecim ſunt Iouis, quinque Veneris propter trinum ad initium Arietis, & quintilem ad initium Libræ, qui inter fines Iouis, & Veneris ad vnguem ponitur: quatuor Mercurij indifferentes: reliqua Saturni & Martis. In Capricorno ſeptem Mercurij, quas potiùs Veneris putarem cum Chaldais propter initium augmentationis dierum: unde ſeptem Mercurij, ſeptem Iouis, ſine ſint Veneris ob quintilem ad initium Arietis, reliqua infortunarum. In Aquario ſeptem Mercurij ob ſextilem ad Arietem: ſex Veneris, ſeptem Iouis: ſed ego cenſeo eſſe Saturni propter ſeſquiquadratum ad Cancrum, & ad Libram: & quinque ſequentes Iouis, ob radium biquintilem ad Libram: vltima Martis ſunt. In Piſcibus duodecim ſunt Veneris ob trinum ad Cancrum, & ſextilem ad Capricornum; qui radius eſt in medio finium Veneris. & Iouis exquiſitè: tres Mercurij indifferentes: reliqua infortunarum. In qua finium vniuerſa diſtributione tantum in medio ſigni Aquarij videtur aliqua difficultas; in reliquis omnibus correſpondent fines miro modo, iuxtà radios partium ſignorum ad puncta mobilia, vnde incipiunt Aſtra influere primas qualitates.*

Hucuſque Titus: cuius ratiocinationem eiſi pro noſtro inſtituto longiuſculam, volui nihilominus ipſiſſimis eius verbis referre, ne fortè alienis verbis expreſſa, quicquam ſuæ maieſtatis, atque energiæ deperderet.

TERNVELLES in Tabulis Perſicis ſignificat Ærculem, ſeu Ingeniculum ſidus ad borealem plagam conſtans ſtellis 28. ſecundum Ptolemæum, at iuxtà Bayerum 48. de quo ſatis alibi dict um. 20.

TERRA Vniuerſi iſtius Centrum, ac baſis, ſuprà quam cætera elementa innixa ſunt, & circà quam cœleſtes orbes rotantur quando ipſa vt ait Poëta. 21.

*Ponderibus librata ſuis immobilis hæret.*

Conſtituit cum elemento Aquæ vnum corpus ſphæricum, cuius rotunditati non plus officiunt montium altitudines, valliumque cauitates, quam in aurantij pomo tuberculi prominentes: quod magno Diuinæ prouidentiæ conſilio factum, cenſendum eſt; quò homines, & animantia probè ibi poſſent conſiſtere, & omnem eius regionem inhabitare. Quandoquidem cum primò creata eſt ea perfectè ſphærica

fuit, totaque ſe ſola vnum, & eumdem globum forambat; itavt vndique Mari, quod naturaliter terræ imminere debet, alluerctur: At poſtmodum ad Summi Opificis nutum quo dixit Gen. 1. *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida*; mox plurimæ eius partes in diuerſa loca tranſlata ſunt, ampliſſimos ſinus, quos aquæ excurrentes implerent, in loco vnde diſceſſerant relinquentes: inde montium ſublimitates, & prominentiæ apparuerunt, quos nil aliud eſſe quam partes terræ, quæ prius maris concauitates implebant, ad Diuinum poſteà verbum illuc coactas, quò tota terra fieret habitationi ſatis idonea, grauiſſimi Expoſitores teſtantur: Quam rem vel ex eo probant, quod Nautæ ſæpiſſimè experti ſunt, tantam eſſe alicubi Maris profunditatem, quanta Montium altitudo. Ex quo ſequitur, terram in hoc ſtatu conſiſtere quodammodò violenter, ac proinde ad ſuum ſtatum priſtinum naturaliter tendere: idque non leuiter ſuadent Montium corroſiones, locorumque humilium repletiones ſenſim factæ, quibus manifeſtè oſtenditur terram paulatim complanationem ſuam affectare. Teſtantur hoc Romæ ædificiorum fundamenta in ſummitate Capitolini montis extantia, omni terra nudata, atque in radicibus eius Amphitheatrum, Triumphalis Arcus Septimij, aliaque ædificia iam planè terra è vicino monte decliueſcente, obruta, ac ſepulta. Probat id etiam Maris repletio, præſertim in Adriatico, vbi Aquileia, Adria, Patauium, Rauenna, aliæque vrbes olim ad Mare erant; quæ tamen nunc temporis ob multam terræ aggerationem valdè ab eo diſtant: eo quia imbrium alluuione fluuiorumque naturali pondere ſeſe in Mare exonerantium magna arenæ glareæque vis illuc apportatur, quæ tandem eius alueum paulatim compleat, ac proinde æquæ ſemper magis ac magis intumeſcant, ac promineant: vt aliquando futurum ſit, terram tandem vſquequaque mari operiendam, atque in priſtinum ſtatum redigendam; quemadmodum iam ex parte id pleriſque in locis factum videmus, præſertim in littore Balthico, Danico, & Hollandico, vbi non ità pridem integra Prouincia à maris ingluuie abſorpta fuit, & ne reliqua tellus inundaretur, indigenæ multis, præaltiſque aggeribus occurrerunt. Ex quibus omnibus euidenti demonſtratione colligitur, Mundum, neque æternum fuiſſe, nec ſemper hanc figuram qua nunc præditus eſt, habuiſſe, nec in ea perpetuò extiturum, quia profectò veniet tempus, quo terræ globus ad perfectam rotunditatem redibit, atque à mari ita inundabitur, vt iam fiat inhabitabilis, proinde-

que mortalium genus ſit neceſſariò deſiturum: quod ſanè iam præſtitum foret ſi Mundus ab æterno has rerum viciſſitudines paſſus eſſet.

Eſt igitur terra, vt dictum eſt, Vniueſi iſtius centrum, & quamuis mole tam grandis, vt eius ambitus iuxta Recentiorum obſeruationes ſit milliar. 11583294 5. nihilominùs ad cœlum, atque ad ſuperiores Vniuerſi ipſius partes comparata, eſt inſtar puncti planè inſenſibilis, quod, tum ex ſiderum præſertim fixorum parallaxi, quæ nulla excipitur à quacumque terræ parte contemplentur, tum ex aliis experimentis manifeſtè conuincitur. Vnde pulchrè Seneca in præfatione quæſt. Natural. eius conſiderationem ingerens, dicebat. *Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur: punctum eſt illud in quo nauigatis, in quo bellatis in quo regna diſponitis.* Quare, vt rationi, ac Sacris Paginis repugnans reiicitur Nicetæ Syracuſani, aliorumque antiquorum philoſophorum opinatio, (quam ſuperiori ſæculo excitauit Nicolaus Coppernicus, & Galilæus, ac multi alij, adeò vt oportuerit rem præcepto compeſcere, eamque opinionem à Sacra Congregatione vti erroneam declarari,) exiſtimantium non terram, ſed ſolem in Mundi centro conſiſtere, ipſamque terram iugiter cum Luna in eius orbe circa ſolem rotari. Reiicitur inquam hic error, tum quia terra eſt elementum omnium grauiſſimum; cui naturaliter debent omnia corpora ſuper eſſe: eſt item omnibus mundi partibus, vilior debuit ergo nouiſſimum, atque infimum locum tenere in Mundi ipſius meditullio, vbi tanquam fundamentum omnium ſtaret, & in ſuo centro quieſceret, vnde Pſalm. 130. dicitur. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi:* & apertius Pſal. 92. *Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur:* vertit Hebr. & Pagnignus, *vt non ſe moueat:* item Pſalm. 101. *Tu in principio Domine terram fundaſti.* Similiter Eccleſ. 1. *Terra autem in æternum ſtat:* & de Sole Mobili dicitur ibidem. *Oritur Sol & occidit, gyrat meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Quæ omnia Patres communiter & vnanimi ſenſu literaliter intelligunt de terræ ſtabilitate in centro Mundi, ac de Solis perpetua circumagitatione. Tum etiam quia id clarè euincunt experientiæ: videmus enim grauia omnia in Mundi centrum tendere: perpendicula enim è quocumque loco demittantur in terram, ſemper & æquabiliter terræ ſuperficiei inſiſtunt, anguloſque æquales cum terræ ſuperficie efformant, quippe vtpote grauia in centrum Mundi naturaliter tendunt: Videmus ex quacumque

telluris parte cæli medietatem, & eaſdem ſtellas in eadem diſtantia ſemper eſſe. Videmus lapides magna vi ſurſum proiectos in eundem terræ locum, è quo proiiciuntur, recidere, quod non eueniret, ſi terra circulari motu, eoque velociſſimo cieretur: & alia huiuſmodi, quæ manifeſtè probant terræ ſtabilitatem.

Sed adhuc hoc ſtabilito, dubium nihilominùs integrum manet, An Terra abſolutè dicenda ſit Mundi Centrum, vel potiùs Sol; quem ſuprà diximus ex Tychone nobiliſſimum locum tenere conſtitutum in medio planetarum, qui omnes excepta Luna circà ipſum rotantur tanquam circa proprium centrum.

Et ſanè id Vniuerſi Centrum dicendum foret, in quod præcipuæ partes concurrant, quod pro centro reſpiciant, & à quo omnis motus, omnis actio ſumat exordium: Atqui in hoc munere Sol longè telluri præualet, quæ potius nouiſſimo loco poſita eſt Vniuerſi pars vilior, ac deſpectior, nullo prorſus motu (ex quo nobilitas agentis dignoſcitur,) nulla actiuitate prædita, eſt potius ſubiectum paſſiuum operationum cæterorum agentium, proindeque Luminarium, & Orbis ſtellati Centrum.

Verum hac in re diſtinguendum cenſerem: Nam vel pro centro ſumitur nobiliſſima pars vnde ſit initium omnium operationum & quodammodo vitæ fons vniuerſa ordinans, ac viuificans; & hoc ſenſu dicendus eſt Sol Vniuerſi Centrum. Vel pro centro intelligitur pars deſpectior, infimo loco poſita, proindeque in meditullio, vnde nil habeat ad reliqua operari, ſed omnium operationes in ſe recipiat, ſeque paſſiuè habeat: & tunc dicendum eſt tellurem eſſe iſtiuſmodi Centrum, ipſa enim eſt Vniuerſi pars abiectiſſima, ſola immobilis, quæ nil habeat in pulcherrima cæli lumina operari, ſed omnium operationes, omnium influxus in ſe recipiat. Id quod etiam comparatione Microcoſmi, qui cum Vniuerſum iſtud mirabilem ſeruat analogiam, euidenter probari poteſt. Nam in homine, ſi pro Centro nobiliſſimam partẽ ſumamus quæ ſit initium, & regula omnis operationis motus, eſt Cor: ſi verò partem abiectiſſimam, in corporis humani meditullio collocatam, quæ ſola omnium operationum ſit ſcopus, is eſt Vmbilicus & Venter, ſolus piger, Solus immobilis, qui nulla operis, nulla rei nobilitate præditus ſit, veluti paruiiſtius Mundi chloaca, quemadmodum Infernus eſt Vniuerſi: ac proinde ſecundum diuerſas acceptiones diuerſum eſt etiam Mundi Centrum, licet, ſi pro parte inferiori ac deſpectiore ſumamus, ea ſit Tellus.

Exiſtimauit

Exiſtimauit Origenes, vt videre eſt in eius Commentar. ſuper Ezechielem, terram eſſe magnum quoddam Animal ſenſu, & ratione prædi um, eoquod ibi cap.1 .. dicatur coram Deo peccaſſe: Quæ dicta per proſopopeiam ipſe litteraliter intellexit. Sed & Keplerus in Epitome Aſtronomiæ Copernicceæ terreſtrem globum vita præditum, & ſua anima non quidem intellectiua, aut ſenſitiua, ſed longe ab his diuerſa informarum conſtantiſſimè autumat. Cuius rei nullum manifeſtius argumentum proferre ſe putat, quam Maris fluxum & refluxum, qui magni iſtius corporis ſit velutī vita, & reſpiratio. Cuius ratiocinationes fuſè expendit Ricciolus *lib.9. ſect.4. cap 4.* & fuſiùs *cap 7* aitque *num.* 11. in hanc eandem de telluris anima opinionem ex magnetico fibrarum ductu proceſſiſſe Guillermum Gilbertum *lib.5. de Magnete cap.* 12. vbi vim magneticam ob tam varios, & mirabiles motus, aut quamdam animam eſſe, aut facultatem animæ imitatricem contendit, & *lib.6. cap.4* experimentis Terrellæ oſtendere conatus erat telluris globum eſſe magnum magnetem.

Eſt autem *Terrella* nil aliud, quam magnes in globi formam contornatus, in quo deprehendere licet id experiri volenti duos polos, ac facies axem ipſius terminantes: & acus magneticę ſuperimpoſitę ſemper congruunt illius axi ſecundum ſui longitudinem: ſed quoad altitudinem inclinantur magis, minuſque verſus polos terrellæ prout magis, minuſque diſtant ab ipſis. Cum ergò ſimilia eueniant in acubus magneticis reſpectu axis mundi & terræ, hinc ſibi ſatis probabiliter viſus eſt colligere terram eſſe magnum magnetem: & ſicut terrellæ globus pyxidi ligneæ incluſus, vt ſupernatare poſſit, & aquæ ſuperpoſitus, itavt eius polus borealis in Auſtrum tendat circulari motu ſe circà ſui centrum conuertit, donec ipſius polus boreus boream reſpiciat; ita iudicat tellurem reuolutioni magneticæ aptum eſſe, vt poſitionem ſuam ad Mundi polos, quam ſemel habuit conſeruet. Quod adhuc verius eſſet, ſi, vt affirmat Petrus Peregrinus terrellæ globus ſuper polos ſuos in meridiano ſuſpenſus reuolueretur in horis 24. Cæterum hanc Kepleri opinationem de terræ anima largo modo ſumptā pro principio intrinſeco vitæ, ſunt qui exiſtimant non omninò falſam, nec Sacris Paginis, aut Philoſophię principiis contrariam, qua de re vide quæ de Mundi forma diximus in V. Mundus. 24.

Credibile eſt terreſtrem globum illuminari à Sole non ſecus ac cœleſtia corpora, quæ item in ſe ipſis opaca ſunt, & denſa, ſed à Solis radiis in eorum ſuperficie plana, ac leui- 25.

gato terminantibus illuminari. Quamobrem ſi quis extrà telluris ambitum fieret, atque in Orbe Lunæ conſtitutus eam de longe contemplari poſſet, perinde eam videret, ac nos ex ipſius ſuperficie Lunam cum omnibus illis phaſibus quas nos in iſta videmus, vt præ cæteris aduertit Galilæus verè lyncæus, qui cæleſtia omnia ita rimatus eſt, vt iam exinde nil nobis opinabile ſit relictum, nihil imperuium. Notauit enim in Nouiluniis Lunare corpus nonnihil lucis habere ea ex parte quæ Soli aduerſa ab eo illuminari nullatenùs poteſt: quæ profectò lux aliud eſſe non poteſt quam reflexio lucis terræ à Sole communicatæ, quæ in Lunam incidens eam tali modo illuſtret; ſicque grata vice rependat, quod ab illa noctu accipit, & mutua permutatione Luna, & tellus ſolis lucem reuerberent, ſeque inuicem illuſtrent. Quod confirmari poteſt ex eo quod propè Nouiluuium id ſemper, & tantummodo accidit: tunc enim Sol, & Luna ſunt in eodem cœli ferè ſitu; & loco, ad quem directè fit radiorum Solis à terra reflexio: poſteà verò recedens Luna à Sole minùs participat de terræ reflexione, quia reflexio de ſui natura petit, vt in illud radios dirigat, vnde ij proceſſerunt directè.

26. Terræmotvs eſt ſubita atque inopina terræ concuſſio, ac tremor, ex aëre alicubi incluſo, qui ſiue à ſubterraneis ignibus, ſiue calore hyemali tempore per antiperiſtaſim concepto incenſus, ac rarefactus foras exire contendit, atque ob telluris ſoliditatem quam ſibi opponi ſentit, mirè eam quatit, & concutit. Accidit autem id, vt habet Philoſophus 2. *Meteor c.* 8. ob exhalationem quandam viſcoſam, & craſſam in cauitatibus terræ conceptam, quæ tandem, vt de ventis etiam ſuprà terram fit, in aërem reſoluitur, ac dilatatur; indeque eſt, quod ipſum præcedat aliquando ſonitus, & mugitus de quo Virgilius:

*Sub pedibus mugire ſolum, & iuga alta moueri.*

Quandoquidem aër colliſus in internis illis terræ concauitatibus reboat, & ſi quidem exhalatio parua ſit, habeatque aër ſpiracula vnde exeat, fit ſonitus ſine motu; ſin minus, exitum ſibi parat vtcumque, ſicque terram ſcindit, atque ædes proſternit. Octo autem horum motuum genera enumerantur à D. Io: Damaſceno cap. 16. l. Phyſicæ, & Volaterrano in Phyſiologia. Tromodes, Palmoies, Epiclintæ, Braſtæ, Reithen, Mycetias, Palmatiæ, & Mectas. Sed audiamus Apuleium *in lib. de Mundo*, eleganter eos deſcribentem ac numerantem. *Horum*, inquit, *motuum tam varia nomina, quam diuerſi: namque obliquis lateribus proxi-*

*tur quoque iactantes, & acutis angulis mobiles Epiclinta graecè appellantur: qui ſubſiliunt, excutientes onera, & reciprocantes directis angulis Mobiles, Braſta vocantur, illi qui abſtrudere videntur, Chaſmatia dicti: quorum impulſu diſſilit tellus, Reita ſunt nominati: item Oſta ſunt motus, quibus ſolum quatitur: Palmatia verò appellantur quorum pauitatione illa qua trepidant ſine inclinationis periculo nutant; cum directi tamen rigoris ſtatum retineant Micetias vocantur tetri ſudoris inquietudo terrena, &c.* aliter autem eoſdem deſcribit Ammianus Marcellinus, ac Cælius Rhodiginus *lib. 16. cap. 14.* Vt plurimum generari ſolent in Vere & in Autumno, atque in regionibus calidis, fungoſis, & cauis, vbi aër includi facile poteſt; vel huiuſmodi exhalationum magna copia gigni. Ob idque huic peſti maximè ſubiectum eſt Neapolitanum Regnum, vt experientia temporibus noſtris audiuimus Calabriam bis huiuſmodi motibus quaſſatam, poene totam ſubuerſam. Ipſa quoque Neapolitana Ciuitas ferè quotannis ob Veſuuij, ac Puteolorum vicinitatem his motibus quatitur, licet ob Diui Ianuarij tutelarem opem, ſiue etiam ob multa puteorum aliarumque cauernarum ſpiracula à ruina immunis ſemper exiſtat. Econtra Iberniæ Regnum ob Soli duritiem nunquam terremotibus agitatum ferunt Hiſtorici, ac præſertim Ortellius. Solent autem potiſſimum accidere noctis tempore, etſi de die, ferè ſemper hora meridiana vt habet Kekermanus, Pſellus, & alij. Ratio autem eſt, quia de nocte ob terræ frigiditatem cum habeat poros clauſos, euaporatio impeditur, & aliunde diuerſio, & egreſſus exhalationum. De die uero in meridie, cum exhalatio inferior continuetur cum exhalatione exteriori, & exterior præ nimio caloris æſtu in meridie diſſoluatur non continuatur cum inferiore; vnde eſt, quod inferior intrà terram diſcurrit, & Terremotus cauſatur, vel dici poteſt, quod id in meridie per antiperiſtaſim fiat: vndique enim Solaribus radiis percuſſa telluris ſuperficies, & calefacta intendit interiorum terræ partium frigus; qui fit, vt aër per eiuſdem poros exhalare nequeat, ſicque foras cum impetu proſilire geſtiens terram concutiat. Porrò Terræmotus duratio breuis eſſe ſolet, eo enim ipſo ac terra alicubi ſcinditur, exhalatio prodit, ac terra diu quati finit. Non negauerim tamen aliquando multum etiam temporis durauiſſe, vt de memorato Calabriæ terræ motu compertum eſt. Et ſanè anno Chriſti 651. Bizantij tempore Theodoſij Imperatoris, quatuor menſes duraſſe ſcribit Baronius. ac tandem puero occlamante; *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus, &*

*immortalis miſerere nobis*, mox diuinitus ceſſauiſſe. Sed & Cordubæ terremotum tres annos duraſſe tradit Auerroes: quo tempore ſcribit Ioannes Anglicus Hiſpaniam ab Africa, & Oſſam ab Olympo ſeiunctam fuiſſe.

27. Multa ſunt Terræmotus ſigna, quæ nos, vt contrà ipſum præmuniamus edocent. Imprimis cum naturaliter prænoſcunt muta animantia, vt mures, qui è domibus mox caſuris aufugiunt: item Gallinæ, & Pauones hac illac inordinatè diſcurrentes ac volitantes, atque ſiue in montes, ſiue in ædium ſuperiora contendentes: quo ſigno refert Sueſſanus in ſua Meteorologia præmonitum Anaximenem Philoſophum terræmotum mox futurum prædixiſſe. Cuius rei rationem afferunt tetrum odorem ab ipſis alioqui acutiſſimi olfactus, è terræ viſceribus ob peſſimam illam exhalationem proſilientem exceptum, atque adeo ob id animalia loco aufugere. Secundò ipſum terremotum præueniunt leues quædam concuſſiones, mox aliquando, vt ſupra diximus ſonitus, quibus quaſi vocibus naturæ Author nos admonet *vt fugiamus à facie arcus. vt liberentur electi.* Tertiò ſi aqua in puteis ex ſe fiat turbida, ac tetrum odorem mittat; ſi ebullierit, & quodammodo ſubſiliat, & ſurſum aſcendat: etenim hæc omnia effectus ſunt exhalationis foras exire contendentis. Item ſi fiat tranquillitas aëris intempeſtiua: ſi interdiu, aut paulò poſt Solis occaſum ſereno cœlo appareat nubecula quædam tenuis inſtar lineæ in longum protenſæ: ſi media æſtate ingruat inſolitum frigus. Si mare abſque ventis ſubito intumeſcat; & alia huiuſmodi, quorum longam ſeriem affert Ariſt. loco citato, Seneca *in quæſt. naturali. lib. 6.* Plin. *lib. 2. cap.* 38. Sed omnibus abundantior eſt Reſta de Meteoris lib....

28. Porrò contra terremotus præſidium nullum in Natura extare rectiùs exiſtimauerim. Eſt enim Dei Vindicis flagellum, quemadmodum & peſtilentia, aduerſus quam nullum planè datur antidotum. Si vllum eſſet, id ſane foret terram cauernis, & pluribus puteis aperire quò pernicioſus ille halitus viam ſibi ad exeundum parare poſſit: vti in vrbium obſidionibus per aduerſos cuniculos ſubiecti tormentarij pulueris, atque incenſi impetum aliò declinari non ſine fructu videmus. Antiqui carbonum, ac lanarum vim in ædium fundamentis iactam vtiliſſimum contrà huiuſmodi motus præſidium exiſtimabant: vnde & in celebri illo Dianæ Epheſiæ Fano, vno ex ſeptem Orbis Miraculis idipſum factum legimus, ne terræmotibus quateretur. Alij Domus humiliores habitare conſueuerunt, iſtæ enim difficiliùs

runt: vnde & Traianus iuſſit ne Domus ſexaginta pedes excederent. Sueſſanus econtrà perpendens periculum halituum peſtilentialium è terræ hiatibus erumpentium, putat opportunius eſſe edita palatiorum inhabitare, hæcque ob validiſſima & profundiſſima fundamenta difficilius ruere. Lineſius nullum maius effugium fore aſſerit, quam in mare contendere, atque in Nauibus ſe recipere. Verum nullum validius antemurale, quam in Deum confugere, & lachrimis, ac piis operibus eius miſericordiam implorare. Scribit Nicephorus *lib.* 17. *cap.* 3. cum magnus adeſſet Antiochiæ terremotus ſub Iuſtino Imperatore, eas Domos minimè læſas, in quibus præ foribus, aut in angulis hæc breuis oratio ſcripta eſſet: *Chriſtus nobiſcum, ſtate.* Potentiſſimum etiam eſt quod ſuprà ex Baronio retulimus Glorioſum Triſagium à puero diuinitùs decantatum, noſque in nuperis Regni noſtri motibus mirabilis efficaciæ experti ſumus.

Denique plurima etiam terræ motus effecta connumerantur. Vrbes integræ ſolo æquatæ; peſtilentia mox ſequuta: Montium arietatio, & in vnum coïtio, quemadmodum in eremo Sabbæ circà annum Domini 734. Scribit Theophanes Iſauricus apud Anaſtaſium Bibliothecarium: & in Agro Mutinenſi factum fuiſſe memoriæ tradit Plin. *lib.* 2. *cap.* 38. *In agro*, inquit, *Mutinenſi montes duo inter ſe concurrunt crepitu maximo aſſultantes recedenteſque inter eos, flamma, fumoque in cœlum exeunte interdiù, eo concurſu villæ omnes eliſæ, animalia permulta, quæ intra fuerant exanimata ſunt;* Nouæ aquarum ſcaturigines, vt ſcribit idem Plinius: fluuiorum in contrarias partes conuerſio: eorumdem exſiccatio: nouarum Inſularum, & Montium eruptio, atque ad alia loca tranſlatio; vt de quadam regione refert Sueſſanus vi terræ motus fuiſſe in Mare aſportatam, ibique cum per menſem ſtetiſſet ſupernatans viuis adhuc hominibus, ob Soli ariditatem, & materiam pumicoſam, demum demerſa fuit omnibus hominibus illis miſerè pereuntibus. Memorabile eſt etiam quod refert Plato in Timæo in hæc verba. *Atlantis Inſula vaſto gurgite merſa eſt, quam ob cauſam innauigabile pelagus illud propter abſorptæ Inſulæ limum relictum tunc pelagus illud nauigabile erat; Inſulam enim habebat ante oſtium, quod vos columnas Herculis appellatis.* Quod tamen fabuloſum exiſtimat Ioſeph Acoſta *li.* 1. *Hiſtor. Indic.* Nicephorus quoque teſtatur fœminas ſæpiſſimè aborſum paſſas: idque facilè credi poteſt contingere ſiue ex timore concepto, ſiue etiam ex noxio halitu quem exciperent: ſicut etiam quod notat Eurgerius apud Antiochiam 29.

homines mente captos remanſiſſe. Hæc & alia plura Terræ motus effecta refert Kekermanus in ſua *Meteorologia*.

30. Terrea signa in Cœleſtibus ſunt quæ participant in qualitatibus terreis, nempè in frigiditate, & ſiccitate, haſque efficiunt in ſublunaribus hiſce. Ea autem ſunt Taurus, Virgo, & Capricornus: ſigna equidem fœminina, quandoquidem plus abundant in ſiccitate, adeoque qualitate paſſiua, quæ vt in loco diximus idcirò fœminea dicitur. Atque ob id Lunæ, ac Veneri, planetis videlicet fœmineis iurè optimo aſcribitur, quorum Luna huic triangulo præeſt de nocte, Venus autem de Die. Obſeruat Ptolemæus *lib. 1. Quadrip. cap. 16.* hunc trigonum eſſe præcipuè auſtralem ob Veneris Dominatum; quæ proinde ex ea parte ciet ventos calidos, & humidos: ſed propter Saturnum, qui eſt Dominus Capricorni admittit etiam ſubſolanum Quæ verò regiones, & Ciuitates huic Triangulo ſubſint, vide apud eundem Ptolemæum *lib. 2. cap. 2.*

Testvdo vide *Lyra*, *Fiſtula*.

31. Tetraedrvm apud Geometras audit figura ſolida ſub quatuor triangulis æqualibus, & æquilateris comprehenſa: de quo vide Euclidem lib. 11. defin. 26.

32. Tetragonvs, ſiue *Tetragonum*, græcè ſignificat figuram quatuor angulis conſtantem. Ab Aſtronomis verò ſæpiſſimè accipitur pro radio, & aſpectu quadrato.

33. Tev Vazaltene arabicè audit linea meridiana ſupra terram in planisſphærio conſtituta, atque deſcripta, cuius opè maiorem fidem altitudinem venari Solemus.

34. Thamyris apud quoſdam (teſte Alchabitio) ſignificat ſplendidam Coronæ Gnoſſiæ ſtellam, ſecundæ magnitudinis ſæpiùs memoratam, quæ etiam apud alios Theſeus appellatur.

Tarrigoleth item hebraicè dicitur Gallina, ſidus ad Galaxiam, teſte Kirchero in Oedipo Ægyptiaco.

35. Thea græcè dicitur Tertia Domus in figura cæleſti ab horoſcopo cadens, eo quod ſit paruæ Religionis, fratrum, ſororum, & itinerum ſignificatrix, adeoque boni ominis: Quæ quidem, etſi cadens eſt nihilominus fortunata, & habet fortitudinis partem vnam. Simi'iter.

36. Theos dicitur Nona Domus illi directè oppoſita, cadens ab angulo occidentis: verum ſi proceſſum planetarum diurnum conſideremus ſuccedens Angulo Medij Cœli: & ideo fortunata habens duos calculos fortitudinis: eo quia inde Planetæ reſpiciunt trino radio, hoc eſt perfectę amicitię,

horoſcopum: Itinerum ratio, ſtudiorum, ac præſertim memoriç hinc auſpicari ſolet, nec ſanè abque fundamento: hæc enim temperamentum ſequuntur, quod quando eſt ſiccum retentiuam adiuuat, quemadmodum humidum deſtruit,licet citò capere faciat: Atqui Planetæ ex Nona domo cadentes, ac ſiccis qualitatibus præditi reſpicientes de trino horoſcopum iiſdem qualitatibus naſcentis animum imbuunt. Gaudet in hac Domo Iupiter, qui cum naturaliter ad religionem, ac pietatem propellat, nil mirum, ſi præſtet vt & iſta Domus ſit naturalis Religionis ſignificatrix.

Thema apud Firmicum alioſque Aſtrologos paſſim ſignificat delineationem cæleſtis Signorum, Planetarum, aliorumque ſiderum poſitus in cœleſti figura erecta ad aliquod temporis momentum, vnde rei alicuius tunc temporis cœptæ affectiones expiſcari ſolent. 37.

Themeso in ſphæra barbarica audit primus Decanus Capricorni, manens ſub dominatu Iouis, habenſque ſignificata ſpatiandi,perdendi cum debilitate,& vtilitate gaudendi, &c. Item 38.

Thesogar in eadem ſphçra dicitur primus decanus Geminorum ſub diſpoſitione eiuſdem Iouis, cuius eſt indicium tabellionatus, calculi dati, & accepti, petitionum, ſcientiarum inutilium, &c. Item 39.

Theopibvi ibidem dicitur ſecundus Decanus Piſcium quem ſimiliter gubernat Iupiter, habetque ſignificare gloriationis genium, animi elati immiſcendis ſe rebus arduis. Similiter. 40.

Thopitvs in eadem ſphæra barbarica audit ſecundus decanus Virginis ſub dominatu Veneris adducens genium quæſtus, opum cogendarum, auaritiæ, &c. 41.

Thrascias alias Circius Ventus vehementiſſimus,Septentrioni lateralis, mediuſque inter ipſum & Borrolybicum: de quo alibi fusè diximus. Nomen iſtud ad Thracia ſortitus eſt, eo quod ex ufflando per illam prouinciam tranſeat: qua etiam ratione ab Hiſpanis ventus gallicus dictus eſt. Flare ſolet in Veris initio, & in fine Autumni, quibus temporibus fulmina,nimbos,& procellas adducit: nocet muſculis, neruis, articulis; adeoque cauſat pleuritides, laſſitudines, artuumque contractiones. 42.

Trhonvm, Solium, atque Carpentum, appellant Aſtronomi multiplicem, aut ſaltem duplicatam dignitatem Planetç quam tunc is obtinere dicitur, cum reperitur in loco vbi plures dignitates eſſentiales habet: puta Domicilium, exaltationem,fines: vide in V. *Carpentum*. 43.

44. Thvimis in ſphęra barbarica dicitur tertius decanus Cancri cuius dominatus ſpectat ad Lunam; proindeque adducit genium venationis, aduerandi, &c. Similiter

45. Thvmis ibidem audit primus decanus Virginis manens ſub dominatu Solis, habenſque ſignificationem ſeminandi, arandi, vrbes condendi, opes cogendi, &c.

46. Thvribvlvm ſidus. Vide in V Lar, Sacrarium, Ara, &c.

47. Thyella apud Ariſt. in lib. de Mundo cap. 3. eſt ventus de genere procellarum, quas ipſe Cetæges appellat, qui flant ſupernè, & repente proſiliunt. Huic affinis eſt Lęlaps & ſtrobilus, de quibus ſuo loco.

48. Tonitrvm eſt exhalatio calida, & ſicca, intra vapores ſurſum aſcendentes, atque in pluuiam iamiam conuerti incipientes incluſa, quæ exhalatio nubium compreſſione dum agitatur, calorem concipit, proindeque rarefacta ampliorem locum requirēs dum è nubibus erumpit, aërem ſcindit, & inde ſonus varius, pro maiori nubium denſitate & reſiſtentia. Porrò eadem exhalatio & tonitruo, & fulguri & fulmini materiam ſubminiſtrat, & vt plurimum omnia ſecum affert, licet in re differant, & vnum ſine alio gigni poſſit. Siquidem ſi exhalatio illa leuis eſt, & ex calore concepto in nubibus tantum rarefit, nec accenditur, foras erumpens tonitruum parit, ſi verò accenditur, vertitur adhuc in fulgur: & ſi ſæpiſſimè fulgura, & coruſcationes fiant ſine ſonitu, ac tonitrui ſtrepitu, quia foras exiliunt, nubibus nullatenus obſiſtentibus, vt præſertim fit in æſtate poſt Solis occaſum. At ſi exhalatio illa habeat admixtas partes vllas terreas, tunc in nubibus incluſa, & calore concepto cogit terreas illas partes in vnum quid Solidiſſimum, quod foris erūpens cum impetu obuia quæque duriora comminuit, interim leuiora intacta relinq̄uens: eoquod dura dum fulminis violentiæ reſiſtunt, hoc in eorum reſiſtentia ſuperanda moratur, locumque habet in illa ſuam exerendi actiuitatem, ſuaſque qualitates imprimendi: at per rara quia non reſiſtūnt, citò tranſit; ideò nullam iis iniuriam facit. De his plura apud Ariſt. 3. Meteor. cap. 1 Reſtam, & alios.

49. Torqvetvm eſt inſtrumentum mathematicum repræſentans motum æquatoris ſupra horizontem, quem refert baſis eius immobilis, ſupra quam voluitur tabula æquatorem repræſentans, ac proinde ab huius motu, quo veluti in ſeipſum torquetur, Torqueti mutuauit nomen. Eius fabricam, & vſum docet Abbas Maurolycus, & Io: Paulus Galluccius de Mathematicis Inſtrumentis lib. 9. cap. 1.

50. Tovcam Indorum vocabulo dicitur ſidus in cœlo non ita

pridem detectum, alias Anſer Americanus, habens ſtellas octo infimæ notæ.

Trabes, ſeu lanceæ, & iacula, ſunt ſpecies quædam ignitarum impreſſionum, quæ in ſublimi generantur ex accenſis exhalationibus, quæ breui, & æquali craſſitie in altum porriguntur, & quaſi immobiles ſtare videntur. Sunt medium quid inter cometas, & areas. De quibus vide quæ diximus in V. Apparentiæ, & in V. Cometæ. Eiuſmodi fuit Phænomenon in Romano hemiſphærio viſum anno 1618. die 18. Nouembris antelucano tempore, cuius meminit Blancanus in ſphæra Mundi *lib 16.cap.5.* & durauit dies vndecim. Quo temporis interuallo motu proprio proceſſit quaſi gr. 24. à loco Crateris ad cor Hydræ, & ſui magnitudine occupabat gr. 40. cæleſtis regionis. Quod ideò multam dedit philoſophandi, timendique materiam. Item, 51.

Traiectiones ex eodem genere accenſionum ſunt, & idem ferè ac cadentia ſidera: niſi quod iſta deorſum mouentur, illæ ad latus non ſecus ac è pyrio puluere conflata fulgura, & ab igne concepto ſurſum elata. Sunt enim & ipſæ exhalationes vi ſiderum ſurſum elatæ atque accenſæ, quæ dum igne impellente motum concipiunt, hac illac diſcurrunt, donec penitus abſumantur. Differunt autem à Cometis, quoniam iſti maiores ſunt, diuturniores, vniuerſaliores, & caudati, vel etiam circũcirca criniti: illæ verò breuiores ſunt, minores effectus habent ac particulares, quos ei tantum loco portendunt in quo apparent, ac ferè ſemper in malum; niſi fortè illi vni, qui ſeditionem mouet ac vincit. Sunt enim de natura Martis & Mercurij; atque adeò ſemper adducunt bella, Æſtus, turbulentias, & ſimilia: idque ſiue in deliquiis, ſiue alio tempore fulſerint. De his intelligere voluit Poëta cum dixit Georg. 52.

*Longoſque à tergo flammarum albeſcere tractus.*

Et Pontanus in Meteoris.

*Quin etiam quà ſe incandens nocte extulit ignis*
*Ille quidem claro ſignans liquidum aëra tractu*
*Inde ruit portis quamprimum ventus apertis.*

Tragoidis Græcè dicitur ſpecies quædam cometæ, qui Latinè dicitur Hircus: de quo ſuo loco. 53.

Transitvs ex Ptolemæo ſunt genera familiaritatum inter aſtra concepta, & acquiſita motu vniuerſali ſuper loca ſiderum natalis. Qui ſi beneficarum fuerint, proſunt; ſi verò maleficarum, obſunt, pro qualitate radij & moderatorum ſuper quorum loca fiunt huiuſmodi tranſitus. Cum enim loca ſiderum natalis referant congenitum tempera-

mentum mixtionis corporis ; inde fit, vt tranſitus aſtrorum, quia ſunt familiaritates ad illa loca, reſpiciant conſequenter congenitum temperamentum mixtionis corporis, & ipſas potentias, ſeu principia naturalia omnium motuum vitalium: adeovt ſidera tranſitibus ſuis proſint, vel obſint ipſis potentiis, & principiis naturalibus operationum vitalium.

55. Qui profectò (vt de ingreſſibus dictum eſt) alij ſunt actiui, alij paſſiui. Actiui fiunt à ſideribus habentibus in natali rationem cauſæ efficientis, ad loca prorogatorum natalis; quoſque alias in directionibus promiſſores vocamus. Paſſiui verò tranſitus ſunt familiaritates ab ipſis prorogatoribus contractæ, quando tranſeunt per loca ſiderum, quæ in natali gerunt vicem promiſſorum conſiſtentium immobiliter: Itavt per hoc differant tranſitus ab ingreſſibus, quod hi reſpiciunt loca motuum mobilium; tranſitus verò loca fixa, & immobilia natalis. Eos eſſe aliquando validiores ipſis directionibus, & Progreſſibus & Cardani authoritate, & ſui experientia teſtatur Campanella: *Plus enim*, inquit, *nocet præſens Muſca, quam abſens Leo*. Quod tamen haud ita facilè admitterem: eo quod directiones, & progreſſiones ſunt non minus reales, & præſentes quam tranſitus, ac verè per eorundem motum deuoluuntur promiſſores in loca prorogatorum, qua de re vide quæ diximus in V. *Directio*.

56. Translatio lvminis, & *Naturæ* ſecundùm Aſtrologos tunc fieri dicitur inter planetas cum tres ex iis inueniuntur, platicè iuncti, aut quouis modo configurati, & medius ipſorum, leuiſſimus ſeparatur à ponderoſo, & alteri iungitur: tunc enim dicitur transferre lumen, & naturam anterioris ad poſteriorem.

57. Trapezia apud Geometras audiunt figuræ quæuis irregulares, quibus videlicet non æqualiter reſpondent anguli, & latera: ſed extra omnem Geometriæ legem vagantur: & hæ quidem infinitæ excogitari poſſunt, ſiuè vt omninò irregulares ſunt, hoc eſt, vt nullum latus, ac nullus angulus alteri ſit æqualis, ſiue vt duo vel plures anguli ſint æquales, cæteris conſiſtentibus inæqualibus: ſiue id in planis figuris videre ſit, ſiue in ſolidis: quæ omnes ſub vniuerſali Trapeziorum nomine veniunt: & contradiſtinguntur à figuris Iſoperimetris, quæ vndequaque æquales ambitus continent, & per conſequens neceſſariò habent æquales angulos, & æqualia latera.

55. Trapezoides ſunt Trapeziorum ſpecies: comprehen-

dunt enim figuras omnes ſolidas irregulares, quæ parallela non habent latera: Et hæ ſimiliter, vel ſunt omninò irregulares, vel alicubi quandam æqualitatis regulam ſeruant, cuiuſmodi ſunt Parallelopeuræ, Priſmata, &c. de quibus omnibus vide Clau. *in lib.* 11. *Euclid.*

59. TRIADA ſunt ſpecies cometarum, de quibus Plin. *lib.* 2. *cap.* 25.

60. TRICHIS Græcè apud Ptolemæum audiunt tres ſtellæ fixæ ipſæ quidem informes, ad caudam Leonis poſitæ verum poſteà ab aliis in certam formam redactæ, & crines, ſeù Berenices Coma vocatæ. Proclus, ac Stœphlerinus ponunt in hoc ſidere ſtellas ſeptem: at Keplerus oculatior obſeruauit in eo vndecim de natura Veneris, & Lunæ: alio nomine appellatur *Plocamos*.

61. TRIGONVM Græcè idem ſonat, ac figura triangularis. Apud Aſtronomos accipitur pro aggregato trium ſignorum eiuſdem naturæ, & qualitatis, ſe inuicem de trino, ſeù per tertiam cæli partem reſpicientium. Hinc pro diuerſa qualitatum cōmixtione, quatuor conſtituunt trigonos: Igneum, ſeu calidum, & ſiccum complectens ſigna Arietis, Leonis, & Sagittarij: Terreum, hoc eſt frigidum & ſiccum conflatum ex Tauro, Virgine, & Capricorno: Æreum, calidum ſcilicet, & humidum, conſtans ex Geminis, Libra, & Aquario: ac tandem Aquæum frigidum nempe & humidum, quod ſibi reliqua tria ſigna vendicat, Cancrum, Scorpionem, & Piſces. Quorum ſingulis triplicitatibus binos, aut ternos planetas præficiunt iuxta naturarum conformitatem; cuius diſtributionis rationem affert Ptolemæus in Quadrip. *lib.* 1. *cap.* 16. Eſtque vna ex dignitatibus eſſentialibus. Dicitur etiam Trigonus radius triangularis, & trinus per tertiam cæli partem: qua de re vide paulò inferius in V. Trinus.

62. TRIGONOCRATOR apud Aſtrologos appellatur Trigoni diſpoſitionem ſibi vendicans; Planeta inquam cui, vt modò dictum eſt ob naturæ vniformitatem, ius hoc trianguli vnà cum alio tributum fuit, vt trianguli ignei, diſpoſitores, ac Trigonocratores ſunt Sol & Iupiter, quia maſculi, quia in caliditate vincunt, quia demum ius domicilij obtinent ſuper duo ſigna Leonem, & Sagittarium. Excluditur autem Mars, etſi alioqui calidus, & ſiccus, & ius domicilij habens ſuper Arietem, quia vt inquit Ptolemæus aduerſatur conditioni ſolis, & ſic de reliquis.

63. TRIGONOMETRIA vna eſt ex Mathematicis diſciplinis, quæ agit de analyſi triangulorum; docetque modum reſol-

uendi omnia triangula tum plana, tum ſphęrica: quæ videlicet datis tribus lateribus, ſeu angulis ex ſex contentis triangulo reliqua tria ignota innoteſcunt. Pro quorum ſolutione vtimur Tabulis ſinuum, tangentium, & ſecantium; quibus oſtenditur quantitas ſemiſſium chordarum, quę ſubtenduntur partibus circumferentiæ intrà circulum. Extant innumeri penè auctores, qui de ea re luculentiſſimè tractāt.

64. TRILATERVM apud Geometras dicitur corpus; aut figura, quæ tribus adminus lateribus conſtat, hoc eſt, non minus, quam tribus rectis lineis comprehendatur. Qua de re vide Euclid. *lib.* 1. *à definit.* 20. deinceps.

65. TRIMORION Græcè dicitur aggregatum trium ſignorum contiguorum, per quod conſtituitur aſpectus quadratus ad Apheiam vitæ largitorem, qui ad illum directione impingens vitam abſcindit. Et hic cenſetur nunc temporis vltimus vitæ terminus, ad quem poteſt naturaliter ſe extendere. Quod miſticè docuerunt duo inſignes, ac perantiqui Aſtrologi Arabum Reges Nicepſo, & Petoſyris (vt teſtis eſt Argolus de diebus Criticis *lib.*1.*c.*9) Dicentes neminem poſſe tranſgredi Trimorion, hoc eſt congeriem trium ſignorum: quoniam autē ex directionũ doctrina tria ſigna, hoc eſt arcus 90. graduum poteſt alicubi ob decliuitatē eclipticæ dare 120. gradus directionis, ideò non ab re, fortaſſis, Vita hominis poſt diluuium à Deo dicitur ad hunc terminũ coarctata, vt opinatur Ioſephus, & multi Hebræorum ex illo *Gen.* 6. *Eruntque dies illius centum viginti annorum*: eo quia, vt obſeruat Valeſius, eo tempore congruebat etiam annus climactericus, & naturale vitæ diſcrimen, directio inquam Aphetæ ad ſuum quadratum: Quæ tamen ante diluuium ex Diuina diſpoſitione ob paucitatem hominum vitam non adimebat, ſed directio Anæretica protendebatur vſque ad oppoſitum & vlteriùs, prout Deo Auctori Naturæ placebat. Poſt diluuiuum verò vltimus vitæ terminus conſtitutus eſt in deuolutione Aphetæ ad ſuum Quadratum, vt dictum eſt. Nec quia Auguſtinus, Hieron. & alij Patres arbitrantur, per ea verba, præſcriptum eſſe à Deo terminum pœnitentiæ, & conuerſionis illorum hominum, tollitur, quin ea etiam ad literam intelligi poſſint de vitæ termino dicta: Nam, vt benè aduertit etiam Vecchius obſeru. medica 40. in ſacram Scripturam, id intellexit etiam Moïſes cum dixit ad populum Deut. 31. *Centum viginti annorum ſum hodie, non poſſum vltrà egredi, & ingredi.* quia profectò agnoſcebat ſe ad eum terminum perueniſſe, in quo homines poſt diluuium ex Diuino præſcripto vt plurimum moriuntur: Vnde

& eo termino expleto mortuus eſt, vt habetur etiam Deut. 34. Quod autem non ſtatim poſt diluuium obſeruari cæpit lex illa, cum multi fuerint Patriarchæ, qui immediatè etiam poſt illius promulgationem terminum illum nihilominus tranſilierunt, vt præ cæteris obſeruauit, & obiecit Abulenſis, id non multum videtur officere, quia exceptione aliqua communis regula non infringitur, &, alioqui tunc temporis ob paucitatem hominum, ordo naturæ, & propagatio humani generis poſtulabat, vt aliqua exceptio fieret, firma tamen lege Trimorionis, qua vita hominis ad 120. annorum terminum protrahi poſſet, vt plurimum enim homines ab eo tempore intrà præſcriptum terminum extincti ſunt.

TRINVS RADIVS eſt familiaritas intercedens inter duos planetas in diſtantia tertiæ partis cæli, ſeù grad. centum viginti, (quoniam radij ſiderum, vt alibi obſeruatum eſt, correſpondent muſicis conſonantiis,) habet ad modos muſicos proportionem ad quintam: ſicuti chorda diuiſa in tres partes æquales, ad alteram conſimilem ex toto protenſam correſpondet quintæ: Et ideo eſt radius valdè efficax, maximè in ſignifero, vbi conueniunt planetæ in ſignis conformis omninò naturæ: eſtque naturâ ſua bonus, maximè inter beneficos: cuius bonitatis, & conuenientiæ cauſam aſſignat Ptolemæus ſimilitudinem ſexus, eo quia, inquit, omnia ſunt maſculina, aut fœminina: ſed hæc præcisè videtur valdè debilis ratio: Nam vt benè aduertit Maginus *in Primo Mobili canone* 39. Oppoſitio fit inter duo ſigna ſexu ſimilia, & tamen hoſtilis eſt; immo & nequior ipſo Tetragono: Quapropter ea conuenientia potius conſiſtit in conformitate naturæ ob ſimilitudinem omnimodam qualitatum, quod in aliis aſpectibus videre non eſt: ſed ſolum in ſextili ob conuenientiam in vna ſaltem qualitatum, in conditione temporis, & ſexu, & ideo dicitur participare de trino, & vocatur radius imperfectæ amicitiæ. 66. 67.

TRIQVETRVM, Triangulum. Apud Aſtronomos preſſiùs accipitur pro certò ſidere octauæ ſphæræ in trianguli formam abeunte, non eo quidem, quod citrà æquatorem eſt in hemiſphærio noſtro ſpectabile (illud enim alio nomine Delteton appellatur) ſed altero ad polum antarcticum non ita pridem ab Americo Veſpucio detecto, atque inter alias duodecim nouas imagines conumerato. Conſtat autem ſtellis quinque exiſtentibus in longitudine ſub ſigno Sagittarij. 68.

70. Triquetrum Ptolemæi eſt inſtrumentum Mathematicum, perantiquum cuius authorem faciunt Ptolemæum, aptum ad metiendas rerum diſtantias, altitudines, longitudines, declinationes. Eius vſum fusè tradit Galluuius *de Inſtrum. Mathemat.*

71. Tropæi Venti ſunt Alrani de quibus refert Plin. *lib.* 2. *cap.* 43. quod etſi in terra alioqui generentur, tamen ſemper è maris regione perflant. ſunt eiuſdem rationis ac Apogæi. Verum illi tunc dicuntur*, cum ad mare tendunt; cum verò inde redeunt vocantur Tropæi, ex Græca notione tropos, quæ ſignificat conuerſionem. Venti ſunt nimium violenti, qui maria ex improuiſo commouent, & pluuias repentinas faciunt; quæ tamen momento finiunt. Familiares ſunt in Æſtate in toto tractu Italiæ, ac præſertim Neopoli; vbi has repentinas pluuias Tropæas vocant.

72. Tropici appellantur duo circuli minores in ſphæra æqualiter ab æquatore diſtantes, hoc eſt per gr. 23. cum dimidio, hinc inde qui ſunt limites curſus ſolis, & deuiationis ab æquinoctiali circulo: quos cum attigerit, ſiſtit, & conuertit iter ad æquatorem: hinc Tropicorum iis nomen eſt inditum. Quorum alter eſt, qui declinat ab boream, & dicitur Tropicus Cancri, vbi ſol efficit maximum diem artificialem, noctemque è contra breuiſſimam: alter ad Auſtrum inflectens dictus Tropicus Capricorni, in quo exiſtens ſol facit Hyemem, diemque minimum, noctemque longiſſimam. Quod tamen intelligendum eſt de noſtris regionibus borealibus citrà æquatorem Nam in Auſtralibus totum oppoſitum accidit.

73. Trutina Hermetis apud Aſtrologos antonomaſticè audit artificioſa methodus rectificandi natalitium thema per indagationem diei conceptionis, ab Hermete primùm inuenta, ac poſteà à Ptolemæo (ſiue alioquouis Centiloquij Auctore) ſuo Aphoriſmo 51. firmata. *In quo*, inquit, *ſigno Luna eſt genituræ tempore, illud in conceptu fac Aſcendens: & in quo ſigno inuenta fuit in conceptu, illud, aut eius oppoſitum fac Aſcendens in partu.* Docet itaque Hermes, magnam intercedere connexionem & rythmum inter diem conceptionis & diem natiuitatis, ita vt ordinatiſſimo ſemper & conſtanti motu præcedat Luna à die conceptionis; expletoque dierum numero, quot requiruntur ad maturandum fœtum; tum demùm in lucem edat, quando fuerit in eo ſigno, quod conceptionis tempore orientalem angulum occupabat. Porrò numerum dierum quibus moratur fœtus in vtero, auſpicandum præcipit à diſtantia, quam

habet in figura natiuitatis æſtimatitia Luna à linea horizontis, ſubtrahendo locum Aſcendentis à loco Lunæ ſi ea fuerit ſub terra; vel cardinem occidentis à loco Lunæ, ſit ea fuerit ſuprà terram: Ad cuius diſtantiæ rationem accipiendi ſunt dies moræ fœtus in vtero in ſubiecta tabella à latere dextrorſum reſpondente: & in prima quidem columna, ſi in figura æſtimatitia Luna fuerit infrà terram, in ſecunda verò, ſi ſuprà: qui poſteà dies enumerandi ſunt per menſes retroactos à die natiuitatis, quouſque perueniatur ad vltimum ibi notatum, qui profectò erit dies conceptionis, ad cuius meridiem erigendum eſt Thema conceptionis. Et ſi quidem tunc temporis Luna occupet illud ipſum ſignum, quod in natiuitate reperiebatur in occidente, vel ſignum eius oppoſitum; tunc ſanè ipſiſſima erit dies conceptionis ea in quam deſinit computatio: ſin minùs, quod rariſſimè accidit, videndum erit, num fortè id contingat duobus retrò, vel antè diebus, & tunc is erit verus dies conceptionis. 73.

Ad indagandam verò horam conceptus, obſeruabimus in quo ſigno & gradu reperiatur ſol ipſo die conceptionis, quod habebimus ex tabula domorum ad eleuationem poli noſtræ regionis in columna decimæ domus; & eo reperto accipiemus tempus à meridie à ſiniſtris reſpondens; quod ex parte ponemus. Deinde ſub prima domo inueſtigabimus ſignum, & gradum Lunæ natiuitatis; & ex eo etiam ſumemus tempus à Meridie illi reſpondens: quod poſteà conferendo cum tempore à meridiæ prius inuento ad latus loci ſolis, ſubtrahendo iſtud ab illo, remanebit præciſum tempus à meridie, in quo facta fuit conceptio: ad quod poſteà more ſolito erigendum eſt Thema conceptionis, & locus præciſus Lunæ ſumendus eſt, atque in horoſcopo natiuitatis conſtituendus. Quod gradus Lunæ in figura conceptionis ſit idem prorſus, ac gradus horoſcopans in natiuitate, hæc erit rata, & firma, nec propterea immutanda: ſin minus notabis, quot horæ, & minuta temporis à meridie correſpondeant gradui horoſcopanti figuræ æſtimatitiæ, accipiendo item ſignum illud ex prima domo; & facta ſubtractione huius ab illo: differentia, quæ prodibit erit etiam temporis æſtimati à vero: atque adeò ad datum tempus, aut addenda, aut minuenda.

Tabula Moræ Fætus in vtero.

| *Signa.* | *Grad.* | *Dies Moræ.* | *Dies Moræ.* |
|---|---|---|---|
| 0. | 0. | 273. | 258. |
| 0. | 12. | 274. | 259. |
| 0. | 24. | 275. | 260. |
| 1. | 6. | 276. | 261. |
| 1. | 18. | 277. | 262. |
| 2. | 0. | 278. | 263. |
| 2. | 12. | 279. | 264. |
| 2. | 24. | 280. | 265. |
| 3. | 6. | 281. | 266. |
| 3. | 18. | 282. | 267. |
| 4. | 0. | 283. | 268. |
| 4. | 12. | 284. | 269. |
| 4. | 24. | 285. | 270. |
| 5. | 6. | 286. | 271. |
| 5. | 18. | 287. | 272. |
| 6. | 0. | 288. | 273. |
| | | *Luna ſub terra.* | *Luna ſuprà terram.* |

Atque hæc eſt via rectificandi natalitium Thema per diem conceptionis ab Hermete Triſmegiſto inuenta; quæ tamen aliud non eſt quam rythmus, & numerorum correſpondantia ex ordinatiſſimo Lunæ circuitu circa tellurem: Quî fit,

ſit, vt ſemper in idem recidat, atque adeo variato nimium natalitio themate, variari etiam neceſſariò debet dies conceptionis. Tum demum quia ob diuerſa accidentia, quæ extrinſecùs aduenire poſſunt facilè etiam, aut immaturè, aut ſeriùs edi poteſt fœtus, vt patet experientia: in quo caſu nims enormiter fallit hæc methodus. Quapropter ſolidiori fundamento eſt innitendum.

TSAMANGADV CHESARA, hoc eſt, *via ſtraminis*, apud Æthyopes & Hebræos dicitur via lactea, teſte Kirchero in Oedipo Ægyptiaco: apud Arabes verò *Almagiret* quaſi fluxus, ſeu tractus ex ſparſa paleâ. 75.

TVBERONI, apud Plinium dicitur ſtella regia in pectore Leonis dicta communiter Regulus, & cor Leonis: ſic enim ait, *lib. 18. cap. 26. Octauo Calendas Februarij ſtella regia appellata Tuberoni in pectore Leonis occidit matutino.* Neſcimus qua ratione, & vnde tandem excerpſerit. 76.

TVRBO, apud Geometras dicitur figura ſolida, quæ ex lato in acutum deſinit, ſeù ex parte verticis lata eſt, atque inferiorem partem acutam habet: ei contrarius eſt conus, qui pyramidalem formam referens latum habet pro baſi, acutum pro vertice. Nomen hauſit turbo ab inſtrumento luſorio, quod à pueris ſcutica, vel funiculo circumagitur. Hinc etiam *Turbineum* appellatur quidquid ex lato deſinit in acutum. 77.

TVRBO etiam dicitur Ventus vorticoſus, procellæ ſpecies, obuia quæque impetens, ac deturbans: Græcis *Typhon*; à Plinio, Vibratus ventus, ab aliis Vortex; ab Ariſtotele Ventus indigeſtus vocatus, hoc eſt non adhuc perfectè ſeparatus à nube: quippe qui ſemper afferre ſecum ſolet aliquam nubium partem. Differt ab Ecnephia; quod is non rectè aſcendit: vt ille, ſed potiùs in gyrum voluitur ſecum eleuans ſaxa, & alia ingentia corpora; vnde fit poſteà pluuià lapidum, & ſimilium. Plinius aduerſus hunc ventum affert pro remedio acetum, quod præcipit debere circum effundi, quia vis, inquit, aceti frigidiſſima, & ſubtiliſſima eſt; ſicque ardorem turbinis extinguit, craſſitiemque eludit. Nautæ è contrà bombardarum exploſione turbinem diſperdunt. 78.

TYMPANA appellantur Tabulæ in Planiſphærio, ſeu Aſtrolabio, in quibus ad quaſcumque poli eleuationes ſunt deſcripti circuli altitudinum, & verticales, vt exiis ortus, & occaſus ſiderum, declinationes, Cæli mediationes, aliaque facilè erui poſſint. Siquidem ſingula eorum immediate ſubjiciuntur reti ſeu Voluello, quod cæli ſtellarumque 79.

diurnam circulationem circa terram repræſentat. Dicta ſunt autem Tympana, quia Tympani ſpeciem præſeferunt.

80. Typhon Græcè idem quod Latinè Turbo, de quo paulo ante dictum: licet Plin. *lib.* 2. *cap.* 28. Turbinem à Typhone diſtinguat, dicatque Turbinem fieri, quia ſpiritus, depreſſo ſinu, arctius rotati nubis cutem infringunt; (ſi enim latè nubes rumpatur Ecnephias fit,) vocatque turbinem vibratum Ecnephiam; vt nos in loco diximus. Quod ſi ſpiritus maiore depreſſæ nubis eruperit ſpecu, ſed minus lato, quam procella, nec ſine fragore, Typhonem vocat proxima quæque proſternentem. Et *cap.* 49. Vorticem, ac turbinem ſic diſtinguit: Vortex remeando diſtat à turbine, eo modo quo differt ſtridor à fragore. De eo ſequitur.

81. *Præcipua nauigantium peſtis, non antennas modò, ſed ipſa nauigia contorta frangens, repercuſſus ſecum in cælum refert, ſorbetque in excelſo.* Eius materia eſt exhalatio calida, & ſicca vi ſiderum elata, atque intrà nubes coacta, quæ ſolis radiis rarefacta exitum quærens, cum impetu proſilit, atque ab aliis venti partibus directè eunitibus repulſus fertur in circulum; indeque eſt, quod quamdiù à nube perfectè ſeparari non poteſt, eius partem ſecum attrahat, & obuia quæque abripiens præcipiti iactu ad terram deiiciat: Vnde prodigioſæ illæ ſaxorum pluuiæ; de quibus multa habet Vincentius Belluacenſis *in ſpeculo hiſtoriali lib* 25. *cap.* 87. Aduertit tamen Ariſtoteles id non contingere, niſi in Vere, & in Autumno: Nam in Hyeme nimia frigiditas extinguit calidam illam, & ſiccam exhalationem, ex qua typhones formantur. In Æſtate verò nimius calor attenuat eam plurimum, diſſoluit, & congregari non ſinit. Plura apud Senecam in Quæſt. Natural. & Plin. loc. cit.

## Va

1. Vacvvs cvrsv dicitur Planeta ab alio ſeparatus, nec proinde alteri applicans corpore, aut radio: Quod debilitatis genus dicitur Feralitas, idque in Luna potiſſimum obſeruatur.

2. Vagiah Arab. Lyra vide Vvega.

3. Valzagora: Chaldaicè Planiſphærium. Teſtis Hermanus contractus.

4. Vapor eſt halitus quidam ſeu aqueus humor è terra calore Solis, & aliorum ſiderum vi extractus, ac ſurſum elatus, ibi in media aëris regionis relictus ex varia eorumdem

ſiderum conuentione aut diſſoluitur in imbres, aut concreſcit in niues, aut in alia meteororum genera commutatur. Vide in V. *Meteora*.

VAZA ZENE TEV Arab dicitur linea meridiana ſuprà terram deſcripta in Planiſphærio. 5.

VAZNEG ENVBI Arab. teſte Kirchero in Oedipo Ægyptiaco vocatur lanx Auſtrina, ſicut & 6.

VAZ ESCHEMALI dicitur lanx borealis, ſtellæ fixæ de quibus alibi dictum. 7.

VECTOR, Auriga Ericthonius, &c. ſidus in cælo ad borealem plagam Vide in V. Auriga. 8.

VELOX CVRSV: Vide *Auctus numero*. 9.

VENTER DRACONIS apud Aſtronomos dicitur maxima planetarum latitudo, & diuiatio ab Ecliptica: Qui duplex eſt alter Boreus, alter Auſtrinus: vbi veró orbitæ ipſorum interſecant Eclipticam, vocantur caput, & cauda Draconis, prout in loco diximus: eoquod orbita planetæ vna cum Ecliptica efformare videatur duos veluti Dracones; qui vt corpore magni ſunt, & verſus caput, & caudam extenuantur; ita latitudinis amplitudo in duabus interſectionibus extenuatur, & in nihilum cedit; in medio veró augeſcit, itavt Draconis ventrem videatur referre. Vocantur etiam limites flexuræ, &c. quemadmodum & interſectiones appellantur nodi, euehens, & attollens vel deprimens, prout ad boream, vel ad Auſtrum inflectunt. 10.

VENTVS ex Alberto Magno *in 3. Meteor. tract. 1. cap. 3. eſt Vapor terreus aëris ſuperiora tranſcendens, & aërem vehementer percutiendo impellens.* Conſonat Ariſt. in Meteoris, & ſchola Peripaticorum communiter. Verum hac definitione venit non tam ventus ipſe, quam ipſius cauſa proxima, & effectiua, cum alias Venti nomine, communi omnium acceptione veniat agitatio quidam aëris circà terram; vt obſeruauit Speuſippus *de Platonicis*, ſiuè à Natura occulta vi, ſiuè à nobis medio aliquo inſtrumento præſtita, cuius effectus ſit refrigerare, & exſiccare: quando huiuſmodi exhalationis effectus foret calefacere, & inflammare. Et quidem nulli dubium eſſe poteſt, ipſam ventorum materiam aliud planè non eſſe quam aërem agitatum, itavt ipſa actualis commotio Ventus ſit. Audi Auguſtinum *lib. de Quantitate Animæ. Nihil aliud*, inquit, *quam iſtum aërem commotum & agitatum, ventum eſſe ſentimus, quod in loco tranquilliſſimo & ab omnibus ventis quietiſſimo, vel breui flabello approbari poteſt, quo etiam muſcas abigentes aërem commouemus, flatumque ſentimus. Apuleius de* 11.

*Mundo ſic ventum deſcribit: Nec enim aliud eſt*, inquit, *niſi multum, ac vehemens in vnum coacti aëris flamen: hunc ſpiritum dicimus, &c.*

12. Stat igitur ventum in ſe formaliter aliud non eſſe, quam impetum aëris in vnam partem violente coacti. At enim quomodo generentur, & vnde exeat flatus ille ventum impellens, qui proceſſu non modo non deficit, ſed validior ſemper euadit, adeo difficile eſt explicatu, vt iure dixerit Eccli. cap. 11. *Quomodo ignoras, quæ ſit via ſpiritus, & opera Dei*; & Pſal. 134. Pſaltes inter potiora Dei magnalia enumerat, quod *educit ventos de Theſauris ſuis.* In quæ verba Auguſt. *Ab occultis*, inquit, *cauſis, vnde neſcis: Qua enim flat ventus ſentis, qua cauſa flat, vel de quo theſauro rationis eductus ſis neſcis.* Anaximander apud Licum exiſtimauit ipſum eſſe fluxum aëris de ſubtiliſſimis, & humidiſſimis in eo partibus à ſole, vel motis, vel liquefactis conflatum: ſed enim ſi hoc eſſet, quorſum tanta illi violentia ineſt? Quorſum motus ille obliquus, & non potius ſurſum; cum alias videamus vapores, hoc eſt ſubtiliores aquæ particulas è terra calore ſolis ſurſum euehi, & eleuari? Quorſum tandem tanta ventorum diuerſitas?

13. Generantur itaque Venti, ſeù potius excitantur ex variis exhalationibus calidis è terra proſilientibus, quæ ad mediam aëris regionem perductæ, eæ quidem, ſiue id à ſideribus, ſiuè aliundè fiat, non adeò accenduntur, vt in ignes vertantur, ſed calore concepto rarefiunt, ac dilatantur: Quî fit, vt ampliorem locum occupare geſtiat exhalatio illa, aërem contiguum magno niſu impellat, qui ſucceſſiuè alias partes ſibi proximas moueat, ac motu ipſo, & calore ſuppetias afferente, creſcat ſemper impulſus, ac ventus tandem, de quo ſermonem agimus ſuſcitetur. Hinc eſt, vt qua parte ventus ſpirat, ibi exhalatio multa cogatur, & quæ loca exhalationibus iſtis plurimum ſcatent, eadem, ſeù ſibi proxima ſint ventis multis obnoxia. Vt plurimum autem venti lateraliter excitantur: quia exhalatio illa dum è media aëris regione deorſum truditur, ipſa ſua leuitate conatur ſurſum aſcendere, ſed interim frigiditate aëris reſiſtente, ſiue id efficientibus ſtellis habentibus vim propellendi deorſum materiam eo modo diſpoſitam; cedit tandem ad latera: Præterquam non omninò incredibile eſt ea ſidera quæ exhalationem iſtam commouent atque in ventum attenuant, eadem occulta vi adſe, vel ad partes ſibi ſubiectas illam attrahere, vnde diuerſitas illa ventorum. Et quidem Mercurius generalis ventorum motor aſſeritur. Venus me-

ridionalium, Iupiter borealium: Saturnus Orientalium, Mars Occidentalium.

Vbi aduertendum omnes ventos ex ſui intrinſeca ratione eiuſdem eſſe naturæ, & qualitatis; extrinſecus autem habere, quod iſte ſic calidus, ille frigidus, hic morboſus, ille ſalubris, hic lenis ille impetuoſus, &c. Cum enim ventus formaliter aliud non ſit, quam aër commotus, conſequenter pro qualitate aëris, & regionis vnde exſufflat, aut pertranſit ventus, naturam induit morbificam, aut ſalubrem, calores facit, aut frigora, exſiccare ſit aptus, aut humores adducere. Sic venti Septentrionales, quoniam à frigidis regionibus, atque ab altiſſimis montium iugis ſpirantes ad nos aduentant, ideò frigidi, & ſicci ſunt: Meridionales, quia à Mari proueniunt, ac per Zonam torridam tranſeunt, ideo calidi, & humidi magis aut minus pro locorum varietate, & qualitate diſtantiæ. Vnde Syroccus magis humidus eſt Genuæ, quam Neapoli, eoquia ibi amplior eſt ſinus maris maioremque humorum copiam habet afferre. Econtrà in Sicilia calidus & ſiccus eſt, quia ad eam inſulam non per mare, ſed per continentem Africæ tractum permeat; adeoque omnem humorem ex Occeano hauſtum linquit in Africa, Africanumque aërem calidum ſiccumque in Inſulam illam apportat. 14.

Quod adeo verum eſt, vt in Regno Chile, & in aliis terræ Auſtralis nuper detectæ regionibus, accolæ contrarias nobis experiuntur ventorum naturas, & qualitates: vt teſtis eſt Alphonſus de Oualles in deſcriptione Regni Chile. Nam ibi Auſter perinde eſt ac nobis Aquilo, impetuoſus, frigidus, & ſiccus: hic verò è contrà; & ei collaterales venti qualitates aſſumunt calidas, & humidas, eo prorſus modo, quo nobis experiri eſt Syrocum, & Auſtrum, quia profectò illis à Solo Antarctico, & frigida Zona, cuius naturam induunt Auſter, & reliqui laterales aduentant, Aquilo verò circius, & Septentrio per Zonam torridam, atque Oceanum tranſeuntes aërem humoribus repletum, & caloribus feruidum illuc aſportant. Quod & nos alibi adnotauimus. Similiter Aquilo in Luſitania, & Neapoli nubes cogit, & pluuius eſt; in Africa nubes diſſipat, ac ſerenitatem adducit. Septentrio è contrà in Helleſponto, & apud Cyrenen pluuiam creat, in Italia ſerenus eſt. 15.

16. Porrò venti cardinales quatuor ſunt à totidem mundi partibus flantes. Septentrio, de ſub Polo Arctico: Auſter à Meridie: Subſolanus, ab exortu æquinoctiali: Fauonius ab occaſu item æquinoctiali, quibus totidem intermedios a&-

dunt Geographi Borrholybicum, Borrhapeliotem, Notapeliotem,& Notolybicum: Addiderűt poſteà & alios quatuor laterales Subſolaño, & Fauonio hinc inde grad 23. & ſemis diſtantantes, hoc eſt qui ſpirarent à quatuor punctis ortus & occaſus vtriuſque Solſtitij. Et ab ortu quidem Æſtiuali Cæciam, ab Hyemali Vulturnum, ab occaſu Æſtiuali Corum, ab Hymeali Africum. Pari etiam ratione deprehenderunt quatuor alios hinc inde laterales ſeptentrioni, & Auſtro in eadem diſtantia ac ſunt prædicti à ſuis cardinibus: Et Circium, & Aquilonem dederunt Septentrioni, illum ad occaſum conterminum Borrolybico, iſtum ad ortum adiacentem Græco. Phœnicem autem, ac Lybanotum Auſtro: hunc ad occaſum, illum ad ortum: ac tandem ſingulis lateralibus binos hincinde minores ab iiſdem lateralibus denominatos Neotherici appinxerunt, vt Africo verbi gratia Ypafricum & Meſafricum: coro Ypocorum, & Meſocorum, &c. qui tamen venti propriè non ſunt ab aliis diſtincti, ſed potius quartæ ventorum. Ergò numerus ventorum olim erat 10. poſtea excreuerunt ad 14. inde ad 16. ac tandem adiectis omnibus collateralibus, iam modò ſunt omninò 32. Quorum omnium ſchema paſſim exhibent ſcriptores tabulæ Geographicæ, & nos ſingulorum naturam in loco quem ſibi quiſque vendicat explicamus.

17. Quantæ autem ſint ventorum commoditates eleganter explicat Seneca *lib. 5. quæſt. Natural. cap. 10. Inter cætera*, inquit, *Prouidentia opera ex vna cauſa ventos aut inuenit, aut per diuerſa diſpoſuit: ſed primum, vt aëra non ſinerent pigreſcere, ſed aſſidua vexatione vtilem redderent: deinde, vt imbrem terris ſubminiſtrarent, ij denique nimios compeſcerent. Nam modò adducunt nubes, modò deducunt, vt per totum orbem pluuiæ diuidi poſſent. In Italiam Auſter impellit, Aquilo in Africam reijcit: Eteſiæ non patiuntur apud nos nubes conſiſtere: ijdem totam Indiam & Æthiopiam continuis per id tempus aquis irrigant. cap. 16.* Ob idque alibi aduertit, nullam planè regionem eſſe, quæ non habeat aliquem flatum ex ſe naſcentem, aut circa ſe cadentem. Tanta eſt numinis prouidentia in orbe iſto ſuauiter per cauſas ſecundas adminiſtrando.

Sed & hic (quoniam de ventis agitur,) non erit fortè lectoribus iniucundum, nec à noſtro inſtituto abhorrens colæ, ſeu orbis piſcis Mari Ægyptio familiaris miram naturæ affectionem in medium ferre, & cauſam inueſtigare. Hic enim, & viuus & mortuus ſe vento ſemper obuertit, ac pyxide quamuis incluſus, domi è filo pendens,

clauſis adhuc cubiculi foribus, ac feneſtris ad eam nihilominus mundi plagam ſe rictu conuertit, vnde ventus exſufflat. Hunc ego vidi Veronæ in Muſæo Excellentiſſimi Medici ac Philoſophi Petri deCaſtro mihi cum primis familiaritate coniuncti, nec ſine admiratione rei periculum hiſce oculis feci. Athanaſius Kircherus in Arte magnetica rem fusè pertractat, aitque id oriri ex Sympathia, ac naturali propenſione quam habet piſcis ad ventum, quo nimium oblectatur: proindeque ei rictum obuertit, vt eius refrigerantem auram auidè excipiat fruiturus, at enim ego, pace tanti viri, potiùs in Antipathiæ genium huius inſitæ conuerſionis cauſam refundendam cenſeo. Quæ enim affectio, quæ conuenientia eſſe poterit huius piſcis ad Ventum, quæ illum naturaliter moueat ad eius affectandam auram, hæcque illi ſit oppotuna?

Etſi enim non detrectauerim piſces multos pulmone præditos aëris reſpiratione gaudere; non tamèn id eovſque conceſſerim, vt admittam etiam ventum præſertim violentiſſimum iis commodùm cedere: idque maxime in piſce iſto haud mole magno, quique reſpirationis beneficio carere, tum ex eo quod pulmone caret, tum quia extra aquam non diù viuit, eenſendus eſt. Itaque Antipathiam potiùs dixerim hanc miram piſcis affectionem: ad quod aſſerendum me mouet tum aquaticorum omnium natura, & interior conſtitutio, qua illis aqua connaturalis, aër exitialis eſt, tum etiam ipſa particularis piſcis exterior forma, quæ vt nomen indicat. Orbicularis eſt niſi quantum breuis rictus ex parte prominet, atque ex aduerſo cauda magis lata, quam oblonga reſpondet, quæ eidem per ampliſſimos maris ſinus diſcurrenti pro temone deſeruit. Quia igitur forma orbicularis, vt experientia docet, nauigationi non admodum idonea eſt, etiam huic piſci inopportuna accidit ad natandum. Atqui Venti, quibus mare percellitur, piſcibus omnibus, vel iis etiam, qui reſpirationis vſu fruuntur, cuiuſmodi ſunt Delphini, Phocæ, &c. ſunt incommodi, (quî ſit, vt tempeſtates præſentiant, atque ad eas declinandas in penitiora ſe maris loca recipiant) ſed huic maxime piſci, qui à Natura minus omnibus ad ſe tutandum, & forma adnandum apta, & auxiliaribus pinnis fuit inſtructus, ventus cedit infenſus: vnde eſt quod aduerſus eum eomodo quo poteſt ſe communiat, ac reſiſtat, quod ſanè præſtat ei rictum obuertendo; tum naturali omnium animantium impetu, quo ſe ad ea à quibus ex improuiſo impetuntur conuertunt, tum etiam quia in ea poſitione magis declinat venti exſufflantis iniuriam: tutatur 19.

enim potiſſimè caudam, quæ ob ſui prominentiam, latitudinem, atque ad formam orbicularem exorbitantiam maximè locum quaſſationi faceret. Idcircò hic piſcis cuique vero naturaliter eſt aduerſus,& ad eam partem vnde ſpirat, non ex ſympathię genio,ſed ex inſita cuique ſeſe aduerſus inimicum tutandi propenſione, conuertit. Et hæc quidem ex occaſione Ventorum de hac mira piſcis affectione ſint dicta.

20\. Venvs ſtellarum omnium tam errantium, quam inerrantium ſplendidiſſima, & pulcherrima, quæ ſua emiſſitia luce mirè intuentium oculos allicit, & oblectat, idque non equidem, quod ſit cæteris omnibus maior, ſed quia eſt terræ (excepto vno Mercurio) vicinior, vt conſtat ex parallaxi quam patitur ferè minutorum trium: vnde etiam colligitur, ipſam eſſe minorem terra, quia, vt notat Clauius in ſphæram Io: de Sacro boſco eius diametrum continet ſepties ſupra trigeſies. Solem ſemper cum Mercurio comitatur, ſeſe circà ipſum tanquam proprium centrum in ſuo Epicyclo continenter rotando: vt proinde tam in prima, quam in ſecunda ſtatione, in quibus ab eo maximè elongatur, non diſtet plus gr. 48. ibique incipiat fieri directa, aut retrograda, maximèque ſplendeat, & faciat vmbram Ope Teleſcopij obſeruatum eſt, ipſam ſubire eaſdem ferè phaſes, ac Luna, atque adeò apparere modò plenam, modò ſemiplenam, modo falcatam, modo nullam; quando videlicet fit ſuprà, vel ſub Sole in Apogæo, vel Perigæo ſui Epicycli, ipſi in eodem gradu eclyptico iuncta. Curſum ſuum in Zodiaco perficit cum Sole ſpatio ferè vnius anni: diſtat à terra ſecundum Recenſiorum obſeruationes milliar. ferè 600165. Cæterum Venus eſt Planeta fœmininus,eo quia abundat humiditate magis, quam caliditate, temperatè tamen, ita vt naturæ viuentium ſit accommodata, ob idque dicatur fortuna minor.

21\. Præeſt ex membris humanis vaſis ſeminalibus, ac pudendis, regitque guſtum, olfactum, & tactum: vnde eſt Aphoriſmus in Ptolemæi Centiloquio n. 27 *Venus Nato voluptatem affert in membro, cui ſignum, in quo ipſa eſt, dominatur.* Quod maximè præſtat in propriis domiciliis, quæ ſunt Taurus, & Libra; aut in Piſcibus, vbi exaltatur. Hinc eſt, vt benè locata in his ſignis faciat amabilem, Muſicæ, & Choreis addictum, præſertim in Aſcendente, aut Genituræ Dominium nacta: vbi etiam tribuit colorem album, decoram faciem mixtam cum aliqua rubedine, venuſtos oculos, vocem gratam, & ſonoram,ſuauitatem motum licet aliquantulum molles, atque effœminatos: quod indicat

etiam eius color ac fulgor, mollis & emiſſitius electro ſimilis.

Sed & obſeruatione dignum eſt quod ex Platone notat Ficinus *in Timæi cap.* 19. Veneris nempè & Mercurij potentiam contrariam eſſe Soli; *quia*, inquit, *oppoſito ad illum motu quandoque mouentur progredientes: Sol occulta prodit, illi econtrà: præterea Solis potentia cum rebus incomparabilis eſt, ipſi comparabiles moderantur, comparabilemque efficiunt: Venus conciliationis, & amicitiæ, Mercurius proportionis, & & commixtionis eſt author*. Hæc Ficinus. 22.

De Veneris Aſtro teſtatur Varro apud D. Auguſt. *De ciuitate Dei lib.* 21. *cap.* 8 aliquoties mutaſſe colorem, magnitudinem, figuram, & curſum, quod pro portento habitum fuiſſe ait: Verum inde iure colligit Auguſtinus non eſſe contrà naturam, cum in aliqua re, cuius natura innotuit aliquid ab eo, quod erat notum incipit eſſe diuerſum. Et ſanè cum Veneris motus, vti & Martis ſit maximè irregularis, adeo vt vix Tychonis temporibus ſit compertus, & quandoque extrà Eclypticam diuagetur ad gr. 9. item Mars in Perigeo ſub ſole fiat, in eodem ferè ſitu, vbi ſemper apparet Venus, maximè terris vicinus, proindeque magnitudine Venerem ipſam exæquet, nil mirum ſi tunc temporis genti ſideralis ſcientiæ minus peritæ, nouis ſuis irregularitatibus, ac Phœnomenis impoſuerit, creditumque fuerit Veneris aſtrum colorem igneum induiſſe, locum, motum, ac figuram mutaſſe. Quandoquidem hoc ipſi Tychoni, hoc eſt homini ad ſpeculanda ſidera facto, tantum negotium primò obſeruanti faceſſit, vt diû multumque hæſitauerit, num Martis, aut Veneris Aſtrum, an potius nouum Phœnomenon cœlo pridem natum extiterit. 23.

Ver Anni initium, & apud Aſtronomos, & apud Orientales dicitur Quarta omnium temperatiſſima, in qua cuncta florent, omnia exhilarantur, & Mundus ipſe exordium ſumpſiſſe creditur: vnde Poëta. 24.

*Non alios prima naſcentis origine Mundi*
*Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem*
*Crediderim: Ver illud erat.*

Dicitur Ver, vt ait Varro à Virore, quod tum Virgulta omnia virere incipiant: vel vt alij volunt à Vertendo, quod tum vertere ſe incipiat anni tempus. Diuiditur autem, quemadmodum reliqui Anni quadrantes in tres portiones pro qualitate ſignorum, quæ tunc temporis perambulat Sol: atque adeo in Ver nouum, hoc eſt Veris initium, quod computatur toto eo menſe quo Sol eſt in Ariete, qui proinde dicitur

ſignum Mobile eoquia ex vna quarta, & qualitatum commixtione tranſitur ad aliam: Ver adultum vocant dum Sol eſt in Tauro ſigno fixo, in quo potiſſimum apparent Veris effectus, tunc enim adoleuit calor & omnia turgent ad fructificationem: & Ver cadens, quòd computatur pro eo tempore, quo Sol eſt in Geminorum Signo; quod propterea dicitur Signum commune, eo quia eo tempore Veris temperies præceps ruit, & in Æſtatis vredinem commutatur. Correſpondet hæc quarta primæ hominis ætati, quæ complexione calida eſt, & humida, Veris tempus etſi alioqui iucundiſſimum ſolet nihilominus ſæpiſſimè pluuiis infeſtari: vnde *imbriferum Ver* appellat Virgilius: & Seneca lib. 4. Quæſt. natural. cap. 3. *Cum Ver cæpit*, inquit, *maior indignatio aëris ſequitur, & calidiore cælo maiora fiunt ſtillicidia*: An quia tunc tepefacto aëre maior vaporum exhalationumque copia è terra exilit, quæ materiam multam pluuiis exhibeat? Sanè non aliam crediderim cauſam: ob id nimbi graues magis, quam pertinaces defluunt, cum alias hyems lentas habeat, ac tenuiſſimas pluuias.

25. Vera, ſeu potiùs *Veru* cometæ ſpecies criniti, oblongi nimis, ac tenuis, (ad inſtar ferrei veru, quo carnes aſſamus) horribilis quidem viſu, coloris plumbei, ſed micantis, proindeque naturæ mixtæ ex Mercurio, & Saturno. Solem perpetuò comitatur illum aut præcedens vel ſequens, & quando apparet indicat fructuum, & ſatorum corruptionem, ac mortem principibus viris obnunciat. De eo Plin. lib. 2. cap. 25.

26. Verasva vocabulum græco barbarum in ſphæra barbarica, ſignificans ſecundum Decanum Geminorum, manentem ſub Dominio Martis: vnde excipiuntur ſignificata anguſtiarum, laboris, inquiſitionis rerum, agilitatis, &c.

27. Vergiliæ: Pleiades ſtellæ ſeptem paruæ in vnum complicatæ de natura Martis, & Lunæ in genu Tauri conſiſtentes; ſic dictæ eo quod Veris tempore ex horizonte emergant. Earum naturam fusè tradidimus in Verbo *Pleiades*.

28. Vertex dicitur punctum in cœlo quod directè imminet vertici capitis cuiuſcumque hominis: ac proinde eſt perpendicularis loco in quo quiſque degit: hinc verticalis dicitur ſtella, quæ in idem punctum cadit, & loco verticaliter imminet. Similiter verticalis dicitur æquator iis qui continuum habent æquinoctium, quia ſemper, & conſtantiſſime per loci verticem tranſit, & Sol in meridie ita rebus quibuſque imminet, vt nullam iis parere ſinat vmbram. Hoc punctum Arabes appellare ſolent *Zenith*, quemadmodum illi diame-

tialiter oppoſitum ſubtus terram, *Nadir*.

VESPERTA olim dicebatur Antiquis Dea horæ præſidens, ſeu potius Planeta ſingulis horis inæqualibus ab ortu Solis dominans, vnde horæ planetariæ, de quibus ſuo loco dictum. 29.

VESPERTILIO apud Saphoclem dicitur Cor Scorpij, ſtella fixa ſecundæ, ſeu vt alij volunt, primæ magnitudinis de natura Martis, ſicut etiam apud alios Veneris Aſtrum: neſcimus qua ratione. 30.

VESPERTINVS dicitur Planeta Veſpere poſt Solis occaſum ſuprà horizontem conſpicuus, & ipſe ad occaſum vergens; ſicut viceuerſa Matutinus cum Manè ante Solis exortum ex horizonte emergit. Superiores Saturnus, Iupiter, & Mars Veſpertini imbecilliores ſunt: econtrà Venus, & Mercurius robuſtiores, cuius rei rationem naturæ conſonam vide in V. *Matutinus*. 31.

VESPERVGO ab aliquibus appellatur Venus occidentalis Veſpere conſpicua poſt Solis occaſum, quæ alio nomine dicitur Heſperus: vnde eſt illud Plauti in Amph. 32.

*Neque iugula, inquit, neq; Veſperugo neq; Vergiliæ occidunt.*

VIA COMBVSTA. Vide in V. *Combuſta Via*. 33.

VIA LACTEA. Vide. *Galaxia*. 34.

VIGILES antonomaſticè appellantur ab Aſtronomis duæ ſtellæ in extremo plauſtri minoris, vel Cynoſuræ, quas alibi adnotauimus dici etiam Choreutas, & Circitores, eo quia veluti cuſtodes Poli conſtitutę ſunt, & ipſum circa ſemper ambiunt, Vigiles nunquam videlicet occidentes. 35.

VINDEMIATOR, *Vindemiatrix* audit apud Aſtronomos Ala ſeptentrionalis Virginis, ſtella inquam fixa tertię magnitudinis, potentiſſima, de natura Saturni & Mercurij: nomen hauſit à Vindemia. quia, vt inquit Plinius lib. 3. c. 31. Romæ oriebatur vindemiæ tempore, hoc eſt XI. Calend. Septembris: Nunc autem poſt correctionem Gregorianam oritur die 22. eiuſdem Menſis cum gr. 29. Virginis: occidit autem die 28. Octobr. cum gr. 9. Scorpij: quo tempore, inquit Ptolemæus Aquilonem ſolet mouere. 36.

VIOLENTA SIGNA apud Aſtrologos appellantur in quibus Planetæ Maleſici humanæque naturæ infenſi, Mars videlicet & Saturnus aliquam inſignem prærogatiuam obtinent aut domicilij aut exaltationis, qualia ſunt Aries, Libra, Scorpio, Capricornus, & Aquarius, item ea in quibus incidunt ſtellæ fixæ violentæ, pręſertim inſigniores, ſuntque in ipſa Zodiaci latitudine, cuiuſmodi eſt Taurus ob pallilitium, 37.

ſtellæ autem violentæ, vel ob naturam maleficam Saturniam, aut Martiam, vel ex mixtione qualitatum oppoſitarum, quæque experientia tales comperta ſunt, perhibentur eſſe Palliſitium, Antares, Regulus, Hercules, ſeu Caput Pollucis, at omnibus caput meduſæ, ſtella maximè funerea, & ominoſa, de quibus ſuo loco dictum.

38. VIRGÆ, græcis *Rabda*, ſeu *Rabdi*, ſunt apparentiæ in aëre ex colliſione radiorum Solis congenitæ, eiuſdem rationis, ac Iris, & Area: niſi quod hæ circulares ſunt, illæ verò lineæ rectæ ad virgarum ſpeciem è cœlo in terram protenſæ: Sunt enim reflexio luminis Solis in nube rorida, ſed inæquabili, quæ proinde, vt ſpeculum inæquabile ſe habet non potens reddere figuram rei, quæ obiicitur. Sunt tamen & ipſæ verſicolores, & ſi vnam formam excipias, in nihilo ab Iride diſcrepantes: ideoque non apparent, niſi Sole circà occaſum, vel ortum exiſtente; raro autem vel nunquam in Meridie. In hoc quoque differunt ab Iride quod hæc ſemper ex aduerſo Solis appareat, Virgæ autem ſemper ad latus, aut ex parte boreæ, aut ex parte Auſtri, cuius rei rationem affert Sueſſanus in 3. Meteoro. Plures Virgarum ſpecies enumerantur, inter quas *Irina* ab Ariſtotele dicta quæ ſemper eſt aquæ ſignum, maximè ſi ab Auſtro videatur. Plura de his apud Reſtam de Meteoris...

39. VIRGO ſextum Zodiaci ſignum ſeptentrionale proximum æquinoctio autumnali; adeoque commune: natura ſua terreum, frigidum nempè, & ſiccum; domicilium, & exaltatio Mercurij. Dominatur ex membris humanis Ventri, Diaphragmati, Inteſtinis, & Iliis. arab. *Sombalet*, ſeu *Elaadari* eius Aſteriſmus in octaua ſphęra longiſſimus eſt: incipit enim nunc temporis à gr. 16. Virginis Primi mobilis, & protenditur vſque in gr. 6. Scorpij. Stellas habet iuxta Ptolemæum 26. in formam redactas, & ſex imformes: At Keplerus in eo enumerat omninò 39. Bayerus 42. diuerſæ magnitudinis, & naturæ, inter quas præcipuè ſpicam in Manu primæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij arab. *Azimech*. Item aliam dictam Vindemiatorem tertiæ magnitudinis, nec non alias de quibus ſuo loco ſingulatim dictum. Porrò hoc ſidus in horoſcopo facit hominem amabilem, iucundum, decora facie ſuauemque moribus, quique naturaliter in opera pietatis inclinet. Sat ſit pro eius integra laude, quod eo exoriente, Dei Filius in hunc mundum venerit, & Virginis Aſtrum myſterij cauſa potiùs quam alia de re ſuo horoſcopo nobilitatum voluerit: quemadmodum teſtatur Petrus Aliacenſis *q. 30. in Geneſim*, & ante

ipſum Albertus cognomento Magnus apud Sixtum Senenſem in *Bibliotheca Sancta* tom. 2. lib. 6. annotat. 10. Cæterum primæ huius Aſteriſmi partes calidæ ſunt, ac noxię: medię temperatæ: poſtremæ humidiores.

VIROASO LVNÆ in Sphæra barbarica dicitur ſecundus Decanus Tauri cuius Dominium, ac diſpoſitio ſpectat ad Lunam, & habet ſignificare potentiam, nobilitatem, Imperium in gentes, &c. Hæc, & his ſimilia, Arabum nugæ ſunt, qui eò dementiæ deuenerunt, vt ſingulis decanis ſignorum Singulos Genios aſſignarent, ſingulos ſuo nomine inſignitos, quos qui animi cauſa leuandi ab grauioribus curis, ac ſtudiis videre voluerit Conſulat Oedipum Ægyptiacum Athanaſij Kircheri, qui ex fide digniſſimis exemplaribus, hæc monumenta excerpſit, & in curioſorum gratiam edidit. 40.

VMBILICVS ANDROMEDÆ arab. *Mirach* dicitur ab Aſtronomis ſtella fixa valdè inſignis, ſecundæ magnitudinis, de natura Veneris, in cingulo Andromedæ conſtituta, de qua fusè dictum in V. *Mirach*. 41.

VOCIFERATOR ſidus in Vociferantis formam expreſſum alio nomine Bubulcus, Boores, Plauſtri ductor, &c. 42.

VOLVELLVM à voluendo dictum eſt Rete in Aſtrolabio motum primi mobilis, ac ſingulos Solis parallelos, quos in ſingulos dies deſcribit, necnon fixas inſigniores eoſque diurnos circulos repræſentans: de quo vide in V. *Rete*. 43.

VORTEX vide Typhon: in idem quippe recidit: & Plinio auctore, non plus differt à turbinę, quam ſtridor à fragore: eſt enim, vt nominis etymon præſefert, ventus vorticinoſus omnia in gyrum rapiens, & attollens: dicitur etiam Pinea, veſtis eſt Apuleius in lib. de Mundo; qui eum ſic deſcribit. *Cum ſcilicet torquetur humus arida, & ab infimo erigitur ad ſupremum.* 44.

VRANISCOS, hoc eſt *cælum paruum*, teſte Kirchero in Oedipo dicitur græcè apud quoſdam Rota Ixionis, ſeu Corona Auſtralis ſidus ad auſtrum, de quo alibi dictum. 45.

VRNA Sidus vide Vas, *Crater*. 46.

VRSA Sidus in cœlo duplex ad borealem plagam circa polum arcticum: quorum alterum dicitur Vrſa minor, & Cynoſura, quæ polo proximius adhæret, & eum denominat arcticum, conſtans ſtellis tantummodò ſeptem; (licet Keplerus in eo enumeret omninò 10.) quarum poſtrema in cauda eſt polaris, & Nautarum Directrix: Alterum dictum Vrſa maior, Helice, à priore non longè diſtans, ſed contrario poſitu, habens ſtellas omninò 56. iuxtà eiuſdem Kepleri obſeruationes, ſed ſeptem ſimiliter clariores, omnibuſque 47.

conſpicuas in plauſtri formam, atque in eadem diſpoſitione ad invicem, quam habent aliæ ſeptem efformantes Vrſam minorem. Ex his quæ in humero vocatur proprio nomine apud Arabes *Dubhe*: prima caudæ *Hlhatoth* id eſt viuificans media *Mizar*; vltima *Alaiceth* ſeu *Benenatz*. Quas tamen Arabes Chriſtiani alio nomine appellant Sorores Lazari, & Plauſtrum ipſum Feretrum, ſuo gentili vocabulo *Naaſch Laazar*, prout in loco monuimus. Propè medium caudæ adeſt ſtella minima vix quidem viſibilis, ſed quæ uulgato apud arabes adagio facta eſt iam celebris nomine *Alcor*: de qua ſcribit Appianus circumferri dictum de homine perſcrutante minima, ſed ſeria, & potiſſima negligente. *Vidiſti Alcor, ſed non Lunam plenam.* Alia vii & ſiderum ſignificata vide in propriis nominibus Helice, Plauſtrum, Cynoſura, Arctos, &c.

48. VVEGA arabicè dicitur Fidicula, *Lyra*, Sidus ſeu ſtella fixa primæ magnitudinis de natura Veneris, & Mercurij, de qua ſepiùs dictum: dicitur etiam Teſtudo à forma Teſtudinis quam præſefert; nec non etiam.

49. VVLTVR CADENS, eo quia totum ſidus repræſentat vulturem ſupinum, expenſis alis quaſi cadentem, qui ſupra pectus Lyram, ſeu Teſtudinem inſtrumentum muſicum habeat. Sicut econtrà.

50. VVLTVR VOLANS dicitur Aquila aliud ſidus non adeò longe à prædicto diſtans, medium inter delphinum, & Cygnum, repræſentans Aquilam volantem ſagitta per tranſuerſum petitam, quæ continet ſtellas 9. vel iuxta Keplerum 11. quarum præcipua valdè fulgida ſecundæ magnitudinis arabice dicitur *Alkir*. Ioui in colore, & fulgore omninò ſimilis.

51. VVLTVRNVS græcè Eurus dictus eſt Ventus orientalis ſpirans ab ortu hyemali, lateralis Subſolano ac directè oppoſitus Cauro. Vulturni nomen ſortitus eſt eoquia, inquit Plin. *lib. 2. cap. 47. altè ſpirat & quodammodo Vulturis volatum imitari videtur.* Natura eius calida eſt & ſicca ſimilis Subſolano; ob deflexionem tamen ad Auſtrum acquirit nonnihil humidæ, ac tabeficæ qualitatis, & in finem turbat aërem, excitatque ſubitas mutationes, fulgetra inducens, ac tonitrua. Porrò *Euri in anno dominantes* (inquit Argolus de diebus criticis lib. 2. cap. 6.) *excitant paſſim vagantes febres ardentes, bilioſas, acutas; & in his Exanthemata: puſtulas, carbunculos, tumores, efferueſcentias, morbillos, variolas, & ſimilia, quæ æſtate contingunt.* De hoc item Vento teſtatur Ariſtoteles *in Problem. num. 55.* quod reddat obiecta viſibilia maiora, quam reuera ſint. Cauſa peti poteſt ex iis, quæ

alibi dicit, ipſum nempè eſſe turbidum, & caligine plenum: Dum igitur caligo intercipitur inter obiectum viſibile, & oculum, conſequenter ſpecies illius per refractionem alterantur, & obiectum amplius repræſentant, quam reuera ſit.

## X

XIPHIAS cometæ ſpecies colore pallidi in mucronem ( à quo illi nomen eſt inditum ) faſtigiati, qualem fuiſſe ſcribunt qui apparuit anno 1532. De eo mentionem facit Plin *lib.* 2. *cap.* 25. Cum apparet portendere ſolet Inſenſiſſimos ventos, qui & Domos ſubuertant, & arbores eradicent, ariditatem, maximam frumenti penuriam: ex his famem, & quæ ex famè ac terræ ſterilitate oriri poſſunt, mala. 1.

XIPHIAS item dicitur ſidus ad polum Antarcticum, Indorum vocabulo *Dorado*, retroacto ſæculo ab Americo Veſpuccio vna cum aliis vndecim detectum: conſtat ſtellis ſeptem in longitudine ſub ſigno Capricorni: quarum tamen duæ, ſpectant potius ad nubeculam illi proximam: quæ verò in ventre eſt, maximè accedit ad polum Eclipticæ, & nunc temporis vix vno gradu ab eo diſtat. 2.

## Y

YPAPHRICVS græcolat. ex Ὑπὸ & Africo vento, cui eſt collateralis eſt enim vnus eſt minus principalibus, qui nouiſſimè ad ventorum ſeriem adiecti ſunt, & vocantur potius quartæ ventorum, quam Venti: medius eſt inter Zephirum, & Africum, cui ad dexteram adiacet alius ventus collateralis dictus Meſafricus, quarta itidem ipſius Africi ad meridiem tendens, & proxima Vento-Lybico. Sic etiam quotquot ſunt venti cardinibus laterales totidem & habent binos ventos minores collaterales ſibi hinc inde adiacentes ad dexteram, & ſiniſtram. Vnde Aquiloni adiacet Ypaquilo ad Septentrionem, Meſaquilo ad Borrhapeliotem, ſeu Græcum: Cœciæ, Ypocœcias ad Borrhapeliotem, Meſocœcias ad Orientem. Euro Ypoeurus ad Subſolanum, Meſoeurus ad Notapeliotem, ſeu Syrocium. Phœnici, Ypophœnix ad Notapelioten, Meſophœnix ad Auſtrum. Lybanoto Ypolybanotos ad Notolibycum, Meſolybanotos ad Auſtrum. Coro, ſeu Argeſtæ, Meſocorus ad Fauonium, Ypocorus ad Borrolybicum, tandem Circio Ypocircius ad Borrolibicum, Meſocircius ad Septentrionem. Quorum 1.

omnium ſchema atque natura paſſim exhibetur in tabulis Geographicis, atque etiam ab iis omnibus, qui de ventis loquuntur, præſertim Argolo in Aſtronom. lib 2. cap.6. Certè vnuſquiſque naturam mixtam ex iis, quibus adiacet, principalibus aſſumit: Vnde Ypafricus, & Meſocorus ſunt de natura Fauonij, licet participent non nihil de Coro, aut de Africo: Ypaquilo, & Meſocircius induunt naturam Septentrionis: Ypeurus, & Meſo Cæcias naturam Subſolani, & ſic de reliquis.

## Z

1\. ZAMOCTAR apud Perſas idem Sonat ac Arabibus *Argebutar*, hoc eſt noſtra lingua Diuiſor, & Dominus terminorum: cuius inueſtigandi methodum vide in V. *Diuiſor*.

2\. ZEDARON hoc eſt Thorax arab. teſte Villelmo Schickardo, dicitur pectus Caſſiopeæ, ſtella fixa, ſecundæ magnitudinis, de natura Veneris, & Saturni alio & vſitato nomine *Schedir*. De qua vide ſub hoc Verbo.

3\. ZENITH arab. dicitur punctus cœli verticalis, qui directè, perpendiculariter imminet capitibus noſtris, noſtro communi vocabulo *Vertex* qui neceſſariò diſtare debet æqualiter ab horizonte 90. grad. & eſt veluti polus ipſius horizontis: cui ex aduerſo reſpondet alius locus ſub terra, dictus *Nadir*, totidem gradibus ab horizonte diſtans, ſemper deliteſcens, quippe qui concipitur eſſe immobilis ſub pedibus noſtris. Porrò ſtella in Zenit poſita, vtpote in loco vnde radios rectos ad terram demittit plurimum potens euadit, & miræ efficaciæ in imbuendo terram ſuis qualitatibus, aut bonis, aut malis, quibus pollet: provt nunc malo noſtro experimur in Capite Meduſæ maleficæ nimis, ac violentæ naturæ quæ iam facta eſt Regno Neapolis verticalis, ac proinde ea mala intulit, quæ iam pridem Argolus in genere pronunciauit in *Pandoſio Sphærico* & nos poſteà experti ſumus, ipſumque haud mendacem comperimus.

4\. ZEPHIRVS græcè, quaſi vitam ferens, dicitur Fauonius Ventus vnus ex quatuor Cardinalibus ſpirans ab occaſu æquinoctiali omnibus lenior, ac iucundior: ſuo enim flatu viuifico plantas germinare facit, & æſtate potiſſimum poſt Meridiem ſpirare ſolitus mirè eius calores eleuat & compenſat: alij Zephyrum appellant Africum ſpirantem ab occaſu hyemali, lateralem ipſi Fauonio ob vicinitatem, & naturæ ſimilitudinem.

Inter

Inter eius conditiones refert Abrahamus Gorlnitz in 5.
compendio Geographico, quod ſit venationi contrarius, quia cum ſit valdè humidus, odor autem ſit ex temperie calida, & ſicca; ideò facilè odorem ferarum intercipit in canibus; maximè quia cæteri Venti altiùs ſpirant iſte proximè ad terram. Vide in V. *Fauonius*.

ZIGIATVS dicitur apud Aſtronomos homo natus ſub Libra 6:
ſidere de quo eſt Aphoriſmus in Ptolemæi Centiloquio V.37. quod *Mortis ſuæ cauſa erit*. At non video qua id ratione dicatur; eo maximè quia id liberam hominis voluntatem conſciſcendi ſibi mortem appellare videtur, in quam tamen nemo ſanæ mentis Aſtrologus dixerit Aſtra vllam habere vim. Pontanus in commentatione huius Verbi hæc habet. *Qui natus eſt*, inquit, *horoſcopante Libra, quia Taurus octauum locum, qui mortis eſt occupat, quod vtrique etiam ſigno Venus Dominatur, hic ſua morti cauſam afferet: hoc autem euenire poteſt aut propter morbos, quod inſania captus ex alto ſe præcipitet; aut propter deſperationem, quea ſe gladio traiiciat; aut propter temeritatem, cum facere quippiam prohibitus; legi ipſi parum obtemperans, in pœnam capitalem; quaſi volens incidat; aut cum Prætorem, aut Dominum pertinaciter agendo in ſe prouocet; aut cum monitus, vt hoſtem fugiat, facere id recuſat; aut cum euitare poteſt periculum, quod tamen ſecurus negligat. Sunt enim innumerabiles viæ, rationeſque quibus homines, & mortis, & aliarum malorum ſibi cauſa eſſe poſſunt.* Hæc Pontanus. Verum hæc ratio non euacuat difficultatem; nec pium æquè ac Philoſophiæ ſtudioſum, atque ex eius principiis omnia metientem animum firmant. Quare ego experientia potius rerum magiſtra, ac etiam Philoſophica ratione ductus Zigiatos dixerim vt plurimum euaſuros Poëtas, Muſicos, eloquentes, Voluptuarios ob ſigni æqualitatem exiſtentis ſub Dominio Veneris, vel ſanè ob benigniſſimam, & iucundiſſimam ſtellam ſpicam Virginis nunc temporis in eo ſigno conſiſtentem.

ZODIACVS græcè dicitur circulus maximus in ſphæra latus 7:
ſex gradus hinc inde, interſecans æquinoctialem illumque ſecans in duas medietates, quarum altera ad ſeptentrionem vergit, altera ad Auſtrum: à Latinis ſignifer appellatus, Circulus obliquus, & Via Solis, ac Planetarum, qui per eum conſtanter diſcurrunt. Sol quidem per eclipticam in eius medio ſitam cæteri per ſuas particulares orbitas intra latitudinis eius fines incluſas. Dicitur Zodiacus ἀπὸ τῶν ζώων, quod animal interpretatur, eò quod diuiditur in longum in duodecim ſigna, vt plurimum animalium nominibus inſigni-

ta, ſiue potius ἀπὸ τῆς Ζωῆς, quod vitam ſignificat: Sol enim, & cætera ſidera, vt notauit Philoſophus, ex acceſſu & receſſu in hoc circulo eſt cauſa ortus & interitus rerum.

7. Duplex eſt alius imaginatius, alius ſenſibilis: Primus etſi à ſecundo olim nomen deſumpſerit, neque ab illo diſtingueretur, concipitur tamen in primo mobili, cuius nullum ſenſibile argumentum habemus quod verè exiſtat niſi motum aliis orbibus inferioribus impreſſum, in quo ſigna diuiduntur in partes æquales ſumptis initiis à quatuor cardinibus æquinoctialibus, & ſolſtitialibus, conſtituentibus ſingulis ſuas quartas, ſingulis ex tribus ſignis, ſeu 90. gradibus conſtantibus, quæ omnia integrant ſummam 12. ſignorum & 360. graduum: & de hoc communiter loquuntur Aſtronomi cum abſolutè de Zodiaco mentionem faciunt. Alter vero dicitur ſenſibilis ob ſtellas quibus ornatur, conſtituitur enim in Octaua ſphæra in loco olim quidem Zodiaco primi mobilis directè ſubiecto: verum poſteà ob motum peculiarem octauæ ſphæræ ſedes ſuas mutauit, & pauló vlterius ad gr. ferè 28. proceſſit; ita vt ſtella in cornu Arietis, quæ tempore Ptolemei incidebat in ſectionem vernam, nunc ab ea inueniatur diſtare gr. 26 Hic ſimiliter diuiditur in duodecim ſigna, ſeu potius ſidera & Aſteriſmos non tamen æquabiliter tam in longum, quam in latum, ſed pro ratione & numero ſtellarum, quas intra ſe ſingula comprehendunt. Quinimmò antiquitus Libra, & Scorpius vnum Sidus erant; propter quod etiam hodiè duæ ſtellæ Lancis Auſtralis, & Borealis, chelæ Scorpij ab aliquibus appellantur.

8. Ob id nil mirum, ſi quæ de ſignis Zodiaci ex obſeruatione, antiqui ſcripſerunt, iam nunc veritati minus reſpondeant: ſiquidem naturam eorum vtplurimum ab ſtellarum qualitatibus, quæ in iis incidebant auſpicabantur, quæ modo vt dixi iam receſſerunt. Quare prudens Aſtronomus debet nunc, ante quam ad quicquam decernendum deſcendat, ſimul vtriuſque Zodiaci & ſigna & ſidera in vnum conuenientia, ſimul conferre, & ſic poſtea ex eorum commixtione iudicium facere. Plurima Zodiaci vtriuſque munera, & effectus vide apud Clauiuum in ſphæram Io: de Sacrobosco

9. ZONÆ apud Geographos, Aſtronoſque dicuntur circuli quidam lati, & Cœlum, Terramque velut balthei quidam, ac faſciæ circumplectentes, quas & Maculas & Oras appellat Cicero de Rep. & in Tuſculan. à quatuor circulis minoribus Æquatori parallelis definitæ: quarum duæ à po-

ſis mundi ad Circulos Arcticum, & Antarctium ptotenſæ frigidæ appellantur, eoquia Sol ab illis maximè elongatur atque ad eas mundi plagas radios maximè obliquos eiaculatur; & ideò nimio frigore algent, habitationique hominum minùs opportunæ exiſtimantur. Aliæ duæ à Circulis Arctico, & Antarctico ad Tropicos Cancri, & Capricorni productæ conſtituunt duas temperatas nec multo frigore algentes, nec nimio calore exæſtuantes, quarum alteram nos Europæi inhabitamus habitationi, vt perſpicuum & oppidò opportunam. Quinta verò computatur à Tropico Cancri ad Tropicum Capricorni, includens ipſum in medio Æquatorem, quæ dicitur Zona torrida, eoquia continua Solis ſtatione torretur, & tellus illi ſubiecta aliquando ipſum habet verticalem, cum videlicet illam Zodiaci partem luſtrat quæ ipſi perpendiculariter imminet. Et hæc quidem ob nimium æſtum ab Antiquis reputabatur inhabitabilis; quemadmodum duæ priores ob nimium frigus. Vnde & Virgilius 1. Georg. cecinit.

*Quinque tenent Cœlum Zonæ, quarum vna coruſco*
*Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igne*
*Quam circum extremæ dextrâ læuâque trahuntur*
*Cæruleæ glacie concretæ, atque imbribus atris,*
*Has inter, mediamque duæ mortalibus ægris*
*Munere conceſſæ diuûm, & via ſecta per ambas*
*Obliquus quà ſe ſignorum verteret ordo.*

Verum experientiâ poſtmodum compertum eſt, omnem 10.
terræ tractum eſſe habitabilem; & non modo regiones frigidas ſub polo arctico, & circùm inhabitari, (quod etiam de terra auſtrali nondum detecta pari ratione credendum eſt,) ſed & regiones calidiores ſub via Solis obliqua; quales ſunt totus ferè Africæ tractus magnaque pars Aſiæ, & Americæ, vbi frequentiſſimi populi ſunt, populatiſſimæ Vrbes. Quinimmò referunt qui eas oras nauigiis peragrarunt, atque inde poſtmodum huc appulerunt, adeſſe ibi temperatiſſimum æſtum, ac potiſſimum ſub æquatore iucundiſſimam vitam duci. Quamuis enim ex iis quæ diximus debeat ibi eſſe maximus æſtus ex acceſſu Solis ad Verticem, nihilominus aliundè æſtus iſte attemperatur, primò ex aquarum inibi conſiſtentium multitudine, aduertunt enim Geographi ſub Zona torrida maiorem eſſe aquarum copiam, quam ſub aliis Zonis: quod magnæ Summi Opificis prouidentia factum eſſe docet Cardanus 2. de ſubtil. ne, inquit, terra nimio eius plagæ calore conſumeretur, ſed aquæ humoribus, ac naturali frigiditate temperaretur. Secundò ob

diei, noctiſque minorem inæqualitatem, quam ſub aliis Zonis; vnde maior temperies eſt ſub ipſo æquatore, quam ſub Tropicis: quod & Albertus Magnus, & Auicenna annotarunt dicentes, magis laborioſam habitationem eſſe ſub Tropicis, quam ſub Æquinoctiali; & experientia ipſa id manifeſtum facit. Quando quidem qui ſub æquatore degunt albi ſunt, aut ſanè non nigri, cum tamen qui ſub tropicis naſcuntur nigerrimi ſint, aduſti, deformes, & capillitio criſpi. Rationem affert Auicenna, quia, inquit, capitibus habitantium ſub æquatore Sol imminet bis in anno, & receſſus ab eo eſt velox ob Zodiaci obliquitatem; capitibus verò habitantium ſub tropicis, ſemel quidem, ſed diù conſiſtit in anno ob rectam aſcenſionem, & Solſtitiorum naturam.

Accedit quod ſub æquatore eſt perpetuum æquinoctium, vnde fit, vt Sol ſupra terram tantumdem, quam ſub terra, conſiſtens, non poſſit illam diutiùs inflammare; immò quantum in die caloris efficit, tantùm remittit in nocte per frigus: quod vt paulatim ſuperet multum temporis inſumit, nec prius illud ſuperaſſe, inueniatur quam ad occaſum inflexerit quæ etiam ratio eſt, cur calidior ſit Autumnus quam Ver, etſi alioqui in dies ſemper humilior fiat Sol, & noctes augeſcant. Sub tropicis verò & circum ipſos, Sol in æſtate diutiùs ſuprà terram commoratur, & ex vertice intenſiores radios eiaculatur; qua propter ex duplici capite intenſiores ſentiuntur calores.

12. Similiter quoad regiones polis ſubiectas Plin. *lib. 4. cap. 12.* ponit in iis eſſe ſummam aëris felicitatem; quod tamen nimis audenter dictum exiſtimauerim, cum Batavi ad eas oras nauigantes non niſi ad vſque 75. gradus eleuationem peruenire potuerint, & referant mirabilia de eorum locorum frigiditate, qua obſtrictum mare iis vlterius progrediendi poteſtatẽ non fecerit; Ratione tamen colligi poteſt, non eſſe inibi frigus adeò intolerandum, vt non commodè pro inhabitantium more cum alioqui frigoribus aſſueti mora iugis ſint ttahi poſſit. Equidem etſi in iis duorum, trium, vel etiam plurium, quò magis ad polum fiat acceſſus) menſium ſpatio Sol iugiter deliteſcat nihilominus viceuerſa totidem etiam, & ſub polo in æſtate ſex integrorum menſium ſpatio nunquam occidit, ſed circulariter fertur, vnde & Periſcij accolæ audiunt, eoquod vmbra illis circumferatur; qui fit diuturnâ illa Solis conſiſtentiâ in ſuperiori hemiſphærio, etſi ex obliquo, nunquam tamen intermitentibus radiis tota tellus, non ita intenſum toto anno concipiat frigus, ſed in æſtate tepeſcat, & in hyeme ob nimiam horizontis obliquitatem,

ſolem habeat horizonti proximum ſemper intra lineam cre-puſculinam commorantem, atque adeo numquam obſcuram noctem, numquam tenebras, numquam etiam intolerabile frigus.

Vbi quidem magnam commendandæ Diuinæ ſapientiæ argumentum nobis fit conſiderantibus, quod vbique locorum res ita diſpoſuit, vt æſtus immoderantiam æqua diei, noctiſque viciſſitudo, ac frequentes pluuiæ temperarent; & ex alia parte frigoris intoleranda ſæuitias, & maximus ſolis receſſus à vertice iugi eiuſdem ſuprà, vel circà terram conſiſtentiâ compenſaretur. 13.

Sed & illud mirari licet, quod æſtas in Zona torrida tepidior eſt, tolerabiliorque quam Hyems: quamuis enim Sol ibi verticalis exiſtens deberet maximos æſtus adducere, tamen hoc regionibus illis prouidens Natura conceſſit, vt quamdiù Sol vertici appropinquaret nubibus ſemper obtegeretur, atque aſſiduis faſtidioſiſque cadentibus pluuijs ſubiecta tellus irrigaretur; cum verò à vertice elongatur, cum eo nubes attrahat, quò curſum dirigit, conſequenter alias oras inopertas linquit, quas proinde conſtanti æſtu, continuiſque radiis percutit. 14.

Quod mihi plurium annorum experientia edoctus teſtatus eſt oculatus teſtis omni exceptione dignus Antonius Poma Clericus Regularis Apoſtolicus ad indos Miſſionarius ad nos redux, vt alios item operarios in Domini vineam conduceret, vir humaniſſimus, pijſſimus, ac rerum vſu longè inſtructiſſimus. Ait enim in Golgondæ Regno ſe id expertum; quin & in Goa ciuitate totius Orientis Principi, ac celebri emporio, menſe Maio, quo Sol Tauri ſignum percurrens fit ei verticalis, continuis integri menſis pluuiis locum repleri, vnde aquarum copia certos quoſdam cyniphes producit hominibus nimium infenſos: cum tamen in Hyeme magni calores ſint, nullæque pluuiæ. Nec id ratione vacat à Natura deſumpta: Videmus enim in arte diſtillatoria, quid non abſimile fieri: vbi enim calor ad ſummum vaſis diſtilatorij contenderit, atque adunatus fuerit, omnes ad ſe ſubiecti humoris vapores trahit, atque in odoratam pluuiam vertit. Sic profectò Sol verticalis euadens ad ſe omnes terræ vapores attrahit, nubibus conueſtitur, pluuias creat, atque ad ſubiectas regiones demitiens eas vberrimè lauat, & rigat. Quo ſanè remedio Deus ita orbi prouidit, vt nulla eſſet Prouincia in qua homines æquè bene non poſſent conſiſtere, ſuaque munificentia frui. 15.

16. Zoodotis apud Perſas idem ſonat ac apud Arabes Hileg: ſignificat enim Planetam vel alium locum in cælo vitæ moderandæ diſpoſitionem ſortientem, qua de re abunde diximus in V. Apheta.

17. Zophomenia apud quoſdam ex Græco audit Lunæ obſcuritas, defectuſque lucis, quam patitur in Eclipſi.

18. Zozaicus circulus dicitur qui ex linearum quinque angulis, & adhuc vna linea conſt. Pap. apud Amaltheum onomaſticum.

19. Zubeneschemali, Arabicè appellatur Lanx auſtralis ſtella fixa ſecundæ magnitudinis, de qua alibi fusè diximus, teſte Bayero in ſua Vranometria: quam taman melius vocari *Vazneganubi*, vult Kircherus in Oedipo Ægyptiacô, ſicut & Borealem *Vazneſchemali*.

**FINIS.**

# OPERIS
# CONCLVSIO
# AD LECTOREM.

*Atque hic ſuſcepti à me operis finis eſto. Quod, ſi optatam tenuit metam, ac Lectoris vota æquauit, in Dei Omnipotentis laudem cedat, bonorum omnium largitoris: ſin minùs, Auctoris indiligentiam aliis curis impliciti, excuſet quaſo Matheſis ſtudioſus: atque inde excitetur ad noua, quæque deſiderari poterunt, ſuppeditanda, quibus mirificè locupletatus liber denuò lucem aſpiciat omnibus numeris abſolutus.* Non enim, *vt ille ait*, omnia poſſumus omnes. *Conſideretque noſtram imbecillitatem, & quod teſte Moyſe ſolius* Dei perfecta ſunt opera *Cæterum non me latet, ad pleniorem rerum intellegentiam ſatiùs fuiſſe Geometricas figuras appingere, atque oculis exhibere, ſine quibus Mathematicæ facultates ægrè percipiuntur. Verum quia eæ paßim apud reliquos Auctores obuiæ ſunt, & alioqui magnas impenſas requirebant, quas non ità facilè Typographus ſuſcepiſſet; eapropter conſultius habui has modò omittere, & res ſola verborum circumlocutione ita delineare, vt penè earum, ex oculis contemplatio videatur ſuperflua, cum planè quiuis, ni fallor, non rudis Mineruæ facili via mente poßit concipere quod ſtilus in tabulis areis incidiſſet, noſque ſtudioſo verborum circuitu menti obijcere conati ſumus. Quodſi id à Lectoribus exoptari*

*nihilominùs intellexero, non grauabor, ac tempus ſemper aderit, in ſecunda, ſi Deus faxit editione præſtare. Interim pro operis Coronide breuem digreßiunculam. De miris vulnerum curationibus per ſympathiam quam dudum ab amicis requiſitus conſcripſeram, ad Libri calcem apponere; ſitque veluti Colophon; atque appendix ad verbum* Sympathia; *è cuius principiis omnia ſunt deducta. Statueram equidem; has Quæſtiones, quæ potiùs Theologicæ ſunt, vnà cum alijs Theologicis, ac Moralibus diſquiſitionibus; (quarum non ſpernendum ſanè volumen longo ſtudio, & labore confeceram; & iam vltima manu expolitum commodum præſtolabar, vt typis darem,) propiore loco tibi luculentius exhibere: Verum, quæ eſt humanarum rerum conditio! Dum Apulia Neapolim cum ſarcinulis meis regredior, miſerè eas, vel caſu deperditas, vel furto ſublatas ingemui: quas inter omnes ferè ingenioli mei fœtus, omnes integræ ætatis labores amiſi; vt pœnè earum iactura Iobi conſtantiam confregiſſet, vitæque diſcrimen, præ mæroris magnitudine intuliſſet: nec tantùs modò ſum, vt primæ, ac florentis iuuentæ ſtudia, & labores rememorari valeam, ac repetère. Sed pro miraculo fuit, vt huius tractationis primam graphidem domi ſeruarem, cuius ſubſidio, eam iterum, licet non tam concinnè, delineatam, nunc tibi Lector exhibeo: ſi quid boni in ea inueneris, fruere; ſin minùs, ignoſce; Auctorem amice admone, & Vale.*

DIGRESSIO

# DIGRESSIO PHYSIO-THEOLOGICA AD VERBVM SYMPATHIA.

## DE MAGNETICA VVLNERVM CVRATIONE.

MVLTA ſunt in Natura, quæ, quoniam humanum captum, adeoque ipſam Naturam tranſcendere, ac totius Philoſophiæ principia euertere videntur, religiosè aliqui tanquam ſuſpecta reiiciunt, improbant, aut ſaltem ex timore, ne Dæmonis arte fiant, quò homines in ſui ſocietatem alliciat, opere exequi reformidant: cum aliàs, ſi compertum eſſet, eorum virtutem naturalem eſſe, poſſeque tuta conſcientia adhiberi, id in magnum Reipublicæ bonum cederet, abiretque. Horum longam ſeriem affert Ioannes Baptiſta Van'. Helmont *in ſuò opere medito peculiari de hac re tractatu*, ac Athanaſius Kircherus *in Arte Magnetica 3. part. lib.* 1. *cap*... Huiuſmodi eſt illud, quod ſi Mumia, quæ primò hominis tabidi ſpiritum exſuxerit, protinus beſtiæ ad deuorandum obiiciatur, mox illa qualitate morbifica attracta inficitur; & hominem liberum linquit. Item modus curandi morbum regium ſeu Ictericiam flauam, qui practicatur ſæpiſſimè in Hiſpania, aliiſque regionibus vltrà montes, præſertim ſeptentrionalibus: ſumunt enim recens excretam patientis vrinam, atque in oui putamine incluſam exponunt calidis cineribus lentiſſimè conſumendam: nam ea pe-

nitus abſumpta mox omnis Icterus abit. At ſi forte ex incuria, aut etiam ex malitia res negligentius peragatur, ita vt ovi teſta minimum quid læſionis aut vredinis contrahat; confeſtim in ægro Icterus flauus in nigrum conuertitur, atque omni ſpe ſalutis ablata, mortem certiſſimam inducit. Quod ſuo tempore accidiſſe in quodam ſacerdote ſuæ curæ demandato mihi teſtatus eſt Petrus de Caſtro Medicus doctiſſimus, atque amiciſſimus. Sed inter omnia celeberrimus toto orbe eſt Puluis ille Sympathicus qui vulneratorum ſanguini linteaminibus adherenti applicitus; quamuis hæc ab ægro valdè remota ſint, mirum in modum curationi confert, & ægro àd paucos dies ſanitatem reſtituit. De hoc magna olim controuerſia fuit inter Medicinæ Profeſſores Venetiis primum, tum Romam ad fidei quæſitiores delata, atque acriter inter Theologos agitata tandem ſine vlla concluſione dimiſſa eſt. De ea ego in facti contingentia interrogatus Patauij, num, ſtante hac dubietate, licitè, & qua cautela adhiberi poſſit; præſentes quæſtiones ſcripſi: & primò nil de pulueris ipſius virtute, & modo quo agat inquirens, ſolum Theologicè diſcutio num poſſit tuta conſcientia adhiberi, & Medicis ac Militibus, (quibus frequens eſſe ſolet, ac facilis) liber eius vſus poſſit permitti. Secundò id etiam quæro de Vnguento Armario, quod licet eadem vi polleat, tamen diuerſa ac longe abſtruſiori via procedit. Tertiò demum Philoſophicè inquiro, quonam pacto Puluis Sympathicus, Vnquentum Armarium, & cætera huiuſmodi medicamenta concurrant ad vulnerum aliorumque morborum curationem. Sit igitur

## QVÆSTIO PRIMA.

*Vtrum Puluis Sympathicus linteaminibus vulneratorum ſanguine infectis applicatus, licitè adhiberi poſſit in vulnerum curatione.*

### SVMMARIVM.

*QVid ſit Puluis ſympathicus, & quomodo praparatur. num. 1.*

*Ferro non tangendus, dum praparatur, aut in vſum reducitur. n. 2.*

*In oſſium fracturis additur gummi tragacanthi, vel quid huiuſmodi. n. 3.*
*Vſus ex Papinio. n. 4.*
*In vulneribus interioribus ſanguis interior excipiendus. n. 5.*
*Prodeſt etiam vulneratis per tormenta bellica. n 6.*
*Quomodo panni medicati tractandi, & quo loco reponendi. n. 7.*
*In oſſium fracturis fragmenta educenda, & locus aſſulis, vt moris eſt, fulciendus. n. 8.*
*Aliqui ſimplex calcanthum nullatenus præparatum adhibent. n. 9.*
*Eius efficaciam, quam probat ingis experientia, nemo non videt, & non admittit n. 10.*
*Dubitatur tamen ab aliquibus an ea ſit naturalis, vel ſuperſtitioſa. ibid.*
*Qui ſuperſtitioſam aſſerant, ibid.*
*Qui naturalem contendant. ibid.*
*Vtcumque ſit, poteſt tutò, & confidentiſſimè adhiberi. ibid.*
*Effectus dubius cenſendus eſt naturalis. n. 11.*
*Multi ſimiles effectus in natura ſunt naturales. n. 12.*
*Qui exponuntur. ibid.*
*Quæ in curatione adhibentur, prorſus naturalia ſunt. n. 13.*
*Et alioqui eadem virtute pollent, ſi intimè applicentur. ibid.*
*Quomodo, & quænam agentia naturalia requirant determinatam diſtantiam adhoc vt agant. n. 14.*
*Puluis fortius ageret ſi vulneri applicaretur, ſed eſſet nimius. n. 15.*
*Venenum pulueri admixtum, & ſanguini inſperſum nocet ægro. n. 16.*
*Qua ratione non venenum dumtaxat. ibid.*
*Lac in ignem emulſum mammas ſteriles reddit. ibid.*
*Secundinæ cœnoſo loco deiectæ lædunt puerperas, ſecus ſi in ignem. ibid.*
*Ad vrticam ſilueſtrem mingens vrina ardorem contrahit, ibid.*
*Iuglandis vmbra dormientibus obeſt. ibid.*
*Cicuta hominibus exitialis eſt, ſturnis verò commodum pabulum. ibid.*
*Omne agens operatur intrà determinatam ſphæram actiuitatis. n. 17.*
*Maculæ in linteis, ex arborum fructibus contractæ ad foliorum deciſionem abſterguntur. n. 18.*
*Vinum in doliis fluctuat vinea efflorente ibid.*
*Quodnam agens vt operetur requirit determinatam diſtantiam. ibid.*

*Selenites, & Lunaria Lunæ mutationes ſeruant n. 20.*
*In curatione magnetica, & ſimilibus Naturæ operibus nulla datur actio in diſtans ſed tota fit immediatè à Natura. n. 21.*
*Non eſt præſumendum curationem vllam magneticam à dæmone eſſe. n. 22.*
*Curatio magnetica non eſt ſuprà Naturæ vires. n. 23.*
*Cum natura omninò deuicta eſt, curatio omnis euadit inutilis n. 24.*
*Natura arte ſuffulta breui tempore poteſt, quòd alias ſe ſola longo tempore facit. ibid.*
*In dubiis tutior pars eligenda. n. 25.*
*Quomodo hoc axioma intelligendum. n. 26.*
*Dæmon affectat maxima quæque naturæ bona corrumpere, vel ſuſpecta reddere. ibid.*
*Proteſtatio contraria facto non prodeſt. n. 27.*
*In quo caſu id locum habeat. ibid.*
*Aliquando licitum eſt factum cæteroqui certò ſuperſtitioſum aggredi cum proteſtatione. n. 28.*
*Aliud eſt dubium, aliud probabile. n. 29.*
*Malè Diana ſupponit certum eſſe, puluerem non poſſe naturaliter operari. ibid.*
*Inter omnia agentia naturalia ignis maximè actiuus eſt. n. 30.*
*Vitriolum adhoc vt virtutem ſuam exerat à natiuo paſſi calore excitari debet. n. 31.*
*Vitriolum non habet ſympathiam cum corpore humano, neque cum ſanguine, neque ſanguinis ſympathia facit ſimpliciter, vt eius malæ affectiones in corpus redundent. n. 32.*
*Quædam mixta occulta quadam qualitate operantur, quæ longe elementaribus præſtat. n. 33.*
*Vitriolum actuatur à ſanguine, & agit in ſanguinem, natura interim per ſympathiam quam habet cum ſanguine ad opus ſe excitante. n 34.*
*Cur id ipſum non accidat in ſanguine, qui è vena exſecta manauit, aut cum venefica qualitate inficitur. n. 35.*
*Iaſpis ex occulta qualitate habet ſanguinem ſiſtere. ibid.*
*Adamantem lædit ſanguis non ignis. n 36.*
*Vniones ſoluit acetum, non aqua fortis. ibid.*
*Cantharides manu preſſa lædunt veſicam, non manum. ibid.*
*Vitriolum habet antipathiam cum ſanguine, & ſanguis ſympathiam cum parte affecta, unde manauit. n. 37.*
*Non omnis nobis naturalium rerum virtus comperta eſt, & multa nobis ignota. n. 38.*

ANtequam ad rei examen deueniamus, præſtat primùm explicare quid ſit Puluis ſympathicus, quibus conſtet, & qua ratione paretur: hoc enim ſemel intellecto, facilius nobis erit eius virturem diſquirere, & quonam pacto ad vulnerum curationem, etiamſi minimè vulneri applicetur, conferre poſſit. Ergò Puluis ſympathicus (ſic dictus, eo quia cum eius agendi vis clarè non innoteſcat, creditur ex occulta quadam rerum conſenſione ac ſympathia emanare) fit ex Calchantho, ſeu, vt vulgò vocant, Vitriolo Romano, quod, poſtquam pluribus diſſolutionibus ex aqua limpida filtrationibus per chartam emporeticam, ad ignem euaporationibus, ac repetitis coagulationibus, prout ars pyrotechnea docet, à fæculento magmate fuerit repurgatum, & ſummam viriditatem adeptum, contunditur craſſiuſculè, & per quindecim circiter, aut decem et octo dies feruentioribus ſolis radiis menſe Iulio, vel Auguſto quandiù in Leone fuerit exponitur, donec vi ſolis calcinatus ad ſummam puritatem albedinemque deuenerit. Inde ad vſum in loco idoneo, hoc eſt ſiccioris temperiei aſſeruetur. Quod ſibi fortè aut dum paratur aër nubilus, aut pluuius ſit, aut dum iam perfectus aſſeruatur, ex loci humiditate, aut inſita, & excrementitia natura recruduerit, & aliquid humoris contraxerit, tunc & loco amouendus, & virtutis iactura leui calore, vel repetita ad ſolem expoſitione reparanda. 1.

Sunt qui præcipiant, ſummopere cauendum ne vllo modo dum puluis conficitur, aut dum perfectus fuerit, adhibetur, ferro præſertim æruginoſo rangatur, nec id ſuperſtitioſum eſſe crediderim, vt alij arbitrantur: quandoquidem hoc ei inſitam facultatem, vt in aliis rebus videre eſt, adimere poteſt. Sic Vinum in vaſe cupreo diu aſſeruatum veneficam qualitatem induit: ſic etiam lac, & alia huiuſmodi ex ſimili contagione rabeſcunt. 2.

Et hæc eſt ſympathici pulueris præparatio, qui vulneribus quibuſcumque quæ nullam oſſium fracturam, aut ſciſſuram admiſerint eſt idoneus: quod ſi adhuc aliqua oſſis fractura, contuſio, aut quæuis læſio interceſſerit, tunc addatur ei aliquid ſarcocollæ, gummi arabici, aut tragacanthæ vel vt alij malunt ſymphiti maioris ad vmbram deſiccati atque in puluerem redacti: quorum quodlibet oſſium conſolidationi, ſe ſolo, aut cum aliis applicatum, ſcimus conducere. 3.

Eius vſus hic eſt ex Papinio. *Vulneribus recentibus, & è quibus adhuc emanat cruor immergitur linteum mundum, idque vel ex lino, vel ex cannabe confectum: Cuius loco ſuffe-* 4.

*erit panni quodlibet genus, vel ſolida ferè qualibet ſubſtantia, donec fluente ex parte ſanguine intingatur: huic inſpergendus puluis, & alio panno cuncta inuoluta ſimul aſſeruentur loco temperato, eoque vel vicino, vel quamtumuis remoto à patiente. Præſtat tamen mederata loci intercapedo. Sin vulnus iam inueterauerit, & in vlcus degenerarit, eodem prorſus modo materia ex affecta parte manans, ſiue pus, ſiue ſanies fuerit, linteo committenda, aſpergenda puluere, & ſedulò aſſeruanda. Tum vulnus vino tepido priùs ablutum panno minimè ſordido obtegendum eſt, & pannus nouus, ac mundus alternis diebus, vel ſæpiùs, prout manantis ſorditiei copia exquirere videbitur, pro inquinato mutandus eſt. Sordidi autem panni ſimul coaceruandi ſunt in loco pariter media temperatura. Non eſt tamen quod puluere inſpergantur, nec vulnus pluſquam ſemel vino abluere neceſſum eſt: quin etiam hoc multi omittunt.*

5. *Nota autem, quod ſi vulnus exterius fuerit, ſufficiet permittere, vt ſanguis effluat in pannum: ſin interiores etiam partes affecerit, ipſi penitius immittendus eſt pannus, vt læſam pariter attingat partem.*

6. *Nota ſecundò, quod quocumque modo inflictum vulnus fuerit, eadem ſit pulueris virtus. Non enim hic locum obtinet, quod Sennertus lib. pract. 5. cap. 10. partis quartæ in vnguentum armarium obiicit, quod nullus, qui de eo ſcripſerit, auſus ſit vim eius ad illata à ſclopetis vulnera extendere. Quinimò eiuſmodi vulnerum ipſius pulueris ope perſanatorum inſignia mihi non deſunt experimenta, quæ multorum fides confirmat.*

7. *Nota, denique, loco mutanda eſſe lintea, illud præſertim ſanguine, & puluere aſperſum, prout pars intemperie tentatur. Si calida enim intemperies partem inuaſerit loco frigidiori, & humidiori aſſeruari debent, velut ſub terra, ſeu incluſa pyxide ex electro, aqua aut niue mergantur, donec pars elapſam nacta ſit temperaturam: ſi verò frigida diſcratia partem occupauerit, locus temperie contrarius pannis aſſeruandis deligendus eſt. Hæc de vulnere ſimplici.*

8. *Si vulnus oſſium fractura complicatum ſit, fragmenta foras educenda ſunt quæcumque perioſteo nudata fuerint. Sin verò fractura æqualis, vt in ſpeciebus quæ dicuntur Cauledon, & Praphanodon; vel contrita oſſium particulæ perioſteo adhuc cohæreant, vulnere priùs ſympatheticè curato, pars hypodeſmidibus, epideſmidibus, & aſſulis pro more deliganda, & fulcienda eſt, admiſcendo videlicet in curando vulnere puluerem gummi tragacanthæ, alteriuſve eiuſdem na-*

*tura, æqua vel media quantitate, vt ſuperius dictum eſt.* Hæc ille.

Et hæc Pulueris ſympathici præparatio & vſus, licet mul- 99
ti ipſum Calchanthum nullo adhibito apparatu, ſed quale nobis à Natura ſuppeditatur, atque in officinis venale proſtat, proſpero euentu vſurpaſſe aſſeuerent. Quod ſanè ſi verum eſt, oportet, vt vulnus non ita graue fuerit, vt non potuerit immediatè à natura abſque vllo adiumento curari. Sed de hac re nobis non eſt diſceptatio, quærimus enim de illis vulneribus, quæ cum profunda ſint, ingentia, atque periculoſa, ſola natura abſque extrinſecis adiumentis ad eorum peruicaciam ſuperandam impotens inuenitur, in quo caſu nullius ferè virtutis ſimplex Vitriolum, ſed totam eius virtutem à præparatione, aſtralique vi, per iugem illam ad ſolem expoſitionem communicata, pendere credunt omnes, quotquot ſunt ſympathici pulueris aſſertores.

Et quidem quoad eius efficaciam, & vim planè admirabi- 100
lem in vulneribus protinùs conſolidandis nemo eſt qui eat inficias; id enim iugis probat experientia: At enim nùm id naturali virtute fiat, an potiùs cacodæmonis aſtu, maximè controuerſum eſt. Deteſtâtur eum tanquam ſuperſtitioſum, infandum, pernicioſum ex Medicis ac Philoſophis multi, Andreas Libauius, Sennertus, Naudæus, atque erudititſſima ad me tranſmiſſa lucubratione doctiſſimus vir Liuius Ignatius de Comitibus; quorum aliqui licet de Vnguento armario agant, & in ipſum potiſſimum inuehantur, quia tamen vniuerſim curationem ſympathicam omnem euertere satagunt, proinde etiam aut explicitè aut implicitè de puluere noſtro etiam obloquuntur. Ex Theologis verò Martinus Delrio *diſquiſition. magic. lib.* 3. *cap.* 5. *&* 6. Athanaſius Kircherus *in Arte Magnetica lib.* 1. *par* 7. *cap.* 2. Bonacina *diſp* 3. *quæſt.* 5 *puncto* 4. *n.* 17. Iann. Roberti in acri diſceptatione, quam de hac re ſuſcepit aduerſus Crolium, & Goclenium, Hermannus Buſembaum *in Medulla Theologiæ moralis lib* 3 *tr.* 1. *dub.* 4. & alij, quos refert & ſequitur Antonius Diana Clericus Regularis, vir de quo iure neſcias an ei magis orbis debeat, quam ipſe orbi: *part* 11. *tract.* 4. *reſol.* 42. In hanc partem inclinat etiam Tamburinus *in Decal. lib.* 1. *cap.* 6 *num.* 77. licet paulò ante *num.* 63. pro naturali pulueris, & Vnguenti Armarij actiuitate hæc dixiſſet. *Sicut video à magnete ferrum trahi, cognoſco virtutem trahendi; ita quia video ſanitatem fieri à gladio ſolis naturalibus medicamentis peruncto, colligo virtutem illis occultam ineſſe ægrum abſentem ſanandi.* E contrà viriliter ipſum pro-

pugnat ex Medicis Carolus Papinius peculiari libello edito *de Puluere ſympathico.* Ioannes Baptiſta Helmont. Daniel Becherus, Fabritius Hildan., Baſilius Valentinus, Ioannes Vvitichius, Ioann. Baptiſta Sitonus, & alij. Ex Theologis verò admittit Paulus Vecchi in obſeruationibus Medicis in ſacram ſcript. *obſeru.* 60. pro vtraque parte rationes affert Illuminatus Moronus *in reſponſ. moral. reſp* 95. *n.*167. ſed præ omnibus defendit Bertrandus Loth. Dominicanus *in reſolut. Theolog. tr.* 14. *quaſt.* 1. *art.* 3. Ioan. Petrus Creſcentius *in Praſid. Rom. lib.* 3. *num.* 113. & Ignatius Lupus *in edictum ſancta inquiſit. part.* 3. *lib.* 19. quibus etiam tam pro Philoſophis, quam pro Theologis meritò annumerandus eſt. P. Nicolaus Cabæus *de Meteoris lib.* 4. *text.* 4. *quaſt.* 2. qui ex occaſione in hanc curandi vulnera methodum per ſympathiam in quacumque diſtantia incidens hæc habet. *Sunt aliqui effectus de quibus videtur ab aliquibus dubitatum, vtrum abſoluant omninò à medio, vt eſt illa ratio medendi vulneribus, qua vulnera curantur applicando medicinam cruſtis ſanguine infectis: dicunt enim ſic curari vulnera in quacumque diſtantia æqualiter. Nec res omninò ſuperſtitioni obnoxia cenſeri debet: nullus enim interuenit actus religionis, nec vera, nec falſa; nec medicamentum ipſum vllam habet ſpeciem falſi cultus: eſt enim omninò ſimplex medicamentum, omninò ſimplici modo applicatum, neque ex eo quod cauſam ignores debes ſtatim dæmoniacum exclamare; quaſi verò omnia noueris naturalia, & ſint in te omnis ſapientiæ apices transfuſi.* Hæc illi: quæ omnia, additâ tantorum virorum, qui pro naturali pulueris efficientia ſtant, authoritate, ſatis ſunt, ad aliquam ſaltem probabilitatem ipſi conciliandam. Ego verò hic non ſubſiſto; ſed in primo limine hærens, fidenter me oſtenſurum ſpondeo, abſolutè liberum cuique eſſe pulueris ſympathici, omniſque magneticæ curationis vſum, in idque vel aduerſarios ipſos ex ſuiſmet principiis debere conuenire.

11. Moueor quia commune eſt Theologorum omnium axioma. vt quandocumque dubitatur an effectus ſit ſuperſtitioſus, an naturalis à cauſa naturali. etſi nobis ignota prouenien̄s, cenſendus ſemper eſt naturalis, idque ex eo quia nobis non notæ ſunt omnes naturæ vires, omnes lapidum, mineralium, herbarumque virtutes, moduſque & celeritas operandi: quandoquidem vt author eſt Plinius *Multa ſunt Naturæ miracula incomperta adhuc rationis, & in Natura maieſtate penitus abdita.* Ergò fieri poteſt, vt effectus ſit naturalis, & nobis incomperta ſit eius cauſa: poſſeſſio enim ſtat

pro Natura, cuius intima penetralia explorare licitum eſt. Secùs autem dicendum, quando conſtat effectum naturæ vires tranſcendere; nam tunc præſumendum eſteſſe à Dæmone, niſi forte talia indicia adſint, vt iurè iudicetur eſſe à Deo, aut à bono Angelo. Ita Leſſius, Suar. Sanchez, Delrius, & alij, quos refert & ſequitur idem Bonac. *ſuprà n. 9.* & Caſtro Palaus *de ſuperſtitione diſp* 1 *puncto* 10. *num.* 2. Sed an huiuſmodi curatio per ſympathiam, applicando puluerem ſympathicum linteis ſanguine madefactis ſit naturalis necne, maxime controuertitur inter DD. in vtroque genere expertiſſimos, ita vt multi Philoſophi ac Theologi affirment multi etiam negent. Ergò in maxima dubietate res conſtituta eſt, nec eo vſque deuentum, vt iam conſtet effectum hunc naturæ vires tranſilire, adeoque ſuperſtitioſum eſſe. Si igitur in dubio res poſita eſt, vtique effectus curationis in noſtro caſu cenſendus eſt naturalis, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, & poſſeſſio ſtat pro Natura. Quare appoſitè ad hanc rem inquit Caramuel *lib. 3. Theolog. Moral. num.* 1381. *Si quid rarum vides, gratias age Naturæ Conditori. Potentiſſimus potententiſſimum condidit: hoc ſuppono. Sub latere aliquod pactum, aut Dæmonis interuentum quovſque videam euidenter, non credam.*

Confirmatur, quia multos effectus in Natura huic prorſus 12. conſimiles, ex occulta ſympathiæ vi productos videmus; quos tamen Dæmoni aſcribere ineptum foret, cum nullus finis ad eoſdem patrandos illum mouere poſſit: ergò ſi iſti naturales ſunt, quamuis vera cauſa, & modus operandi ſit nobis ignotus, & ille rationabiliter naturalis cenſendus eſt. Antecedens patet inductione. Nam ſi, vt ſuprà dictum eſt, ſuprà hominis fæces adhuc fumantes cinis calidus inſpergatur, mox aluus deiicitur & ſanguis cum excrementis effertur. Si molæ fœminarum, ſecundinæ, aut primus ſanguis menſtruus ſordido loco abiiciantur, aut inclementius tractentur, illæ mox grauiſſima ſymptomata patiuntur, vt author eſt, ex aduerſariis ipſis, Sennertus. Si mulier ablactans infantem in prunas ardentes lac emulgeat, ſtatim illi vbera ſterileſcent: ſi verò lac in mammis multiplicare velit; à fœmina lacte plena demorſum quid ipſa manducet, ſtatim occulta naturæ vi, lac, ex illius vberibus ab ipſam tranſit: Si dum oua, quibus gallina incubat, & iam pullli excluſioni ſunt proximi, in eadem domo, vel vicinia ouum aliquod aſſetur, illicò quæ excubantur, per ſympathiæ vim deperduntur, vt teſtatur Kircherus in Arte magnetica. Et ſi demum hæc, eſt ſimilia imaginationi potius tribuas, quam rerum conſenſioni, pro-

bemus id etiam in rebus inanimis. Nam ſi panibus in clibano exiſtentibus, & ſemicoctis ſumptam inde placentam manibus vel cultro eouſque ſcideris, vt ſuam formam deperdat, mox alij quantumuis diſſiti per ſympathiam, & miram naturæ conſenſionem læduntur, & integra cruſta à mica diuellitur; vt author eſt idem Kircherus, & ego ſemel, & iterum obſeruaui. Cythara æquè cum altera tenſa ad eius contactum reſonat etſi longiùs conſtituta, modò tamen ſonus ad ipſam perueniat. Maculæ, & ſordes in linteis ex pomorum ſucco cõtractę nũquam abſterguntur quoaduſque ex arboribus, à quibus decerpta ſunt folia decidant, & tunc abſque vllo prorſus humano artificio. Vinea efflorente, vinum in dolijs fluctuat, &c. quæ abunde congerit Kircherus, & Porta iu ſua Magia Naturali. Si ergò in his & ſimilibus nulla Dæmonis operatio intercedit, ſed omnia a Natura fiunt, neque in vulnerum curatione per ſympathiam ſuperſtitio intercedet: cum vtrobique eædem difficultates militent, eadem operatio in diſtans conſpiciatur.

13. Accedit quod quæ in hac mira vulnerum curatione adhibentur, non ſunt prorſus inutilia, nec aliàs curationi non conferunt: nam Vitriolum, ex quo puluis ſympathicus conficitur, ſeipſo ſanguinem ſiſtit, putredini & puris generationi obeſt; & alia mira præſtat, quæ habent eius naturæ ſcriptores, & paſſim Medici experiuntur. Non ergo prorſus inane eſt, ſi probè compoſitum, & omni fæce purgatum non vulneri, ſed ſanguini è vulnere ſcatenti applicetur, ſicque effectum habeat tam mirabilis curationis faciendæ.

14. Dices ex Diana, Bonacina & aliis. Si puluis vlla naturali virtute polleret, vtique proximè vulneri applicatus, eundum effectum pareret: at tantum abeſt, vt proſit ad ſanitatém, vt potiusrnecem induc at & afferat interitum: tum ſi naturaliter operaretur, admixto illi veneno malè haberet infirmus, quod eſt falſum. Ergo ſignum eſt, quod ſi quid agit, agit ope demonis imploiata, non quatenus vllam virvirtutem naturalem contineat. Hoc argumentum Bonacinæ, ex hoc capite præeisé debile videtur quia multa ſunt agentia naturalia, quæ non producunt effectum, niſi in determinata diſtantia, quem non producunt immediatè applicata ſubiecto, vt patet in ſenſibili, quod poſitum ſuprà ſenſum non facit ſenſationem: vnde id etiam contingere poteſt in noſtro caſu. Verum hæc reſponſio non infringit obiectionis robur, quia agentia qu r operantur per contactum quemcumq; quò fuerint proximiora paſſo eò validiùs agunt, & fortius per contactum immediatum, quam per mediatum

& virtualem, vt patet inductione: ea verò, quæ operantur per immiſſas ſpecies in potentiam requirunt determinatam diſtantiam, & de his verificatur axioma illud allatum, vt videre eſt in ſenſibus auditus, odoratus, & viſus. Hîc autem ſi puluis ſympathicus agit per contactum (neque enim aliter intelligitur operari) vtique maiores vires exeret immediatè vulneri applicatus, quam ſanguini, per quem concipitur mediatè virtus eius in vulnus tranſire.

Reſpondetur igitur meliùs ad argumentum, id verum concludere, quod ſcilicet puluis fortiùs agit immediatè vulneri applicatus, quam ſanguini, ſed ea vtique virtute agit, quæ nimietate ſua ægro noxia ſit, & maximè violenta, ſanguini autem diſſito applicatus temperata, lenior, & opportuna. Sic ignis à longè naturam fouet, proximè admotus vrit. Sic Venenum, ſic medicamenta nimis violenta præſtant. Non igitur mirum, ſi puluis ſympathicus proximè vulneri applicatus, quia nimium violentus, illud exaſperet, & grauia inducat ſymphomata, qui tamen non vulneri, ſed ſanguini applicatus prodeſt; cum tunc non ſit ita Naturæ coniunctus. 15.

Ad confirmationem negatur item aſſumptum, quia vt ſupà dicebamus, ſi ferro puluis tractetur inficitur, & curationi euadit incongruus, & fortè etiam pernicioſus, quantò magis, ſi venenum admiſceatur? Quod ideò vel ob id à ſacra Congregatione, (dum res coram ipſa agitabatur) prouiſum reor, vt hæc curatio non niſi à piis ac doctis viris perageretur: Nam catenus, etiam officere poteſt, quâ prodeſſe puluis à probo Naturæ inſpectore ac ſympathiæ, antipathiæque rerum callido ſpeculatore tractatus. Quod autem venenum ſolum, aut aliud quid ſanguini applicatum naturæ non noceat, noceat autem admixtum pulueri, ſicut etiam quod ſolus puluis, aut vnguentum conſimile virtutem habeat naturam afficiendi, hoc profectò eſt quod miramur atque in occultam ſympathiæ antipathiæque vim refundimus. Nã ſimiliter peto ego. Cur lac cænoſo loco emulſum lactenti minimè obeſt, obeſt autem ſi iactetur ad ignem? è contrà ſecundinæ & primus ſanguis menſtruus cænoſo loco deiectus lædat, minimè verò ſi in profluentem, aut in ignem deijciatur? Quare cantharides manu detentæ veſicam exulcerant, minimè verò manum, cæteraſque corporis partes, per quas tranſeat ad inferiora neceſſe eſt vis venefica? Quare ad ſylueſtrem vrticam mingens vrinæ ardorem contrahit, non autem ſi ad napellum, aconitum, aut peſſimam quamuis herbam? & vt ad notiora deueniamus, quare iu- 18.

glandis vmbra dormientibus obeſt, minimè autem cæterarum arborum, & quidem cæterà noxiarum? Quare cicuta hominem interficit nimia frigiditate, non autem potus in ſummo frigidæ? ver cæteris animantibus nocet, non autem aſino aut ſturnis? Equidem hæc omnia in rerum naturam ſunt refundenda, quæ aliquo ſympathiæ, antipathiæque nexu ſint colligatæ, minimè verò in cæteris. Sic igitur venenum talis naturæ eſt, vt non niſi proximè applicatum noceat, minimè verò rebus in natura connexis; at ſi pulueri admiſceatur, quod talem virtutem habet, vtique illum alterat, atque ab illo repatitur, itavt per illum poſtea quaſi per quoddam vehiculum eius venefica qualitas tranſmittatur in vulnus, adeoque noceat. Sed de hac re fuſiùs in tertia quæſtione.

17. Obijcies vnumquodque agens operatur in determinata ſphæra ſuæ actiuitatis, itavt extra eam non agat, & ea per obicem interrupta nequeat virtutem ſuam exerere, vt patet in magnete quod ferrum non attrahit niſi in determinata diſtantia, & ſi paries interponatur, non vtique poterit illud attrahere. Ergò ſi puluis naturaliter operaretur, id haberet in determinata diſtantia, & eò fortius operaretur, quò proximior; & conſtitutis in medio parietibus impediretur eius actio, quæ vtpote realis exeri debet per quendam contactum aut immediatum, aut mediatum: ſed puluis ęquè agit in quacumque diſtantia, & interiecto quocumque obice: ergo ſignum eſt, quod non naturaliter, ſed virtute Dæmonis agat.

18. Reſpondetur imprimis, hoc argumentum militare etiam contra alia experimenta, in quibus certum eſt Dæmonem nullatenùs ſe ingerere. Nam, vt cętera prætereeam, ad foliorum ex arboribus deciſionem tam probè exterguntur maculæ à linteis longè conſtiutis, quam propè, tam ſi quid fuerit intermedium, quam ſi non: efflorente vinea vinum in dolijs fluctuat quantumuis diſſitum, & multis parietibus interiectis, &c. Si igitur in his, & ſimilibus non officit diſtantia atque interjectus obex, nil mirum, ſi neque in noſtri pulueris efficientia.

19. Reſpondetur ſecundò: quodlibet agens, quod agit per contactum ſeu immediatum, ſeu mediatum, ſeu etiam per immiſſionem ſpecierum, alituum, aut corpuſculorum, requirere determinatam diſtantiam, & per interiectionem obicis [illegible]diri; ſecùs autem ea, quę agunt occultâ quadam vi, & planè imperceptibili. Exemplo ſint, quę modò adduximus, experimenta: Exemplo ſit ſol à Bonacina in

ſui fauorem allatus, qui, vt cauſa ęquiuoca, & vniuerſalis, plures effectus habet, & multiplicem operandi modum, alium nobis cognitum, alium incognitum. Sic lucem, calorem & his ſimilia ſol operatur modo nobis vtique cognito, & eo pacto, quo ignis, & cætera luminoſa intrà ſuam ampliſſimam ſphęram;& eò ampliùs quò propius, aut rectius fiat ei paſſum; & ſi inter ipſum, & paſſum ponatur obex, impeditur actio illuminandi, aut calefaciendi: alios effectus habet ſol, qui non hac regula menſurantur, & alium operandi modum nobis planè incomprehenſibilem;producit enim aurum, & mineralia in viſceribus terrę poſito quocumque obice: dat animantibus vitam, ſiue eę longè ſint, ſiue propè, ſiue ipſe in noſtro ſit, ſiue in inferiori hemiſphęrio delitescat, & equè benè, ſiue nubibus tectus, ſiue ijs diſcuſſis. An autem & in his caſibus operetur per contactum, ac tranſmittendo actiuitatem ſuam per medium, (quamuis in eo nil ſimile operetur) dubium eſt: affirmo ego, ſed explicare non audeo. *Imcomperta adhuc rationis hæc ſunt*, inquit Plinius, *& in Naturæ maieſtate penitùs abdita.* Quis non in Lunaria, in ſelenite lapide, atque in conchilijs non demiretur lunares motus, & maculas? Lunares vices ſubeunt, & luna creſcente creſcunt, ea decreſcente decreſcunt. quorſum hæc actio? à Luna ne, an potiùs ex inſita eorum natura? Si à Luna, quonam pacto hæc in minimis quibuſque rebus exquiſitiſſimè operatur, & non in alijs? Quomodò non eius actiuitati obeſt paries interjectus, quin imò & totus terrarum orbis, quando Luna inferius hemiſphærium luſtrat? Quomodò eius vim ſentit ſelenites in ſcrinijs, ac domorum penetralibus incluſa? Si immediatè, & ab intrinſeca eorum ratione id procedit, quomodò ad operandum ex Lunæ motibus excitantur? Quomodò tam conſtanter eiuſdem affectiones ſequuntur? Quod bellè deſcribit Marbodæus Poëta Gallus in ſelenite, ſic inquiens: 20.

*Lunares motus, & menſtrua tempora ſeruat:*
*Creſcit enim Lunâ creſcente minorque minutâ*
*Efficitur, tamquam cæleſtibus anxia damnis.*

Pari igitur ratione poterit puluis ſympathicus vulneribus opitulari, actionemque ſuam immediatè in ſanguinem exercere atque inde in vulnus tranſmittere.

Reſpondetur tertiò ad argumentum: nullam hîc, & in ſimilibus caſibus dari operationem intermediam, ſed omnem immediatè fieri à natura rerum, modo quidem ineffabili, ſed quem nos in tertia quæſtione explicare conabimur. 21.

22. Probatur ſecundò noſtrum aſſumptum. Nulla hic actio dæmonis rationabiliter præſupponi debet interuenire : ergò tota in Naturam vniuerſale rerum principium refundenda eſt. Antecedens probatur, quia Dæmon eſt infenſiſſimus humani generis hoſtis, qui Naturæ bonis potiùs nos ſpoliare adnititur, quam beneficijs cumulare. Si quos enim ſuis pollicitis allicit, eos, aut ſpè ſua fruſtratos, ſæpè deludit, aut magno cum fænore animam ſibi præmium quærit. Teſtantur id ſæpiſſimè hiſtoriæ, Nicolaus Remigius, ac Delrius in diſquiſitionibus Magicis. Non eſt igitur credendum, Dæmonem tantum bonum voluiſſe hominibus, per hunc puluerem impertiri, itavt vel ipſe primitùs eius virtutem alicui ſibi deuincto homini explicaſſet, qui poſteà indefinitè eſſet omnibus hominibus profuturus, vel ſemper ipſe immediatè curationem perficiat, abſque vllo fęnore gratiarum; cum profectò multi ſint, qui ignoranter, adeoque innocenter ipſum adhibeant, multi prudenter, examinatâ eius compoſitione, vſu, curatione, quæ vi vana, futilia & prorſus impertinentia non admittunt, quæque docti homines probant, multi demum in hac rerum dubietate omnem dæmonis opem reijciunt, poteſtantes explicitè ſe velle naturæ bonis vti, quatenùs purè naturalia ſunt, non quatenùs Dæmon vllo pacto ſe ingerat, &c. Non eſt ergò veriſimile ipſum ſine vllo emolumento velle tot hominibus opitulari, & vel rejectum, & quando res omni culpa vacat curationem velle gratis impendere : alioquin ſtultus foret mercator, & ſua beneficia oſoribus, & ingratis prodigeret.

23. Probatur tertiò: quia Curatio iſta non eſt ſuprà Naturæ vires, nec talis, vt, quemadmodum à Dæmone intrà naturæ limites fieri poſſe ſupponitur, (non enim is quicquam ſuprà naturæ leges operari poteſt) ita etiam ab hominibus naturæ ſubfamulantibus, non æquè fieri vtcumque poſſit: ergo abſolutè cenſenda eſt naturalis. Antecedens fusè probabitur in tertia quæſtione: Pro nunc ſatis ſit à poſteriori ex ſimilibus effectibus naturaliter prodeuntibus illud ſolidiſſimè confirmaſſe. Neque noſtra curatio maiores difficultates implicat, quam oſcitatio ad alterius oris hiatum, macularum abſterſio ad foliorum deciſionem, oculorum lippitudo ad alterius lippientis aſpectum ſubitò exurgens, chordarum conſenſus, &c. quæ tamen omnia naturalia ſunt, & naturæ limites non tranſcendunt. Equidem, ſi das, per Dæmonem poſſe fieri curationem hanc; dare etiam debes, poſſe, & ab ipſa natura; quæ, vt ait Hypocrates, ipſa eſt

morborum intima medicatrix; & cui cæteri omnes præſto ſunt adiumenta ſuppeditantes.

Quod ſi Natura nimium deiecta eſt, itavt nullo prorſus adiumento leuari valeat, tunc profectò cura omnis euadit inutilis, & ſi demum perficitur, miraculoſa eſt, non naturalis, nec Sathanica, ſed Diuina. Quod autem non quidem ſubitò (vt falsò quidam prætendunt) ſed citius habeatur curatio, & citrà vllam moleſtiam, aut dolorem per hæc ſympathica medicamenta, quam per methodica; non eò ipsò arguitur pulueris inefficacia, ac Dæmonis aſſiſtentia; quandoquidem omne id quod facere poteſt Dæmon per internam, & probam remediorum applicationem poteſt & ipſa natura per eadem, vel longè ſuauiora media hominũ arte ſuffecta: vt videmus in præcoci fructuum productione, in olerum ad ſemihoram eruptione, & alijs miris, quæ abunde exhibet Porta *in ſua Magia naturali*, & nos quotidie experimur, adeóvt iam nobis vileſcant, quæ olim in admiratione erant, & arte Dæmonis facta æſtimabantur. Quod eruditè expreſſit Barclaius in Argenide lib. v. introducens perbelle Arſidam apud Mauros hoſpitantem, atque in menſa Iubæ poma non ita pridem ex arboribus pendentia, mox ſubita glacie circumdata demirantem: qui poſteà rem intelligens ex antiperiſtaſi factam, ſale videlicet niui admixto, omnem ſtuporem abjecit. Sic profectò Natura, arte obſtetricante, breui temporis interuallo curationem poterit perficere; via quidem nobis imperſcrutabili, ſed ſibi plana, & facili: Vt propterea liberum nobis ſit, eius ſemitis inhærendo, eandem viam cæco quamuis ductu ſectari. 24.

Dices: in dubijs tutior pars eſt eligenda, ne quis temerè erroris periculo ſe exponat. *Cap. Ad audientiam.* & *Cap. ſignificaſti. 2. de Homicidio.* Ergò in dubio num pulуis naturaliter agat, an arte Dæmonis, eius vſus eſt omittendus, atque ad notiora, & tutiora remedia confugiendum: aliàs illum, his prætermiſſis, adhibens temerè ſe exponet periculo errandi, & communicandi cum Dæmone. 25.

Contrà quia id procedit in facto, non autem in iure, vt benè aduertit idem Diana, *parte 4. tract. 3. reſol. 3.* & *parte 5. tract. 9. reſol. 94.* cum aliàs ſit regula longè vniuerſalior, quod in dubijs benigna fieri debet interpretatio. *Cap. Eſtote 2, de regulis iuris.* & quod in dubijs melior eſt conditio poſſidentis. *reg. 61. de regulis iuris in 6.* quod etiam notat Bonacina, *de Cenſuris diſp. 2. quaſt. 2. puncto* 26.

6. *num.* 49. & alij paſſim. Vnde in caſu noſtro, vt ſuprà innui, omnes Doctores conueniunt, quod quando dubitatur núm effectus ſit ſuperſtitioſus, an naturalis, benignâ fieri debet interpretatio, & cenſendus eſt naturalis; cum poſſeſſio ſtet pro natura; non enim nobis omnes viæ eius compertæ, neque aditus intercluſus ad eas inueſtigandas, vt non liberè eius bonis ad noſtrum commodum vti poſſimus. Aliàs ſi ex formidine incurrendi aliquod implicitum fædus cum Dæmone teneremur tutiora ſequi, & bonis dubijs abſtinere, magna inſenſiſſimo hoſti præberetur anſa, optima quæque Naturæ bona in dubium reuocandi, corrumpendi, & rebus inutilibus immiſcendi, (vt profectò in multis, ac præſertim in his caſibus præſtat) vt vel ob id nos ab eorum vſu arceat, abſterreatque quod nullatenus permittendum. Sat igitur nos in eiuſmodi rebus dubijs aduerſus omnem Dæmonis fraudem, ac verſutiam præmunimus, ſi omnem eius opem præmiſſa proteſtatione reijciamus. Qui Naturæ actiuitatem ſui captus exilitate metitur Deo auctori naturæ injurius eſt: qui opera ſibi incomperta damnat propè blaſphæmus: qui alios ab eorum vſu ex vana formidine arcet, inuidus, ac Dæmonis æſtro ſubſeruit.

17. At inquies: Proteſtatio illa non te excuſat, cum ſit contraria facto, quæ Dæmoni opem non reijcit, ſed facto ipſo aduocat & conducit, vt docent Azor. Delrius, Suar. Sanchez, Naldus, & alij communiter: Nam perinde eſt, inquit Naldus, ac ſi manum igni admoueamus, nolentes tamen conburi, aut calefieri. Contrà: quia hæc doctrina tunc locum habet, quando eſt certitudo de Dæmonis aſſiſtentia, & quod opus nullatenus perfici naturaliter poſſit, ſecus cum res eſt dubia, & vbi eſt opinionum diuerſitas; vt monet in ſpecie Delrius, & Sanchez, *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 43. Hic autem omnia abſunt, quæ nos certiores reddant occultæ Dæmonis aſſiſtentiæ, qualia ſunt Verba ſacra, characteres, circumſtantiæ prorſus inutiles, & alia quæ communiter afferunt D. D. ac præſertim Caïetanus, ac Toletus; *in Summa lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 6. & licet modus operandi in diſtans videatur ſuprà naturalium agentium poſſibilitatem, tamen is benè ſaluatur, vt infrà videbimus per indiſtantiam, & potius vocari debet præter diſtans, quam in diſtans. Præterquam non eſt ita certum in Philoſophia, quod agens non poſſit actionem ſuam tranſmittere in diſtans, vt contrarium ſuſtineri non æquè poſſit, vt multis probat noſter Areſius, *de Generat. lib.* 1. *diſp.* 5. *quæſt.* 41. *ſect.* 2. Oſtendens

dens nulla cenſura dignam eſſe opinionem id aſſerentium.

Addo, quod aliquando licita eſt etiam operis aggreſſio 28.
licet alioqui ſuperſtitionem apertiſſimè continentis, præmiſſa proteſtatione, quando videlicet id fit ad Dæmonis fraudem detegendam, atque ad fideles erudiendos, vt docet Caiet. *in ſumma Verbo Incantatio* & ſe feciſſe teſtatur in apertiſſima ſuperſtitione, quantò magis cum res eſt dubia? Namque ad commonſtrandum coram multitudine, quod motio annuli ſuper filum ad prolationem neſcio cuius verſiculi erat arte Dæmonis facta, non naturalis, ipſe Caietanus rem facto exequi non dubitauit pronuntians dicta verba, proteſtans ſe tamen dicere ea verba, non tanquam à Dæmone inſtituta ad mouendum annulum, ſed ſimpliciter ad honorandum Deum, qui eorum fuerat auctor: in quo caſu annulus non eſt motus, quia Dæmon reiectus rubore ſuffuſus aufugit, & operi ſibi alias non proficuo inſiſtere recuſauit. Non eſt igitur periculum, quod inuidus, ac ſuperbus hoſtis, vltrò ſe immiſceat in iis quæ non vt ab ipſo profecta volumus, ſed vt dubia, nùm à natura ſint, ac proinde, vt liberè id experiamur ac Naturæ bonis vtamur: cum videlicet eius verſutiam illudentes omnem eius opem, explicitè reiicimus, ac deteſtamur.

Accedit, quod, licet nos ſimus in dubio de veritate operis num ſit à Natura nec ne, certi tamen ſumus de bonitate, & rectitudine noſtri actus in eo opere experiundo, nam vt benè notat Paſqualigius *deciſ. 5. num. 6.* operans ſecundum opinionem probabilem. operatur ſecundum menſuram conformem rectæ rationi, atque adeò qui prudenter,& probabiliter operatur verſatur,nō in dubio, ſed in re ſuo modo certa: certū eſt enim eum qui prudenter,& rationabiliter operatur nullo modo errare. Atqui pro puluere & curatione magnetica ſumma adeſt probabilitas, tum extrinſeca, tum intrinſeca, quod naturæ viribus fiat: vnde, qui eam experiri vult, & puluere vti, benè ac rationabiliter operatur, cum operetur iuxtà opinionem probabilem, atque adeò omni Diabolicę fraudis periculo ſe ſubducit. Vbi aduertè malè Dianam ſupponere eos qui puluere vtuntur in vulnerum curatione non in caſu dubio verſari, ſed certiſſimo, quod non ſit à natura curatio; ſed à Dæmone: Nam peto, quamnam ipſe de hac re certitudinem habeat? Et nùm certiſſimum dicturus ſit, quod à doctiſſimis viris tam Philoſophis, quam Theologis controuertitur? Sat meo iudicio eſt, ad rem dubiam faciendam, ſi vnus vel alter, in alterutram partem abeat, præſertim, ſi ſit in arte peritus; 29.

6. *num.* 49. & alij paſſim. Vnde in caſu noſtro, vt ſuprà innui, omnes Doctores conueniunt, quod quando dubitatur num effectus ſit ſuperſtitioſus, an naturalis, benignâ fieri debet interpretatio, & cenſendus eſt naturalis; cum poſſeſſio ſtet pro natura; non enim nobis omnes viæ eius compertæ, neque aditus intercluſus ad eas inueſtigandas, vt non liberè eius bonis ad noſtrum commodum vti poſſimus. Aliàs ſi ex formidine incurrendi aliquod implicitum fœdus cum Dæmone teneremur tutiora ſequi, & bonis dubijs abſtinere, magna inſenſiſſimo hoſti præberetur anſa, optima quæque Naturæ bona in dubium reuocandi, corrumpendi, & rebus inutilibus immiſcendi, (vt profectò in multis, ac præſertim in his caſibus præſtat) vt vel ob id nos ab eorum vſu arceat, abſterreatque quod nullatenus permittendum. Sat igitur nos in eiuſmodi rebus dubijs aduerſus omnem Dæmonis fraudem, ac verſutiam præmunimus, ſi omnem eius opem præmiſſa proteſtatione reijciamus. Qui Naturæ actiuitatem ſui captus exilitate metitur Deo auctori naturæ injurius eſt: qui opera ſibi incomperta damnat propè blaſphæmus: qui alios ab eorum vſu ex vana formidine arcet, inuidus, ac Dæmonis æſtro ſubſeruit.

17. At inquies: Proteſtatio illa non te excuſat, cum ſit contraria facto, quæ Dæmoni opem non reijcit, ſed facto ipſo aduocat & conducit, vt docent Azor. Delrius, Suar. Sanchez, Naldus, & alij communiter: Nam perinde eſt, inquit Naldus, ac ſi manum igni admoueamus, nolentes tamen comburi, aut calefieri. Contrà: quia hæc doctrina tunc locum habet, quando eſt certitudo de Dæmonis aſſiſtentia, & quod opus nullatenus perfici naturaliter poſſit, ſecus cum res eſt dubia, & vbi eſt opinionum diuerſitas; vt monet in ſpecie Delrius, & Sanchez, *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 43. Hic autem omnia abſunt, quæ nos certiores reddant occultæ Dæmonis aſſiſtentiæ, qualia ſunt Verba ſacra, characteres, circumſtantiæ prorſus inutiles, & alia quæ communiter afferunt D. D. ac præſertim Caïetanus, ac Toletus; *in Summa lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 6. & licet modus operandi in diſtans videatur ſuprà naturalium agentium poſſibilitatem, támen is benè ſaluatur, vt infrà videbimus per indiſtantiam, & potius vocari debet præter diſtans, quam in diſtans. Præterquam non eſt ita certum in Philoſophia, quod agens non poſſit actionem ſuam tranſmittere in diſtans, vt contrarium ſuſtineri non æquè poſſit, vt multis probat noſter Arceſius, *de Generat. lib.* 1. *diſp.* 5. *quæſt.* 41. *ſect.* 2. Oſtendens

dens nulla cenſura dignam eſſe opinionem id aſſerentium.

Addo, quod aliquando licita eſt etiam operis aggreſſio 28.
licet alioqui ſuperſtitionem apertiſſimè continentis, præmiſſa proteſtatione, quando videlicet id fit ad Dæmonis fraudem detegendam, atque ad fideles erudiendos, vt docet Caiet. *in ſumma Verbo Incantatio* & ſe feciſſe teſtatur in apertiſſima ſuperſtitione, quantò magis cum res eſt dubia? Namque ad commonſtrandum coram multitudine, quod motio annuli ſuper filum ad prolationem neſcio cuius verſiculi erat arte Dæmonis facta, non naturalis, ipſe Caietanus rem facto exequi non dubitauit pronuntians dicta verba, proteſtans ſe tamen dicere ea verba, non tanquam à Dæmone inſtituta ad mouendum annulum, ſed ſimpliciter ad honorandum Deum, qui eorum fuerat auctor: in quo caſu annulus non eſt motus, quia Dæmon reiectus rubore ſuffuſus auffugit, & operi ſibi alias non proficuo inſiſtere recuſauit. Non eſt igitur periculum, quod inuidus, ac ſuperbus hoſtis, vltro ſe immiſceat in iis quæ non vt ab ipſo profecta volumus, ſed vt dubia, nùm à natura ſint, ac proinde, vt liberè id experiamur ac Naturæ bonis vtamur: cum videlicet eius verſutiam illudentes omnem eius opem, explicitè reiicimus, ac deteſtamur.

Accedit, quod, licet nos ſimus in dubio de veritate ope- 29.
ris num ſit à Natura nec ne, certi tamen ſumus de bonitate, & rectitudine noſtri actus in eo opere experiundo, nam vt benè notat Paſqualigius *deciſ. 5. num. 6.* operans ſecundum opinionem probabilem. operatur ſecundum menſuram conformem rectæ rationi, atque adeò qui prudenter,& probabiliter operatur verſatur,nō in dubio, ſed in re ſuo modo certa: certū eſt enim eum qui prudenter,& rationabiliter operatur nullo modo errare. Atqui pro puluere & curatione magnetica ſumma adeſt probabilitas, tum extrinſeca, tum intrinſeca, quod naturæ viribus fiat: vnde, qui eam experiri vult, & puluere vti, benè ac rationabiliter operatur, cum operetur iuxtà opinionem probabilem, atque adeò omni Diabolicę fraudis periculo ſe ſubducit. Vbi aduertè malè Dianam ſupponere eos qui puluere vtuntur in vulnerum curatione non in caſu dubio verſari, ſed certiſſimo, quod non ſit à natura curatio; ſed à Dæmone: Nam peto, quamnam ipſe de hac re certitudinem habeat? Et nùm certiſſimum dicturus ſit, quod à doctiſſimis viris tam Philoſophis, quam Theologis controuertitur? Sat meo iudicio eſt, ad rem dubiam faciendam, ſi vnus vel alter, in alterutram partem abeat, præſertim, ſi ſit in arte peritus;

quanto magis cum res in ancipiti eſt, & æquè à pluribus aſſeritur, ac negatur?

30. Sed iam tempus eſt, vt Liuium de Comitibus audiamus, eiuſque ratiocinationes, quibus omnem noſtri pulueris actionem euertere ſatagit, expendamus. Triplici eum iaculo aggreditur; veriùs tamen ipſa vulneratorum corpora, hoc ſingulari præſidio, ſpoliare contendens. Primo ex agentium naturalium actiuitate; inter quæ agendi vi, inquit præſtat omnibus ignis, qui tamen intrà ſuæ ſphæræ limites ſic concluditur, vt extrà illam, nulla penitùs virtute polleat: Quî igitur modici pulueris energia ad plura milliaria extendi poterit, vt ſanitatem in corpore quamtumuis diſſito operetur?

31. Secundo Vitriolum, ſubdit, inter ea medicamenta cenſetur, quæ virtuales, ſeù mauis dicam, potentiales qualitates habent, quæ, vt agant à natiuo animantis calore excitari debent ex Galeno *tertiò de temperamentis, & primo de ſimplicium medicamentorum facultate* 11 quem ſequuta eſt, licet diuerſimodè vniuerſa Medicorum ſchola, & compures Philoſophi, Scotus, Ruuius, Bagnez, Conimbricenſes, & alij. Quinimò ſiuè actuales ſint, ſiue potentiales huiuſmodi qualitates, omninò tamen debent prius à calore noſtro excitari, atque in actum ſecundum deduci. At experientia compertum eſt tangentibus nullam harum qualitatum in medicamentis eiuſmodi ſimpliciter propriam apparere. Non poterit ergò à vitrioli potentiali virtute affici corpus diſſitum, vtpote adhuc latenti, & inefficaci: neque ſanguis, qui extrà venas ſtatim corrumpitur, ac ſpiritum amittit, vt æquiuocè ſanguis ſit, ipſius pulueris qualitatem actuare, aut ab ea pati aptus eſt: quare ſi quid patitur ſanguis à puluere, id ab exigua & refracta qualitate, quæ in eo reperitur, fieri neceſſum eſt, ſed hæc minima eſt, nec longè caliditatis actiuitati, qua pollet ignis æquabilis.

32. Tertiò tandem obiicit. Vel ex eo quod Vitriolum ſympathiam habet cum corpore humano, habet etiam, quod longè conſtitutum vulneribus medeatur; vel ex eo quod ſanguis ſolum habet hanc ſympathiam; vel ex eo quod ambo ſimul hanc habeant ſympathiam, aut, ſi mauis dicam, antipathiam; licet nullum eorum per ſe ſeorſim id habeant: non enim excogitari poteſt alia ratio, vel alius modus. Sed nec ex eo quod Vitriolum hanc ſympathiam habeat, id euenire poteſt, quia profectò non eſſet opus vt ſanguini inſpergeretur, ſicque etiam intra Pharmacopolarum ſcrinnia aſſeruatum eandem virtutem haberet: Nec ex eo quod ſan-

guis ſolus habeat hanc ſympathiam patitur corpus ; quia etiam alias alterationes communicaret corpori prout illis ipſe afficeretur, aut vſtione, aut putredine, aut frigore, aut quauis maligna alia qualitate, dum ſanguini inſpergerentur venena, & cætera huiuſmodi : quod tamen refragatur experientiæ. Reſtat igitur, vt ſimul iuncta id habeant : ſed neque hoc dici poteſt : primò quia ſanguis, & vitriolum non miſcentur, ſed confunduntur extrinſecùs; ergò nulla reſultat qualitas, quæ in ſeparatis iſtis non eluceſceret. Secundò quia dato etiam quod reſultaret aliqua ſympathia, non propterea in corpus diſtās agere poſſet. Tertiò tandem, quia ſi vera eſſet illa ſympathia, prout afficeretur illa corpora ſimul vnita, ſiue vſtione, ſiue putredine, ſiue alio quouis modo, ita etiam eis compateretur corpus ægri, quod non contingit. Hæc ſunt quæ acutè obiicit Liuius in puluerem ſympathicum, adeoque in omnia ſympathica medicamenta: quæ tamen tum ex ſuperioribus, tum ex infrà dicendis facilè diluuntur.

Quod ad primum attinet: dico inter elementa, & mixta elementaria excellere quidem actiuitate ignem, qui, quemad modum etiam illa per primas qualitates, & per contactum agunt, ſecus autem cætera mixta, quæ operantur ex occulta qualitate cælitùs deriuata, longè ſuperioris ordinis, atque actiuitatis, vt nos fusè diximus *in nostro Lexico V. Mixta*, & probat quotidiana experientia. Neque iſta operatio ad normam purè elementarium metienda eſt, ſed altiùs à ſideribus, & mira vniuerſi conſpiratione expiſcanda. 32

Quoad ſecundum. Vitriolum qualitate quidem exſiccante poſſet, quæ vtique à ſpiritibus, & calore innato adhuc in ſanguine conſiſtentibus actuatur atque ad agendum in ipſum ſanguinem excitatur. Quamquam enim ſanguis extrà Venas poſitus corrumpitur, inſpiſſatur, durſcit, & non nihil ſpirituum, & caloris amittit, retinet nihilominus ſemper eandem cum corpore, aut membro, vnde exciſus eſt, vnionem, ac ſympathiam, vt videre eſt in ſanguine menſtruo, qui licet eiectitius, malè tamen habitus affligit corpus vnde excuſſus eſt: & quod eſt mirabilius, paſſim experimur in ſalibus ex vrina, ſanguine, oſſibus, atque aliis ex humano corpore comparatis medicamentis, ac præſertim in Mumia, quæ ob ſpiritus, & naturæ conformitatem (balſamum alij dicunt) maximam retinent cum vniuerſo hominum, quin & animantium genere ſympathiam : vnde inter reliqua medicamenta ſummam obtinent vim, & cæteris omnibus præſtant. Quod etiam locum habet, & ſuo 33

modo, videre eſt in ipſis brutis animantibus, ac plantis, atque ex eorum partibus conflatis medicaminibus, quò magis externa ſimilitudine, aut interna conſtitutione ad alterius naturam accedunt. Sic equidem in caſu noſtro fit, vt ſanguine è vulnere exciſo, inſpers vi puluetis alterato, alteretur & corpus pet ſympathiam quam cum ſanguine obtinet, eiuſque motum perſentiſcens Natura intimè excitatur ad curationem perficiendam, vt eadem ſympathiæ vi excitatur Cithara ad reſonandum alteri tactæ atque ad eoſdem
35. modulos tenſæ. Quod autem idipſum non accidat in ſanguine, qui è vena exſecta manarit, aut cum idem amburitur, inciditur, elixatur, aut alia quauis praua qualitate inficitur, id oritur, vel qu a homo, cui vena ſcinditur, alioqui vegetus, ac robuſtus reſiſtit leuiſſimo illi naturæ motui, quæ proinde valens eſt non infirma, & nil repatitur ad alterius paſſionem, vt videre eſt in multis fœminis validi roboris, & optimæ ſanitatis, quæ nil mali perſentiant per inclementem ſecundinarum, & primi ſanguinis menſtrui tractationem, cum aliàs debiles, & infirmæ in eo caſu diris ſymptomatis corripiantur: vel quia ſanguis è vena exciſus non tantam habet cum vulnere ſympathiam, ac is qui immediate ab illo profluxit. Eſt quippe inter ſanguinem aliqualis diuerſitas, & vnuſquiſque ad partem vnde profluit dicit ordinem; vel denique quia ſanguis quicumque non ita patitur atque alteratur per qualitates elementares puta vſtionem, frigus, putredinem, &c. aut per alias occultas, non tamen alretando ſanguini aptas, quales ſunt quæ in vitriolo, ob occultam cum ſanguine antipathiam reperiuntur: Sic etiam Iaſpis per ſimplicem contactum habet ſanguinem ſiſtere, quod non habet venenum. aut aliud quoduis actiuius & cæteròqui violentiſſimum mixtum: quod ſanè rerum naturis conformibus, difformibus, aut nullo ordine inter ſe connexis acceptum ferendum eſt. Neque hoc voluntariè, & irrationabiliter dictum proclames: quandoquidem id in vniuerſa penè Natura irrefragabilis probat, & euincit ex-
36. perientia. Nam dic mihi, quæſo, cur adamantem non lædit actiuiſſimus ignis, cæteroqui omnia comminuens, ac deuaſtans, lædit autem modicus ſanguis, iſque non hominis, non Leonis, non equi, non rabidiſſimi canis, ſed mitiſſimi pecudis? cur vniones non ſoluit ardentiſſima aqua, cui nec ſilices, nec ferrum obſiſtere poſſunt, ſoluit autem acetum? Cur Cantharides manu preſſæ, manu illæsâ veſicam exulcerant, lotiumque reddunt ſanguinolentum? Equidem hæc rerum natura eſt non à primarum qualitatum gradu, agen-

tium actiuitate, conſtitutione, approximatione, ſimilitudine, ſed a tius etuenda. Si namque, vt ſupra dixi, fœminis non efficit, ſi ſanguis menſtruus in ignem, aut in profluentem deiiciatur, plurimum autem, ſi in locum ſordidum, ac cænoſum: econtrà ignis excrementa torrens, aluum ſeſe exonerantis torminibus torquet, minimè verò venenum, aut aliud quid ſuper illa proiectum: cuius rei rationem vicumque reddere conati ſumus in noſtro Lexico *V. ſympathia*. Fortaſſis etiam alia mineralia, vegetabilia, &c. Sanguini applicata eundem, aut longè mirabiliorem effectum patiunt. ſed is hactenus nobis incompertus. Non igitur mirum, ſi puluis ſanguini inſperſus id præſtat, quod non venenum, quod non ignis, quod non alia quauis qualitate præditum mixtum: ſi demum id ipſum in alio ſanguine non ſit videre, ſed in eo ſolum, qui è parte affecta de ſumptus eſt.

Denique quoad tertium dico breuiter, id accidere partim ex ſympathia quam habet ſanguis cum ſuo principio, præſertim cum parte affecta, vnde proximè exciſus eſt, partim ex antipathia vitrioli cum ſanguine: quippe videmus hoc ſemper ſanguinis profluuio aduerſari; itavt etiamſi ſuper ſanguinem e vena aut naribus profluentem modicum quid pulueris inſpergatur, mox in vena, aut naribus ſanguinem ſiſti, idque ex mira hac cum ſanguine contrarietate atque diſſidio. Neque enim ex vitrioli & ſanguinis permixtione tertia quædam exurgit qualitas, quæ in ægrum tranſmittitur, ſed Vitriolum in ſanguinem ex antipathia agit, Natura verò ex occulta ſympathiæ vi ſanguini condolet, atque alteratur in quacumque diſtantia, quæ planè impertinens eſt ad huius generis actionem. Sed de hac re fuſiùs, & ex profeſſo in tertia quæſtione. 37.

Concludendum eſt igitur non leuia argumenta ſuppetere ad magneticæ curationis opus ſolius Naturæ opera factum probabiliter aſtruendum: atque ex his euidenter deduci. tuto ac libere poſſe ab omnibus practicari, abſque vlla violatæ religionis formidine, etiamſi operandi modus non ſit cõpertus, modo tamen apertè Sathanicus non appareat, quod in puluere noſtro minime eſt, quippe nullam admittit circumſtantiam vanam, nulla verba, characteres nullos, quibus rationabiliter timeri poſſit Dæmonis opem in adiutorium inuocari. Non enim nobis omnis agentium naturalium virtus comperta eſt, & ea eſt noſtræ humanitatis conditio, vt in peccati pœnam plurimarum, earumque præſtantiſſimarum rerum notitia (quam primus parens habebat) 38.

priuati ſimus: ſed non propterea nobis vetitum, eam è naturæ arcanis eruere, atque ex effectibus comparare.

# QVÆSTIO II.

## *An pari ratione Vnguenti Armarij vſus in Vulnerum curatione ſit licitus?*

### SVMMARIVM.

*Eadem eſt ſympathici pulueris, & Vnguenti Armarij in medicandis vulneribus vis, & conditio. n. 1.*
*Maior tamen difficultas videtur eſſe in Vnguento Armario. num. 2.*
*Qui eius naturalem virtutem aſtruant. ibid.*
*Vnguenti armarij compoſitio. n. 3.*
*Eius inuentor Paracelſus.*
*Apud antiquos aliqua fuit Vnguenti praxis & cognitio. ibid.*
*Sed non ſine ſuperſtitione admixta. ibid.*
*Modus illud parandi. n. 4.*
*Vſus. n 5.*
*Effecta. n. 6.*
*Quæ potiſſimum veniant examinanda. n. 7.*
*Auctores qui contra Vnguentum ſcripſere. ibid.*
*Diuerſitas compoſitionis non arguit, vnguenti ſuſpicionem, aut inefficaciam. n. 8.*
*Nullum eſt nobile medicamentum, quod eodem modo ab auctoribus tradatur. ibid.*
*Mirabilius eſt vnum medicamentum ſimplex pluribus malis occurrere, quam plura compoſita contrà eumdem morbum valere ibid.*
*Quam multiplices, ac diuerſos effectus præſtet elixir vitæ. n. 9.*
*Idipſum præſtare poterit Vnguentum, quod pluribus conſtat, quorum ſingula ſuos effectus habent. ibid.*
*Diuerſa Vnguenti compoſitio diuerſis naturis, & vulnerum qualitatibus confert. n. 10.*
*Etiam ſi vnguentum mumiam non admittat, adhuc tamen efficax eſt ad vulnera curanda. ibid.*
*Multa circumſtantia à pleriſque adhibita ſuperſtitionis ſuſpecta, non tamen abſolutè damnanda. n. 11.*
*Et adhiberi poſſunt cum proteſtatione. n. 12.*

*Probatur facto piorum ac doctorum hominum. ibid.*
*Non eſt periculum, quod Dæmon reſectus præſtò ſit ad ſanitatem donandam n. 13.*
*Neque id permitteret Deus. ibid.*
*Aliæ circumſtantiæ quamuis occultæ, non ſunt tamen euanidæ. n. 14.*
*Inferiora iſthæc à ſuperioribus reguntur. ibid.*
*Sidera cæleſtia pro qualitatum, & effectuum diuerſitate diuerſis nominibus inſignita. n. 15.*
*Dicuntur calida, humida, &c. non quod talia ſint, ſed quia has qualitates in inferioribus cauſant. n. 16.*
*Quod Antiqui, vt poſteritas doctiorum ediſceret, hieroglyphicis expreſſerunt. ibid*
*Signa ruminantia ex effectibus dicta ſunt. ibid.*
*Vnguentum hora benè conſtituta parare, ſuperſtitioſum non eſt. n. 17*
*Superſtitioſa tamen ſunt circumſtantia à Crolio, & aliis præcepta. n 18.*
*Ex his potius Vnguenti efficacia demonſtratur. ibid.*
*Non eſt abſolutè relinquendum medicamentum, eo quod habeat circunſtantiam ſuperſtitioſam admixtam. n. 19*
*Optima quæque ſunt magis corruptioni, & inuidorum malignitati expoſita. ibid.*
*Conditio quod Vſnea ſit è capite ſtrangulati hominis ſuperſtitioſa non eſt. n. 20.*
*Tota Vnguenti contradictio in hoc ſita eſt, quod producat effectum in diſtans. n. 21.*
*Eius operandi modus diuerſimodè ab auctoribus traditus. n. 22.*
*Omnes explicationes, quæcumque ſint recidunt in formam mundi omnia connectentem. n. 23.*
*Adhuc à nullo res veriùs explicata. n 24.*
*Efficacia Vnguenti à poſteriori arguitur, licet cauſam ignoremus. n. 25.*
*Naturæ arcana nobis admirari potius datum eſt, quam nouiſſe. ibid.*
*Neque maior difficultas eſt in Vnguento, quam in reliquis naturæ arcanis. n. 26.*
*Quando manifeſta implicantia non apparet, effectus ſequutus cenſendus eſt naturalis. ibid.*
*Paracelſi malum nomen non officit Vnguento ab ipſo primùm detecto. n 27.*
*Licitus eſt ſcientiæ vſus, quæ prius ope Dæmonis fuerit acquiſita. n. 28.*

*Nos eadem quæ Dæmon operatur, operari poſſemus, ſi eandem, quam ipſe habet rerum naturalium notitiam haberemus. n. 29.*

*Paracelſus ab omnibus maledictis vindicatus. n. 30.*

1. NEc maioris mihi negotij erit Vnguenti Armarij vſum, atque efficaciam in curandis vulneribus propugnare: quippe quod etſi non parum à memorato puluere diſcrepet (componitur enim ex diuerſis ſimplicibus aliiſque ex humano corpore comparatis, vt videre eſt apud Auctores, qui de eo ex profeſſo ſcripſerunt, quorum adhuc ſinguli non eandem componendi methodum tradunt, ſed pro ſuo quiſque genio quod lubet, aut magis ad rem facere videtur, Vnguento ſtudet ingerere quia tamen non eo vulnus, ſed telum vulneris inflictiuum inungitur, aut etiam pannus, quo cruor è vulnere manans excipitur; ideo ſympathico pulueri valde affinis eſt, & eandem cum eo difficultatem inuoluit propter miram illlam curationem in diſtans factam; quo virtus vnguenti ferro, aut linteis applicata transfertur magneticè in ipſum vulnus, illudque etſi diſtans conſolidat. Qua propter eadem ferè argumenta, quibus in aſſerenda probabilitate licitoque vſu pulueris ſympathici vſi ſumus, militant etiam pro vnguento armario, quod eadem ſane virtute agit, habetque plurimos ex Medicis, ac Philoſophis qui pro eo ſcribunt, ac naturali virtute illud operari demonſtrant. Inter quos Petrus Seruius in Romana Sapientiæ Academia Profeſſor primarius *peculiari libello de Vnguento Armario* Rodulphus Goclenius ſenior, atque etiam Iunior *in Synarthroſi Magnetica*, Oſuualdus Gabelchonerus *in Practica Germanica*, Cæſar Nagatus de rara vulnerum curatione. Burggrauius in Biolychnio, Pſellus, Colerus, Schenchius, Patiſius, Baſilius Valentinus, & alij multi.

2. Verumtamen, quia, vt dixi, non æquè ab omnibus traditur; non idem cum puluere parandi modus, ac tempus: multas habet circumſtantias, quæ videntur planè inutiles, ac manifeſtè ſuperſtitioſæ, quas non puluis ſympathicus: ac tandem, quia in illum longè maiore niſu ſcriptores multi iique piiſſimi, ac ſcientiſſimi conſpirarunt: idcircò operæ pretium erit de eo peculiarem quæſtionem inſtituere, atque eius partes, vſum, curandi vim diſtinctiùs examinare.

3. Eſt igitur Vnguentum Armarium conflatum ex diuerſis ingredientibus; præcipuè verò pinguedine humana ſangui-

ne, mumia, Vſnea, ſeù muſco in cranio ſuſpenſi hominis nato, aliiſque ſimplicibus medicamentis: ex quibus alij plura, alij pauciora vſurpant; vt videre eſt apud Sennertum *lib.5. quarta parte cap.*10 ſuæ Practicæ Medicinæ, vbi ex profeſſo de Vnguento armario agit, ac ſingulas ſingulorum deſcriptiones adducit. Potiſſima verò, & magis recepta eſt deſcriptio Paracelſi, qui primus omnium huius Vnguenti inuentor perhibetur, eoque veluti inſigni munere Maximilianum Cæſarem donaſſe fertur. Quamquam apud Antiquiores etiam aliqua huius vnguenti adumbratio reperitur, vt præ aliis notat eruditiſſimus Leo Allatius, qui ex Iulio Africano *ſexto de ceſtis* eius formam deſumpſit, atque in hæc verba ex Græco in Latinum tranſtulit. *Vulnerato à ferro illud doloris remedium erit; ferrum quod vulnus inflixit inungere opus eſt, deinceps illud quaſi percutientes, in vulnus adigere.* Licet & hoc non ſine aperta ſuperſtitionis nota vſurparetur, vt ex ſequentibus conſtat. Cæterum Paracelſo ſubſcribit etiàm Ioannes Baptiſta Porta in *ſua Magia naturali lib. 8. cap. 12.* addita ſolum Terebinthinæ vnciâ.

Modus autem illud parandi, atque opportunum tempus 4.
Paracelſo, & aliis indefinitum. Crolius id reſtringit ad tempus, cùm ſol eſt in Libra: Alij magis coarctant ad diem decimam, & vndecimam Septembris, ſtilo veteri. Alij obſeruant tempus, in quo luna lumine augeatur, ſitque in bona domo, & in ſigno humanæ figuræ. Alij demum quouis tempore parant: Quinimò Gabelchouerus ſolum ex humano corpore muſcum adhibet, quem etiam panem referre ait, ſiuè adhibeatur, ſiue non. Ioannes Vvitichius, & Sennertus teſtantur, ſe nouiſſe hominem, qui abſque tot circunſtantiis, ac ſpeciebus, ſolum porci domeſtici adipem in vſum adhibebat.

Vſus verò hic eſt ab omnibus fere eadem methodo traditus; licet Crolius alias etiam circumſtantias adhibendas 5.
præcipiat (quas tamen nos ex nunc prorſus reiicimus vti ſuperfluas, ac planè ſuperſtitioſas.) Habitum telum, quo quis vulneratus fuit, immergatur in pyxidem vnguento plenam, vel eo inungatur alternis diebus: quod ſi neceſſitas vrgeat, & vulnus ſit ingens, id ſingulis diebus fiat: deinde inuolutum panno mundo, ſeruetur in loco temperato non multum calido, aùt frigido, nec vbi ventus afflat, ſed vel in arcula, vel alio quouis repoſitorio magis proportionato. Si verò telum haberi nequit ſatis erit lignum ſaliceum, aut etiam pannus, qui in vulneris cauitatem immer-

gatur, ſanguinemque fluentem excipiat; cui ex ſe exſiccato inſpergatur ſupradicto modo vnguentum, vel in pyxidem vnguento plenam deiiciatur, intus linguendo.

6. Porrò effectus eſt, vt ſi naturali via curatio haberi poterit, ea protinùs ſequatur, nulla prorſus alia cura vulneri præſtita, niſi quantum naturæ ſubſerniatur, illud leniter à ſordibus, quæ forte contraxerit expurgando, ſingulisque diebus nouo ac mundo linteolo ſola patientis vrina prius madefacto circum ligando.

7. Nunc igitur hæc tria potiſſimum veniunt à nobis examinanda. Primò tam diuerſa, totque modis exhibita Vnguenti huius paratio: quæ nihilominus potis ſit eadem felicitate eundem prorſus effectum curationis, ac ſanitatis inducere; quod naturali via præſtare videri poterit alicui impoſſibile. Secundò modus, ac tempus illud parandi, quæ omnia ad curationem perficiendam videntur impertinentia, nec vllo modo conducere, ſicut & aliæ circumſtantiæ, quas paſſim auctores præcipiunt admittendas. Tertiò tandem ipſe effectus curationis per medicamentum quamtumuis ab ægro remotum expectandus, cùm aliàs ex Philoſopho quoduis agens ad hoc, vt agat requirat approximationem, & contactum ad paſſum. Quamobrem vel ob id Sennertus loco ſuprà citato, Naudæus *in Syntagmate de ſtudio Militari lib. 1. cap. 33. num. 4.* Kircherus *de Arte Magnetica lib. 3. part. 7. cap. 2.* Ioannes Roberti *ſpeciali animaduerſione aduerſus Crolium*, & Gocleniuum ſuſcepta, ipſum vnguentum vti ſuperſtitioſum, Sathanicumque inuentum de prædicant, ac totis viribus aggrediuntur.

8. Et quidem quod ad diuerſam Vnguenti præparationem attinet, miror, viros tam doctos, tamque eximios, ob id ſolum illud vanitatis, ac ſuperſtitionis arguere, quod non idem ſemper, ac conſtans apud Auctores ſit componendi modus. Equidem, (vt benè Seruius de Vnguento Armario pag. 111.) nullum ferè eſt generoſum, ac nobile medicamentum, cuius apud omnes vna ſit compoſitio. Videmus id in Teriaca, Mithridatico, Elixire, vt vocant Vitæ, aliiſque aduerſus venena antidotis, quæ cum vnum ferè habeant ſcopum, diuerſa tamen incedunt via, diuerſiſſimè à diuerſis parantur. Neque enim tam arcta eſt Naturæ pharmacopæa, quin poſſit plura medicamenta ſuppeditare in idem genus morbi conuenientia; nec ars tam rudis, quæ pluribus experimentis edocta per diuerſi generis compoſitiones eidem malo præſtò eſſe non valeat: cum proinde longe maiora videamus, poſſe inquam vno eodemque Pharmaco, herba,

aut lapide, deleteriis ferè omnibus, quamuis contraria qualitate pollentibus obuiari: vno Elixir vitæ, vno Azoth mirabili Paracelſi, vno illo viuifico lapide Seuerini omnes morboſos affectus licet à contrariis cauſis exortos depelli. Non ergò mirum, ſi quod diuerſa à prædictis Auctoribus compoſitio excogitata in omnium morborum affectionibus præſtat, id ipſum præſtet diuerſa huius vnguenti præparatio in vno vulnere conſolidando: Faciliùs enim poſſunt diuerſæ æqualis, pariſque virtutis cauſæ eundem effectum producere, quam vnicum remedium, idemque ſimplex in diuerſos, contrarioſque fines contendere, atque omnes ad eundem ſcopum reddendæ ſalutis per diuerſas ſemitas ordinare.

Et ex his etiam diluitur, quod obiectat Sennertus, non poſſe videlicet idem vnguentum omnes effectus, eoſque inter ſe diuerſos, qui in vulnerum curatione habentur, præſtare; cuiuſmodi eſt, fluentem ſanguinem ſiſtere, imminentem inflammationem cauere, ſuppurare contuſam carnem, nouam ſufficere, agglutinare, &c. Namque ſi poteſt Elixir vitæ, & naturalem calorem fouere, & radicale humidum ſuſtentare, & noxia cuncta depellere, atque vt vno verbo dicam, tam miros effectus in vno, eodemque corpore parere, ſicque eodem tempore, & craſſa incidere, & ſubtilia condenſare, & molificare dura, & macilenta pingue facere, & pinguia extenuare, vt eruditè demonſtrat ex Aduerſariis ipſis Kircherus *parte 7. cap. 3.* eoquia ex innumeris ſpeciebus conflatum id præſtat ſe ſolo, quod ſingulæ ſingillatim; cur non longè pauciores effectus poterit vnguentum hoc gignere, quod ex pluribus ſpeciebus conſtat, quæ ſeorſim ſingulæ valent? Siquidem, vt teſtes ſunt periti ſſimi Medicorum, & probat quotidie experientia Bolus Armenus, (qui ab omnibus ferè in huius vnguenti præparatione adhibetur) duo potiſſimum præſtat, & ſanguinem ſiſtit, & glutinationem coadiuuat: terebinthina abſterſioni, expulſioni putis, nouæ carnis inductioni; adeps quicumque contuſæ carnis ſuppurationi, alia demum ſpiritibus vitalibus generandis, conſeruandis, roborandis, caloriqne naturali fouendo conferunt, confluuntque. Vnde iam patet, vnguentum ipſum ex ſe ex modo diuerſimodè illud parandi, non eſſe vulneribus curandis ineptum; quippe quod ingredientibus conſtat ſingulis per partes in in eundem finem collineantibus, ac vices ſuas implentibus. Qua autem ratione non vulneri, ſed ſanguini iam excreto applicatus hos omnes ſimul effectus parere valeat, 9.

ad tertium quæſtionis caput attinet id diſcutere. Pro nunc ſufficiat demonſtraſſe multiplicem vnguenti præparationem non arguere eius inefficaciam.

10. Deinde, cum prædicti Auctores pluribus experimentis ſuam quiſque compoſitionem probauerint, & ipſa vulnera non omnia eiuſdem rationis, ſed alia leuia, alia grauiora eſſe neceſſum ſit: Item & hominum naturæ, (quæ vt ait Hippocrates ſunt morborum medicatrices, quaſque ego in hoc negotio potiſſimam partem habere, vnguentum autem leuiſſimo ſolum præſidio naturas ipſas ſubleuare, peculiari quæſtione oſtendam.) Cum inquam naturæ hominum non ſint æquales, ſed aliæ robuſtiores, aliæ nimis deiectæ: mirum non eſt, ſi quod hi præcipuam vnguenti materiam dixere, hoc alij ſuis experimentis edocti in fortis naturæ hominibus, vulneribuſque non tam profundis, quæ forte natura ſe ſola potuiſſet agglutinare, ſuperuacaneum prædicarint, at longe leuiore vnguenti præpratione vſi, eundem planè eff.ctum adepti ſunt. Non igitur ex eo quod Natura ſæpius ſe ſola curationem feliciter aggreſſa eſt, vnguentum quamvis leuiſſimum inefficax dicendum erit; ſicut non per hoc cætera vulneraria medicamenta prorſus inefficacia exclamarem Philippus Palatius, Petrus Pariſius, aliique, eoquod ipſi ſolo balſamo communi ex oleo, & vino, aut etiam aqua ſimplici, & turundis ex cannabe, aut ex lino confectis, etiam deploratæ ſpei vulnera ſe curaſſe teſtentur. Nam in aliis fortè deiectæ, atque imbecillis naturæ hominibus idpſum non aſſequuti fuiſſent. Quare in hoc etiam à Petro Seruio acerrimo. Vnguenti huius propugnatore diſſentio, qui vnguentum à Ioanne Vvitichio excogitatum, eo quod Mumiam, cæteraque ex humano corpore fulcimenta prætereat, tanquam inefficax & nullius roboris reijcit aſſerens nullam tunc ipſi cum ægro intercedere Sympathiam; ſed ſi fortè æger ſalutem conſequatur, eam ſoli Naturæ acceptam ferendam eſſe. Non inquam, id placet; nam fieri poteſt, vt licet Natura multoties ſe ſola ſalutem aſſerre ſit apta, quandoque tamen ita debilis reperiatur, vt ſe ſola non ſatis ſit, at vel leui præſidio fulta, vires ſuas exſerat atque opus perficiat. Sed de his fuſius ſequenti quæſtione.

11. Quoad ſecundum caput, de modo, ac tempore vnguentum parandi, etſi reuerâ tot, tantaſque circunſtantias ſuperuacaneas dixerim, atque earum plurimas à Goclenio, Crolio, Gabelchouero, neſcio, nùm animosè magis an ſcrupulosè præceptas, omninò vitandas ſuadeam, eo ma-

ximè quod cæteri non obſeruent, & vnguentum nihilo ſeciùs proficuum inueniatur; eas tamen vniuersè damnare non audeo, præſertim ſi nullam apertè ſuperſtitionem oleant, atque omnis Dæmonum aſſiſtentia explicitè reijciatur: quippe ex occulto forſan hominibus modo poſſunt naturam, naturalemque vnguenti efficientiam coadiuuare.

Moueor, quia id licitum eſſe vel in manifeſtis ſuperſtitionibus (ex cauſa tamen, & præmiſſa priùs debita proteſtatione) ex multis D. D. iam ſuprà dictum eſt: quantò magis cum res eſt dubia, ac de hominis agitur ſanitate? Fecit id Caietanus, vt de ſe teſtatur in ſumma *V. ſuperſtitio.* in apertiſſima ſuperſtitione, quæ ex ſacra Scriptura verba vſurpabat, præmiſſa proteſtatione, & verbis Pſalmi prolatis, nec tamen effectus ſequutus eſt, quia Dæmon reiectus non affuit. Fecit Athanaſius Kircherus vir pijſſimus æquè, ac doctiſſimus ex Societate IESV, ad explorandum num naturali virtute poſſit iaſpis ictu horas oſtendere, vnde ipſe, præmiſſa proteſtatione, non dubitauit rei periculum facere, irrito tamen, vt ipſe fatetur euentu. Fecit & Cardinalis de Lugo, (teſtatur id Tambur. in Decalog. lib. 2. cap. 6. §. 1.) qui Romæ tandem degens ex diuerſitate ictuum ſeſe ad Italicum horologium conformantium agnouit tandem hanc Dæmonis impoſturam; quandoquidem, vt ipſe ait, & notat etiam Kircherus *par. 5. cap. 3.* horarum diſtributio, & pro locorum varietate diuerſitas non à natura, ſed hominum placito ſit inuenta: cur non etiam licitum erit in ijs, quæ minimè ab hominum voluntate, ſed, ab occultiſſimis cauſis, à cælorum influentiis, à naturæ affectæ qualitate, aliiſque conditionibus pendet, quæ purè naturalia ſunt explorare, ſimili proteſtatione præmiſſâ, quamuis ad rem videantur impertinentia? Sed & in caſu noſtro, doctus quidam, ac pius Theologus apud Helmontium, *in Blathare* pag. mihi 589. cum non aſſequi poſſet, ſubeſſe in Chalcantho vim naturalem ſanandi vulnus abſens ſi linteo cruento adſpergeretur, ideoque reputaret opera diaboli ſanationem iſtam contingere ex altera autem parte cum videret multas experientias à viris probis factas, elegit rei periculum ſalua conſcientia facere. Inſperſit itaque puluerem optimi chalcanthi linteo cruento cum proteſtatione, ſe nolle quicquam experiri, aut ſanatum iri, ſi vel minima eſſet pacti, vel cacodæmonis operatio at verò ait ſe vidiſſe nihilominus vulnus ſolito citius ſanatum, cruorem quoque ſtatim ſedatum; quod argumen- 12.

to eſt, vt ipſe poſteà indubitatò credidit, opus naturâ duce perfici, quamuis via nobis ignota.

Neque verò periculum eſt, in tali caſu circumſtantiam fortaſſis inutilem, quæ adhibetur, Dæmonem in fœdus aduocaturam, eumque præſto ad ſanitatem donandam affuturum: Nam vt ſæpè dixi, Dæmon non eſt tàm bonus, tamue munificus, vt vel rejectus velit aſſiſtere, atque hominem ſibi inimicum præſertim cum res culpa vacat, & eius ope rejectâ ſuo vtentem iure velit beneficiis promereri. Patet id ſatis in memoratis modo experimentis à prædictis Theologis factis: patet id etiam ex implacabili odio, atque inuidia, qua totum hominum genus proſequitur. Nec clementiſſimus Deus id vnquam permitteret, vt nobis veritates cauſarum naturalium inueſtigantibus, adeoque Deum ipſum, vt Auctorem Naturæ aduocantibus, callidus hoſtis ſuis præſtigiis in præiudicium veritatis imponeret, falſamque protruderet: ſed nec permittere poteſt, vt Theologi omnes conſentiunt.

13. Moueor ſecundò quia huiuſmodi circumſtantiæ, qualis forte erit vnguentum iſtud parandum eſſe Lunâ creſcente, in bona domo conſtituta, & in ſigno humanæ figuræ; Sole etiam libræ ſignum, vel certos quoſdam eiuſdem ſigni gradus permeante, non ſunt prorsùs euanidæ, ac proinde vti ſuſpectæ reijciendæ. Quandoquidem negare non poſſumus in vniuerſum inferiora iſthæc occulta quadam vi à ſuperioribus regi; vt patet præſertim in aliorum medicamentorum præparatione, ægrorum decubitu, pharmacorum ſumptione venæ ſectione, plantarum inſitione, alijſque rerum electionibus, in quibus à peritis, & quidem legitimè, vt in loco diximus, plurimum obſeruatur ſitus cæleſtium corporum ac præcipuè luminarium, à quorum bona vel mala conſtitutione, configuratione, ac poſitu pendet bonus, vel malus euentus rerum, provt fusè probat Galenus de diebus Decretorijs, atque eruditè proſequitur Maginus *in lib. de legitimo Aſtrologia in medicina vſu.* Non ergò ob id quod vnguentum in certa ſyderum conſtitutione fieri præcipiatur, vanitatis proinde, ac ſuperſtitionis erit damnandum.

14. At, inquies. Quid ſibi vult humanæ figuræ ſignum in quo conſtituta Lunâ præcipitur vnguenti præparatio? Quid Sol in Libra, adhoc vt felix, & auſpicata prodeat compoſitio? Ex ſignis quidem cæleſtibus, vt & planetis, alia eſſe humanæ naturæ amica, alia inimica, alia ignea, alia terrea, alia aliis qualitatibus prædita, verum eſt, at quod

hoc hominis figuram, illud Arietis, aliud Leonis referat, &c. Hoc planè fictitium eſt, hominum placitum, ac nugæ vt plurimum à Poëtis excerptæ: idque factum eſt vel quia ſtellæ in tali aſteriſmo poſitæ talem figuram quodammodo referebant, vel potiùs, quia Poëtæ, ne ſua figmenta ab hominum memoria exciderent, ſideribus appinxerunt, quò in cæleſtibus perennarent. Cæterum tâm nocet homini canis ſidereus quod in eum ſirij Fabula tranſlata eſt, quam canis pictus aut marmore exſculptus: ſi quid autem nocet, id potius habet à qualitatibus intemperatè calidis, quam à cognomento, aut ſimilitudine canis, quam præ ſe fert, non quod aliquid commune cum eo habeat.

Verum, vt his ſatisfaciam, notandum eſt, ex iis, quæ *in noſtro Lexico* diximus, huiuſmodi fictiones, ea nomina, non temerè à priſcis illis Aſtronomis eſſe excogitata, ac ſideribus attributa, ſed vt aliquid ſub fabulæ cortice nobis deguſtandum præberent, eorumque prauas; aut beneficas qualitates notas facerent. Nam neque Aſtra calida ſunt, aut frigida, humida, aut ſicca, prout communiter dicuntur eſſe, cum hæ qualitates propriæ elementorum ſint, ac ſolum in ſublunaribus hiſce, à quibus cæleſtia longe diſcrepant, reperiantur. Sed quia noſtri antiqui experimentis multis edocti agnouerunt has primas qualitates à certis planetis, ac ſideribus gigni, deſtrui, conſeruari, &c. Ideò non ineptè eas dictis planetis & ſideribus attribuerunt. Sic quia viderunt aliqua ſigna ſuis benignis influxibus humanum potiſſimum genus afficere, vt id nobis ſignificarent, placuit eis in humanam figuram redigere, & his veluti hieroglyphicis eorum naturam explicare: quia viderunt maleficis in primo Zodiaci ſigno conſtitutis, aut luminatium defectionibus in eodem ſigno incidentibus, arietes malo aliquo laborare, cane ſidereo exoriente, canes noſtros in rabiem agi, &c. Quamuis nil habeant cum Ariete, aut cane commune præter nomen æquiuocum, & aliqualem effectuum ſimilitudinem, eadem talibus nominibus indigitarunt. Et hinc prodiit tanta ſignorum nomenclatura, atque diſtinctio in humana, ferina, deformia, pulchra, mutilata, ruminantia, muta, vocem habentia, &c quæ paſſim memorant Aſtronomi. & obſeruant in curationibus Medici. Hinc ſingulis membris humanis ſingula Zodiaci ſigna præfecerunt; obſeruationibus quippe cautum eſt, ea talibus membris, neſcio qua virtute præeſſe, itavt nefas ſit illud tangere ferro, cum Luna permeat ſignum quod tali membro

præficitur. Sic etiam abſtinendum à potionibus medicamentorum per aluum euacuantium Lunâ verſante in ſignis animalium ruminantium, nam tunc vomitus excitatur, vt experientia docuit, & ipſemet ſemel, & iterum obſeruaui. Non quod ruminatio illa, quæ eius nominis animalibus competit ſit cæleſtibus ſignis aliquo pacto communis, ſed quia obſeruatio vomitus ſemper occurrentis cum Luna permeat dicta ſigna, cauſa fuit, vt eadem ſigna, vt nota fierent, ruminantia dicerentur. Notum etiam eſt, Luna in Scorpionis ſigno verſante ſcorpionibus noſtris vires augeri, ac tunc temporis inſenſiſſimos eſſe, vt ſuo malo probauit amiciſſimus Petrus de Caſtro Medicus eruditiſſimus, de quo ſæpè in noſtro libro meminimus: exorientibus ſtellis in Delphino poſitis, in Arginaui, in ceto, & cæteris eiuſdem generis, tempeſtates in Mari excitari. Numquid ne id accidit, quia Delphini in mari exultantes tempeſtates præſignant, ideò & ſtellæ tali nomine inſignitæ ex hoc capite etiam tempeſtates decernent? non equidem, ſed ideo hoc illis nomen inditum, quia talis naturæ ſunt, qua tempeſtates cum Luna exorientes faciunt, quas Delphini piſces exultatione præſagiunt; vnde æquum fuit, vt eo nomine appellarentur, &c. Neque iſtæ aniles fabulæ ſunt, vt benè aduertit Argolus in *Aſtronomicis lib. 2. cap.* 14. Sed obſeruationes propè infallibiles longiſſimi temporis vſu comprobatæ, quæ quidem licitæ ſunt, & veriſſimæ. Nam quamuis Eccleſia damnarit Aſtrologiam iudiciariam, quæ de hominis vita, & iis quæ à libera voluntate dependent, temerè quicquam pronunciat, (quandoquidem ea impia eſt, ac planè ſuperſtitioſa) tamen quatenus tradit præcepta in Medicina obſeruanda, quemadmodum etiam circà Artem nauigatoriam, & agriculturam, permiſit, & ſua permiſſione probauit.

17. Nunc igitur non mirum cuiuis eſſe debeat, ſi vnguentum noſtrum præcipiatur fieri creſcente Luna, in bono ſigno humanam figuram præſeferente, & in bona domo conſtituta. Nam licet id fortè nimis ſcrupuloſum ſit, & quandoque ſuperfluum, non eſt tamen ſuperſtitioſum, aut à legitimis Aſtronomorum præceptis alienum: quando certum eſt ideo hæc ſigna talibus figuris, ac nominibus inſigniri, quia cum rebus, quæ talem figuram præſeferunt, aut nomen obtinuerunt, aliquam ſeruant analogiam.

18. Potiùs ſuperſtitioſæ dicendæ erunt reliquæ circumſtantiæ à Crolio præceptæ; vt ſcilicet ferrum potius inungatur,

quam

quam pannus ſanguine patientis infectus: vt, ſi vulnus punctim inflictum ſit, ferrum à cuſpide ad capulum illiniatur, ſecus, ſi cæſim, nam tunc debet fieri inunctio ab acie verſus tergum: quod qui telum inungit debet eo die à Venere abſtinere, & cætera huiuſmodi, quæ neque boni auctores admittunt, neque prætermittere tantillum variat curationem, cum ſemper æquè benè habeatur curatio ſiue ijs adhibitis ſiuè non. Quare ex his ego argumentum potius ſumo conijciendi vnguenti huius vtilitatem, atque à Natura perfici immediatè curationem: tum quia Dæmon ex inuidia tanti boni, ſtudet illud ſuis tricis implicare, vt vel ab eo ex timore culpæ abſtineamus, vel admiſſa aliqua circumſtantia, quæ eius opem imploret, adhibeamus. Tum quia ſi à Dæmone perficeretur immediatè curatio ex fœdere implicito circumſtantijs iſtis annexo, ſi vna vel altera, caſu, aut datâ operâ præteriretur, effectus nullus prodiret, vt in alijs ſuperſtitioſis factis perſpicuum eſt: ſiquidem cum is Dei ſimiam in ſuis præſtigijs ſe exhibeat, in ijs certâ formâ, materia, & conditionibus vtitur ad ſimilitudinem Sacramentorum, itavt minimum his variatis non ſequatur effectus, vt ex noſtris aduertit doctiſſimus Vercelli, *tract. 8. Miſcellan. quæſt. 12 num. 8.* Dum ergò ſemper aliquis in opere effectus prodit, ſiue Vnguentum hoc adhibeatur, ſiue aliud ſimile, ſiue hæ circumſtantiæ accedant, ſiue prætermittantur; ſignum euidens eſt, in eius efficaciam vim omnem habere Naturam, quam ſemper aut totam, aut ex parte exſerit ad rationem factæ compoſitionis, vſus aut naturæ affectæ conditione.

Quod ſi quando nil operetur, ſignum eſt, quod, aut quid valdè neceſſarium fuerit prætermiſſum, aut natura ita deiecta ſit, vt quibuſuis fulcimentis adiuta, excitari minimè poſſit ad curationem perficiendam. Nec valdè curandum, ſi fortè ſuperſtitioſa aliqua circumſtantia Dæmonis arte admiſceatur, nam, vt dixi, hoc eius ſtudium eſt, vt optima quæque & ſanctiora corrumpat: vt habetur *Matthæi* 13. vbi inimicus homo in bono agro in quo ſeminatum fuerat bonum ſemen ſuperſeminauit zizania. At non per hoc ſtatim eradicanda præcipiuntur, ne ſimul eradicetur & triticum, ſed permiſſum eſt vtraque creſcere, & tum demum ea in faſciculos colligata ad comburendum mitti, triticum autem ab iis ſegregatum ſeruari. Ita planè irritus erit omnis Dæmonis aſtus, ſi vnguentum tutò adhibeatur, omni quacumque Dæmonis ope reiecta, & ita hæ circumſtantiæ admittantur, vt ſi aliquo pacto curationem iuuare 59.

poſſint, ſint volita, ſin ſecus deſpiciantur.

20. Quapropter ad tertium caput tranſibo, ſi in hac re vnum tantum monuero, conditionem videlicet Vineæ in vnguento adhibendæ, quæ ſit è cranio ſtrangulati hominis excerpta, ſuperſtitioſam non eſſe: nam vt benè aduertit ſeruius *pag* 28 homo hic mortuus abundantioribus viuidioribuſque ſpiritibus ſcatet, qui interclufis faucibus, ad caput confluunt, ibique ſiſtunt: quod nimius calor, faciei rubor, ac plumbeus color, qui ſtatim inducitur manifeſtum facit: Vnde iſtius cranium ad medicas functiones euadit aptius, quam quoduis aliud hominis, vel exſecti, in quo ſpiritus qui ſubtiliſſimi ſunt, ſubitò euaneſcunt: vel morbo aliquo laborantis, in quo & ipſi laborant, deficiunt, & flacceſcunt. Non negauerim tamen muſcum ex aliis cadaueribus comparatum idoneum quoque fore, ſed quem diximus è cranio ſuſpenſi hominis eligendum aptiorem nouit experientia, quippe habet ſpiritus longè viuidiores.

21. Iam verò ad tertium caput in quo tota fere vnguenti contradictio ſita eſt, aditum faciamus. Quî fieri poteſt, vt medicamentum hoc non vulneri applicatum ſed ſanguini iam exciſo, iam corrupto, iam exſiccato, & quod mirabilius eſt multis ab ægro milliariis diſſito, vulneri nihilominus medeatur, eiuſque vim ſentiat æger in quacumque diſtantia? Nos hîc aliorum rationes examinabimus vnà cum aduerſariorum obiectis, noſtram dehinc ſententiam in aliam ac diſtinctam quæſtionem reijcientes. De efficacia vnguenti, & modo quo operatur, hæc habet Crolius. *Perficitur*, ait, *hac cura per medicamenti huius vim magneticam attractiuam à ſideribus cauſatam, qua mediante aëre vulneri adducitur, & coniungitur, vt ſpiritualis actio in effectum deducatur, ſit, inquam, per coniunctionem aſtralem, & elementarem.* Itaque ex eius ſententia tria concurrunt ad tam mirum effectum cauſandum: Sympathia, & naturæ conformitas, quæ eſt inter vnguentum, & corpus vulneratum; influxus cælorum coniunctus cum vnguenti elementari virtute, qui illud eleuant ad curationem perficiendam; & Balſamum, quod ſanandi virtute præditum cuilibet homini inditum eſt. A Crolio cæteri auctores, parum diſcordant.

22. Cæterum hanc coniunctionem aſtralem cum vnguenti elementari virtute, & vim in balſamo transferendi virtutem vnguenti ad vulnera non ſatis apertè explicant, Papin. de Pulu. ſympat. pag. mihi 33. neque omnes eodem modo.

Alij enim id fieri autumant per igniculos quoſdam cæleſtes, ſeu portiunculam ſubſtantiæ illius lucidæ ſimplicis, & homogeneæ quæ in prima rerum ſublunarium formatione ſit illis congenita, & admixta, cuius ſolius ope cæleſtes influxus participent; vnde etiam ſit omnis ſympathiæ vis, & cæleſtium corporum cum terrenis conſenſio. Alij per effluuium corpuſculorum è ſanguine medicato ad partem læſam ſibi affinem rectà, & naturali impetu commeantium. Alij præſupponunt dari quemdam ſpiritum Mundi per totum orbem diffuſum, qui ſit vector occultarum potentiarum, & operationum, quique omnes mundi partes connectat, ac mirum illum conſenſum, quem nos ſympathiam vocamus, pariat, exciterque. Atque per has, & conſimiles hypotheſium fictiones, tum vnguenti miram virtutem, tum reliqua naturæ arcana, quæ hominum captum fugiunt, explicare contendunt. Verum etſi hæc in aliquibus locum habeant, atque ad ſcopum aliquo pacto collimenr, tamen in vnguento armario, & in aliis pleriſque nemo ex mea ſententia illum tenere potuit. Nam primò, quoad ſpiritum Mundi vectorem huiuſmodi qualitatum, ſi hunc velimus cum Goclenio, Auctore Moſaïcæ Philoſophiæ, & aliis quibuſdam, Centraliſſimum illum Diuinitatis ſpiritum dicere, qui ab initio vt habetur, *Gen. 1. ferebatur ſuper aquas*, hoc profectò vel inde impietatem redolet, quod videtur maximè pium. Nam, vt benè Kircherus arguit, iam corrueret vniuerſa Philoſophia; iam nulla in cauſis ſecundis foret actiuitas, nulla virtus, nulla in rebus proprietas, nulla actiuitatis ſphæra, nulla denique in Natura ipſa, hoc eſt ordinata illa cauſarum congerie operoſitas, & cauſalitatis ratio; proindeque omnia refunderentur in Deum, vt cauſam immediatam & (quod blaſphæmum eſt) etiam peccata; cum tum potentiæ perinde ſe haberent, vt mera organa; & inſtrumenta Deo omnia in omnibus operanti inſeruientia. Si verò hunc ſpiritum mundi latiùs ſumptum connexionem illam dicamus, qua in vniuerſa natura res cognatæ inter ſe mirum in modum afficiuntur, contrariæ ſibi inuicem aduerſantur, vna alteri condolet, hæc illi fatali genio ſubeſt, altera prædominatur, itavt in hoc verè ſaluetur mira illa ſympathiæ, antipathiæque vis, ac diſſitarum quantumuis rerum nexus, & colligatio; tunc profectò à vero non aberramus vt nos fusè tradidimus, in *V. Sympathia*, & in *V. Mundus*, cum de eius forma ageremus, & alibi ſæpè: neque à nobis diſſentit præcipua Philoſophorum ſchola, neque ipſe Kircherus, qui *par. 9. cap.*

1. *de Magnetiſmo Amoris*, vniuerſi iſtius partes, tamquam magni cuiuſdam Animalis membra, hac veluti anima informari non diffiteiut. Quod & longè antè dixerat Plato *in Timæo*, & Virgilius *Æneid. lib. 6.* vt nos in loco monuimus.

23. Et huc tandē recidunt omnes præfatæ explicationes dum hāc rerum conſenſionē diſſenſionemve, modò per effluuium corpuſculorum, (quod videre licet in Plantis, pomis, humoribus, &c. quæ intrà determinatam ſphæram certos quoſdam vapores emittunt vni quidem corpori gratos, vnde illi profectus, alteri ingratos, & noxios, vnde moleſtia, & interitus) modò per congenitos ignes è cæleſti ſubſtantia atque in ſublunaribus interclusos, qui per aſtrorum occultos quoſdam radios excitantur ad motum; modò per cæleſtem quandam ſubſtantiam immediatè per vniuerſum orbem diffuſam totum cauſari contendunt.

24. Verum adhuc in limine hæremus, cum ſanè eoſdem effectus non in omnibus diſpiciamus, in quibus tamen eandem cæleſtem ſubſtantiam reperiri, eoſdem igniculos, eademque, vt ita dicam, anima omnia informari neceſſum ſit: & tamen non in omnibus eadem ſympathia, non omnia eodem modo promiſcuè afficiuntur: cur igitur, aliqua conſentiunt, alia non? in aliquibus actiuitatis ſphæra præſcribitur, in aliis non item? cur hæc eadem connexionis vis, & ætbereæ ſubſtantiæ mira diffuſio non officit Antipathiæ rerum, quam nihilominus in multis videmus? cur demum quæ in determinata diſtantia operantur, proximè admota omne robur, omnem actiuitatem deperdunt?

25. Sed enim antequam huic implexiſſimæ difficultati manum admoueamus, quæ pro ſui dignitate ſpecialem quæſtionem ſibi vendicat, operæ pretium eſt ad ſuperiora regredi, ac præſenti quæſtioni finem imponere. Efficacia igitur huius vnguenti eadem ac tanta eſt, quæ aliorum medicamentorum, quæ immediatè vulneri applicantur; operatio eiuſdem prorsùs generis, ac cæterorum agentium, quæ pari modo in diſtans videntur agere, & tamen nemo dixerit ſuperſtitioſa, de quibus fusè egimus in prima quæſtione. Quomodo autem agant, pluribus plurimi inquiſiuere: an, & quinam eorum ad ſcopum collimarint, id nos ignoramus. In his enim certò effectum habemus, veram cauſam & modum quo operetur inquirimus, & pro ſua quiſque virili parte è Naturæ latebris eruere conatur. Siquidem vt ait Seneca *lib. 7. quæſt. natural. cap. 37. Illa arcana non promiſcuè, nec omnibus patent,*

*reducta, & inferiore ſacrario clauſa. Ex quibus aliud hac ætas, aliud, quæ poſt ſubibit accipiet.* Omnes ad verum collineamus: qui propiùs accedit, gaudeat ſe in Naturæ penetralia introductum aſſequi quod cæteris negatum eſt; qui aberrat, reique veritatem tenere non valet, neque animum ſuum firmant quæ ab aliis proficiſcuntur, fateatur cum Seruio hæc *ſibi admirari potiùs datum eſſe quam noſſe:* nec proinde ignorantiæ ſuæ tenebras in poteſtatem tenebrarum refundat, inde cauſam tantæ operationis exquirens, quod Philoſopho æquè in dignum eſt, ac in primam omnium cauſam tanquam ad ſacram anchoram aduolare.

Neque verò mihi vſquequaque probandum eſt (vt contendit ſennertus) dari in vnguento talem vim, quæ vt 26.
agat non requirit corporum contingentiam, quando id à poſteriori per effectus videmus; atque in aliis rebus ipſemet ſennertus non diffitetur. *Neque enim*, ait, *ſequitur, dantur aliarum rerum tales actiones mirabiles; ergò & vnguentum talem vim habet: ſed adhuc id probandum.* Nam peto ab ipſo: Vnde habes mi homo, dari in rerum natura huiuſmodi actiones mirabiles, quas non à Dæmone, ſed ab ipſa maieſtate Naturæ eſſe intelligas, & vnde demum id homini protritæ frontis probares? Certè, inquiet, ab experientia, & quia ſæpius mirabiles huiuſmodi effectus emanare videt. Quod ſi quis adhuc obſtinatior effectus quidem admitteret, de cauſa verò dubitaret, atque à Dæmone eſſe contenderet, vel ſanè à Deo miraculosè ſuprà naturæ vires; vtique ipſe ſtatim ſubiungeret, non eſſe recurrendum ad cauſam primam aut ad Dæmonem, quando effectus videtur, nec implicat à Naturæ viribus proficiſci, nam tunc cenſendus eſt naturalis. Pari igitur ratione effectum curationis per vnguentum armarium, & alia id genus medicamenta præſtitum, naturalem debemus ſupponere, quando illum ſæpè videmus, & veram cauſam omninò ignoramus. Illi potiùs probandum venit, curationem naturalem non eſſe, neque naturali via poſſe haberi, cui ineſt genius impugnandi, eluceetque diſparitatis ratio inter hæc & alia naturæ arcana: Quod neque à Sennerto, neque ab alio, quod ſciam, hactenus factum eſt. Cum aliàs poſſeſſio ſtet pro Natura; ac tum ratio, tum ſexcenta in eodem genere experimenta ſuppetant, quæ naturalem vnguenti virtutem probant, nec minus pro eo, quam pro aliis Naturæ miraculis militent, vt diſcurrenti patet.

Verum adhuc ſcrupulus eſt; Vnguentum iſtud Paracelſus 27.

primus in orbem inuexit, hoc eſt homo ſupectæ fidei, au-
ctor damnatus, & cui Dæmonem familiarem fuiſſe ſcribunt,
à quo tandem, pacto tempore, ſtrangulatus, non leue dedit
indicium, ſe quidquid ſciret, quidquid operaretur arcani,
à diabolo accepiſſe. Sed enim ego rem ipſam conſidero,
non vnde ſit: parum de ſoli bonitate curo, dummodò bo-
nam mihi ſegetem proferat: Naturæ opus agnoſco, eam
veneror, ipſius munera inſequor, auctorem deteſtor, mo-
dum quo arcanum hoc comparauit abominor: aſt ipſum
arcanum tamquam Dei donum in Natura prouiſum ad hu-
mani generis tutamentum complector. Do vtique Paracel-
ſum ſuſpectæ fidei auctorem fuiſſe; do fœdus cum Dæmone
iniiſſe; do etiam huius ſecreti notitiam auctore diabolo
comparaſſe: at quid inde? nùm mihi idcircò eius vſus pro-
hibitus, quando ſolis naturæ viribus factum agnoſco?
non equidem: aſtipulantur mihi omnes Theologi vno
ore docentes, licitum mihi eſſe vti ſcientia, ſeu rerum
28. naturalium notitia ſemel à me, ſiue ab alio ope Dæ-
monis acquiſita, dummodo tamen vſus à Dæmonis au-
xilio non dependeat; quia rerum naturalium cognitio
per ſe bona eſt, & peccatum quo parta fuit, pertranſiit. Ita
in ſpecie Suar. *de ſuperſtit. lib* 2. *cap* 17. Sanchez, *in opere
morali lib* 2. *cap.* 41 Valentia, 1. 2. *diſputat.* 6. *queſt.* 13.
*puncto* 1. Bonac. *hic diſput.* 2. *queſt.* 5. *puncto* 4. *num* 6. &
alij. Sat mihi ad omnem culpam euadendam, ſi Dæmonis
operibus non aſſentior, ſi eius opem reiicio, & quod ipſe
ex mirabili rerum qua præditus eſt cognitione aſſequitur,
id ego parta vtcumque viarum ſuàrum notitia tentare ad-
nitor: Neque enim operatio Dæmonum ſua eſt ſed na-
29. turæ, & ideò, (vt benè aduertit Abulenſis, *in cap.* 7. *Exo-
di queſt.* 10. *in fine.*) non eſt valde miranda, benè autem
ſcientia, qua aliquid faciunt, nam & nos eadem quæ ipſi
faciunt, faceremus, ſi tantam rerum notitiam haberemus:
non enim aliud faciunt quam applicare actiua paſſiuis, ſicut
faciunt medici, probè colentes rerum naturam conſenſum,
atque diſſenſum, quid agere poſſit, & quid & à quo pati,
& vbi hoc fieri debeat, & quo tempore; atque adeò hæc
illis debito ordine applicantes, quod vtique & nos facere,
aut imitari poſſumus per eam quam vtcumque adepti ſu-
mus notitiam: quem etiam longo vſu, experientia, & in-
30. genij acumine fortè adeptus eſt Paracelſus in hac mira vn-
guenti huius inuentione, quem profectò ab omni inui-
diæ nota vindicat egregiè Helmontius afferens luculentiſ-
ſimum de eo teſtimonium Archiepiſcopi Saliſburgenſis in

Digitized by Google

eius funere lapidi inſculptum, qui etiam nunc Saliſburgi extat ad templi murum in Noſocomio S. Sebaſtiani in hæc verba

*Conditur hic Philippus Theophraſtus inſignis Medicinę Doctor, qui dira illa vulnera, lepram, podagram, hydropiſim, aliaque inſanabilia corporis contagia, mirifica arte ſuſtulit, ac bona ſua in pauperes diſtribuenda, collocandaque honorauit. Anno 1541. 24. Septemb. vitam cum morte commutauit.*

---

# QVÆSTIO III.

## *Quonam pacto puluis ſympathicus, Vnguentum Armarium, & cætera huiuſmodi medicamenta conferant ad Vulnerum, aliorumque morborum curationem.*

### SVMMARIVM.

*Dantur in Natura diuerſi diuerſi generis ſympathia, quas negare non poſſumus. n. 1.*

*Etiam in multis longe naturâ diuerſis, & diſſimilibus, vt inter materiale, & ſpirituale. n. 2.*

*Imaginatiua vis in rebus timorem incutientibus in aliene corpore n 3.*

*Exemplis res comprobatur. ibid.*

*Celeſtium cum terreſtribus diſſimilitudo, & tamen ſympathia. n. 4.*

*Sympathia in rebus tempere diſſitis. n. 5*

*Phalangij miraculum omnia in ſe vno conplectitur. n. 6.*

*Plurima in eo notanda. ibid.*

*Tarantula vitreo loculo incluſa ad certos ſonos ſubſilire viſa. ibid.*

*Forma mundi aſtruitur. n. 7.*

*Triplex ſympathia differentia in humano corpore, & in Mundo. ibid.*

*Adhuc vtrobique certa inſpicitur ſympathia, qua ad vnum ex his tribus capitibus referri non poteſt. n. 8.*

*Omnes iſti effectus naturales ſunt, quia multi neque miraculo, neque Dæmoni aſcribi poſſunt. n. 9.*

*Vitis efloreſcentis tempore fluctuat in doliis vinum. ibid.*

*Et non quando genuina, ſed loci propria, aut vicinior. ibid.*

*Natura eſt morborum immediatè expultrix, & Medica-num. 10.*

*Medicus tantum naturæ ſubfamulatur. ibid.*

*Vulgaria medicamenta ſunt vt lixiuium, purgantia quidem, ſed naturam concutientia. ibid.*

*Dæmon optimè naturæ opitulari callet abſque virium iacturâ. ibid.*

*Magnetica cura fit à natura immediatè, extrinſecùs excitatur ad motum ſanguinis. n. 11.*

*Experimentis res comprobatur, & vna eſt omnium arcanorum ratio. ibid.*

*In hoc opere nulla datur actio in diſtans, ſed eſt omnis immediata. ibid.*

*Elitropium ad ſolis motum intrinſecè à ſua natura ad ſimilem motum excitatur. n. 12.*

*Multa plantæ ad viciniam amicarum ſympathicè excitantur ad opus, multæ etiam ad inimicarum præſentiam exſiccantur. n. 13.*

*Roſa cur allio complantata odoratior. ibid.*

*Non poteſt dici cum Areſio excitari in nobis appetitum rerum obiectarum. ibid.*

*Ratio eſt diſſonantia, & antipathia rerum, quæ facit vt natura ſua ſponte ſeſe deiiciat. n. 14.*

*A Phalangio ictorum ſymptomata unde. n. 15.*

*Hiſtoria de naſo adſcititio. n. 16.*

*Experientia de felis abortu, ibid. n. 17.*

*In vno Phalagio vniuerſa Naturæ ſympathiæ, antipathiæque arcana continentur. n. 18.*

*Modicus puluis curationi ſufficit. n. 19.*

*Puluis non agit in vulnus. ibid.*

*Natura ipſa ad ſanguinis curationem, quaſi amica voce erigitur ad curationem faciendam. ibid.*

*In vulneribus à ſclopetis factis non eadem ratio eſt, quæ in iis quæ per gladium fiunt. n. 20.*

*Hiſtoria mulieris ſolo attactu podagram concipientis. n. 21.*

*Sanguis ſolo aſpectu rerum rubrarum accenditur. ibid. n. 22.*

*In ſanguine quamuis exciſo aliquid ſemper remanet primitiuæ ſubſtantiæ. n. 23.*

*In reſolutione compoſiti non ſolum remanēt multa accidentia, ſed & multæ formæ ſubſtantiales. ibid.*

*Id maximè euincit experientia. n. 24.*

*Hinc ob ſubſtantiæ ſimilitudinem mutua congruentia & remediorum inuentio. ibid.*

*Hinc multa remedia ex humano corpore comparata. n. 25.*
*Quidam Medicus ſolo puluere omnibus morbis occurrebat. n. 26.*
*Tota curatio magnetica à natura ſola fit ægri, modò aliquam cum re medicata retineat ſympathiam. n. 27.*
*Magnetica curationis excellentia. n. 28.*
*Probantur alia curationes magnetica, & alia experimenta. n. 29.*
*Diuerſa, ac mira curationes per ſympathiam. ibid.*
*Virtus vngula Alcis contrà morbum comitialem. ibid.*
*Sapphirus contra peſtem n 30.*
*Omnes iſti effectus ab eodem genere cauſa promanant. n 31.*
*Qua ratione ſanguis è venis occiſi ad præſentiam occiſoris emanet. n. 32.*
*Non poteſt id arte Dæmonis fieri n. 33.*
*Contrà taliter iudicantem non poteſt iudicialiter procedi. ibid.*
*Id accidit ex ſympathia oteris familiaritatis. n. 34.*
*Sæpe etiam effunditur ad præſentiam gentilium, & amicorum. n 35.*
*Ratio ex ſuperioribus congruenter deducta. n. 36.*
*Experimentis ex animalium exuuiis confirmatur. n. 37.*
*Quo conſilio Ziſchas hæreticus tympanum ex ſui pelle poſt mortem confici iuſſerit. n. 38.*
*Cur ſanguis non effluat à cadauere eius, qui dormiens fuerit occiſus, aut quomodocumque occiſoris notitiam non habuerit. n. 39.*
*Cur non etiam ad illius præſentiam, qui mortem alteri mandauit in ſui abſentia exequendam. n. 40.*
*Epilogus. ibid.*

HOc equidem dilucidare non erit forſan Lectoribus iniucundum: & quamquam de hoc argumento non nihil etiam in præcedentibus excidit; præſtat tamen hic rem exactè diſcutere, & quæſtionem philoſophicè magis, quam Theologicè pertractare.

Principiò verò id ſtatuendum, dari vniuersè in hac rerum Natura diuerſi generis ſympathias, conſenſus, affectus, amicitias, atque inimicitias quibus res quamtumuis diſſitæ aut natura, aut loco, aut tempore, inuicem exardeſcunt, afficiuntur, condolent, atque in mutuum amorem vel odium affectus huius indicium excitantur. Id quod, & ſuo loco luculenter probauimus, & per ſingula diſcurrendo, euincit nunquam fallax experientia. Videmus enim, vt di- 1.

xi, res longè natura diuerſas, loco ſeparatas, tempore diſſitas, inuicem colligatas & mutuo amore connexas, èconträ alias ſpecie, forma, natura, qualitatibus ſimiles diſſidere, vnam ad alterius præſentiam pati, approximatam, interna vi, quamuis ſenſus expertem diuelli, deficere alteram, alteram ad inimici præſentiam alterari, atque ad illius
2. exitium totis viribus niti. Enimuerò quid natura magis diſſonum, quam materiale, ac ſpirituale? Et tamen quæ maior connexio, quæ ſympathia potior, quam corporis, & animæ? quam mentis, & phantaſiæ? quam voluntatis, & voluptatis? appetitus videlicet ſenſitiui, qui liberam voluntatem, cui aliàs parêre natus eſt, ad ſibi placita trahit, præuenit, obtenebrat, faſcinatque vt de ſe lugens teſtatur Apoſtolus ad Romanos ſcribens, ac paucis expreſſit Poëta cum cecinit Buchol. 2 *Trahit ſua quemque voluptas*? Quæ imaginatiuæ proportio cum membris inferioribus, quæ colligatio inter fœtum & viſam à Matre rem ſeu concupitam, ſeu exoſam, quæ mox ex occulta ſympathiæ, antipathiæue vi tranſeat in affectum, & quod mirabilius, non in concipiente faciat caſum, ſed in conceptu, ſtatim que appareant veſtigia rei quantumuis abſonæ in corpuſculi membris impreſſa? Mitto Malaciæ affectiones ex immoderato deſiderio exortas, vtpotè frequentes, & cuilibet notas; afferam auerſionis exempla, quæ nihilominus eoſdem in concepto fœtu effectus dederunt, & ne fides authorem deſerat, deſumam
3. ex Helmontio *cap. de iniectis materialibus* ipſiſſimis verbis, quæ propriis ipſe oculis hauſit. *Sartoris uxor*, inquit, *Mechlinia, præ foribus vidit in conflictu, manum amittere: ſtatim perculſa horrore peperit filiam vna manu, altero autem cruentoque brachio extinctam quod manus eius non reperiretur, & hæmorrhagia infantem interimeret. Vxor Marci de Vogeler Mercatoris Antuerpienſis anno 1691. videns militem mendicantem cuipila ferrea in obſidione Oſtendana dextrum brachium abſtulerat, illudque adhuc cruentum circumferebat: mox abinde filiam peperit orbam brachio, & quidem dextero, cuius cruentus adhuc humerus per chirurgum ſolidari debuit. Nupſit Mercatori Amſtelodami, cui nomen Hoochcamer, illa adhuc anno 1638. ſuperſtes. Cæterum nuſpiam reperibile fuit brachium dexterum, nec oſſa, nec vlla apparuit putrilago, in quam brachium contabuiſſet parua horula. Attamen nondum conſpecto milite fætus bina habebat brachia: nec potuit brachium auulſum annihilari. Ergo clauſo vtero ablatum eſt brachium. Quis autem auulſerit naturaliter, & quorſum ablatum ſit, certè non quadrant*

*triuiales rationes in tanto portento, aut paradoxo. Non ſum qui hæc dicam: Hæc dicam ſaltem non fuiſſe brachium ablatum, vt neque auulſum à Satana. Deinde minoris operæ eſſe deferri aliò brachium auulſum, quam fuit brachium à toto auulſiſſe abſque nece. Vxor mercatoris cognita nobis, vt audiuit, quod vno mane decapitarentur tredecim (tempore ducis Albani contigit Antuerpiæ) ducunturque inordinatis appetitibus pregnantes, ſtatuit ſpectare detruncationes. Adſcendit ergo cubiculum familiaris ſibi viduæ in foro morantis; viſoque ſpectaculo, ſtatim illam adorſus eſt dolor parturientis, peperitque maturum infantem cruento collo, cuius caput nuſquam apparuit.* Hæc ille: quæ vtique neque contactui ſeu Phyſico, ſeu Mathematico neque effluuiis, neque ſimilitudini, aut connexioni naturæ accepta referri poſſunt. Sed tantummodò abditiſſimo ipſius naturæ myſterio.

Item quanta ſit cæleſtium cum terreſtribus loci diſtantia, 4. diſſimilitudo, & formarū diſparitas nemo eſt qui non videat. Concinunt omnes penè Philoſophi nedum formas, ſed & materiam corporum cæleſtium longè eſſe à ſublunaribus diuerſam: At enim, hoc non obſtante, magna eſt inter hæc & illa conſentio: curſum ſolis ſequitur helitropium, illum, emenſo mediæ noctis curriculo, ad noſtrum hemiſphærium properantem occinens, & exſiliens intelligit Gallus gallinaceus: Lunaria, & ſelenites Lunæ affectiones perſentiunt, eaſdem prorſus phaſes, & maculas, prout illa ſubit, in facie oſtendentes: Lunæ cum ſole compreſſum ſentit oleæ cinis in fundo argentei vaſis aqua pleni conſiſtens, dum mox turbatur, & eouſque in gyrum vertitur, quoad illa à ſolis complexu ſe extricauerit: Martis ſidere in cæleſtibus infirmato, aut ab inimicis obeſſo hebetatur apud nos ferrum, lenteſcit ſpiralis throclea in horologiis,& ſegnius ſignat horam: econtrà eo benè poſito, hoc rigeſcit, & vires ſuas duplo auctas reſumit. Solè Leonis ſignum permeante leones febre corripiuntur: Luna in ſcorpio exiſtente, ſcorpius noſter furit: Cane ſidereo exoriente canes aguntur in rabiem, & alia penè innumera, quæ ſparſim habet Plinius, & nos alibi ex occaſione retulimus.

Sed & temporum vices fato quodam recurrente recurrunt, 5. vnde, vide in Lexico noſtro *V. Annus Periodicus.* & Imperia ſuas mutationes ſubeunt, ſata quæque ac plantæ ſtatis temporibus germinant, efflorescunt, fructus parturiunt, vt præ cæteris Iuniperus, Aloës, Palma, & tunc miri etiam motus in vniuerſa Natura inſurgunt; ac profectò mirum eſt, & multorum obſeruatione literis conſignatum, Neapolita-

nam defectionem anno huius ſæculi quadrageſimo ſeptimo factam alteri præcedentis ſæculi ab eiuſdem nominis homuncione eodem anno motæ optimè reſpondiſſe. Vt iam nullus dubitandi locus relictus ſit, hæc omnia ſibi inuicem cohærere, & quamtumuis natura, conditione, tempore, aut loco diſſita mutuo quodam ſympathiæ, antipathiæve vinculo complicari.

6. Verum vt quid Phalangij miras conditiones, & effecta prætereo, quod in ſe vno omnes prædictos effectus, naturæque motus continet, ſuperatque? Eſt id ex Araneorum genere in Apulia frequens, nigri coloris, & morſu perniciosiſſimum: Namque vbi aliquem pupugerit, mox illum, nec niſi elapſo anno, diræ affectiones corripiunt: dolet, gaudet, triſtatur, exultat, atque ad certos ſonorum modulos ſaltat appoſitè & in numerum, quamquam priùs omnem ſaltationis ordinem ignoraſſet; illum ſpeculum, illum certi coloris vittæ, illum nudatus enſis oblectant, nec finem ſaltationi facit, quouſque effœto corpore virus omne in ſudorem dehiſcit: quo poſteà ad duos, aut tres dies ſaltationis abſumpto, leuatur æger, & dira ila ſymptomata ceſſant. Verum reuertente anno eadem prorſus methodo reuertuntur, nec omninò abſcedit anniuerſarius morbus donec extincta beſtiola, per ſympathiam & ipſa venefica qualitas per ipſam ictu tranſmiſſa in humano corpore extinguatur, ni fortè alicui incredibile videatur, quod præ cæteris notat Kircherus in Arte Magnetica ad triginta ampliùs annos vixiſſe tarantulam, quæ olim neſcio quem toto hoc temporis ſpatio morbo huiuſcemodi laborantẽ momorderat. Circà quam rem adnotare licet plurimas huius morbi affectiones planè mirabiles, omnemque humani captus aciem fugientes. Primò Veneni inauditam vſque adeò naturam & qualitatem ad ſaltus, & alia huiuſmodi incitantem. Secundò non omnem ſonum cuiuis à Phalangio icto conducere ſed eum tantum, qui beſtiolam ferientem oblectet, eiuſque peruerſo genio ſit arridens: vbi lepidum eſt quod narrat idem Kircherus, ſeruatam apud Andrienſem Duciſſam huiuſmodi beſtiolam chriſtallino vaſe incluſam, cum priùs od diuerſos ſonorum modos immota perſtiterit, mox neſcio quo inſtrumento pulſato, atque ad certam harmoniæ ſpeciem tenſo, illam ſubſiluiſſe, ac motis ad numeros chelulis apprimè tripudiaſſe. Tertiò locorum quamuis diſtantiam, aut propinquitatem huic motui non officere, nec prodeſſe; etſi enim phalangio ictus procul abſcedat, atque in regiones toto cælo, ac mari diſſitas abeat, perinde eiſdem affectibus qua-

titur, ac ſi in Apulia propè inimicum conſiſteret. Quartò demum temporis reſpondentia, quo fit mali recurſus nunquam intermittentis, niſi aut alteruter moriatur, aut omne virus penitus extinguatur.

Hæc omnia, quæ neque in naturæ ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem præciſe, neque in effluuios ſpiritus, neque in occultam qualitatem immiſſam refundi poſſunt, certò mihi perſuadent, atque in mea opinione confirmant, quam aliàs docui *in Lexico V. Mundus*, dari aliquam communem formam, quæ Vniuerſi iſtius partes inuicem nectat, atque ad conſtituendum vnum per ſe habilitet, tribuatque vnam alteri condolere, aliam ab alia pati, ac diuerſis motibus intrinſecus affici, reſpondere, in totius conſeruationem, & ordinem à Natura conſtitutum viritim conſpirare: ſi enim vniuerſum hoc vnum compoſitum per accidens diceretur, vt quid lapis contrà ſuam naturam ſurſum ad replendum vacuum impelleretur, vt quid ſelenites Lunam, tota ſubſtantia, toto cælo diuerſam motibus ſuis imitaretur? Vtque in humano corpore cum Galeno plures ſympathiæ ſpecies conſpicati ſumus, aliam, quæ dicitur operis familiaritatis, aliam generis, & aliam vicinitatis; ex quibus veluti fontibus, omnes internæ membrorum affectiones deriuant; ita, & in magno iſto corpore Mundi omnes internæ partium affectiones, condolentiæ, diſſenſſiones, mutuæ earum colligationi in vna vniuerſali forma acceptæ referri debent, atque ad vnam ex dictis tribus ſympathiæ ſpeciebus reduci. Sic aëris contagiones, atque adeo hominum, & iumentorum, vicinitati; ſic magneticæ attractiones, & forte faſcinus, quæ per medium obicem impediuntur: per effluuios, (vt cerebri affectiones ab ſtomachi vaporibus ſurſum elatis) ſic etiam ex familiaritate operis, vti in corpore humano mammæ vtero præſertim conceptus tempore ſunt colligatæ, ita in Vniuerſo, Vere omnia efflorescunt, nedum plantæ, ſed & corpora, & ingenia turgent, atque ad quaſdam fructificationes mutuò incitantur. 7.

Verum vti eodem loco *Verbo S. Sympathia num.* 118. diximus, ſunt aliquæ partium affectiones, & condolentiæ in humano corpore, quæ ad hæc capita omninò reduci non poſſunt, ſed ad aliam occultam virtutem, quæ his tandem accedat, vt patet in delitio mentis, quod ex inflammatione ſepti tranſuerſi ſolum oritur, non autem ex obſtructione ventriculi, quæ tantum caput dolere facit, ita in hac Vniuerſi conſtitutione plures rerum affectiones ſunt, quæ ægiè 8.

ad ſupradicta capita reduci poſſunt, ſed neceſſariò occultæ cuidam qualitati ſunt tribuendæ, quæ quidem ſideribus, (vti etiam ibi docui vni, & eidem rei prædominantibus, aut plurium colligationi, quæ ad inuicem aut amica, aut inimica ſunt, aut demum nullo ordine colligata, provt diuerſis ſpecie, aut genere rebus præſident, eademque qualitate afficiant) eſt imputanda. Et ad huius generis ſympathiæ, antipathiæve normam omnes ſupradictæ rerum affectiones, motus, condolentiæ conſenſiones, diſſenſioneſvè in partibus quamtumuis loco tempore, aut natura diſſitis, quæ vtpote frequentes, continuæ, & vt plurimum in rebus ſenſu, rationeque carentibus conſpicuæ minimè miraculo, aut cacodæmonis operæ aſcribi poſſunt, ſunt metiendæ.

Iam verò his conſtitutis ſingula examinemus, & cauſam huius abdititiſſimi arcani, quo vulnera magneticè conſolidantur, pro noſtra virili parte reddamus. Et primò.

9. Supponendum eſt ex iis quæ modò, & in ſuperioribus diximus, effectum hunc naturalem eſſe, ſi non aliunde certe ex paritate aliorum, quæ eandem prorſus difficultatem patiuntur, & neque ad miraculum, neque ad cacodæmonis operam reduci poſſunt: cuiuſmodi ſunt ad Lunæ incrementum, aut decrementum ſelenitis lapidis mutationes, ac maculæ: vini in doliis fluctuatio ad vitis efflorefſcentiam, idque vt notat Helmontius *in vi magnetica* non conſtituto tempore, ſed tunc potiſſimum, quando pro locorum diuerſitate aut ſerius, aut tempeſtiuius vitis floret, quamuis multis milliariis diſſita, quamuis enim vinum extrà prouincias conterminas natum, aliò aſportetur, vbi pro ſoli qualitate vitis prouincialis, aut Aprili menſe, vt apud nos, aut Octobri, vt in Chile Regno floret, attamen vinum non turbatur quando vitis genuina floret, ſed quando vitis prouincialis, nec ceſſat huiuſmodi confuſio, quamdiù flos viti non decidit: macularum in linteis ex fructibus contractarum abſterſiones, quando arbores eoſdem fructus producentes foliis ſpoliantur, &c quæ omnia, vt dixi, nulla locorum diſtantia, (aut ea ſanè, quæ noſtram difficultatem non releuat) iuuare cernitur, aut vllatenus impedire: neque etiam miraculo, aut Dæmonis operæ aſcribi poſſunt, ſed veriſſimæ, & immediatæ Naturæ actiuitati non tam occultè, quum ordinatè ſingula operantis ſunt citrà dubium relinquenda.

10. Supponendum ſecundò ex Hippocrate 6. *Epidem. textu* 1. *Naturam eſſe morborum medicatricem.* hoc eſt (vt inquit

Papinius) *inſtrumentaria illa cauſa, qua immediatè vtitur anima ad præcipuas facultates in corpore exercendas, tum in vitali, tum in naturali genere: idque vel inſtaurandi, vel conſeruandi cauſa* quæ conſiſtit non modo in elementari partium commixtione primarumve qualitatum craſi, verum etiam in ſubſtantia illa potiſſimum ex humido radicali, calido iunato, primigenioque ſpiritu coalita. Huic profectò Medicus ſedulò inſeruit (eſt enim vt addit idem Hippocrates, Naturæ famulus) opportunè ſingula ſuppeditando, ſollicitus nempe de ipſius integritate cuſtodienda; in id ſemper incumbens, vt tria illa, quæ eam omnibus numeris abſolutam in ſua bonitate conſtituunt, humidum videlicet radicale, ſpiritus primigenius, & calor innatus conuenienti nexu & proportione cohæreant, ne calori humidum radicale ſuſtentans vnquam deficiat, neve calor humidum omninò abſumat, ſpiritumque deuaſtet. Quod cum obtinuerit, cunctis ad talem moderationem redactis, Natura ipſa propria indole in ſui conſeruationem conſpirans, ad perfectam integritatem corpus noſtrum reducit, opuſque ſuum perficit. Et quidem quò id, abſque vlla ipſius naturæ iactura fit, eò fortiùs ipſa vires ſuas exerit, citiuſque ſanitatem adducit; ſæpè enim vulgaria medicamenta, ſua nimia actiuitate naturam premunt, aut non ita adiuuant, vt non etiam defatigent, & aliquo pacto deiiciant; veriſſimum namque eſt quod vulgò circumfertur, ea eſſe inſtar lixiuij, quod veſtimenta quidem è ſordibus purgat, abſtergit, emundat, verum etiam ſenſim quatit, conterit, adurit, ac tandem penitùs diſſipat: at cum non habet Natura vnde extrinſecus repariatur, & cum pluribus confligando vires ſuas diſpertiat, ac diſperdat, validiùs opus ſuum exequitur, ac citò perfectam ſanitatem, quæ in partium cohærentia & harmonico nexu conſiſtit, adducit. Si igitur Medicus ità naturæ opitulatur, vt eius inopiam ditet, deiectionem releuet, robur confirmet, ac vires nullo modo proſternat. Hoc equidem optimè callet, & prouidere vtique potis eſt Naturæ cæteroqui infenſiſſimus hoſtis Diabolus, & quandoque fideliter præſtat à ſuis aſſeclis inuocatus: ſed id horreat Chriſtianus Medicus ope Dæmonis aſſequi cum animæ ſuæ, proximique diſpendio: gaudeat ſe poſſe ſuo acumini, ac naturæ viribus fiſum eadem imitari, feliciter obtinere: ſicque vt ex aliis Naturæ operibus medendi peritiam comparauit, ita hoc mirabili magnetiſmo quem in omni penè Natura videt, edoctus, diſcat quid valeat in Natura alioqui infirma diuino planè fulcimine operari, ipſeque viciſſim,

qua via poſſit ſuas partes exequi, ac Naturæ optimè inſeruire. Ergò Magnetica curatio vulnerum Naturæ opus eſt: ipſa eam immediatè aggreditur, perficit, obtinet; Medico tantum Naturæ opus, ac Magnetiſmum coadiuuante. Et hic demum eſt abditiſſimi huius arcani aditus, ac veriſſima cauſa, quam Goclenius, Papinius, Helmontius, aliique detegere ſatagentes, maximoperè ſe implicarunt.

11. Dico igitur Magneticam curationem fieri à Natura immediatè & intrinſecus operante, excitata tamen extrinſecùs à motu ſanguinis medicati, & à vitriolo, ſiue ab alio quouis id genus medicamento alterati, ob ſympathiam, & connexionem, quam habet cum ipſo ſanguine, qui pars eiuſdem corporis eſt, quamuis abſciſſa, proindeque eiuſdem naturæ, ac ſubſtantiæ, quam nihilominus ſeruat, atque in Vniuerſi iſtius communi forma, vel (quam nemo negare poterit) partium cohærentia, nectitur, vniturque. Patet id apertiſſimè tum ex his quæ hîc, & alibi diximus; tum ex plurimis experimentis eiuſdem rationis, quæ planè hanc veritatem euincunt, tam in ipſo homine, quam in cæteris animantibus, ac ſanè in reliquis rerum ordinibus, quæ aliquo ſympathiæ vinculo inuicem colligantur: vt proinde in hoc tam arduo negotio veluti in gordiano nodo ſuo primo vniuerſali principio iam detecto omnia naturæ arcana, omnes ſympathiæ affectiones tanquam in vno glomere complicatæ facilè exſoluantur. Sic vrina, ſic ſanguis, ſic cæteræ partes corporis iam excretæ, ſuam ſeruant cum corpore ſympathiam, vnde mirum non eſt, ſi vno male affecto, & alterato, condoleat, & intrinſecus alteretur alterum: ſi diciduis foliis ex arboribus, tanquam natura effæta, & ſuccus pannis illitus vires ſuas deperdat, & contractæ ex eo maculæ abigantur, ſi vinea efflorente vinum intrinſecus fluctuat; excitatur quippè iſtius natura ad ſui affinis commotionem ad ſimilem motum promendum, & intrinſecam condolentiam: ac ſic per ſingula diſcurrendo, cæterarum in vniuerſa Natura affectionum, facile eſt originem inuenire. Vnde eſt profectò, quod nulla actio datur in diſtans, ſed vnumquodque immediatè agit in paſſum ſibi contiguum, atque approximatum, altero interim affine intrinſecùs à Natura ad ſimilem motum excitata, repatiente.

12. Ergò in Helitropio ſeſe ad motum ſolis vertente, motus ab intrinſeco eſt, excitato tamen à ſolis motu, cui eſt natura affinis, & quodammodo ſubordinatus; vt externa etiam facies monſtrat, ſimili à Natura characteriſmo ſignatum;

gnatum: quod etiam, quamuis obſcurè agnouit Hieronymus Dandinus, *Digreſſ. 6. in libros de Anima.* aſſerens florem hunc à principio intrinſeco moueri, ad motum ſolis, ſicut lapis ad centrum: quod etiam affirmat de Lunaria ſeſe ad motum Lunæ conformanre, quam ideò Lunitropium vocat. Similiter in Selenite lapide mira illa mutatio macularum ad Phaſium Lunarium normam, (cum in ſolido lapide fiat, nec in externa facie modò ſed & in toto corpore, vt eo diſſecto videre eſt,) non niſi ab intrinſeco eſſe poteſt: mutatur autem per inſitam ei cum Luna ſimilitudinem, ac ſympathiam quâ, eâ motâ ad ſimilem motum & paſſionem intrinſecus excitatur. Sic chordæ ſimilès ad alterius contactum reſonant non ab aëre moto, vt vult Fracaſtorius *lib. de Sympathia cap.* 11. & Areſius *de Generat. diſp.* 3. *quæſt.* 41, *ſect.* 7. quandoquidem in alia cythara viciniori, ſed non vniſona, & in longe maiori impulſu aëris ad cytharam vſque perueniente non eumdem effectum parit, ſed à veriſſima ſympathia intrinſecus chordas vniſonas ad vniformem ſonum excitante: neque enim maior diſpoſitio, quam dicunt in iſtis eſſe ad recipiendum motum, & edendum ſonum, quàm in aliis non æquè tenſis explicari poteſt per aliud, quam per iſtam Naturæ conſenſione: ſed & id contrariâ ratione, Antipathiæ videlicet, euincit alia experientia chordarum ex agni neruis formatarum, quæ ad cytharæ è lupi chordis compactæ pulſationem ſtatim intrinſeca vi dirumpuntur; earum quippe naturâ ad contrarij motum, quod ferre non poteſt, ſeſe deiiciente.

Hinc etiam in plantis idipſum videre eſt, quæ aliis ſibi 131
mutuo amoris nexu deuinctis complantatæ feraciores ac viuidiores redduntur, provt de malo punico, & Myrto teſtantur Democritus, & Mizaldus *lib.* 1. *arcanorum*, ac de Ruta ſub ficu creſcente Plinius *lib* 19. *c.*8. ac Dioſcorid. *lib.*3, *cap.* 32. Aliarum autem naturâ diſſitarum propinquitate læduntur, & ſterileſcunt, vt præſertim vitis à braſſica. Econtrà multæ ſunt, quæ ob inimici fruticis, aut oleris viciniam roborantur, & vires conduplicant; vt roſa allio complantata odoratior fit, non quòd allium, quod alioqui grauolentiſſimum eſt, quicquam boni in illam tranſmittat, eiuſque fragrantiam augeat, ſed quia àd inimici præſentiam excitata intimè natura roſæ ad pugnandum accingitur, vireſque ſuas omnes exerit. Et ſic diſcurre per ſingula, in oſcitatione; oculorum lippitudine ad caligantis oculi viſum; dentium ſtupore ad acidarum rerum aſpectum, aut conſiderationem; atque aliis corporis affectionibus, ac deliquiis, quæ

mox, inſurgunt ad ingratæ rei aſpectum, imaginationem, ſonum, & ſimilia: nec dici poteſt cum Areſio, ad hæc excitari in nobis appetitum illius rei eo ipſo ac phantaſiæ proponitur tale obiectum, tum quia hæc vtplurimum ſunt naturæ contraria, ad quæ non datur appetitus ſed potius aueiſio; natura enim naturaliter ad ſui bonum tendit, non ad malum; tum etiam quia hoc ipſum eſt quod difficultatem faceſſit, quomodo inquam Phantaſia tam ſubitò caſum faciat, & per phyſicam actionem naturam protinùs deiiciat:

14. Eſt igitur ratio obiectorum diſſonantia, quæ phantaſiæ obiecta per huius cum certis corporis partibus ſympathiam natura concutitur, ac deiicitur: vnde monſtra illa, & affectiones ſequuntur. Sic vidimus aliquos ad frigidæ guttam cadentem, quam bipennem apprehendebant, extinctos: ſic malaciæ effectus quotidie videmus, ſiue ex appetitu, ſiue ex horrore obiectarum rerum progenitos, quos etiam aduentante tempore illarum rerum, turgere, matureſcere, exſiccari, provt illæ eſfloreſcunt, turgent, matureſcunt, vel flacceſcunt, conſpicimus, natura ſiquidem ob cogenitam cum illis rebus ſympathiam ſeſe ad ſimiles motus intrinſecùs excitante. Ego ſanè in meipſo experior, quoties aut ingens vlcus, aut ſanguinis magnum aliquod profluuium, ſpectare, aut mente concipere contingit, ſtatim in animi deliquium, nec ſine periculo deuenire, natura equidem horrore concepto ſe propria indole proſternente, ac vitæ officia relinquente. Quid igitur mirum ſi & in fœtibus, vt ſuprà ex Helmontio adnotauimus eadem, & maiora naturæ portenta ſuboriantur, quæ à Matre ex obiectis viſis, imaginatione, ac terrore perculſa, ſtatim ex occulta ſympathiæ vi ad tenellum infantis corpuſculum tranſmittuntur, eaque monſtra ex naturæ deiectione proſiliant?

15. Sanè Phalangij naturam explicare, eiuſque ictus tam multiplices affectiones, eaſdemque tam varias pugnanteſque inuicem inducentis, rationem reddere difficilius eſt, quippe arcanum eſt longè in natura nouum, & cui ſimile non ſit inuenire: quis enim ordo, quæ connexio animalis cum ſonis, & huius cum hoc præciſè non alio genere harmoniæ? Quæ temporum reſpondentia? Qualis Veneni qualitas? Et nùm naturæ humanæ amica, vel inimica? Si amica, quomodo dira illa ſymptomata inducit? Si inimica, cur ad deſtructionem non tendit? Cur ea ad ſonorum modulos non magis intenditur, (quippe eam cum ſonis ſympathiam aliquam habere neceſſe eſt) & ſi intenditur, cur non potius hominem releuat, quam maioribus cruciatibus vexat? Cur

demum mortuo phalangio ea prorsùs extinguitur, & cætera quæ non facilè quis poterit explicare. Neque enim placet quod ait Areſius *loco citato num.* 12. quod ſi de morte naturali huius beſtiolæ agatur, rem veriſimilitudine non carere, *quia fieri poteſt*, inquit, *vt quò longius à morte hoc animal diſtat, eò vim habeat acriorem, ad venenum infundendum: ſi verò de morte violenta non videtur verum, quia nulla apparet probabilis cauſa vt hoc contingere poſſit.* Non inquam placet, quia huic poſtremo dicto refragatur experientia, & fides tot hominum id indubitatò dicentium, ex quo tandem ortum prouerbium apud nos Italos: *Morta la beſtia, morto il veleno.*

Et ſi demùm id aliquando caſu contigiſſe dicatur, affero duo experimenta, vnum quod affert Taliacotius *in ſua Chirurgia*, de quodam, qui amiſſum in prælio naſum, vt ſibi reficeretur, Bononiam ad ipſum Taliacotium conceſſit; verum cum præceptam inciſionem brachij ſui timeret, vt de eo naſus ſibi efformaretur, ſeruum conduxit, è cuius brachio naſum ſibi dato pretio eruit, atque eo ad tredecim circiter menſes ad decorem in patriam reuerſus vſus eſt: quando ecce tibi repente naſus aſcititius friguit, mox poſt aliquot dies putrefactus cecidit. Rei inopinam cauſam mirantibus, & inquirentibus cunctis, inuentum eſt, eodem fere momento, quò naſus friguit, expiraſſe Bononiæ illum, qui venale corium expoſuerat. Alterum exemplum ſit, de quo quiuis periculum facere poterit. Si felem maſculum, poſtquam fœminæ ſuperincubauit, eaque prægnans catulos nondum edidit, quis occidat, mox illa abortum patitur, & catuli mortui eduntur, eorum natura ſui genitoris caſum ex occulta ſympathiæ vi, minimè ſuſtinente: Sic igitur veneni virtus in hominibus à phalangio ictis extingui poterit eo vtcumq; mortuo; per ſympathiam veneficæ qualitatis cumſuo principio à quo tranſmiſſa fuit, licet etiam aliunde extingui poſſit, vel per alia antidota, quorum longam ſeriem affert Plinius in ſua Hiſtoria, vel per ipſius qualitatis deſitionem, prout validior aut ſegnior fuerit in ea ſuperanda percuſſi natura, ictuſque aut Lenior aut profundior. 16.

Reſtat igitur, vt dicamus in hoc vno Naturæ arcano reliqua omnia quæ ſparſim in aliis eius operibus conſpicimus, comprehendi; vtque hoc totum Naturæ opus abſolutiſſimum eſt; cuius tamen cauſam ignoramus; ita magnetica omnis curatio naturæ viribus facta præſumi debet, quamquam non plenè ratio innoteſcit. 17.

Poſſumus tamen in phalangij caſu dicere intercedere par- 18.

tim ſympathiam, partim antipathiam: ſympathiam inter phalangium, & certam ſpeciem harmoniæ, colores, arma, &c. atque etiam in percuſſo id euenire ob qualitatem immiſſam, quæ proinde totam naturam inficit; antipathiam inter ipſam veneficam qualitatem, & hominem, talem tamen quæ facilè in ipſam naturam redundet, præſertim cum ex Ariſt. *ſeptim Metaph. cap.* 6. contrariorum eadem forma ſit, atque adeo intercedat neceſſe eſt aliqua ſimilitudo, & connexio.

20. Hinc ad obiecta in naturalem pulueris ſympathici actiuitatem, cæterorum eiuſdem generis medicamentorum, facilis eſt reſponſio: quomodò enim, inquiunt, tam modicus puluis ſanguini iam emortuo applicatus, magnum alioqui vulnus, idque difficilum ſanare poteſt? quomodo vnguentum ferro illitum, in quo vix ſanguinis veſtigia extant, eadem virtute pollet? Quomodò in vulneribus à ſclopetis factis eadem miracula non experimur? Verum, vti dicebam, curatio immediatè à natura fit, extrinſecis hiſce fulcris effectiuè in vulnus ne minimum quid operantibus, ſed ſolum in ea quibus immediatè applicantur, puta ſanguinem, pus, & ſimilia, ad quorum tamen alterationem natura, ob ſubſtantiæ ſimilitudinem, & conformitatem alteratur, intrinſecùs excitatur & maiori niſu curationem perficit; eo prorſus pacto, quo per morbum deiecta ſolo ſuffitu, aromatum, vini, aliorumque id genus extractorum, quæ ſpirituales magiſque æthereas rerum portiones ſeruant, natura erigitur, ſpiritúſque noſtri corporis aliàs torpentes momento temporis excitantur, & pro naturæ affinitate proficiunt, & inſtaurantur.

Sic profectò Natura per eius partis, quæ quamuis exciſa, retinet nihilominus aliquid primigeniæ ſubſtantię, veluti ſomno expergefacta, & amica voce erecta accingitur ad curationem perficiendam morbumque ſuperandum, eò faciliùs, quo ad id aliàs prona eſt, vt vel leuiſſimo adiumento, (eo maximè quod non, vt cætera medicamenta immediate applicata naturam premit) ſuffulta alacrior exit ad opus perficiendum.

21. At cum vulnus igneo globulo laxata rota à ſclopetis infligitur, inſtrumentum, quod ad explodendum dumtaxat globum inſeruit, nullam contrahit cum vulnere ſympathiam; cum non corpus attingat, non uulnus per ſeipſum faciat ſed per immiſſum plumbum; ac proinde nil mirum, ſi ineptum prorſus euadat ad curationem magneticè perficiendam, benè autem opus feliciter fortè prodiret, ſi globus extrahi poſſet, atque in vnguentum immitti; militat enim pro eo

eadem ratio, ac in gladio, qui partem affectam immediatè appetiit, & ſanguine fuit infectus, cuius ad minus aliquam maculam ſeruat; quæ ſatis eſt in hoc leuiſſimo adiumento ad ſympathiam cum corpore retinendam, atque adeò naturam, vt dictum eſt, excitandam ad opus intrinſecè perficiendum. Nec id mirum alicui videri debeat, cum longè maiora miracula videamus per ſympathiam Solo tactu contractam: Narrat quippè Helmontius de quadam muliere, quæ Solo attactu ſellæ, podagrâ, quâ aliàs laborabat, mox ſolito ſæuius corripiebatur: ſic enim ait *de magnet. vulner. curat. num.* 33.

*Matronam nobilem mihi notam abeunte podagra paroxyſmo vno, nouus ſubinde alius excepit, ac per multos menſes podagra ſine remiſſione inſolito infeſtauit recurſu. Neſciens verò, vnde tanta ſibi, inauſpicataque morbi recidiua, quæ tandem quoties remiſſo acceſſus feruore è cubili iam ſurgens ſederet ſede, qua frater eius olim, & in alia vrbe podagricus ſedere ſolitus erat, ex templo nimirum abinde morbum repullulare reperit. Effectus vtique nullatenus imaginationi, aut ſcrupulo adſcribendus: utpotè quæ duo effectu longè fuerunt poſteriora. Qua autem ſede ſi contingeret alium ſediſſe podagricum, nulla ei accidit morbi reincrudatio. Itaque iam fratris mortui mumia ſedem contagio ſuſpectam meritò reddidit, qua ſorori, & non alteri podagricæ fluxus illos ſecùs quieturos moueret, trans omnes veſtes penetrans. Magnetiſmus fuit ad vterinam ſcilicet ſororis mumiam idque longo poſt funera luſtro.* Tantum equidem poteſt vel leuiſſimus tactus, vbi mumialis dumtaxat interuenit ſympathia: 22.

Sed quid dico tactus? Solus aſpectus, Sola præſentia rei ſibi conformis, aut difformis, quamuis ea conformitas aut difformitas puro accidente conſiſtat ſatis eſt ad hanc motionem in Natura, ſiue ad amorem, ſiue ad odium excitandum. Quid enim maiorem ſympathiam cum ſanguine in venis contento retinet, ſanguis ne ex iiſdem venis exciſus, an color rubrus? An non ad rubei coloris præſentiam, ſanguis iuuenis ebullit, excitatur, accenditur, & foras exire contendit, aut cor obſidens adriam extimulat: Frequens eſt huius rei experientia non in nobis modo, ſed & in bubalis, in Elephantis aliiſque animantibus, quæ ad rubei coloris aſpectum commouentur ad iram, & furunt vnde 1. Machab. 6. legitur quod *Elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ ad acuendos eos in prælium.* non quidem ab imaginatione vt benè ex Valeſio lib. de ſacra Philoſophia notat Vecchius obſeruat. medic. 15. in ſacram ſcripturam, ſed à propria ſanguinis natura, quæ ad

præſentiam rei vtcumque ſimilis commouetur, & feruet, quæ eſt cauſa iracundiæ commouendæ: ſiquidem hæc aliud non eſt quam accenſio ſanguinis circà cor. Qua etiam ratione Galenus *lib. de ſuppurat. empyrica* vetat ſpuenti ſanguinem aut hæmorrhagiam patienti aſpectum ipſius ſanguinis aut alterius rei rubræ, & ad cęrulea & nigra iubet oculos conuertere: præcipit contra exanthematis iuxta *cutem laborantibus rubris veſtimentis operiri*. Non quod hæc quidquā conferant aut immittant intus in ſanguinem aut contraponant, ſed ipſum fiat quia, ſpiritus in ſanguine conſiſtentes ob ſympathiam alliciuntur ſplendore illo ſanguini prorſus conſimili, ac ſanguinem ipſum commouent, vnde eſt quod ſic agitatus, aut circa cor adunatur, aut aliàs cum exitum ſic foras erumpit. Id quod etiam eo modo in rebus inanimis videmus vt in purpura, in corallio quæ cum aliis eiuſdem coloris, aut naturæ ſeruantur in natiuo ſplendore perſiſtunt, atque perficiuntur. Mitto alia experimenta paſſim obuia, ſed non minus admiratione digna.

13. Cogeris itaque iam, vel reluctans frequenti demonſtrationi aſſentiri, quod ſanguini, & parti excìſæ quamuis emortuæ aliquid remanet primitiuæ ſubſtantiæ, quo nimirum ſeruatur huiuſmodi proportio & conſenſus cum reliquo corpore, cuius virtute magneticæ iſtæ operationes in Natura intrinſecùs excitentur. Ex quo, vt id obiter dicam, non modò planè euincitur contra Thomiſtas in corruptione compoſiti non dari reſolutionem vſque ad materiam primam, ſed adhuc in corrupto perſeuerare plures formas ſubſtantiales, quas vocant partiales partium ſimilarium diſtinctas, vt puta, carnis, oſſis, nerui, &c. vt volebat *Scotus in 4. diſtinct. 11. quæſt. 3.* quem ſequuntur Maironus *in 2. diſtinct. 16. & 15.* Niphus *primo de Generat. comment. 78.* Piccolominus *lib. de multitudine formarum cap. 2.* Hieron. Dandinus *digreſſ. 8. par. 3. 2. de anima* Antonius Trombetcta 8. *Metaph. 9.* & paſſim recentiores, quam ſententiam acriter, & egregiè propugnat ex noſtris Areſius *in lib. 1. Generat diſp. 2. quæſt. 10. ſect. 3* aſſerens hanc fuiſſe mentem Ariſtotelis pluribus in locis præſertim *primo de Anima textu* 58. ac plurium veterum Peripateticorum Alexandri, Simplicij, Auerrois quibus Picolomineus addit Galenum, & Platonicos.

14. Et quidem ſi non alia argumenta ſuppeterent, certè ipſa totius ſubſtantiæ ſimilitudo euinceret, in plantis, lignis, animantibus, aliiſque iam corruptis, & exſiccatis aliquam radicalem, maximeque vitalem ſubſtantiam reperiri; quæ

poſteà ſimilium conſeruationi plurimum conferant. Hinc congruus animantium cibus, animantia, & quæ magis ad huius ſimilitudinis rationem accedunt. Hinc aues auibus; piſces piſcibus, feræ feris commodum nutriuntur: Hinc ad ſingulas partes corporis deſcendentes, plura ſimplicia detecta ſunt, quæ quia capiti humano; cordi, ſtomacho, aliiſque membris conferunt, & naturæ characteriſmo aſſimilantur, cephalica, cardiaca, ſtomachica, &c. Dicta ſunt, quoniam totius ſubſtantiæ ſimilitudine partium, quibuſcum conſenſum habent, natiuam humiditatem, calorem, temperamentum augent, & inculpata ſeruant; quorum longam ſeriem affert Crolius *in Baſilica chimica, tractatu de ſignaturis internis rerum.*

25. Porrò hæc remedia, quæ ex inanimitatis, vegetabilibus, & nonnullis animantibus deprompta, ſubſtantiæ ſimilitudine corporis noſtri partes afficiunt, quò maiorem affinitatem poſſident cum partibus, quibus addicta ſunt, eò potentius ipſas roborant, & natiuæ ſubſtantiæ opitulantur. Ex quo demum colligitur, quod, ſi ex emortuo corpore eiuſdem ſpeciei poſſit reſiduum congeniti humoris arte quadam educi, multò magis id alteri viuenti corpori futurum ſit aptiſſima medicina. Hinc tot pulueres, ſales, tincturæ, magiſteria, elixiria, ex humano corpore parata hodiè proſtant apud auctores. Si vero ex toto corpore adeo efficax ſingulis partibus medicina paratur, quanto plus auxilij è partibus eiuſdem naturæ, conformationis, & figuræ ſperandum eſt? Hinc non immeritò cranij humani puluis, ſal, cæteræque præparationes affectus capitis peruicaciſſimos ſoluunt.

26. Ob id per totam ferè Italiam celeberrimum fuit nomen cuiuſdam Medici, qui ſolo puluere ex ſingulis corporis partibus propria arte conflato, omnes affectus contrà naturam radicitus euellebat: vt ſi afficeretur caput, puluis è ſolis capitibus peteretur, ſi cor è cordibus, & ſic de cæteris. Quanto magis igitur id præſtaretur, ſi ex eodem corpore, eademque parte ſublata ipſi rurſus affatim applicaretur, aut ſecundum totam ſubſtantiam, aut ſecundum partem potentiorem, quantò diuinius, ſi abſque corporis afflictatione, ſed ſolo naturæ conſenſu, per ſympathiam intrinſecus operante?

27. Conſtat igitur tum ratione, tum plurimis experimentis, magneticam curationem poſſe naturaliter perfici, per ſolam medicamenti applicationem parti corporis, quantumuis diſſitæ, modò aliquam retineat cum parte affecta ſimilitudi-

nem, & ſympathiam: Natura quippe ad rei ſibi ſimilis affectionem intrinſecè, & ipſa afficitur, excitatur, & opus ſuum ad quod alias procliuis eſt, promptiſſimè exequitur: nihil enim magis auet Natura, quam totius integritatem ſuique conſeruationem, vt docet Philoſophus pluribus in locis, preſertim verò *lib. 1. de partibus animalium cap. 5* & *2. Phiſic. cap. 5.* ac proinde vel leuiſſimo adiumento ſuffulta opus aggreditur, ac feliciſſimè perficit.

28. In quo ſanè negotio longè aliis præſtant quæ per ſympathiam, & vniuerſalem rerum connexionem operantur; quippe quæ, cùm non immediatè parti affectæ applicentur, non habent ipſam premere ſua actiuitate, & vt ita dicam, naturæ vires ſuffocare, ſed ſolum reficere, & augere, eo prorſus pacto, quo in ciborum delectu, ij ſunt optimi, qui & leuiſſimi, & calidi & moderatè humidi, & inſito temperamento naturæ viuentis maximè approximantur, & ita illam ſuſtentant, vt natiuus calor ab adſcititio alimenti calore foueatur, & humidum radicale ab vtroque non deuaſtetur, ſed eius loco inueniat in cibo calor naturalis commodum ſuæ actiuitatis pabulum, atque ita vtrumque minimè diſſlatis viribus in ſuo ordine conſeruetur.

29. Hinc eadem ratione admitti etiam poterunt aliæ curationes ſimili modo præſtitæ; in quibus hæc ſympathiæ ratio intercedit, aut certè arte quadam inducitur: Vt, quæ ſuprà enumerauimus, curatio Icteri, per conſumptionem vrinæ patientis oui putamine incluſæ, quæ mumialem ſpiritum tabidi hominis in ſe habeat, ad lentum ignem: lactis exſiccatio in mammis ad eiuſdem emulſionem ad ignem: eiuſdem multiplicatio per attractionem mumialis ſpiritus alterius fœminæ, vel vaccæ lacte plenæ, in cibo ab ea priùs degustato relicti: ſimilis tranſlatio morbi in beſtiam, quæ deuoret carnem, ſpiritu morbidi hominis per eius vrinam, aut ſanguinem fermentatam: Lienis tumor inhibitus, ac propulſus, per ſuſpenſionem lienis alterius animalis ad fumū in camino, quò paulatim flacceſcat, & exſiccetur: hæmorroidarum depreſſio per applicationem radicis Chondrillæ, ſeu ſcrophulariæ herbæ vulgaris (quæ illarum formam præſefert) ad latus patientis; nam vbi hæc exſiccari cæperit, ſenſim exſiccantur & illæ: curatio vulneris cancroſi ſi alterius, qui eodem morbo priùs affectus, & poſtmodum curatus eſt ſanguine illiniatur pars affecta; quo momodo teſtatur Kircherus ſolitos eſſe cantabros morbū ſactum pellere, noſque videmus in Alcis vngula, qua hoc animal morbo comitiali correptus aurem ſiniſtram vellicans libe-

tatur, ea enim nec alia, quantumuis eiuſdem Alcis, virtutem induit efficaciſſimam contrà eundem morbum; quo etiam modo Saphirus ſi ſemel anthracem quo peſtis ſe prodit, attigerit, & aliquandiù affrictus fuerit, mox cuicumque peſte laboranti ſingulare præſidium eſt; virus namque totum è contaminato magneticè attrahit, ſi buboni ſimiliter affricetur, atque eo circulus deſcribatur, quo virus omne intrà eius fines ſe continens latius non exſpatietur, ſicque alias partes inficiat; in cuius rei teſtimonium olim ab Eccleſiæ proceribus introductum reor, quod annulos hac potiſſimum gemma cõſpicuos geſtare ſoliti ſint, iiq; omnes, quibus ex officio incumbit peſte infectis aſſiſtere, &c.

Hæc, inquam, omnia eidem principio innixa ſunt, ſympathiæ, videlicet, antipathiæve rerum, quâ mira hæc operentur, & natura propria indole mumialem ſpiritum hauriat, atque exinde ad ſui contrarij, vel affinis præſentiam, paſſionem, motum ad ſimiles, vel diſſimiles affectiones ſeſe intrinſecus excitet. Hinc non abſimili ratione, ſi faſcino, philtris, aliiſque id genus operibus fides præbenda eſt, de eorum miris effectibus diſcurrendum. 31.

Ex his apertè colligitur quænam ſit ratio, cur ad occiſoris præſentiam ſanguis in occiſi cadauere alias congelatus ebulliat, & foras proſiliat: In qua ſanè inueſtiganda atque reddenda Philoſophi omnes, vſque ad ſanguinem decertarunt, atque in varias ſententias planè ridiculas abierunt: quas omnes ergregiè confutat noſter Verricelli in Quæſtionibus moralib. & legalibus tract. 1. quæſt. 22. ſect. 2. Sed tamen quam ipſe addùcit non minus improbabilis eſt, & Philoſopho prorsùs indigna. 32.

Ait enim id fieri à Dæmone intrinſecus ſanguinem commouente ex odio in humanum genus ad finem acuendi iudices & inſpectores ad odium aduerſus homicidam illum, proindeque morti adiudicandum. Id quod nullo pacto poteſt ſubſiſtere. Primo, quia, vt alias diximus, quæ frequenter accidunt ſuprà vel præter naturam eſſe minimè cenſenda ſunt, ſed omninò naturalia, quamuis vera eorum cauſa ſit nobis ignota: ſecundò minimè præſumendum, velle Deum id permittere Dæmoni præter naturæ ordinem, præſertim cum aliàs occiſor, eſt facti pœnitens, aut iuſtam occidendi cauſam habuerit, puta in iuſto bello, aut fuerit ipſe prouocatus, & alium occiderit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nam ſi id ſemel admittamus, cur non etiam dici poterit Dæmoni alia etiam in hominum perniciem eaque minora, & ſeruato naturæ ordine à Deo permiſſi? cur non id- 33.

ipſum potius accidit, non in aggreſſoris, ſed in mandantis occiſionem præſentiam? cur inquam in aggreſſoris duntaxat præſentia, & eius ſolum qui vulnera infligit, non qui venenum propinando, aut aliàs vitam ademit? Tertiò quia ſaltem id non niſi poſt longum temporis ſpatium vſu, & frequentia compertum eſt, vnde quoad vſque id plenius innotuerit Dæmon ſuo fine fruſtratus rem prorſus inutilem ex Dei permiſſione proſequutus eſt: cur igitur hoc potius in ſanguinis effuſione manifeſtare elegit, eique permiſſum eſt, & non in alio potiori argumento, quod rem euinceret? Quartò demum, quia id nihilominus, quamuis frequens, non eſt certum indicium rei, cum non conſtet adhuc qua ratione fiat; & ideò ex hoc præcisè non poſſet ſimpliciter animaduerti in huiuſmodi indiciatum, nec etiam modò non alia indicia concurrerent ad criminalem inquiſitionem procedi, vt multis probant Hippolytus de Marſ. *in praxi crimin. §. diligenter.* Paris de Puteo, *in ſindicatu Verbo Tortura*, & alij iuriſtæ apud Maiolum *in duabus canicular. colloqu* 1. *Phyſ.* eò maximè quia aliquando etiam huiuſmodi ſanguinis effuſio ſubſequua eſt ad præſentiam amicorum, aut ſanguine coniunctorum, vt notat idem Maiolus, de quibus tamen ſi quia homicidium publicè fuerat, ab alio factum nulla ſuſpicio ineſſe poterat, quod ab iis homicidium fuerit perpetratum: Vnde à primo ad vltimum, nulla eſt ratio credendi hanc ſanguinis effuſionem in occiſi cadauere præter naturam à Dæmone fieri, ad occiſorem manifeſtandum.

34. Dico igitur conſequenter ad ſuperius dicta, id fieri naturaliter ex ſympathia operis familiaritatis, non ab vlla antipathia, aut immiſſione vel regreſſione ſpirituum, ex occiſi corpore ad occiſorem, aut è contrà. Equidem in diuerſitate caſuum, qui referuntur: ſuppono occiſionem fuiſſe ſemper factam in aperto conflictu, & ſciente, atque adnitente contra aggreſſorem occiſo: quo poſito, credendum eſt hunc ira in aggreſſorem incaluiſſe; ac demum viribus imparem occubuiſſe. Cum igitur ira ſit accenſio ſanguinis, circà cor, qui poſteà ſuccumbente natura per inflicta vulnera foras proſiliit; & ſanguis ira infectus quandam antipathiam cum aggreſſore contraxit; inde fit, vt eodem præſente ſanguis ex familiaritate operis iterum accendatur, ebulliat, ac per eandem vulnerum viam exitum ſibi paret, & vtcumque natura duce, in aduerſarium adnitatur.

35. Ex quo etiam deduco idipſum quandoque accidere ad præſentiam amicorum, fratrum, &c. Quia profectò con-

iunctio ſanguinis, aut amoris neceſſitudo, vt ſæpè in nobis experimur ad amatæ rei conſpectum facit, vt ſanguis in venis ebulliat, alteretur; atque in arteria pulſus inæqualitatem exhibeat: Vnde ex hoc Eraſiſtratus apud Galenum, quandam mulierem agnouit ex nimio amore ergà priuignū decumbere, prolato enim vix Pyladis nomine, ſtatim Nouerca expalluit; vnde ipſe appoſita ad carpum manu, inuenit pulſum maxima inæqualitate fluctuare, quod erat indicio, cor etiam interiùs, ſanguinem,& ſpiritus fluctuaſſe ex amoris affectu. Ex quo fieri poteſt, vt amante iam mortuo, ſanguis,& ſpiritus vitales, qui reliqui ſunt in cadauere ob ſympathiam operis, atque eiuſdem ſubſtantiæ vnitatem, ad ſolam obiecti amati, vel odio habiti præſentiam excitentur ad ſimilem,& aliàs ſibi familiarem motum; vnde poſteà ex vulneribus, in quibus habet apertum ad exitum viam, vbertim profluat & exſiliant. Quod etiā videre eſt ſuo modo in cæterorū animantium exuuiis, quos enim affectus interſe viuentes habuerunt, hos etiam ſeruant in morte, horum vmbram videmus adhuc in extis, ſanguine, fibris, corio & ſimilibus. Sic quia ad lupi præſentiam agnus viuus timore interiùs concutiebatur, poſteà iiſdem mortuis, idem affectus,& contrarietas, in reliquiis cernitur; vnde Lyra, aut tympanum ex ouina pelle, aut inteſtinis compactum, tacta Lyra, aut tympano è lupi corio, aut neruis conſtante, dirumpitur. Similiter ſonitus lyræ ex vulpeculæ extis, gallinas terrirat, & in fugam vertit, ex ſerpentium neruis, hominibus, ac præſertim fœminis ob inſitam contrarietatem,& inimicitiam, terrorem incutit. Qua ratione Ziſchas hæreticus infenſiſſimus Catholicorum hoſtis, cum in pugna oculos amiſiſſet, iterum pugnaturus præcepit ſuis, vt, ſi fortè ei occumbere contigiſſet, detracto ſibi corio, tympanum conficeretur, quo bellum inauguratum, hoſtes, quibus viuens terrori fuit, eodem timore perculſi in fugam conuerterentur. Sic igitur in caſu noſtro contrario affectu, tum odij, tum amoris, fieri poteſt, vt cuius præſentia viuenti animi motus,& ſanguinis fluctuationem circà cor, ſiue ex amore, ſiue ex odio ſuſcitabat, in iam mortuo eorumdem effectuum cauſa ſit, ſicque ſanguis è vulneribus profluat naturaliter tam ad inimici, quam ad amici præſentiam.

36.

37.

38.

E contrà in eo, qui aut dormiens, aut quouiſmodo ignorans occiſus eſt, quia nulla inerat dum adhuc viuebat in aggreſſorem ira, & odij exardeſcentia, nulla etiam eſſe poterit in iam de mortui ſanguine operis ſympatia; vnde nil mirum, ſi nulla in eo fiat ſanguinis ebullitio, & effuſio ad ini- 39.

mici aggreſſoris præſentiam. Similiter in occiſo per venenum, ſuffocationem, &c quamuis enim fieri poſſit, vt ſuffocati corpus eoſdem motus interius habeat ad inimici præſentiam, ſi alias in morte aduerſus illum ita excanduit, tamen quia ſanguis promptum non habet ad exitum viam, ſicut habet in vulnerato, ideò foras non exit; niſi fortè è naribus, præſertim quando mox poſt præfocationem ſanguis adhuc calens, è naribus fluxit: tunc enim eadem intercedit fluxionis cauſa, & operis ſympathia.

40. Denique eadem ratione crediderim hanc ſanguinis effuſionem in occiſi cadauere non fieri ad præſentiam inimici, quem nuſquam agnouit, aut ſi agnouit, mortem, non per ſe ipſum, nec ſe præſente, ſed per mandatarium immediatè,& facie ad faciem aggredientem, in ſui abſentia exequutus eſt: tunc enim vel nulla in occiſo ergà illum ſanguinis efferueſcentia, dum viueret præſupponi poteſt, vel ſi qua erat, tota demum in morte in actualiter aggreſſorem conuerſa eſt, atque adeò erga iſtum duntaxat odium ſeruat & operis ſympathiam, vi cuius ad illius præſentiam ſanguis iterum accendatur, atque à vulneribus aſſueta ſibi ad exitum via foras, naturali quodam impetu profluat.

Atque hæc de arcanis hiſce naturæ motibus, ac de magnetica vulnerum curatione dicta ſint, cuius ſanè effectus conſimiles, diſſimiles, diſparatos, complexos, ac longè ſuperiores in Natura videmus, quos vti dicebã, miraculo, aut Dæmonis operæ aſcribere, ineptum eſt, quando ij frequentes ſunt, caſu, aut naturali rerum notitia comparati, ijdemque deinceps perpetui, aliàs omnia, quorum cauſam ignoramus, ſupra aut præter naturam dicere protritâ fronte quis poſſet. Hanc nos in præſenti aliarum rerum inductione, è latebris eruere, ipſa Natura duce, conati ſumus: ſi veram tenuimus, & Lectori tandem arriſerit, Naturæ ipſius munus, proindeque Dei, auctoris Naturæ, beneficium agnoſcamus: ſin minus, non idcircò ſingulare hoc Naturæ præſidium ſathanicum proclamandum, ſed cuique pro viribus ſatagendum, viam eius, & cauſam dignoſcere, diſcutere, ſpeculari, ac demum agnitam ad commune bonum in medium ferre, tanquam bono Naturæ adminiſtro, cui nefas ſit, quæ liberaliter illa ſuæ curæ credidit, inuidè occultare.

*FINIS.*

# INDEX
# RERVM NOTABILIVM.
## EARVM PRÆSERTIM, QVÆ extra ordinem diuagantur.

*Numerus primus indicat Paginam, Secundus eſt marginalis ſingulis litteris proprius.*

### A


A Figuræ dignitas, & encomia, pag. 1. num. 1.
Eam ſus roſtro delineauit humi, ibid. n. 2
A Phœnice in Græciam allata, ibidem
In ea omnes figuræ, omnia Geometrica inſtrumenta velut in compendio continentur, ibid. n. 1
Abachi vocabulum vnde apud Italos deriuatum, 3. n 4
Abortum cauſant in fœminis terræmotus, 505.n.29
Abſciſſio luminis in Planetis quot modis fiat, 4 n. 8
Abſidum mutationes magnas in Mundo mutationes indicant, 5.n.9
Id quo modo intelligendum, ibidem
Reijcitur Cardani commentum, ibid.
Quid hac in re ex Philoſophiæ principiis conjectari poſſit, ibid.
Acetum diffuſum optimum contra Turbinem tutamentum, 517. n. 78.
Achates gemma Cani ſidereo ſubeſt, 292.n.64
Achronicè quæ ſidera dicantur oriri pro riè, & impropriè, 6. n. 16.
Aconiti virus, & mira conditio, 292.n.63
Adagium de Alcor Stellulæ. 19. n. 90
Adam an fuerit Aſtrolabij Inuentor, 70.n.330
Ægri cur ſæpè in Solis occasû deficiant, 37.n 180
Ædificia facienda in ſignis Fixis, 167.n.20
Ægyptij non niſi per hieroglyph. res ſuas explicant, 135.n.15

Ægyptiorum finium ratio philoſophicè probata, 10. n. 102 & p. 495. n. 19
Æquinoctij tempus obſeruare quam difficile, 11. n. 34
Id aſſequi diffiſus eſt Ptolæmeus.
Eo tempore Pituita in hominibus creſcit, ibid.
Acria, & ſuccoſa tunc ſumenda, ibid.
Æquinoctiorum ſedes à Gregorio XIII. ſuo tempore reſtituta, 86. n. 16
Aër an animatus, 305. n. 86. Monetur ad motum vniuerſitatis, 13. n. 39
In tres Regiones tribuitur, 12. n. 37. Media Regio à Dæmonibus inhabitata, 12. n. 38
Firmamenti nomine in ſacris paginis appellatus, 191. n. 19
Spiritus Mundi, & Cœleſtium qualitatum vehiculum, 208. n. 14
Ob ſui facilitatem, & continuitatem cùm Cœlo, ſubito recipit Cœlorum impreſſiones, ibid.
Ejuſdē ſubſtantiæ cū reliqua Ætheris regione, 115. n. 139
Aëris infallibiles mutationes ſub certis ſiderum conuentionibus, 51. n. 236
Aër cur antequam illuceſcat obſcurior fiat, 129. n. 189
Æſtas quæ anni pars dicatur, 13. n. 44
Sub Æquatore duplex, ibid. & 535. n. 10
Mitior, ac minus feruens quam hyems. ibid.
Æſtiuale Solſtitium aquas prolectat, & quare, 462. n. 85
Hyemale Solſtitium vt plurimum ſerenum affert, ibid.
Eo tempore Alcyones in littore Maris nidificant, ibid.
In Æſtiuali filix vno die florem profert, & fructum, ibidem.
Æſtus major ſub Tropicis, quam ſub Æquatore, 536. n. 11
Æſopicæ vulpeculæ lepidum ſcomma, 203. n. 44
Ætas Lunæ quomodo per Epactam inueniatur. 176. n. 52
Ætates hominum ſingulis Planetis tributæ, 103. n. 85
Ætheris nomine quid veniat, 14. n. 45
Cuius ſubſtantiæ, ibid. & 129. n. 189
Africus ventus procellis nimius, 14. n. 48
In Luſitania facit Equas concipere, ibid.
Agens quodcunque operatur intra determinatam ſphæram actiuitatis. Digreſſ. Quæſt. 1. n. 17.
Quando nam requirat certam diſtantiam ad hoc vt agat, ibid. n. 14. & 19
An dari poſſit actio indiſtans, Quæſt. 1. n. 21. & Quæſt. 3. n. 11.

Agentia Naturalia cæteris paribus fortius agunt paſſo approximata, quam longiùs conſtituta, Qu.1.n.14. & ſeq.
Non omnis eorum virtus nobis comperta eſt, ibidem. n.38
Alcis vngula aduerſus morbum comitialem, Qu 3. n. 29
de Alcor ſtellula ad caudam Vrſæ adagium apud Arabes, 19. n. 90
Allio complantata Roſa cur odoratior, Quæſt.3. n. 13
Alcyones in Hyemali ſolſtitio Maris in littore nidificant, 462. n. 85
Almugea Planetarum ad luminaria quid ſit, 24. n.139
Eius ratio naturæ conſona, ibid.
Alſtedij error circa figuram ſexdecim laterum, 190.16
Altitudinis prærogatiua naturali ratione probata, 28. n.158. Vide etiam in Verbo Exaltatio.
Amorem conciliant Muſicæ Notæ, 313. n. 100
Amor, & nexus partium Mundi anima eſt, ſecundùm Platonem, 242. n. 32
Amphiſcij populi qui audiunt, 34. n. 174
Eorum regio temperantiſſima, n. 175
Amuſſis, ſeu Quadræ graphicæ deſcriptio, 1. n.1
In ea omnia inſtrumenta Mathematica continentur, ibidem.
Eius conſideratio eſt Mathematicarum omnium diſciplinarum compendium, ibid.
Analogia Corporum Cœleſtium cum terreſtibus, Qu.3. n.4
Macrocoſmi cum Macrocoſmo, ibid.& 503.n.92
Anæreta quid ſit, & eius ratio quibus competat, 38. n.186
Andromeda ſidus infauſtum, 278. n.12
Eius ſignificata in Horoſcopo, 40. n. 195
Angulus quid ſit, 41. n.198. eius diuiſiones, n. 199. & variæ acceptiones, Ibidem.
Animal nullum moritur in Maris refluxu, 37.n.180
Animal an dici poſſit Mundus, 310.n.92. Aqua; 311. n. 93. Terra, 498. 21. Cœleſtia corpora, 116. n.140
Animalia bruta an ſint corporibus Cœleſtibus nobiliora, 311. n. 94
Anni diuerſæ acceptiones, ac ſpecies, 42. n.202
Annus periodicus Imperijs, & Monarchijs fatalis, 44.n.210
Eius ratio vnde ſumenda, ibidem
Eam in certam numeri harmoniam refert Plato, ibid.
Anni Climacterici, ſeu ſchalares, 242.n.35
Annus Lunaris & Solaris, vtriuſq; diuiſiones, 42. n.203. & ſeq.

Antecanis cur dictus Procyon, ſeu Canis Minor, 47.n 222
Antipathiæ vis vnde ſit, 50. n.232. & 242. n.32. & 245. n.36. 488. n.1. & in Qu. vniuerſè, & fusè in V. Sympathia.
Antipathiæ quarundam Plantarum ad inuicem, Quæſt. 3. n. 15
Item & Animalium, Qu.3.n.1.& ſeq.
Sanguinis cum Calchanto, Qu. 1. n. 37
Antipodes olim admittere hæreticum habebatur, 46. n 220. & 221
Eos deridet D. Auguſtinus, ibidem
Iam modò eos negare non poſſumus, ibid.
Antiquitas olim Arithmeticæ ignara, in numerando calculis vtebatur, 2. n.4
Antiſcia quæ dicantur, & eorum noua Doctrina Naturæ, & rationi conſona, 48. n.227
Verius Paralleli dicendi, 49. n.230 & 361. n. 17
Antiſcia in Mundi ſitu etiam conſiderata: ibidem
Nec minoris efficaciæ, ibid.n.18
Antiſcij Populi qui, 49. n. 231
Antonij Pomæ Cler. Reg. de Zona Torrida teſtimonium, 537. n. 15
Apheta, ſeu vitæ dator, qui Planeta dicendus, 51. n. 238
An plures conſtituendi ſint, ibidem
Apheta in gradibus intermedijs ſignorum fixorum euadit valdè debilis, & quare, 80.n.369
Apoſtolorum nominibus Zodiacus appellatus, 159.n.68. & 334. n. 22
Apulia ab Iapyge, & Coro ventis infeſta, 126 n. 181
Aqua vnde dicta, 55. n. 262. An maior Terra, 58. n. 270. an Animata, ibid. n. 269
In Oceanum iugiter defluens cur non redundet, 56. n. 264
In Puteis ebulliens, ac tetrum odorem immittens Terræmotus indicium, 504. n. 27
Aqua in vniuerſo perinde ac ſanguis in homine, 57. n. 269
Aquæ ſolem ſequuntur in Tropicis, 56. n.267
Aquas proſectat ſolſtitium Æſtiuale, 462. n. 85
Aqua nunquam intereunt qui ſub Cane Sirio oriuntur, 21. n. 111
Aquilæ in Horoſcopo ſignificata, 59. n. 273
Aquilo ventus vnde dictus, 59. n. 274. eius natura, ibid.
Aranea pars ſuperior Aſtrolabij, vnde dicta, 276. n.60
Arbores odoratiores fiunt, ſi in eas Iris incubauerit, 251. n.51

Arborum,

Arborum, & Satorum quorundam mira Sympathia, atque Antipathia, Qu. 5. n. 13
Archimedis Sphæra vitrea memorabilis, 77. n. 361
Arcturus Stella informis circà crura Bootis, 61. n. 283
Cum Ioue diuitias pollicetur, 87. n. 19
Ei ſubiacet Iaſpis, 292. n. 64
Arcus vnde dicitur Argumentum, 63. n. 295
Argentei Cometæ natura, & ſignificata, 62. n. 288
ArisabiumVrbs in Aſia, cui magis proximum eſt verumOrientis punctum, 331. n. 11
Armilla militare ornamentum, quo victores è bello milites donabantur, 66. n. 302
Arietis in Horoſcopo ſignificata, 63. n. 298. & 240. n. 28
In eo iuncti malefici perniciē afferunt Ouibus 489. n. 6
Ariſtoteles maris æſtum intelligere non valens in mare ſe merſit, 35. n 178
Arithmeticæ laudes atque officia, 5. n. 4. & 64. n. 301
Angelica diſciplina, 328. n. 37
Artemiſia herba Ioui ſubeſt, 292. n. 64
Aſcones Cometæ portenta, 68. n. 315
Aſelli ſtellæ duæ in Cancro potentiſſimæ, & quare, ibid. n. 316
Eorum ſignificata in Horoſc. ibid.
Aſpectus varij Planetarum, iidemque noui, & muſicis conſonantijs comprobati, 68. n. 320. & 86. n. 15
An in Aſpectibus ſeruanda ſit latitudo, 419. n. 6
Aſpectus omnes ſunt in genere familiaritatū, 68. n. 320
Aſtra Cœli Roſæ, 125 n. 176
Aſtra omnia lumen à Sole participant, 275. n. 50
Habent tamen aliquam lucem ſibi propriam, ibid.
Quæ eſt ratio ſcintillationis in fixis, 193. n. 23
Agunt in hæc inferiora per ſolum lumen, ibid.
Non ſunt animantia, 116. n. 140
Viuunt tamen vitæ mundi vniuerſali longè inferioribus ſuperiore, 310. n. 92
Qua ratione cum ſenſu, & vegetatione careant, vitam animantibus tribuant, ibid.
An vllam actiuitatē habeant in opera artificiata, 239. n. 25
Non ſine magno conſilio, & conuenientia ipſis nomina ex fabulis attributa, 212. n. 28
Aſtledij error circa figuram ſexdecim laterum, 190. n 16
Aſtrologia in quo ab Aſtronomia differat, 70. n. 331
Ad quæ licitè ſe extendunt eius prædictiones, 71. n. 332
Quodnam ſit eius objectum, ibid.

Aſtrologicæ interrogationes fictitiæ, ac ſuperſtitioſæ, 251. n. 47
Electiones è contrà licitæ, ac naturales, 165. n. 18
Aſtronomicæ, vt vocant, Imagines an vllam ſuperſtitionem ſapiant, 237. n. 23
Athlantis Inſula in Oceanum per Terræmotum merſa, 505. n. 29
Atmoſphæra quæ dicatur, 74. n. 347
Auges ſinguli Planetarum, 78. n. 364
Aurea Regula quid. 263. n. 33
Aureus numerus quid ſit, & vndè dictus, 75. n. 356
Eius commoda, ibid.
Auroræ Cometes portenta, 76. n. 359
Ante Auroram cur tenebræ intendantur, 128. n. 188
Auges ſinguli Planetarum, 78. n. 364
Eorum mutatio, an rerum mutationes inducat, 5. n. 10
Auſter infenſiſſimus hortis, 77. n. 360
Viſum hebetat, & alia mala adducit, ibid.
Trans Æquatorem ſalutaris, & naturam Boreæ induit, & quare, ibid. & 521. n. 15. 16
Axes quot in Mundo concipiendi. 79. n. 356
Azimech nomen genericum ſtellas omnes de natura generis complectens, 80. n. 370
Azorum Inſulæ celebres ob verum Occidens in ijs ſitum, 81. n. 373.

B

Baltheus, ſeu cingulus Orionis in Horoſc. facit ingenioſum, 83. n. 3
Cum Ioue facit tempus turbidum, & obſcurum, ibid.
Beibeniæ Stellæ quæ dicantur, 84. n. 8
Bellatrix Stella in ſiniſtro Orionis humero ardentiſſima, ibid. n. 7
Mirè ad bella inclinat, ibid.
Ad Lunam directa adducit repentinum iter, ibid.
Beneuentum Ciuitas vnde dicta, 105. n. 89
Berenices Coma oculis infenſa, 84. n. 9
Beryllus gemma Cani Sidereo ſubeſt, 292. n. 64
Bicorporea ſigna geminatum fœtum præſignant, 85. n. 13
Biquintilis radius de nouo inuentus, quis, & cujus efficaciæ, ibid. n. 15
Biſſextilis annus vnde exortus, 86. n. 16
Eius Inuentor fuit Cæſar Dictator. ibid.
Quomodo in poſterum inſtituenda eius ratio ad Æquinoctij, & Solſtitiorum rationem non perturban-

dam, ibid.
Bombardarum exploſio contra turbinem vtilis, 517. n. 78
Bona fortunæ cur naturaliter ſignificet Lunaris Horoſcopus, 116. n. 42.
Boreas in Chile Regno calidus, & humidus, 87. n. 10 & 511. n. 15.
Braſtæ Terræmotus ſpecies, 502. n. 26
Brumæ tempore Origanum aridum effloreſcit, 88. n. 25
Etiam Murium iecora eo tempore augentur, ibid.
Ex Brumæ qualitate coniectatur qualitas totius Hyemis, ibid.

C

CÆcias Ventus contra naturam Ventorum ad ſe attrahit nubes, 89. n. 7
Cæſar Dictator Anni Biſſextilis inuentor, 86. n. 16
Calculis in numerando olim vtebatur Antiquitas. 2. n. 4
Carcer ſidus vnde dictum, 90. n. 12
Sub eo nati ſtatura breues ſunt, & ampli pectore, ibid.
Canariæ Inſulæ olim celebres ob primum meridianum in ipſis conſtitutum, 81. n. 373
Canis Minor cur dictus Procyon, 47. n. 224
Canis Sirius Stella fixa aliquibus Sole maior, 91. n. 14. & alibi ſæpè.
Canis Cœleſtibus cum Sole exorientibus, terreſtres aguntur in rabiem, 2.6. n. 20
Canicularis dies vnde dicti, & quo incipiant tempore, 91. n. 15
Carbones in Ædium fundamentis iniecti,eas à terræ motibus immunes reddunt, 504 n. 28
Caroli V. Sphera memorabilis, 78. n. 361
Canopus Stella in Argonaui Melitæ incipit radere horizontem, 92. n. 16
In Rhodo Inſula ſatis conſpicua, ibid.
Cantharides manu præſſe exulcerant illæſa manu, Qu. 1. n 36
Caput Meduſæ Stella funerea à D. Thoma dicta, 211. n. 27
Luminaribus violentum exitum portendit, ibid.
Caſſiopeæ noua Stella an fuerit Cometes, 94. n. 33
Moſcouiæ verticalis extitit, 96. n 36
Eius Directio vſque ad annum 1632. ibid.
Catalogus nouus Ciuitatum iam denuò fabricandus ob verum Occidens alibi quam in Canariis ſitum, 81 n. 374
Cauda Capricorni in Horoſcopo dat morum grauitatem, 97. n. 47

Cauda Ceti dat periculum ſubmerſionis, ibid. n. 49
Cauda Cygni mirè humores adauget, potiſſimè ſperma, 79. n. 366
Eſt verticalis Florentiæ Bononiæ alijſque finitimis Ciuitatibus, ibid.
CaudaLeonis dat optimum ingenium, atque honores, 97. n. 53
Ceginus ſiniſter humerus Bootis verticalis Regno Neapol. 99. n. 59
Centiloquij Author an Ptolemæus, ibid. 63
Hali ſibi contrarius de Centiloquij Authore, ibid.
Illud approbat D. Thomas, ibid. n. 64
Centrum Mundi duplex, 100. n. 65
Solis, & ſiderum Terræ, ibid. & 500. n. 23
A Centro Telluris fit dimenſio ſiderum à Mathematicis, 100. n. 65
Cepheus in Horoſcopo quid ſignificet, 101 n. 67
Ceratias Cometa apparens anno 1618. quot mala intulerit, ibid. 68
Chaſma falsò à Plinio in genere Cometarũ poſitũ. 102. n. 73
Chamæleon ſidus directè oppoſitum Vrſæ, ibid. 72
Chele cur dicantur Stellæ in lancibus libræ, ibid. n. 74
Chile Regnum Ventorum naturam habet nobis contrariam, 76. n. 360
Vbi Auſter frigidus, & ſiccus. Boreas contra calidus, & humidus, ibid.
Choreutæ cur dictæ Stellæ du e extremæ circa Polarẽ, 103. n. 81
Chriſtiani Daniæ Regis memorabile dictum, 78. n. 362
Chronocatores qui ſint, 103. n. 85.
Cicuta hominibus exitialis, Sturnis verò commodum pabulum, Qu. 1. n. 16
Cur frigiditate non interimat, non Nix, aut Glacies, 191. n. 62
Aduerſus eam præſens Antidotum Vinum, ibid.
Cingulus Orionis in Horoſcopo ingenioſos facit, 83. n. 3
Circini Geometrici Galilæi laus, 2. n. 3
Circius Ventus vnde dictus, 104. n. 89
Eius qualitates, ibid.
Circulus quid, & in quo differat ab Ellipſi, 105. n. 92
Circuli quadratura an dari poſſit, & in quo verè conſiſtat, 408. n. 9. & ſeq.
Circumſtantiæ multæ ſuperſtitioſæ reperiuntur apud aliquos in compoſitione, & vſu Vnguenti Armarij, Qu. 2. n. 1. & ſeq.
Non tamen per hoc ſpernendum, ibid.
Climata quot cõſtituerint Antiqui, quot recẽtiores, 107. n. 103

Totidem conſtituenda trans Æquatorem, 110. n. 128
Quodnam ſit. Clima cæteris temperatius, ibid. n. 129
Climaterici dies, & anni vnde exorti, 111. n. 132
Cloaca Vniuerſi Infernus, 240. n. 39
Cœlos quot conſtituerat Antiqui, quot Recentiores, 113 n. 135
Vnum conſtituendum, & eiuſdem ſubſtantiæ cum aere, 115. n. 137. 139
Eius materialis partitio ex Aſtris, 113. n. 135
Quinque Cœlorum proprietates, ibid. n. 134
An per motum vocalem ſonum edant, 115. n. 138
Eorum motus noua doctrina, 114. n. 136
An detur vllum Cœlum Anaſtron. 298. n. 75
Eius ſubſtantia tenuiſſima, & quoad omnes partes fluida, 115. n. 139
An ſit animatum, 116. n. 140. & 506. n. 87
Cœleſtium Corporum cum terreſtribus connexio & ſympathia Qu. 3. n. 4
Vitam Animantibus tribuunt, 310. n. 91
Colæ piſcis, ſeu vt alij vocāt Orbis, mira natura ſe ad ſpirantem ventum vertentis, 512. n. 18
Vnde hæc affectio oriatur, ibid.
Coluri quid ſint, & eorum munia, 117. n. 144
Combuſta via quæ dicenda, & quare, 118. n. 147
Combuſtus Planeta cur debilis, 117. n. 146
An malefici combuſti deteriores fiant, ibid. n. 147
Cometæ quid ſint, cuiuſque ſubſtantiæ, 118. n. 149
An præter aëreos dētur etiā ſiderei, 118. n. 150. p. 375. n. 59
Eorum diuiſiones, ibid.
De ijs falſa Democriti opinatio, 119. n. 152. & 376. n. 60
Comites Stellas an habeant omnes Planetæ, 440. n. 13
Conceptionis tempus indagandi an detur certa methodus, ac naturæ conformis, 515. n. 73
Congreſſus luminarium cum beneficis producit mixta, & animalia humano generi opportuna, cum maleficis aduerſantia, 267. n. 42
Conſilio Aſtris nomina ex Fabulis, & animantibus indita, 212. n. 28
Conuerſa directio, non eadem quæ directa, 121. n. 166
Reijcitur Argolus, ibid.
Qui ſignificatores per eam dirigi poſſint, ibid.
Cor Hydræ Stella venenata contrarijs qualitatibus prædita, 124. n. 171
Cor Leonis Stella Regia, 124. n. 172
Eſt tamen abſcindentis naturæ, ibid.

In Horoſcopo ſemper affert aliquam corporis diſcraſiam, ibid.
Cum luminaribus magnam fortunam adducit. ibid.
Sola inter fixas habet, & recipit aſpectus ad Planetas, 83. n. 4. & 426. n. 54.
In Corde Solis cur Planeta euadat fortis, cum alias combuſtus aut ſub radijs euadat debilis, 98. n. 58
Cor Scorpij Stella fixa Regia, ſed violenta, 124. n. 173. & 46. n. 216
Eius ſignificata in Horoſc. ibid.
Eſt directè oppoſita Pallilitio, ibid.
Coro Vento infeſtiſſima eſt Apulia, 126. n. 181
Coronæ aereæ, Quæ. 126. n. 179
Coronæ Septentrionalis in Horoſcopo ſignificata, 125. n. 176
Sidus eſt omnium nobiliſſimum, ibid.
Cœli pupilla, & flos cœleſtis cur dicta, 26. n. 151
Eſt tamen ſidus tempeſtuoſum, ibid. n 152
Corpora Planetarum, & Globi quare non concaui, ſed conuexi, 120. n. 157
Corpora Platonica, Quæ. 231. n. 8
Coſmicè Aſtra impropriè dicuntur oriri, 126. n. 183
Coſmographia, eius munus, & quomodo differt à Geographia, 127. n. 184
Crateris ſidus in Horoſcop. ſignificata, 128. n 186
Crepuſculum quid dicatur, 128. n. 187
Noua ſolis in Crepuſculis exiſtentis dirigendi metodus, ibid. n. 188
In ſpatio Crepuſculorum ſol conſtitutus ſemper vitæ moderationem obtinet, ibib.
In Norpegia ſemper Crepuſculi, ibid.
Critici dies qui, & vnde exorti, 130. n. 190
Eorum maxima ratio à Medico habenda, ibid.
Obſeruandi etiam Indicatiui, qui formantur ab aſpectibus imperfectis, ibid.
Crux ſidus Auſtralium Cynoſura, 132 n. 194
Culmen ſeu medium Cœli naturalis Actionum ſignificator, 132. n. 197
Cuſpis quæ dicatur, 133. n. 202
Cyclo vtebatur Eccleſia ante Gregorianam correctionem, 133. n. 204
Cygnus in Horoſc. quid ſignificet, 79. n. 366
In eo noua Stella apparuit anno 1600. 134. n. 209
Quæ tandem euanuit relicto quodam hiatu in loco, ibid.
Cynocephalus horarum inuentor, 221. n. 34

In luminariam coitu, nec cibum ſumit, nec videt, 46. n. 81

Cynoſura, 61. n. 282

D

DAmnatorum corpora in Inferno erunt tanquam muriatici piſces in dolio, 146. n. 39

Dæmon maxima quæque naturæ bona geſtit ſuis tricis corrumpere, aut ſuſpecta reddere, Qu. 1. n. 26

Quæ ipſe agit, & nos agere valeremus, ſi eamdem quam ipſe habet rerum notitiam haberemus, Qu. 2. n. 29

Dæmon meridianus cur dicta ſagitta ſidus, 135. n. 3

Dæmones ſecundam Aëris regionis inhabitant, & quare, 12. n. 38

Debilitatis gradus an dentur in ſignis, & qui nam ij ſint, 79. n. 367

An fictitia, ibid.

Decanorum prærogatiua, Quæ. 135. n. 7

Declinatio quid ſit, 136 n. 10

Quid commodi ex ea eliciatur, ibid.

Decubitus figura, an ad indagandum morbi progreſſum, & qualitates licitè erigatur, 136. n. 11. 12

An erigenda ſit initio morbi, an potius à puncto quo quis à morbo proſtatus tandem in lecto decumbit. ib.

Defectiones luminarium pro qualitate ſignorum in quibus incidunt, auſpicandæ, 135. n. 20

In Arietis ſigno occurentes, Arietibus, & pecudi peſtem inducunt, ibid.

Delphinus cum Planetis exoriens quid indicet, 137. n. 15

Diameter Mundi quæ dicatur, 138. n. 22

In ea eius magnetica ſe directè ad polum vertit, 81. n. 374

Dies quid. & vnde à diuerſis Nationibus computari, incipiat 140. n. 26

Dies Caniculares vnde dicti. & quo tempore incipiant, 91. n. 15

Dies Critici. vide Critici dies.

Dies vbi maiores, 107. n. 104. & ſeq.

Digiti Ecliptici quot conſtituantur in diſco Solari, quot in Lunari, 140. n. 28.

Dignitates Planetarũ alię eſſentiales, alię accidẽtales, 141. n. 30

Quæ potiores, & cur ita dicantur, ibid.

Directionis motus quis ſit, & an realis, 142. n. 35

Quomodo fiat, & quando compleatur. 143 n. 36

Directio conuerſa. vide, conuerſa directio.

Noua doctrina dirigendi ſolem in ſpatio crepuſculorum

exiſtentem, 118. n. 188
Directus Planeta cur validior quam retrogradus, aut ſtationarius, 74. n. 348. & 148. n. 42. & 417. n. 37
Diſpoſitor alicuius loci quis Planeta dicatur, 149. n. 46
Diurnus, ac Nocturnus Planeta dicitur in ordine ad qualitates actiuas, aut paſſiuas, 149. n. 49
Domicilij prærogatiua in Planetis Philoſophicè probata, 150. n. 52 & 495. n. 19
Dominus Horæ, ſeu Diepon. 139. n. 25
Dominus Nouenariæ quis, 39. n. 193
Dominus Terminorum, 20. n. 102
Dominus annuæ profectionis an ſit Aſtrologorum figmentum, 152. n. 54
Dominus Genituræ an aſtruendus. Quinam dicendus, 152. n. 55. & ſeq.
Quas prærogatiuas habere debeat, ibid.
Variæ Aſtrologorum ſententiæ, ibid.
Auctoris opinio Naturæ, & experimentis conformis, 153. n. 56
An Luminaria ab hac prærogatiua ſint excludendi, ibid. 57
An Planeta combuſtus, cadens, aut ſub Solis radijs conſtitutus, ibid.
Dominum Horæ obſeruare in rerum electionibus an ſuperſtitioſum, 155. n. 59
Domorum Cœleſtium, quoad ſitum mundi congruens naturæ diſtributio, 151. n. 53
Domum ædificare Scorpione in Horoſc. exiſtente, ipſa Scorpionum nidus euadet, 445. n. 27
Drago volens Cometæ genus, 158. n. 67
Dubia ſuperſtitioſa ne ſint an naturalia, naturalia cenſenda ſunt. Qu. 1. n. 29
In Dubijs tutior pars eligenda. Qu. 1. n. 25
Quomodo id intelligi debeat, ibid.
Duodecim ſigna ſingula ſingulis membris humanis præſunt, 453. n. 64

## E

Eclipſis quid, & vnde dicta, 161. n. 8
Eclipſis Solis à Lunari diuerſitas, ibid.
Eclipſis Solis potius dicenda Telluris Eclipſis, ibid.
Eclipſantur etiam Planetæ ſuperiores, 163. n. 7
Eclipſis Iouis anni 1648. quid orbi induxerit, ibid.
Eclipſes quid in ſingulis ſignis occurrentes portendant, ibd. & 235. n. 20

Eclipſis Solis anni 1652. in Ariete, & altera in Leone 1654. 162. n. 6
A præcedentibus Luminarium Eclipſibus Nupera Italiæ peſtilentia ortum habuit, ibid.
Eclipſes non afficiunt ea loca in quibus non apparent, ibid.
Eclipſis portentoſa quæ erit anno 1681. qua totum corpus ſolare obſcurabitur, quæ mala indicet, 141. n.19
Eclipſes non tam malorum,quam maximorum bonorum ſunt cauſæ, 163. n. 6
Eclipſæ duæ, 163. n 9
Ecneſias Ventus longè ab cæteris diuerſus, 164. n. 10
Eius deſcriptio ex Ariſtotele, ibid.
Electiones Aſtrologicæ quid, 165. n 18
An licitè fiant, ibid.
Sunt in duplici differentia, ibid.
Elementa omnia præter terram mouentur motu vniuerſitatis, 169. n. 24
Ea negat Auerſa quam benè? ibid.
Elementa Geometrica, Quæ. 170.n.25
Eleuatio ſiderum ſuper ſidera in quo conſiſtat, 170 n.26
Malè explicata à Pontano, n. 27
Variæ aliorum explicationes expenduntur, ibid. & ſeq.
Auctoris iudicium, n. 30
Eleuationis dignitas an conſiſtat in eo quod Planeta ſit eminentior ſitu in Epicyclo, 23. n. 131
Empirei magnitudo, 174. n.44
Engonaſis in Horoſcopo ſignificata, 175. n. 46
Enneatici dies Naturæ inſenſi. vide Critici dies.
Epacta quid. Eius inueniendi ratio, & quando deficiat, 176 n. 52. & ſeq.
Ephemerides, ſeu Annotationes, 23. n. 130
Equus in Horoſcopo inclinat ad Poëſim. 179. n. 63
Equicruria figura quid. vide in V Figura.
Eridani Stellæ tempeſtuoſæ, 179. n. 66
Eteſiæ Venti quo tempore in diuerſis orbis partibus ſpirent, 180. n. 69
Eurus Ventus vitibus exitialis quonam pacto huic malo occuratur, 181. n. 77
Exaltatio Planetarum in quo conſiſtat. 181. n. 79
An ſit potior iure domicilij, ibid.
Exaſteron dicuntur Pleiades, qua ratione, 183. n. 81

F

Familiaritas inter ſidera in quo conſiſtat, 185. n. 3
Eam duplex ratio contrahendi, & in Mundo, & in Zodiaco, ibid.
Inter eas conumeranda ſunt etiam Antiſcia, 186. n. 6
Omnes Aſpectus ſunt in genere familiaritatũ, 68. n. 310
Familiaritatum ſpecies ex modis muſicis auſpicantur, 186. n. 5
Fata Imperiorum, & Monarchiarum vnde, 44. n. 210
Fauonius Ventus in Luſitania an verum ſit quod Equas faciat concipere, 14. n. 48
Genitalis Mundi ſpiritus dicitur, 186. n. 7
Eſt Venationi contrarius, & quare, 533. n 5
Felices gradus, & infelices in ſignis an dentur. vide Gradus.
Felis abortus ad maſculi occiſionem vnde ſequatur, Qu 3. n 16
Feralia ſigna ſunt feris affinia, 187. n. 9
In Horoſcopo faciunt monſtra, ibid.
Feretrum Lazari quid. 510. n. 47
Fidicula Lucida Stella, excepto Sirio, omnium maxima, & potentior, 187. n. 13
Eius ſignificata in Horoſcopo, ibid.
Figura ſexdecim laterum, quæ dicatur, 188. n. 16
Alſtedij in eius explicatione palmalis error, ibid.
Figura Æquicruria fœtum mortuum excludit, aut diù viuere non permittit, 9. n 30
Explicatur in quo ea conſiſtat, ibid.
Figuræ Iſoperimentræ quæ dicantur ab Geometris- 188. n. 15
Figuræ decubitus opportunæ in morborum initijs eriguntur, 136. n. 11
In quo puncto ea erigenda ſint, ibid. n. 12
Figurarum, ac nominum ex Fabulis in Stellis fixis appinxio, quam ritè, 213. n. 29
Filix vno die florem profert, & fructum, 462. n. 85
Fines. vide Termini.
Finitor quid ſit, & quotuplex, 190. n. 18
Firmamenti nomine in ſacris paginis appellatur Aër. 191. n. 19
Quid eo nomine communiter veniat, ibid.
Firmamentum in quo fixæ conſiſtunt an ſit ſolidum, 191. n. 19
Vnde dictum. ibid.
Quanta ſit eius craſſities. ibid. n. 20
Antiqui ob motus tarditatem ipſum à primo mobili non diſtinguebant, ibid. n. 21

Qui primi eius motum peculiarem obſeruauerint, ibid.
Vitam animantibus tribuit, ibid. n. 20
Firmius Latinè m.gis,quam Philoſophicè ſcripſit, 153. n. 55
Eius ſcripta quare ab Eccleſia permiſſa, ibid.
Fixa ſigna quæ dicantur, 192. n. 22
Opportuna ad ædificandum, ibid. & 167. n. 20
Fixæ vnde dictæ Stellæ in Firmamento, 193. n. 23
An digniores Erraticis, ibid.
Habent hoc peculiare,quod ſcintillent, quod non eſt in Planetis, ibid.
Earum ſcintillandi ratio varie explicata vide ſcintillatio, 445. n. 23
Auctoris opinio, 444. n 25
Fixæ admirabiles, & repentinas dignitates afferunt,quas ſæpè calamitatibus inſigniunt, 193. n. 24
Earum magnitudo quomodo colligenda, ibid.
An omnes in eadem ſint à Tellure diſtantia, ibid.
Quomodo ſereno Cœlo dignoſci poſſint, 195. n. 26
Quot numero ſint, ibid. n. 20 & 469. n. 107
Solæ Pleiades Teleſcopio detectæ ſunt numero, 50. 195. n. 25
Num earum aliqua ſit Sole grandior, 91. n. 14. p. 194. n. 25. & 267. n. 41
Flos Cœli cur dicta ſit Lucida Coronæ Gnoſſiæ, 26. n. 151
Fluuiorum repentina exſiccatio euidens Terræ motus ſignum, 505. n. 29
Item eorumdem in contrariam partem conuerſio, ibid.
Fluxus. & Refluxus maris vnde, & quotuplex, 35. n. 178
Fœminæ abortum patiuntur in Terræ motibus, 505. n. 29
Fœminini,& Maſculini Planetæ,& ſigna an dētur,196.n.29.30
In quo conſiſtat hæc diuerſitas, ibid. & ſeq.
Fœmineus nè ſit an Maſculus fœtus in vtero clauſus quomodo præuideri poſſit, 197. n. 31
Fœmineus Planeta num aliquando dicendus ſit Mars, 281. n. 23. & 196. n. 29
Fœtus vtero excluſus quando incipiat Cœlorum influxibus ſubijci, 30. n. 164
Fomahand Stella in exitu Aquarij dat nominis immotralitatem, 197. n. 32
Formicæ Luna ſilente Otioſæ, 452. n. 63
Fortunæ quare dicantur Venus, & Iupiter, 197. n. 33
Fortunæ pars quare dicatur Horoſcopus Lunaris, 198. n 34. & 226. n. 41
An,& quomodo ſit naturalis bonorum fortunæ ſignifica-

trix, ibid.
Error communis Aſtrologorum eam in partibus Zodiaci computandi, 199. n. 34.
Non ea in Zodiaco, ſed in ſitu Mundi conſtituenda, ib.
Debet vnico naturali die aſpectus omnes ad Lunam, & alios occurſantes habere, quod, ſi in Zodiaco conſtitueretur, obtinere non poſſet, ibid.
Vera eam in ſuo ſitu reali conſtituendi ratio, ac metodus, ibid n. 35
Veteribus etiam nota, ibid.
Noua eam dirigendi metodus, 201. n. 38. & ſeq.
Quomodo in Zodiaco locus definiatur, ibid. n. 39
Fouea Planetarum cur dictum ſit imum Cœli, 202. n. 42
Fridariæ quæ, & quotuplex, 202. n. 44
Frigus intenſior ſub Aurora, quouis anni tempore, quam in cæteris noctis vigilijs, 150. n. 189
Fulgura rara in hyeme prætetquam in Campania, 229. n. 50
Funerea Stella, ac Naturæ maximè infenſa eſt potiſſima in Gorgonis Capite, 211. n. 27.

G

GAlaxia quid ſit, 304. n. 4
De ea Philoſophi, & Antiquorum error. ibid.
Eſt minutarum Stellarum congeries, ibid. & ſeq.
Nouorum Phænomatum in Cœlo apparentium ſubiectum, & ſeminarium, 377. n. 61
Gallinæ quomodo futurum Terræ motum indicent. 504 n. 27
Gaudium Planetarum quot modis accipiatur, 205. n. 9. & 10
Eius ratio ex Philoſophiæ principijs eruta, ibid.
Gemelli à bicorporibus ſignis originem habent, 85. n. 13
Genethliacum Thema erigere an, & quouſque ſit licitum, 207. n. 12
Quid ex eo naturaliter coniectari poſſit, ibid. n. 13
Ad quod temporis momentum erigi debeat. ibid. n. 14
Geodæſia quid. & in quo à Geometria differat, 209. n. 19
Geometriæ laudes, ibid. n. 21
Gibboſi naſcuntur, qui habent Lunam in Nodis cum maleficis, 93. n. 23
Globus in quo differat à Sphera & Orbe, 341. n. 34
Gorgonis Caput. ac Stellæ in eo funereæ ex D. Thoma. 211. n. 29. & ſeq.
Eſt verticalis Regno Neapolis, vt olim Greciæ. ibid.
Quot malorum auctor extiterit, ibid.
Quæ longe ante Argolus prænuntiauit, ibid.
Vide in V. Meduſa.

Gradus apud Aſtronomos quid. 213. n. 29
Iidem proportionaliter, ac Geometricè in terra conſiderati, ibid.
Quot milliaria in terra ſinguli comprehendant. ibid.
Diuerſa eorum denominatio, ibid. n. 30
An, & quinam reales ſint, ibid.
Eorum aliqua ratio elucet ex Stellis fixis in ijs conſtitutis, ibid.
Iam nunc vel ex eo euadunt erroribus multis obnoxij, ibid.
Felicium, & Infelicium ſubtilis ratio ex Cardano, ibid.
Gradus contermini finibus beneficarum felices, maleficarum verò infelices; ibid.
Gradus intermedij ſignorum fixorum infelices, & quare ibi debilis ad modum euadit Aphera, 80. n. 379
Tabula Graduum augenrium fortunam, 215. n. 32
Lucidorum, & Tenebroſorum. n. 33. Putealium, n. 35
Vacuorum, & Plenorum. n. 36. & Debilitatis, 79. n. 367
H
HAlon quid memorabilis viſus tempore Auguſti. 217. n. 3:4.
*Hædi* Stellulæ in Auriga tempeſtuoſæ, 218. n. 11
Eorum ſignificata in Horoſcopo, ibid.
Hircus Stella Nautis infeſta, 221. n 25
Quid in Horoſcopo indicet, ibid.
Quibus locis ſit verticalis, ibid.
Hiſtoria memorabilis de Naſo adſcititio, Qu. 3. n. 16
De muliere ſolo attactu podagram concipiente, ibid. n. 22
Cuiuſdam Medici ſolis pulueribus ex humano corpore compatatis omnes morbos curantis, ibid. n. 26
Pediculorum ſub linea Occidentis morienrium, 82. n. 374
Homines euiter ni forent, & immortales ſi ab Albo Planetarum eraderenrur Mars, & Saturnus, 440. n. 15
Hora quid, & vnde dicta, 222. n. 34
Horarum inuentio, & diſtributio ex Cynocephalo, ibid.
Earum diuerſitas, ibid. & ſeq.
Horæ inæquales ſeu Planetariæ, Quæ. ibid.
Quomodo ſingulis diebus extrahi poſſint, 139. n. 25
Horæ opportunitarem in rebus agendis contemnere, eſt potius arbitrij præcipitatio, quam libertas. vide in V. Diepon.
Horaria tempora Planerarum Latirudinem habentium, quomodo facile extrahantur, 223. n. 35
Horizontis officia, 225. n. 38

Horologia Solaria abſque Gnomone, 443. n. 53
Horoſcopus quomodo ſit naturalis vitæ ſignificator, 325. n. 40
Humana ſigna cum natura humana conſenſum, & Sympathiam habent, 227. n. 44
In ijs Luminarium defectiones, aut maleficorum coïtus incidentes peſtilentiam, aliaque mala hominibus portendunt, ibid.
Probatur id nupera Italiæ experientia. ibid.
Humani Corporis mira conſenſio, & ſimetria, 473. n. 121
Eiuſdem cum cœleſtibus ordo, ibid.
Humidi radicalis auctrix, & fatrix Luna, 207. n. 12. & p. 270. n. 47
Hyades Stellæ pluuioſæ, 227. n. 46
Earum ſignificata in Horoſcopo, ibid.
Hybernia à Terræmotus libera, 503. n. 26
Hydrargiri miræ qualitates, 291. n. 62
Hydræ Stellæ Venenoſæ, 228. n. 47
Hyemale Solſtitium cur ferè ſemper ſerenum, 462. n. 85
Hyems quæ apud Veteres, quæ nunc, 228. n. 50
Sub Polis continua, ibid.
Sub Æquatore duplex, ibid.
Fulgura rara in Hyeme, præterquam in Campania. ibid.

## I

IAſpis gemma Arcturo ſubeſt, 262. n. 64
Ex occulta qualitate habet ſanguinem ſiſtere, ibid. & Qu. 1. n. 35
Icoſaëdrum vnum ex quinque generibus corporum regularium, 230. n. 8
Dicuntur etiam ab aliquibus Corpora Platonica, 231. n. 8
Ignis nè fæcundus, an ſterilis, 231. n. 10
An detur Sphæra ignis in concauo Lunæ, ibid. n. 11
Num ſit oualis, an Sphærica, n. 12
Argoli rationes ignis Sphæram poſt Aëris regionem conſtituendam, de medio tollentis inefficaces, ibid. n. 11
Num ſit vitalis, n. 14
Num in Inferno ſit tanquam in propria Sphæra, n. 13. & 247 n. 40
Ignis caſtitatis ſymbolum, 231. n. 10
Ignis fatuus, ibid. n. 15
Cur fugientes inſequatur, inſequentes fugiat, ibid.
Ignis lambens, & eius miræ conditiones, ibid. n. 16
Ignis in Inferno an Lumine, & cæteris qualitatibus ignis elementaris ſit præditus, 247. n. 40

Ignis inter omnia agentia naturalia maxime actiuus. Qu. 1. n. 30
Imaginatiuæ vis in rebus timorem incutientibus, Qu. 3. n. 5
Imagines Aſtronomicæ an licitæ, 237. n. 23
Quonam pacto ijs tutò, ac ſine ſcrupulo vti poſſimus, ib.
Imagines Cœleſtes inſtituendi quæ ratio, 234. n. 19
Cur è fabulis potiſſimum excerptæ, ibid.
Cur tanta earum diuerſitas, ibid. n. 20
Cur in vna plures, & diſparatæ, ibid.
Melius nunc cognita plenè Stellarum natura inſtitui poſſent, 333. n. 20
Schillerius eaſdem in Diuorum Imagines piè commutauit, quæ recenſentur, 236. n. 20. & 334. n. 21
An non ita appoſitè, & cum plauſu, ibid.
Imagines Cœleſtes an occultam Philoſophiam contineant, 236. n. 20
In magna Aula Patauina depictæ, 237. n. 22
An in primo mobili vllæ ſint Imagines, & characteres, ibid. & 294. n. 69
Imperiorum, & Monarchiarum fata vnde ſint, 44. n. 210
Imum Cœli cur Fouea ab Aſtronomis appelletur, 202. n. 42
Incidentiæ ſcrupula in Eclipſibus, quid ſint, 162. n. 5
Inconiuncta ſigna ſunt cauſa Antipathiæ rerum in hiſce inferioribus, 242. n. 32
Indictio quid ſit, & vnde dicta, 245. n. 37
Quomodo ſingulis annis competens facilè inueniatur, ibid.
Indorum vanitas circa Horas coniunctionis Planetarum, 17. n. 79
Inferiora iſta à ſuperioribus tanquam à cauſis vniuerſalibus reguntur, Qu. 2. n. 13
Infernus vnde dictus, 246. n. 39
Ex eo verus ſiderum locus obſeruari poſſet, ni Telluris obſtaret craſſities, ibid.
Quanta ſit eius amplitudo, ibid.
Tria in ſe continet receptacula, ibid.
Quantum ſingula diſtent à ſuperficie terræ, ibid.
An in eo verus ignis corporeus exiſtat, ibid. n. 40
An eiuſdem rationis cum noſtro, ibid.
An ſit lumine, alijſque qualitatibus ignis elementaris præditus, ibid. n. 41
Quomodo torqueat Dæmones, & animas ſeparatas, ibid.
Quare ignis Inferni ſit noſtro longè velocior, ibid.
An montes Igniuomi ſint Inferni ſpiracula, è quibus

naturaliter euaporet Ignis, ibid. n. 40
Hiſtoria de quadam horriſona Voragine in Turingia, n. 41
De Puteo Sancti Patricij in Hybernia, ibid.
Cur Deus hæc Inferni oſtia pluribus, ac diuerſis in locis apparuerit, ibid.
Ingreſſus Planetarum quid ſint. n.150. n. 44
Valent ad actuandos effectus in radice præordinatos, ibid.
Duplices alij actiui, alij paſſiui, ibid.
Inſtans Natiuitatis elicere quam difficile, 207. n. 12. & ſeq.
Quomodo artificiosè indagari poſſit, 30. n. 164. & ſeq.
Quodnam dicendum ſit verum inſtans Natiuitatis, 208. n. 14
Inſtrumentum Gnonomicum, 39. n. 187
Inter lunium quantum temporis amplectatur, 250. n. 46
Inter lunij tempore ſi ſata ſerantur non ſunt vermiculis obnoxia, ibid.
Formicæ eo tempore otioſæ 451. n. 63
Interrogationes Aſtrologicæ an licitæ, 251. n. 47
Iris quid ſit, 251. n. 49
Formatur tam à Solæ quam à Luna, ibid.
Nunquam conſpicua in Meridie, niſi in hyeme, & quare, ibid.
Eius præſagia, ibid. n. 50
Eſt ſerenitatis prænuntia, & quidē naturaliter. ibid. n. 51
Cur manè pluuiam, veſperè ſerenum indicet, ibid.
Si in Arbores incubauerit eas odoratiores facit, ibid.
Iris Lunæ in quo à Solari differat, n. 49
Eſt Chriſti Domini humanitatis ſymbolum, n. 52
Iuglandis Vmbra cur dormientibus obſit. Qu. 1. n. 16.
Iugularum nomine quæ Stellæ veniant, 254. n. 60
Iupiter vnde dictus, 254. 65. eius natura, ibid.
In Pharmacis ſumendis non eſt adeò idoneus, & quare, 167. n. 20
Eius aſtrum duabus Zonis conſpicuum, 255. n. 65
Habet ſuos ſtipatores, ibid. 284. n. 31
Iouis mira obſcuratio anno 1648. 183. n. 7
Quid portendat. ibid.

L

LAc in ignem emulſum mammas ſteriles reddit, Qu. 1. n. 16
Lacus quidam cur ſalſedine præditi, 56. n. 264
Cæteri, etſi vaſtiſſimi, qua de re non ſint ſalſi, ibid n. 265

Laelaps

Laelaps Ventus. 157. n.3
Lapides pretioſi vnde propriam virtutem, 292. n. 64
Lapidum pluuia ex Turbine, 517. n. 78
Latitudo quot modis accipiatur, 258. n. 13. & ſeq.
An eius ratio habenda in directionibus, p. 113. n. 36
An in Aſpectibus, p. 419. n. 6
Lazari Feretrum quid. p. 530. n. 47
Leones Febre laborant, Sole eiuſdem nominis ſignum ingreſſo, 260 n. 16. & p. 236. n. 21
Sole in Leone exiſtente potiones ſumere, aut ſanguinem mittere malum, ibid.
Imago Leonis in Auro contra Cardiacam, p. 237. n. 23
Veſtes non ſub Leone ſcindendæ, aut tondendæ. p. 239 n. 25
Eius rei conueniens ratio. ibid.
Cauda Leonis in Horoſcopo dat ingenium atque honores ampliſſimos, p. 97 n. 53
Cor Leonis, vide Baſiliſcus, Regulus.
Lepus in Horoſcopo facit hominem miræ agilitatis, p. 260 n. 18.
Libra qualeſignum, p. 261. n. 24
Sub Libra nati, an mortis ſuæ cauſa ſint. p. 533. n. 6
Ratio Pontani expenditur, & rejicitur. ibid.
Cum libra olim Scorpij ſidus confundebatur, p. 83. n. 376
Limbus SS. Patrum, & Puerorum vide, Infernus, & Sinus Abrahæ.
Linea quid ſit apud Geometros, p. 262. n. 38
Linea incidentiæ, p. 162. n. 3
Linea Fiduciæ, ſeu Dioptra, p. 142 n. 33
Lippitudo oculorum ex luminarium congreſſu cum ſtellis nebuloſis. p. 84. n. 9
Liquor è Cœlo manans. Vide, Manna.
Locus verus partis Fortunæ, p. 199. n. 35.
Logiſtica quid ſit, p. 264. n. 34
Longitudo apud Aſtronomos quotuplex, p. 265. n. 35
A Longitudine auſpicatur Orientalitas, & Occidentalitas locorum 16. idem n. 36. & ſeq.
Ludorum Olympicorum Auctor quis fuerit. Vide Olympiades.
Lumen eſt præcipuum ſiderum inſtrumentum, p. 265. n. 38
In ſingulis Planetis proprium, ibid.
An ſidera agant per luminis intenſionem, vel extenſionem, ibid. n. 39
An per veram, vel apparentem, ibid.

Eorum luminis intenſio, & extenſio cauſat actiuas, & paſſiuas qualitates in inferioribus, ibid.
Vide, Lux
Luminaria quæ dicantur, p. 267. n. 41
An per acceſſum, & receſſum ſint cauſa ortus, & interitus rerum, ibid. n. 40
Sunt cauſæ rerum vniuerſales & æquiuocæ, ibid. n. 42
Cum diuerſis Planetis congredientia diuerſi generis mixta, & animalia producunt, ibid.
Quæ Luminarium defectiones peſtilentiam, & alia mala adducant, ibid.
Quam benè D. Dionyſius Areopagita, ex miro illo, ac formidabili luminarium defectu in Chriſti morte, mundi defectionem arguerit, ibid.
Luminaribus ſi fortior, & ſupra ipſa Planeta eleuetur Satellitium Planeta cedet, p. 440. n. 13
Luna vnde dicta. Eius encomia ex S. Ambroſio, p. 268 n. 44
Efficacia ipſius in hæc inferiora, ibid. & p. 470. n. 113
Agit per lucis extenſionem, ibid.
Præeſt Pituitæ, & humido radicali, ibid. & 207. n. 12
Rorem affluenter adducit, 84 n. 53
Cum primum apparet illuminatur ex terræ reflexione, p. 269. n. 45
Triplex Menſis Lunæ. Periodicus, Synodicus, & apparitionis, p. 268. n. 44
Eius diameter quanta, p. 270. n. 47
Quid ſint in eius diſco maculæ, p. 269. n. 45
Lunæ ſtationes quæ, p. 271. n. 48
Phaſes quæ, ibid.
An ſit locus habitationi congruus, p. 270. n 46
An in eius ſuperficie conſtituenda ſit Paradiſus Terreſtris, ibid. & p. 355. n. 9. & ſeq. per totum.
An ibi Henochi, & Elias, ibid.
Si quis in Luna conſtitueretur ea omnia videret in ſuperficie terræ, quæ nos in Luna conſpicimus, p. 161 n. 2.
Lunæ Eclipſis, Vide Eclipſis,
In Lunari Eclipſi Cycloſæpè deceptus, p. 218. n. 9
Lunaria herba Lunæ mutationes ſeruat, qu 1. n 20
Luſitani ob Aeris diuerſitatem in India diù viuere nequeunt, niſi eò pergant adoleſcentes, p. 111. n 131
Luſtrum quid ſit, p. 245. n 37
Lux quid ſit, & in quo à Lumine differat, p. 275. n. 50
Quibus corporibus competat lux, quibus lumen, ibid.

Lyra ſidus, quid cum Planetis præſtet in Aeris mutationibus, p. 275. n. 53
Eius in Horoſcopo ſignificata, ibid. & p. 187. n. 13
Eſt Italiæ verticalis, ibid.
Eſt maioribus fixis maior, excepto Sirio, ibid.

M

MAcelenti quare vt plurimum in maris receſſu moriuntur, p. 37. n. 180
Maculæ in diſco Lunari quid ſint, p. 269. n. 45
Quid in Sole, p. 459. n. 78
Maculæ in Linteis ex Arborum fructibus contractæ, non detergnatur niſi ad foliorum ex ipſis deciſionem, q. 1 n. 18
Magia quid ſit, & vnde dicta, p. 276. n. 1
Ab Arabibus deprauata, ibid.
Naturalis ex Medicina, Aſtrologia, & Religione coaleſcit, ibid.
Magiſtralis ventus vnde dictus, p. 88. n. 11. & p. 276. n. 2
Magnetica vulnerum curatio, in digreſſ. ad V. Sympat. per totum,
Ea non eſt ſupra Naturæ vires, qu. 1. n. 23
Magneticæ curationis excellentia, qu. 3. n. 18
Magnetica curatio fit à Natura immediatè per aliquid excitata, qu. 3. n. 13
Magorum ſtella an fuerit Cometa, p. 95. n. 34
An eadem quæ in Caſſiopea viſa eſt anno 1572. ibid. & p. 375. n. 53
Mala Fortuna, p. 256 n. 2
Maleficarum coniunctio in ſigno humano peſtem indicat, p. 227. n. 44
Maleuentum cur olim appellata fuerit Vrbs Beneuentum, p. 277. n. 3. & p. 105. n. 90
Malus Genius, p. 88. n. 2
Manna quid ſit, p. 434. n. 54. & ſeq.
In Calabria lectiſſimum, ibid. eius productio. ibid.
Manna Iſraëliticum an fuerit eiuſdem rationis cum noſtro, ibid. & p. 277. n. 8
Mare cur non redundet ad tantam Fluuiorum acceſſionem, p. 56. n. 264.
Margaritas cur ſoluat acetum, non aqua fortis, qu. 1. n. 36
Martis Planetæ qualitates, p. 279. n. 17
Effœminatus, ibid. & p. 196. n. 29
In Perigeo ſub Sole fit, & magnum æſtum facit, p. 279 n. 18
Suas habet Phaſes vt Luna, ibid.

Aliquando pro Venere acceptus, p. 525. n. 23
Tycho in eius obſeruatione fatiſcens, ibid.
An ſuos Stipatores habeat, vt Saturnus, & Iupiter, p. 279. n. 19
Eſt in fortuna minor & quare, p. 280. n. 20
Mars, & Saturnus ſi in Cœlo non eſſent, homines immortales forent, p. 440. n. 15
Maſculini, & Fœminini ratio in Planetis, & ſignis Philoſophicè probata, p. 280. n. 22. & ſeq.
Mathematica vnde dicta, p. 282. n. 27
Eius diuiſiones, ibid.
Medicamenta vulgaria ſunt ad inſtar Lixirij, quæ naturam purgant quidem, ſed ſimul eneruant, qu. 3. n. 10
Non ſic extracta, & alia ſublimiora, ibid.
Medicamentum non eſt abſolutè relinquendum, eo quod ſuperſtitioſis circumſtantijs implicetur, ſi modò aliàs naturalem vim ad curandum habeat, qu. 2. n. 19
Medicæ ſtellæ quæ, & vnde denominatæ, p. 284. n. 31. & p. 255. n. 64
Medicus Naturæ ſub famulatur, qu. 3. n. 10
Semper Ephemeridas præ manibus habere debet, p. 130. n. 191
Meduſæ Caput ſtella pernicioſiſſima, verticalis olim Græciæ, nunc Regno Neapolitano, p. 21. n. 108
Mel præcipuus ſiderum fructus, p. 285. n. 36. & p. 435. n. 55
Sub Cane Sirio ſalutaris, ibid.
Menſium, & Signorum ſympathia, & Antipatia, p. 245. n. 36
Mercurius Planeta omnium minimus, p. 285. n. 40
Eſt naturæ promiſcuæ, ibid.
Quæ de eo circumferuntur minus certa ſunt, quàm quæ de Planetis reliquis, & quare, ibid. n. 41
In domo Saturni profundam dat rerum intelligentiam, ibid. n. 40
Motor ventorum, p. 520. n. 13
Meridiani quot in Cœlo concipiendi, p. 286. n. 42
Primus vbi conſtituendus, ibid. & p. 75. n. 365
Meteora ſunt ſiderum fructus, p. 288. n. 50
Sunt mixta imperfecta, ibid. n. 51
Miles Cometa, quid ſua apparitione portendat, p. 289. n. 56
Milliaria quot comprehendant ſinguli gradus in æquatore, p. 213. n. 29
Minutum quid apud Aſtronomos, p. 289. n. 57

Mixta quæ dicantur, p. 290. n. 60
Num eorum mixtæ qualitates purè Elementares ſint, an verò ex cœleſtibus deriuatæ, ibid. n. 33
Mixta quædam occulta quadam qualitate operantur, quæ longè Elementaribus præſtat, q. 1. n. 32
Quare ſola mixta perfecta ſint congrua alimenta viuentium, p. 290. n. 60
Mobilia ſigna quæ, & vnde dicantur. p. 292. n. 65
Sunt omnis mutabilitatis origines, ibid.
Moderatores rerum qui ſint dicendi ibid. n. 66
Se habent vt ſubjectum paſſibile reſpectu Aſtrorum, ibid.
Significant genera rerum, ibid.
An quinque tantum ſint aſſignandi, ibid. & ſeq.
Momentum Natiuitatis quodnam dicendum, p. 108. n. 143
Monſtra Bicorporea, Gemelli naſcuntur ſub ſignis communibus, p. 120. n. 154
Montes igniuomi an ſint inferni ſpiracula, p. 249 n. 41
Montium prominentiæ in Telluris globo perinde ac tuberculi in Aurantij pomo, p. 55. n. 162
Morbi difficile curantur ſub Procyone, p. 21. n. 109
Morbum comitialem pellit per ſympathiæ vim Alcis vngula, qu. 3. n. 19
Moræ dimidiæ ſcrupula in Eclipſibus, quæ dicantur, p. 162 n. 5
Motus Cœlorum quotuplex, p. 298. n 74. & ſeq.
An motus Cœlorum ſit cauſa efficiens productionis rerum, p. 297. n. 72
Vtrum ſit cauſa caloris in ſublunaribus, ibid n. 75
An ſit Armonicus, p. 115. n. 138
Motus Diurnus Planetarum ſpiralis, p. 466. n. 98
Motus Cœlorum eſt ſicut motus cordis in animali, p. 310. n. 91
Octo genera motus terræmoti. p. 502. n. 26
Mundi nomine propriè quid veniat, p. 302. n. 81
An eo perfectior, & perfectior creari poſſit, p. 303 n. 83
Quo tempore creatus ſit. ibid. n. 84
An potuerit eſſe ab æterno, ibid.
Vnde euidenter probetur eius initium, & deſitio, p. 4.8 n. 21
Quantum ſit duraturus, p. 304. n. 85
An ſit animatus, ibid. n. 86
An habeat ſaltem propriam formam ſubſtantialem, ibid.

Mundi Natalis Thema, ibid. n. 83. & p. 43. n. 204
Mundus Vniuerſus nobiliſſima vita præditus, p. 3⁓8 n. 89
Mundus Archetypus Deus, p 303. n. 83
Mures naturali inſtinctu incumbentes terræ præſentiunt, p. 5⁓4. n. 27
Eorum iecora augentur in Bruma, p. 88. n. 25
Muſicæ vis in affectibus concitandis, p. 313. n. 100
Mutilata ſigna quæ, & vnde dicantur. p. 315. n. 105
N
NAtale ſolum cunctis animantibus dulcius, atque accommodatius, p. 30 n. 164
Nati, ſub Cane ſirio exoriente, aqua nunquam intereunt, p. 21. n. 111
Natiuitatis Thema erigere, & inde hominis affectiones, & accidentia auſpicare, an, & quouſque ſit licitum, p. 207 n. 12. & ſeq.
Natiuitatis Thema erigendi modus ex D. Thoma, p. 30. n. 164
Natura omnis repatitur Cane Sirio exoriente, p. 21. n. 111
Naturæ nomine quid veniat, p. 316. n. 7
Quî diſtinguatur ab arte, ibid.
Quonam pacto eius opera excitari poſſint, coadiuuari, aut etiam præuerti, p. 318. n. 8
Natura Morborum vnica medicatrix, qu. 3. n. 10
Natura Arte ſuffulta breui tempore perficere poteſt quod ſe ſola longum tempus exquirit, qu. 1. n. 24.
Naturæ Arcana admirari potius nobis datum eſt, quam comprehendere, qu 2. n. 25
In Natura dantur diuerſi generis Sympathiæ, p. 476 n. 116
Naturalium rerum virtutes non omnes nobis compertæ, qu. 1. n. 38
Nauigatio cur citius in Occidentem, quam in Orientem fiat, p. 56. n. 267
Contra Helenæ ſidus nauigantibus perniciosiſſimum, ridiculum Solini remedium, p. 233. n. 17
Neapolitanum Regnum terræ motibus obnoxium, p. 503 n. 26
Nebuloſæ ſtellæ quæ dicantur, p. 319. n. 13
Cum luminaribus oculorum vitia adducunt, ibid & p. 230. n. 1.
Nigræ Cometæ ſignificata, p. 320. n. 21
Noctis variæ diuiſiones, p. 327. n. 35

Nodi Lunares cum Luminaribus giboſos faciunt, & deformes, p. 325. n. 27
Nomina ſtellis fixis appoſita, quam appoſitè, p. 194. n. 25 & p. 235. n. 19. p. 212. n 28
Nona domus naturalis itinerum, ac ſtudiorum ſignificatrix, p. 50. n. 56
Quomodo ad Religionem inclinet, ibid.
Nona domus cœli cadens nobilior eſt cæteris domibus, præter angulos, p. 89. n. 5
In Noruegia continui ſunt crepuſculi, p. 129 n. 189
Notarum Arithmeticarum mirum inuentum, ac proportio, p. 3. n. 4
Notoria ars infamis, & apertè ſuperſtitioſa, p. 296 n 70
Notus Ventus vnde dictus, p. 326. n 30
Si diu flauerit peſtilentiam adducet, & quonam pacto, ibid.
Nouenariæ Planetarum fictitiæ, p. 39. n. 193
Nouilunij præciſum tempus, qua arte obſeruare poſſimus, p. 327. n 33
Quomodo per Epactam inueniatur, ibid. n 34
Nubecula Sereno Cœlo in longum protenſa, terræ motus ſignum, p. 504. n. 27
Numerales calculi antiquitus, pro numeris adhiberi ſoliti, p. 2. n. 4
Numerica proportio, p. 263. n. 35
Numerus Arithmeticæ objectum. p. 318. n. 37
Olim ad centum millia tantum pertingebat, ibid.
Angelica diſciplina, ibid. n. 37
Numerus aureus, Vide Aureus Numerus,

O

Obeſi decumbentes in Maris acceſſu vt plurimum moriuntur, p. 37. n. 180
In Oceano Mari ſex motus diuerſi, p. 56. n. 266
Occidens ex Antiquis vbi conſtituitur, p. 330. n. 11
Vbi verius nunc temporis conſtituendus, p. 81. n. 373 & p. 287. n. 44
Cur citius in Occidentem, quam in Orientem fiat nauigatio, p. 56. n. 267
Occurſantes qui dicantur apud Aſtronomos, p. 311. n 14
Ab eis duplex in illis virtus conſideratur, ibid n 15
Octaua, & Duodecima Cœli Domus, cur ineptæ, & mali ominis habeantur, p. 177. n. 55
Octaua Sphæra quæ ſit. p. 323. n. 19
Eius imaginum diſtributio, ibid.

Melius oppidò inſtitui poſſet, ibid. n. 26
Octi meſtris partus cur non ſuperuiuat, p. 241. n. 34. & ſeq
Oppoſitio an ſit ſemper radius Hoſtilis, p. 340. n. 32
Optima quæque ſunt magis corruptioni obnoxia, qu. 1. n. 19
Orbis in quo defferat à Globo, & à Sphæra, p. 341. n. 34
Singulorum Planetarum orbes, ibid. n. 35
Orbis piſcis mira natura, quæ ſe ad ſpirantem ventum conuertit vel mortuus, & vndè hæc affectio oriatur, p. 513. n. 18. & ſeq.
Origanum aridum appenſum, in Brumâ cur refloreſcat, p. 88 n. 25
Orion ſidus tempeſtuoſum, p. 343. n. 42
In Horoſcopo quid ſignificet, ibid.
Oſtenſorum quæ in ſublimi aere videntur tria genera, p. 119 n. 152
Quid ſingula portendant, ibid. & in V. Pſeudoſtella,
Olympiades vnde, p. 337. n. 26. & ſeq.

P

PAlilitium cur dicta ſit ſtella in oculo auſtrali Tauri conſtituta, p. 345. n. 1
Paracelſus vnguenti Armarij primus inuentor, qu. 2. n. 5
Ante ipſum tamen apud Antiquos aliqua eius notitia habita, ibid.
Paracelſus à maledictis vindicatus, ibid. n. 27. & ſeq.
Paradiſus Terreſtris an modò extet, & vbi conſtituatur, p. 270 n. 46. & ſeq. & p. 346. n. 4. & ſeq.
Parados quid ſit, p. 53. n. 248
Parallaxis quid ſit, p. 360. n. 15
Quæ ſidera Parallaxim habeant, ibid. n. 16
Paralleli declinationis qui ſint, & quantæ efficaciæ, p. 361 n. 17. & p. 48. n. 217
Paralleli Coſmici, ſiue in mundo ad inſtar Antiſciorum nuper inuenti, non minoris potentiæ. p. 363. n. 18 & ſeq.
Item Paralleli Aſcenſionales, quorum ratio, & vis explicatur, p. 362. n. 18
Parelia cur ſigna ſint imminentis pluuiæ, p. 367. n. 25
Pars Fortunæ, Vide Fortuna, & in V. Lunaris Horoſc.
Eius noua, & ſubtilis conſideratio, ibid.
Partes Arabum an admittendæ, p. 367. n 29. & p. 201 n. 41.
Partus Maſculinus, & Fœmininus, an, & qua ratione præuideri poſſit, p. 197. n. 30
Partus Septimeſtris, cur ſuperuiuat, nunquam tamen

octimeſtris, p. 241. n. 34. & ſeq.
Patauij in Magna Aula Monomæriæ depictæ, p. 237. n. 22
Sancti Patritij puteus admirabilis in Hybernia, p. 249. n. 48
Pauones quomodo futurum terræ motum indicent, p. 504 n. 27
Pediculorum Hiſtoria ſub linea Occidentis morientium, p. 81. n. 374
Pegaſus in Horoſcopo facit Poëtam, p. 179. n. 63
Perihelium punctum quid, p. 52. n. 239
Perigæa Planetarum, ſicut & Apogæa non ſemper fixa, p. 53 n. 250
Periſcij, & Periœci populi qui dicantur, p. 370. n. 41. & 45
Perſei ſideris in Horoſcopo ſignificata, p. 372. n. 47
Perticæ Cometæ apparentis portenta, p. 374. n. 50
Peſtilentia naturaliter ſequitur terræ motum, p. 503. n. 26
Phalangij Apuli, ſeu tarantulæ mira natura, qu. 3. n. 8
Eius variæ affectiones, & ictorum ab eo ad certos ſonos, ac ſaltus propenſio explicantur, ibid. & ſeq.
Phœnice cur dicta Polaris ſtella, p. 374. n. 56. & p. 27 n. 154
Phœnomena liber à quibus è Græco in Latinum tranſlatus, p. 60. n. 277
Phœnomena ſæpiùs in Cœlo viſa cuius ſubſtantiæ, p. 375 n. 59
Singulis bis mille annis inſigne aliquod Phœnomenum apparere ſolitum, p. 96. n. 36
Piſcium ſigni in Horoſcopo ſignificata, p. 379. n. 76
Piſces multi pulmone præditi, p. 525. n. 19
Piſcis Orbis mira affectio, qua ſe ad ſpirantem ventum conuertit, ibid. n. 18
Vnde hæc affectio, vel in mortuo oriatur, ibid.
Kircheri ſpeculatio rejicitur, ibid.
Auctoris ſententia, ibid.
Piſcibus vniuerſis Ventus nimium importunus, ibid. n. 19
Pithetes Cometæ genus, p. 379. n. 81
Planeta quando dicatur Poſthetes, p. 52. n. 241
Planeta in Genethliacis vitæ rationem inhiens, p. 51 n. 238
Quas conditiones habere debeat, ibid.
Planeta combuſtus cur debilis, p. 117. n. 146
An malefici combuſti deteriores fiant, ibid.
Planetæ quæ ſtellæ dicantur, p. 379. n. 82
Planetæ ſe mutuò reſpicientes contrahunt familiarita-

tem, p. 85. n. 15
Plantæ multæ ad aliquarum viciniam læduntur, ad aliarum oblectantur, & viuidius efflorefcunt, qu. 3. n. 13
Plantæ, quibus iris incubauerit, odoratiores redduntur, p. 251. n. 51
Platonica corpora quæ, p. 131. n. 8
Pleiades ſtellæ vndè dictæ, p. 58. n. 89
Quot numero ſint, p. 183. n. 81
Earum in Horoſcopo ſignificata, p. 381. n. 89
In Pleniiunio Luna ſupra Horizontem cum Sole ſæpiùs viſa, p. 424. n. 25
Eius rei ratio, ibid. n 26
Pluuiæ iuges in Æſtate mira naturæ prouidentia ſub Zona torrida habitantibus opportunæ, p. 537. n. 14
Pluuijs Ver cur ſemper infeſtum, p. 526. n. 24
Polaris ſtella cur Phœnice dicta, p. 374. n. 56. & p. 27 n. 154
Olim Nautarum directrix, ibid.
Nunc temporis non diſtat à Polo Mundi pluſquam tribus gradibus, ibid.
Num aliquando accidat, vt in Polum ipſum coincidat, p. 27. n. 155
Sub Polis nunquam tenebræ, p. 129. n. 158. & p. 536 n 12
Sub Polaribus Regionibus, an eadem ſit aëris amænitas, quam in noſtris, ibid.
Plinij aſſertum rejicitur, ibid.
Eſt tamen ibi tolerandum frigus, ibid.
Pontanus, Poëta magis, quam Aſtrologus, p. 383. n. 89
Præſepis ſtellæ in Horoſcopo ſignificata, p 386. n. 101
Sub Procyone difficiles admodum morborum curationes, p. 388. n. 108
Profectionum nomine apud Aſtronomos quidnam veniat, ibid. n. 110
Earum noua doctrina Philoſophiæ conſona, ibid. n. 111
Proportionalitatis diuiſiones, p. 391. n. 115. & ſeq.
Prorogatores qui dicantur, p. 391. n. 123
Prouincia nulla in Orbe quæ non ſit commodè habitabilis, p. 537. n. 15
In hoc mira Numinis prouidentia commendatur, ibid.
Puluis Sympathicus quid ſit, & quomodo præparetur, qu. 1 n. 3
Vulneribus curandis ad miraculum factus, ibid.
Prodeſt vel ipſis linteaminibus vulneratorum ſanguine infectis, quantumuis loco diſſitis applicatus, ibid.

An idipſum præſtet immediatè adhibitus: n. 9
An ſuperſtitionem vllam contineat, n. 10
An tuta conſcientia adhiberi poſſit, ibid. & ſeq. per totam.
Eius naturalis efficacia fusè probatur, ibid. q. 3 per totam.
Pupilla Cœli cur dicta ſit Lucida ſtella Coronæ Gnoſſ. p. 26 n. 151
Eius ſignificata in Horoſcopo, ibid.
Eſt tamen ſidus tempeſtuoſum, ibid.
Puteales gradus apud Aſtrologos qui vide, Gradus.
An fictitij, ibid.

Q

Quadræ Leſbiæ mita conſtructio, & effectus. p. 3. n. 5
Quadrantes Geometrici vſus, & officia, p. 403 n. 4. 5
Quadratus Aſpectus quis, p. 406. n. 7.
An ſemper Hoſtilis, ibid. & in V. Oppoſitio,
Semiquadrati aſpectus conſideratio, p. 447. n. 39
De quadrati natura imperfectè participat, ibid. & ſeq.
Eius ratio in Morbis tantum, & in aëris mutationibus auſpicandis habenda, ibid. & p. 51. n. 238
Item in Aphetæ conſtitutione inter vndecimam, & duodecimam domum, ibid.
Quadratura circuli quæ verè audiat, p. 408. n. 9
An dari poſſit, ibid. & ſeq.
Quæſtiones, ſeu interrogationes Aſtrologicæ an licitæ, p. 151. n 47
Qualitas quid ſit apud Philoſophos, p. 410. n. 11
Qualitates actiuas facit intenſio Lucis, paſſiuas extenſio, ibid. & ſeq
An dentur qualitates totius ſubſtantiæ, ibid.
Qualitates mixtorum num ſint Elementares, an potiùs cœleſtes, ibid. & in V. Mixta.
An admittenda vlla qualitas occulta in Aſtris, p. 265 n. 38
Qualitas morbifica in quibuſdam Zodiaci gradibus, an ex receſſu aliquarum ſtellarum ab ijs locis receſſerit, p. 50. n. 368
Qualitas Vindemiæ à die S. Vrbani auſpicanda. p. 388 n. 109
Quantitas quæ nam ſit Matheſis objectum, p. 414. n. 17
Diuerſo modo eam conſiderat Philoſophus, & Mathematicus, ibid.
Quintilis Aſpectus de nouo agnitus, & eius ratio rationi

conſona, p. 417. n. 21
Biquintilis euanidus, p. 85. n. 15
Quotiens in numeris quis dicatur, p. 417. n. 22

R

Radius quot modis accipiatur, p. 418. n. 2
Radij Hoſtiles, an aliquando benefici, Vide. Oppoſitio,
Radius Quintilis, p. 416. n. 21
Rationalis methodus erigendi Cœleſtem figuram, irrationalis, p. 421 n. 5
In Receſſu Maris Macilenti, vt plurimum moriuntur, in acceſſu obeſi, p. 37. n. 180
Eius rei ratio à Natura deſumpta, ibid.
Reflectionis deſcriptio, & miracula, p. 423. n. 23
Eius beneficio habemus quot in Cœlo ſunt ſidera, ibid.
Refractiones quæ ſint, & quo modo fiant, p. 423. n. 24 & ſeq.
Refractiones nullæ in meridie, ibid.
Neque vllæ accidunt in Regione Etherea, ibid.
Ob Refractiones ſepè ambo luminaria ſupra horizontem conſpiciuntur, cum infra ſint, ibid. n. 25
Eam ob cauſam in plenilunio paſſim videntur ambo Luminaria ſupra horizontem, ibid.
Regiæ ſtellæ quæ dicantur, p. 425. n. 28
Regio nulla inhabitabilis, p. 537. n. 15
Regio integra ob terræ motum cum ſuis habitatoribus in mare tranſlata; ibique per menſem integrum ſupernatans, p. 505. n. 29
Regulæ aureæ efficia & commoda, Vide. Aurea Regula,
Regulus ſtellarum fixarum efficaciſſima, p. 426. n. 33. & 34
Solus inter fixas aſpectus ad Planetas facit; & recipit; ibid.
Remediorum inuentio omnis ex ſympathiæ; aut antipathiæ conſideratione deſumpta, qu. 3. n. 24
Repletionis ſcrupula in Eclipſibus quæ ſint, p. 62. n. 3
Reſpiratio prima viuentium operatio, p. 108 n. 14
Retrogradatio in Planetis quid ſit, p. 427. n. 37
An in Maleficis bona, vel mala, ibid. n. 38
Quibus potiſſimum conueniat, ibid. & ſeq.
Num verè vel apparenter, ibid.
Reuolutio quid ſit, p. 428. n. 40
Quot modis accipiatur, ibid n. 41
Nouus annuarum reuolutionum inſtituendarum modus, ibid. n. 42

Adriani Neguſantij nobile circa eius inuentum, ibid. 46. & ſeq.
Ros quid ſit, & quomodo fiat, p. 433. n. 51. & ſeq.
Eius deſcriptio ex Ariſtotele, ibid.
Eſt Serenitas indicium, ibid.
Eſt Pecoribus in opportunus, ibid.
Larga Roris cur Luna appellitetur, ibid.
Roſa Allio complantata fit odoratior, qu. 3. n. 13
Rubrarum rerum vel ſolo intuitu ſanguis accenditur, ibid. n. 22
Ruminantia ſigna quæ, p. 436. n. 62
Si po iones in iis fiant vomitum excitant, ibid.
Rupes in Cyrene quam nefas ſit attrectare, p. 326. n. 30

S

SAgitta dicta Dæmon meridianus, p. 135. n. 3
Saliua Canis terreſtris mortifera eſt hominibus, cum Canis Cœleſtis ſit ſalutaris. p. 435. n 55
Sanguis in humano corpore perinde ac aër in Mundo, p. 308 n. 89
Mouetur circulariter circa cor, ibid.
Sanguis ad conſpectum rubrarum rerum accenditur, qu. 3. n. 22
In ſanguine quamuis exciſo, & exſiccato ſemper aliquid remanet primitiuæ ſubſtantiæ, ibid. n. 23
Sanguis ex occiſi corpore cur profluat ad occiſoris præſentiam, ibid. n. 32
Sæpè etiam effunditur ad præſentiam gentilium, & amicorum, ibid. n. 35
Ad ſanguinem emittendum quę tempora ſint importuna, quæue opportuna, p. 167. n. 20
Sapphirus contra peſtem ſingulare præſidium, qu. 3. n. 30
Sata ſi interlunij tempore ſerantur non ſunt vermiculis obnoxia, p. 250. n. 46
Satellitium Planetarum ad Luminaria quid ſit, p. 439 n. 12 & ſeq.
In quo verè conſiſtat, ibid. n. 13
Eius rei uariæ explicationes, vide. Doriphoria,
Satellitium aliquando à Luminaribus ad Planetam tranſit, ſi illis inuentus fuerit fortior, & ſuper ipſa eleuatum, ibid.
Satellitium proprium habet Iupiter, & Saturnus, ibid.
An reliqui Planetæ, ibid.
Venus, & Mercurius ſunt veluti ſolis Satellites, & ſtipatores, ibid.

Saturnus Planeta Maleficus, p. 440. n. 15
Eſt cæteris Planetis curſu velocior, p. 114. n. 137
Eius qualitates explicantur, p. 440. n. 15
An ſit calidus, & humidus, ibid. n. 16
Quid cum ſingulis Planetis aſſociatus producat, ibid.
Si Saturnus, & Mars non eſſent in Cœlo, homines immortales forent, ibid.
Scientiæ ope Dæmonis comparatæ licitus impoſterum erit vſus, qu. 2. n. 28
Scithia à fulgure cur immunis, p. 229. n. 50
Scorpij ſignum fallax, p. 445. n. 27
Duo complectitur ſidera, ibid.
Olim cum Libra confundebatur, p. 83. n. 376
Scorpij imago in Bezaar certo tempore ſculpta, an licitè adhibeatur aduerſus Scorpionis ictus, p. 237. n. 23
Selenites Lunæ phaſes, ac mutationes exhibet, qu. 1. n. 20
Secundinæ puerperarum malè habitæ, at ſordido loco dejectæ immania ſimptomata ipſis pariunt, qu. 1. n. 8
Senſatio an abſolutè ſit gradus vitæ perfectior, p. 311. n. 93
Semiquadratus Aſpectus an efficax, p. 447. n. 39
In morbis habet indicare de futura Criſi, ibid.
In Lunationibus magnam vim obtinet ad faciendas aëris mutationes, ibid. n. 40
Eius ratio habenda eſt in electione Aphetæ conſtituti inter vndecimam, & duodecimam domum, ibid.
Semiſextilis aſpectus euanidus, p. 241. n. 31
Septentrio Ventus omnium ſaluberrimus, p. 59. n. 174
Septimeſtris Partus cur ſuperuiuat, nunquam tamen Octimeſtris, p. 241. n. 34
Serpentis imago in Deſerto an naturaliter ab ignitis Serpentibus ictis opitularetur, p. 236. n. 24
Seſquiquadratus aſpectus de nouo obſeruatus quantæ ſit efficaciæ, p. 450. n. 54
Quandoque vitam abſcindendi vim habet, ibid.
Sidera an influere habeant in opera artificiata, p. 239. n. 25
Signa Imperantia, vide Imperantia, ſic intuentia, ſic inconjuncta,
Significatores quid apud Aſtrologos, p. 454. n. 67
An plures quam quinque inſtituendi, ibid.
Singulis bis mille annis inſigne aliquod ſidus apparere ſolitum, p. 95. n. 35
Sinus Abrahæ an modò extet, & num in inferno, p. 455 n. 71
Sirio exoriente tota ferè natura concutitur, p. 21. n. 118

Qui ſub eo naſcuntur nunquam aqua interiiſſe comperti ſunt, ibid.
Sirius an Sole maior, p. 94. n. 14. p. 194. n. 25. & p. 267. n. 41
Smaragdus virtutes à ſpica Virginis accipit, p. 192. n. 64
Solis encomia, p. 458. n. 75
Centrum omnium Planetarum, excepta Lunâ, non aliorum ſiderum, ibid.
Eius ſubſtantia formaliter ignea, ibid. n. 76
Eius figura Elliptica propè Horizontem, & quare, ibid. n. 79
Quid ſint maculæ in eius diſco conſpicuæ, ibid. n. 78
Eius magnitudo, ibid. n. 80
Sol vitalis potentiæ fons, & origo, p. 241. n. 34
Venus, & Mercurius ſunt veluti Solis Satellites, & ſtipatores, p. 439. n. 13
Solſtitium quid & quotuplex, p. 461. n. 84
Aeſtiuale aquas prolectat, Hyemale è contra Serenum adducit, ibid.
Sonum vllum an edant Cœleſtia corpora ſe mouentia, p. 115 n. 138
Sphæra vitrea Archimedis memorabilis, p. 77. n. 361
Alia longè inſignior Chriſtiani Daniæ Regis, p. 78 n. 362
Spica Virginis ſtella benigniſſima ad morum ſuauitatem, ac pietatem, naturaliter inclinans, p. 466. n. 98. & in V. Aluazel, Azimech.
Splendor in quo differat à radio, & à Luce, p. 467. n. 102
Splendor Planetis tribuitur, Soli autem radius, ibid.
Stellæ quot numero ſint, p. 469. n. 107
Stella noua in Caſſiopea an fuerit Cometes, p. 94. n. 33
Stella noua in pectore Cygni anno 1600. apparens, duranſque vſque ad annum 1621. relicto in loco quodam hiatu, quid ſignificet, p. 449. n. 51. & p. 22. n. 116
Stella in genu Serpentarij apparens quid indicauerit, ibid.
Stella in Aequatore perficit in hora, quantum velociſſimus curſor perficeret ſpatio annorum, 290. p. 5. n. 29
Stella Polaris cur olim Phœnice dicta, p. 27 n. 154
Olim Nautarum directrix, ibid.
Stellæ in Orionis humero calores intendunt, p. 84. n. 7
An aliquando debent in ipſum Polum recidere, ibid.
Stellæ nebuloſæ offendunt oculos, ac ipſam potentiam viſiuam, ibid. n. 9

Digitized by Google

Stellam Magorum indicat Plinius, p. 62. n. 288
Subſolanus, ſeu Eurus, p. 50. n. 235
Sympathiæ,& Antipathiæ rerum ratio in quo conſiſtat, p. 474 n. 122. & ſeq.
Sympathia inter homines naſcitur ex locis figuræ permutatis, p. 488. n. 1.
Sympathiæ rerum ex naturali connexione, aut ſimilitudine, vide in verbo Sympathia, & in Quæſtionibus paſſim,
Aliquando obſeruatur in rebus, natura, tempore, & loco diſſitis, q. 3. n. 2. & 5
Triplex Sympathiæ genus in humano corpore, & in mundo, ibid. n. 7.
Adhuc alia rerum mirabilis Sympathia, quæ ad tria hæc capita reduci non poteſt, ibid. n. 8.
Veræ Sympathiæ, Antipathiæque affectiones enumerantur, atque expenduntur in V. Sympathia P. totum & qu. 3. à n. 8. in fine.

T.

Tabula graduum Maſculinorum,& Fœminorum in ſignis, p. 197 n. 31
Tabula moræ fœtus in vtero Matris, p. 516. n. 73
Tabula ſignorum inconiunctorum, p. 241. n. 32
Tarantulæ mira Symptomata, quæ parit in ictis, q. 3. n. 5. & ſeq.
Ea vitreo olim loculo incluſa ſubſilire ad certos ſonorum numeros viſa, ibid.
Tauri ſignum in Horoſcopo quid ſignificet, p. 488. n. 5
In tauro Coniunctio maleficarum celebrata, perniciem affert armatis, p. 489. n. 6
Sub tauro nati, taurorum naturam præſeferunt, p. 236 n. 20
Tempus quid ſit, p. 490 n. 10
An in primo mobili conſtituendum, ibid.
Singulæ ſiderum circulationes, ſingulas temporum dimenſiones præſignant, ibid. n. 11
An conſtet ex inſtantibus indiuiſibilibus, ibid. n. 12 & ſeq
Temporum certæ mutationes in certis ſiderum ſizigijs, p. 50. n. 236
Tempus accommodatum humores purgandi, p. 167 n 20
Tempus itinetis, & nauigationis, quale improprium, ibid. n. 19

Tenebræ

Tenebræ nullæ ſub polis. p. 129. n. 188. & p 536. n 71.
Tenebræ ante auroram cur magnopere intendantur, ibidem n 189
Terella quid ſit. p. 501. n 24.
Termini Planetarum apud Aſtrologos qui ſint. p. 495. n. 19 & p. 190. n. 17
Probantur magis Ægyptii, quam Ptolemaici Ibidem.
Eorum efficacia Philoſophicè comonſtratur Ibidem.
Terra Vniverſi alterum centrum p. 497. n. 21.
Senſim complanationem affectat. Ibidem.
Inde mundi initium, & finis evidenter oſtenditur. Ibidem.
Eam magnum aliquod animal dixit Keplerus. p. 501. n. 25.
Eius ſtabilitas probata. Ibidem n 22.
Illuminatur à Sole periade ac altera Luna, Ibidem. n 25.
Terræ motus quid ſit. p 502. n. 26.
Signa Terræ motum indicantia, Ibidem. n. 17.
Quæ loca Terræmotibus ſint obnoxia. Ibidem. n. 28.
Quo tempore potiſſimum generentur. Ibidem.
Terræmotum ſequitur Peſtilentia. Ibidem. n. 29.
An vllum contra ipſum remedium. Ibidem n 28.
Thematis Natalitij rectificandi nova ratio Naturæ conſona. p. 10. n. 164.
Thyco in Lunaris Ecclipſis obſervatione ſæpè deceptus p. 218 n. 9.
In maris obſervatione fatiſcens. p. 525. n. 27.
Trajanus legem ſanxit ne domus ædificandæ certos altitudinis pedes excederent. p. 505 n. 28.
Tranſitus Planetarum qui ſint, & quantæ potentiæ. p. 509 n. 54.
In quo differant ab ingreſſibus, Ibidem
An ſint directionibus validiores Ibidem 5.
Eorum alij activi, alij paſſivi. Ibidem.
Trini Radij effi acia. p 513. n. 66
Habet reſpondentiam ad quintam. Ibidem.
Eius bonitatis ratio in quo conſiſtat. Ibidem. n 67.
Triſagium contra Terræmotum. p 503. n. 26.
Sub Tropicis cur major Æſtus ſit, quam ſub lineâ æquinoctiali 535. n. 11.
Tropei venti Italiæ nimis infenſi. p 514 n. 71.

Trutina Hermetis quid, Ibidem. n. 73
An quicquam ſoliditatis habeat, Ibidem.
Turbo quid p. 517 n. 78
In quo differat ab Ecnephia, Ibidem.
Inſigne contra turbinem tutamentum, Ibidem.
Typho Ventus in quo differat à turbine, p. 518 n. 80
Quanta ſit ejus vis, Ibidem. n. 81
Ex eo portentoſæ non ſemel ſaxorum pluuiæ exortæ, Ibidem.

## V

VApor quid ſit, p. 288 n. 52
Vegetatio per ſe loquendo non eſt gradus vitæ perfectior, p. 311 n. 9.
Ventus quid ſit, p. 519 n. 11
An aer commotus, Ibidem. n. 12
Quomodo generetur, n. 13
Ventorum ſpecies numerus, & nomenclatio, n 16
Omnes ex ſui natura ejuſdem ſunt rationis, & qualitatis, n. 14
A Regionibus vnde ſpirant, & per quas tranſeunt novas qualitates accipiunt, Ibidem.
Omnes lateraliter mouentur, n. 13
Eorum commoda, n. 17
Numinis prouidentia in Ventorum diſtributione, Ibidem.
Ventorum natura mutatur in Regno Chile, p. 76 n 360
Ventus piſcibus importunus, p. 523 n. 19
Ad eam partem vbi ſpirat naturaliter vertitur piſcis Orbis, Ibidem.
Vnde ſit talis affectio, Ibidem.
Venus omnium ſtellarum pulcherrima, p. 524 n. 20.
Eſt Terra minor, Ibidem.
Vmbram facit, & eaſdem Phaſes habet quas Luna, Ibidem.
Quantum diſtet à Terra, Ibidem.
Voluptatem afferre in membro, cui præeſt ſignum, in quo ipſa reperitur natiuitatis tempore, ibidem. n. 21
Eius natura, Ibidem.
An ſoli contraria, Ibidem. n. 22

An aliquando colorem, magnitudinem, figuram, & motum mutauit, n. 23
Tychonis in ejus obſeruatione deceptio, Ibidem.
Ver ſumendis potionibus opportunum, p. 167 n. 20
Veris qualitates, p. 525 n. 24
In Vere mundus creatus, ibidem.
Veſtes non ſunt ſub Leone ſcindendæ, p 239 n. 25
Vigiles cur dictæ ſtellæ in Cynoſura, p. 527 n. 35
Vindemiæ Vbertas, aut raritas à die S. Vrbani auſpicatur, p. 388 n. 109
Vindemiator cur dicta ſtella in ala Virginis, p 528 n. 36
Vinum, Cicutæ antidotum, p. 291 n. 61
Vinum in doliis fluctuat ſirio exoriente, p. 21 n. 111
Violenta ſigna, & ſtellæ quæ ſint, p. 527 n 37
Quos effectus pariant, ibidem.
Virgæ quid ſint, p. 528 n. 38
In quo differant ab Iride, ibidem.
Pluuiæ ingruentis manifeſtum indicium, ibidem.
Vita Mundi aſtruitur, & probatur, p. 307 n. 89
Et eſt perfectior vita omnium animantium, p. 312 n. 94
Vita duplex in homine intellectualis, & animalis, ibidem.
Vitriolum habet naturalem antipathiam cum ſanguine, qu. 1. n. 17
Vmbra in locis Antiſciis, Amphiſciis, ac Periſciis multiplex, p. 49 n. 231
Vmbra vbi verſatilis, p. 110 n. 127
Vnguenti Armarij deſcriptio, & virtus, Qu. 2 à n. 4 & ſeq.
Eius aliquam notitiam habuerunt Antiqui, ibidem. n. 3
Diuerſimodè à diverſis Auctoribus traditur, ibidem. n. 22 & ſeq.
Ab aliquibus non ſine ſuperſtitionis admixtione, ibidem.
Quomodo naturaliter operetur, qu. 3. per totam.
Vngula Alcis aduerſus morbum comitialem, qu. 3. n. 29
Vniones quare ſoluat Acetum, non Aqua fortis, q. 1. n. 36
Vomitum excitant ruminantia ſigna, p. 436 n. 62
Vorago in Turingia horiſona, p. 249 n. 41
Vrinæ ardorem contrahit ad Silueſtrem vrticam mingens, qu. 1. n. 16
Vrſa duplex in Cœlo, p. 529 n. 47

Vrſa minor naturarum directrix, ibidem.
Vrſa maior Helice dicta, p. 119 n. 13
Vulturnus ventus vnde dictus, p. 530 n. 11
Ejus qualitates pernicioſæ, ibidem.
Reddit objecta oculis majora, quam verè ſint, ibid.
Vnde id oriatur, ibidem, & ſeq.

X

Xyphiæ cometes, natura, & ſignificata, p. 531 n. 1

Z

Zenit apud Arabes idem ac punctus verticalis, p. 532 n. 3
In eo ſtellæ maximæ ſunt efficaciæ, ibidem.
Caput Meduſæ nunc temporis Regno Neapolis Verticalis, ibidem.
Zephirus ventus vnde dictus, ibidem, n. 4
Eſt Venationi contrarius, ibidem, n. 5
Ziſchas Hæreticus quo conſilio ſibi mortuo detrahi pellem mandauit & ex ea tympanum confici. qu. 3. n. 38
Zodiacus vnde dictus, p. 533 n. 7
Duplex eſt ſenſibilis, & imaginarius, p. 534 n. 8
Senſibilis ſenſim ab imaginario receſſit, ibidem.
Quod ideò quæ de ſignis Zodiaci ab Antiquis tradita ſunt nunc temporis, minus veritati reſpondent, ibid.
Zonæ quot ſint, ibidem. n. 9
An omnes commodè habitabiles, p. 535 n. 10
An ſub Æquatore ſit jucundiſſima habitatio, p. 535 n. 11
In Æſtate ſub Æquatore, & ſub tropicis juges pluuiæ, p. 537 n. 14
Antonij Pomæ Miſſionarij celebre de hac re teſtimonium, ibidem, n. 15
Cur id accidat naturaliter, demonſtratur, ibidem.
Dei in hoc ſumma Prouidentia commendatur, ibidem.

FINIS.

# INDEX

## *INSIGNIORVM QVÆSTIONVM, quæ in hoc Opere ex occaſione examinantur.*

Numerus appoſitus & marginalis ſingulis literis proprius, & cuivis editioni accomodatus.

*AN Aqua ſit terra maior. A. num.* 270.
*An ſit Animata A.* 269. *&* M. 88.
*An moueatur motu vniuerſitatis* A. 267. *&* 180. *&* M. 75.
*An ſub Æquatore ſit temperatiſſimum Clima.* C. 129. *&* Z. 10.
*An ſub Æquatore hyems ſit æſtate calidior.* Z. 10.
*Per quid Aſtra agant in hæc inferiora.* L. 58.
*An Aſtra vel potius cælũ in quo ſunt moueantur.* M. 76.
*An præter motum vniuerſitatis habeant ſuum peculiarem motum.* M. 75. *& ſeq.*
*An vllam actiuitatem habeant in opera artificiata* L. 13
*Aſtrologicæ Quæſtiones, ſeu interrogationes an licitæ.* L. 47.
*Qua ratione Aſtra cum ſenſu, & vegetatione careant vitam ſenſibilibus ac vegetabilibus tribuant.* M. 93.
*An Cælorum ſubſtantia ſit diuerſa à ſublunarium* C 129. *&* S. 113.
*An Cæli per motum Vocalem ſonum edant.* C. 138.
*An ſint Animati* C. 140. *&* M. 88.
*An per motum cauſent calorem in ſublunaribus.* M. 73.

Digitized by Google

*Quodnam ſit Clima cæteris temperatius.* C. 129.
*Quænam ſit ſubſtantia Cometarum.* C. 149. *& ſeq.* p. 59.
*Quid & quotuplex ſit Directionis motus, & an Realis* D. 35. *& ſeq.*
*Decubitus momentum computari ne debeat ab initio morbi, an potius à poſitione decumbentis in lecto,* D. 11.
*An cometæ non tam malorum, quam bonorum ſint naturales ſignificatores.* p. 129. *& ſeq.*
*Qua ratione culmen ſit naturalis actionum ſignificator.* C. 98.
*Dierum Criticorum ratio vnde exorta.* C. 191.
*Domicilij ratio in Planetis naturaliter probata.* D. 52. *&* T. 19.
*Quænam ex Dignitatibus Planetarum ſint efficaciores eſſentialeſne an verò accidentales.* D. 30.
*Electiones ex Aſtris an licitæ.* E. 18 *& ſeq.*
*Quid ſit Eleuatio ſiderum ſuper ſidera.* E. 26. *& ſeq.*
*An in Planetis prærogatiua exaltationis ſit potior iure Domicilij.* E. 79. *& ſeq.*
*Quot genera familiaritatum Philoſophica ratione inter Aſtra conſtituenda.* A. 320. *&* F. 3. *& ſeq.*
*Vnde fata Imperiorum & Monarchiarum* A. 210.
*Finium ratio apud Ægyptios & Chaldæos vnde probata.* F. 17. *&* T. 19.
*Firmamentum num ſolidum ſit an fluidum.* F. 20.
*Fixæ an ſint Planetis validiores.* F. 23. *& ſeq.*
*An ſint propria luce præditæ, quàm nullatenus à ſole participent.* Ibid. *&* S. 24.
*Quinam dicendus ſit Genitura vel Anni Dominus.* D. 55. *& ſeq.*
*An in ſignis dentur gradus fortitudinis, aut debilitatis.* A. 568.
*An Fictitiæ ſint cæteræ graduum diſtinctiones in fœmini-*

nos, & Maſculinos plenos & vacuos &c. F.29. & G.30.
An & qua ratione Horoſcopus ſit naturalis Vitæ ſignificator. H.40.
Ignis ſphæra an detur & vbi conſtituenda. I.11.12. & 41.
Num dicendus ſit fœcundus an ſterilis. I.10.
Num ejus figura ſit ovalis vel Sphærica. L.12.
Ignis gehennæ an ſit corporeus, & ejuſdem rationis cum noſtro. L.40.
An luce atque iiſdem qualitatibus ignis elementaris ſit preditus. Ibid.
Quanta ſit inferni Diameter & amplitudo. I. Ibidem.
An montes ignivomi ſint inferni ſpiracula. Ibidem. 41.
Imagines Aſtronomicæ an naturali vi preditæ, ac licitè adhiberi poſſint. L.23. & ſeq.
Imagines Cæleſtes an vllam cum terreſtribus connexionem habeant. G.28.& L.19.& ſeq.
An laudabiliter in Divorum imagines commutatæ. L.21. & O.23.
Iris cur mane apparens indicet pluviam Veſpere autem ſerenum. L.51.
Latitudinis ratio num habenda ſit in Moderatoribus ad ſiderum radios dirigendis. R.6.
Cur luminarium defectus peſtilentiam, & alia mala naturaliter indicent. E.6.
An ſint bonorum etiam Auctores, & ſigna E.6.
Lumen aſtrorum an operetur per ſui extentionem veram vel apparentem. L.39.
Luna an ſit habitabilis. L.46.
Quidnam ſint maculæ in Diſco Lunari. L.45.
An Mars ſit Planeta Maſculus, vel fœmineus. F.29. M.17. & 22.
Cur Veſpere poſt Crepuſculum, & mane ante Auro-

*ram tenebræ intendantur.* C. 189.
*An ſuos ſtipatores habeat, vt ſaturnus, & Iupiter.* M. 19.
*An Mare ſit altius Terra.* A. 263 & T. 21.
*Cur ex conſtituta aquarum acceſſione non redundet.* A. 264.
*Quenam ſit cauſa æſtus Maris.* A. 178.
*An, & qua ratione verum ſit quod ait Plinius nullum Animal niſi in maris receſſu expirare.* A. 180.
*An Mixtorum qualitates purè elementares ſint, an potius à cæleſtibus deriuatæ.* M. 61. & Q. 13. & ſeq.
*An & cur Mixta ſola ſint alimenta Viuentium.* Ibidem.
*Quo tempore creatus ſit mundus.* M. 84.
*An naturaliter oſtendi poſſit ipſum non fuiſſe ab æterno nec in æternum duraturum.* T. 21.
*Quanto tempore conjecturaliter duraturus ſit.* M. 84. & A. 205.
*An habeat propriam formam ſubſtantialem.* M. 87.
*An ſit Vitâ præditus.* M. 88. & ſeq.
*An per hoc dici poſſit Magnum quoddam Animal.* M. 92.
*Mutationes abſidum Planetarum an vllam in Mundo mutationem naturaliter indicent.* A. 10. & 11.
*Quodnam dicendum ſit verum Natiuitatis momentum; ſeu Quando Aſtra incipiãt influere infætum natum.* C. 13. & ſeq.
*Modi Lunares an vllam actiuitatem habeant in iſthæc inferiora.* C. 23.
*In quanam Orbis parte conſtituendum ſit verum occidens.* A. 373.
*Unde oriatur naturalis affectio piſcis Orbis ſe jugiter ad ſpirantem ventum vertentis.* V. 18.
*Pars Fortunæ nùm in Zodiaco an potius in ſitu Mundi conſtituenda.* F. 84

*Prædictiones Aſtrologicæ quouſque licitè ac naturaliter extendantur.* A. 332. & N. 7.
*Primum mobile an verè ac realiter ſit Imaginibus, & Characteribus inſignitum.* L. 22. & M. 69.
*An Nouæ ſtellæ in Cælo apparentes ſint è materia. Cœleſti de nouo genitæ, an vero è ſublunari regione illuc tranſcendant.* P. 59.
*Cur Planetæ aucti Lumine, & Numero ſint cæteris valiđiores.* A. 348. & ſeq.
*Cur Planeta in Corde Solis dicatur fortior, cum alioqui combuſtus, aut ſub radiis ſit debilior.* C. 58.
*An Pleiades viſæ ſint numero ſeptem vel ſex.* E. 81.
*An Polaris ſtella aliquando ſit in ipſum Polum reciſura.* A. 155.
*An dentur Qualitates totius ſubſtantiæ.* Q. 13.
*An Retrogradatio Maleficarum bona ſit, vel mala.* R. 38. & ſeq.
*Unde ſit Maris ſalſedo.* A. 264.
*In quo conſiſtat ratio ſatellitij ad Luminaria.* S. 13.
*Quænam ſit cauſa ſcintillationis in Aſtris.* S. 23.
*Sinus Abrahæ vbi ſitus.* S. 71.
*An Sol ſit formaliter igneus.* S. 77.
*Quid ſint Maculæ in Diſco ſolari.* Ibidem.
*Cur ſolſtitium hiemale ſit ferè ſemper ſerenum, æſtiuale verò ſit pluuium.* S. 84.
*An ſphæra, ſeu Orbes cœleſtes, eorumque motus reuerà ſit vnus vel multiplex.* S. 96. C. 135. M. 71. & ſeq
*In quo conſiſtat ratio ſympathiæ & antipathiæ rerum in vniuerſa Natura.* S. 122. & ſeq.
*An Terra ſit Mundi. Centrum.* T. 22.
*An ſit altera Luna.* T. 25.
*Vegetatio, ac ſenſatio, an ſint gradus vitæ perfectiores.* M. 88.

*Quid ſit ventus.* V. 11. *& ſeq.*

*An Veneris Aſtrum aliquando formam, lumen, & motum mutauit.* V. 23.

*An omnes Zonæ ſint æquè & commodè habitabiles.* Z. 10.

*An detur reſolutio vſque ad materiam primam in corruptione compoſiti. Digreſſ. quæſt.* 3. n. 23. *& ſeq.*

*Quid ſit Tempus.* T. 10.

*An reuerà conſtet ex atomis indiuiſibilibus.* T. 12.

*In quo formaliter conſiſtat ratio vitæ.* M. 8.

*An Terra extrà aquam conſtituta ſit in ſtatu violento.* T. 21.

*Cur lacus & ſtagna aquarum, etſi ampliſſima non ſint ſalſa.* A. 265.

*Paradiſus terreſtris vbi ſit, & vbi conſtituenda.* P. 4. *& ſeq.*

*Trutina Hermetis pro indagando ex conceptione vero Natiuitatis* [illegible]*ento, an quidquam ſoliditatis habeat.* T. 73.

*An ſtella Magorum fuerit Cometes, & an eadem, quę anno 1572. apparuit in ſede Caſſiopeæ.* A. 88. *&* C. 33

*An & cur Nona Domus ſit naturalis memorię, ac pietatis ſignificatrix.* T. 36.

*Vita hominis quouſque naturaliter protrahi poſſit.* Q. 8. *&* T. 65.

*Centiloquij Auctor an Ptolemęus.* C. 63.

*Tranſitus Planetarum an ſint directionibus validiores.* T. 55.

*Bruta Animantia an ſint aſtris nobiliora.* M. 93.

*Prædictiones ex Aſtris ad quid naturaliter ſe extendant.* A. 312.

*Annorum ſchalarium, ſeu Climactericorum ratio vnde habeatur.* C. 133. *& ſeq. &* I. 31.

*Cur Partus Octimeſtris non ſuperuiuat.* I. 54.

*Quando puer ex utero egrediens naſci dicatur.* G. 15. & *ſeq.*
*An ſit poſſibilis Quadratura circuli, & an ullus illum actu quadraverit.* Q. 9.
*An Manna Iſraeliticum fuerit ejuſdem rationis cum noſtro.* R. 54.
*An Pulvis ſympathicus, linteaminibus vulneratorum ſanguine infectis applicatus licitè adhiberi poſſit in Vulnerum curatione* Digreſſ. Phyſiotheol. Qu. 1.
*An pari ratione unguenti armarij uſus in Vulnerum curatione ſit licitus.* Ibid. qu. eſt. 2.
*Quonam pacto pulvis ſympathicus, Unguentum Armarium, & cætera hujuſmodi medicamenta conferant ad vulnerum aliorumque morborum curationem.* Ibid. qu. 3.

FINIS.

# *ERRATA CORRIGENDA.*

PAg. 2. lin. 1. tentiſſimæ, *lege*, potiſſima. lin 31 abſe *l.* ab eo. p. 4. lin. 39. Auſis, *l.* Augis. p. 5. lin. 4. Quod, *l.* Qui. lin. 20. hac in ſe, *l.* hac in re. p. 7. lin. 28. Caigni, *l.* Cygni. p. 8. lin. 34. Hermann. *l.* Germanici. ibid. in Arab, *l.* in Arati. lin. 39. comperiantur, *l.* comperiuntur. p. 9. lin. vlt. Quodcumque, *l.* Quandocumque. p. 10. lin. 3. orchogonicum, *l.* orthogonicum. lin. 16. aut ſuprà, *l.* vt ſuprà. lin. vlt. Iunctiuus, *l.* Iunctinus. p. 11. lin. 5. Indecimae, *l.* Duodecimæ. lin. 41. comperuit, *l.* comperiit. p. 13, lin. 23. Blazanum, *l.* Blancanum. p. 14. lin. 21. Heleg. *l.* Hileg. lin. 37. Fœmilias, *l.* Equas. p. 16. lin. 23. Hayr, *l.* Hayz. lin. 30. ſpicitur, *dele.* p. 16. lin. 15. Quadring, *l.* Quadrip. lin. 17. Mercurius ? *dele* ? lin. 21. Alxiae, *l.* Alxia. p. 19. lin. 38. aunc, *l.* nunc. lin. 41. tunc, *l.* nunc. p. 21. lin. 11. tunc, *l.* nunc. lin. 81. tunc, *l.* nunc. p. 22. lin. 14. Alhadida, *l.* Alhidada. p. 28. lin. 12. ſit, *l.* fit. p. 32. lin. 22. culminans, *l.* culminantem. p. 34. lin. 37. quæ, *l* quam. lin. 43. infringantur, *l.* infringuntur. p. 35. lin. 14. à græcis, *l.* punctis. lin. 24. Adriatiao, *l.* Adriatico. lin. 34. Trabene, *l.* Strabonem. p. 36. lin. 21. reſtuit, *l.* refluit. p. 38. lin. 24. Caroprica, *l.* Catoptrica. lin. 25. Anaclatica, *l.* Anaclaſtica. p. 42. lin. 2. Parallelogram, *l.* Parallelogrammum. p. 43. lin. 7. in annis 4900. *l.* in annis 49000. p. 44. lin. 25. ex redecim, *l.* ex tredecim. p. 45. lin. 4. bis Toucan, *l* Toucan. p. 47. lin. 20. exſpicari, *l.* expiſcari. lin. 26. Inſulæ, *l.* Inſula. lin. 26. Americæ *l.* America. lin. 36. completur directi, *l.* complet. directionem. lin. 40. oct ivum, *l.* octavo. lin. 41, min...

Digitized by Google

*l*. min.40. lin.44. Cnacri, *l*. Cancri. p. 48. l. vlt. Cnari, *l*. Cancri. p. 66. l. 4. manducat, *l*. manuducat. p. 67. l. 12. initatiua, *l*. initiatiua. p. 72. l. 18. agricolatinem, *l*. agricolationem. p. 142. l. 42. alterum ad alterum, *l*. alter ad alterum. p. 206. l. 10. bonus gedius, *l*. bonus genius. p. 208. l. 9. erudiſſime, *l*. eruditiſſime. p. 209. l. 39. toſtro, *l*. noſtro. p. 211. l. 35. beneficia, *l*. benefica. p. 212. l. prima. indi. *l*. indicat. p. 229. l. 34. mobibilis, *l*. mobilis. p. 249. l. vlt. leo eſſ ium l. eſſe locum p. 253. l. 5. Chriſtopolitanus, *l*. Chriſopolitanus.. p. 346. l. 22. initio, l. irrito, p. 358. l. 15. fons l. fontem, p. 453. l. penult. diſpeſcitur l. diuiditur p. 486. l. 20. probere l. probare.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# *INDEX LOCORVM ET Verborum quæ in hoc opere ordine Alphabetico ex inſtituto examinatur.*

A. Figura Abàculi.
Abalàntica.
Abén Ràs.
Abradàleus.
Abſciſſio luminis.
Abſis.
Abterrànei.
Acarnàr.
Acèntacer.
Actinobòlium
Achrônicus.
Acheſàl.
Acôntiæ.
Acùtus Angulus.
Adalòr.
Adigège.
Adoringèn.
Adôncado.
Agipan. Ægòceros.
Æquàtor, & Æquinociâlis
Æquicrûria figura.
Æquidium, & Æquidiale.
Æguinòctiũ.
Æquilâterum.
Aër.
Aërea ſigna.
Æròbo.
Æſculàpius.
Aèſtas.
Aèther.
Afeta.
Aflalén.
Africus.
Agaticâ.
Agothodæmõ.
Agglutinàtio.
Agitàtor.
Ahàrph.
Aichàrd.
Aiz.
Alaazèl.
Allacàf.
Alàuha.
Alacantabùt.
Alagabàl, Alahôre.
Alaim.
Alamàc, Aſalìth.
Alângue.
Alànthica.
Alathà.
Alatràb.
Alayôth.
Albàhurim.
Albêtatran.
Albêgala.
Albirèo.
Albòaran.
Albuzìch.
Alìhatis.
Alchenìb.
Alchetìb.
Alchià Dàpha.
Alchìnera.
Alchitòt.
Alcſbòl.
Alcocôden.
Alcòr.
Alcyònii dies.
Aldèbaran.
Alderaimìn.
Aldhàfera.
Alfàntia.

A

Alfazìm.
Alfèua.
Alfélta.
Alfridârie.
Algebàr.
Algebra.
Algebûbatàr.
Algèdi Denèb.
Algèmmee.
Algenìb.
Algènſis.
Algèti.
Algòl.
Algomèyſa.
Algoràb.
Alhabòr.
Alhàbor.
Alhaisèth.
Alhântica.
Alhàdida.
Alhìrto.
Alìbd.
Alichèl.
Alicòrab.
Aliċtiſal.
Alinciràf.
Aliòth.
Alkàir.
Alkìa Dapha.
Alkìndus.
Alkin ira.
Alkinirèm.
Allûre.
Almagèſtum.
Almanàch.
Almanàr.
Almanèm.
Almauerèth.
Almegramèth.
Almicăt harâth
Almogiza.
Almàcedeme.
Almìdhebir.
Almugèa.
Almuri.
Almuſechelét.
Almuſtêuli.
Almûthen.
Alniſigrèf.
Aloſàph.
Alphantia.
Alphàrd.
Alphèua.
Alpheràtz.
Alphèta.
Alramèch.
Alràkaba.
Altalisìm.
Altàni.
Altitùdo.
Aluehezìt.
Alynthiæ ſignũ
Alzimòn.
Amblygôniũ.
Amfrocraciâtor.
Amnimodar.
Amphicyrtos.
Amphùſcii.
Amphora.
Amplitùdo.
Ampôtim.
Amùſium.
Amùſtis.
Anabibazòn.
Anacàmptica.
Anaclatica.
Anærêta.
Analèmma.
Anàphora.
Anàphoræ.
Anaphoræ.
Anaphysèmata
Anâtolas.
Anaubaràch.
Andro-comètes.
Andròmeda.
Anèpatros.
Angètenar.
Angulus.
Annuèl.
Annulus Aſtronomicus.
Annus.
Annus magnus.
Annus Ægypitus.
Annus magnus canicularis.
Annus magnus

Iuniſolaris.
Annus magnus metonicus.
Annus periodicus.
Anomalia.
Anſer.
Anſer Americânus.
Antàrcticus.
Antares.
Antaſcònes.
Antígene.
Antichthónes.
Antìpodes.
Antazônes.
Antecànis.
Antica.
Antinous.
Antríſcia.
Antìſcij.
Antipathîa.
Antoêci.
Apàretias.
Apeliôtes.
Aperìtio portarum.
Aphænêtæ.
Aphèta.
Aphêlium.
Apherætæ.
Aphètes.
Aphrûimis.
Aphut.
Apis.
Apus.
Aplanes.
Aplane.
Apocâſtaſis.
Apodéate.
Apogæum.
Apogæi.
Apòllo.
Aporrhæa.
Apòrrogas.
Apotelèſma.
Apòtome.
Apòtome.
Appárétiæ.
Applicàtio.
Apullîa.
Aqua.
Aquàrius.
Aqueta ſigna.
Aquila.
Aquilo.
Ara.
Arànea.
Arathêa Spæra.
Archatàpias.
Architectùra.
Arcìtenens.
Arctòphilax.
Arctos.
Arctûrus.
Arcus.
Arëa.
Area Meteorõ.
Aredir.
Argèntum ſeu Argẽticomus.
Argèſtes.
Argetenàr.
Argìon.
Argonàuis.
Argumètum.
Argumèntum latitudinis lunæ.
Ariàdnæ Corona.
Ariaméch.
Aridèd.
Aries.
Ario.
Ariſta.
Arithmètica.
Armìlla.
Armillàris ſphæra.
Arnig.
Aròlabum.
Arpien.
Artûrus.
Aſànges.
Asbìa.
Aſcèndens.
Aſcenſiònes, & deſcenſiònes.
Aſcenſionàlis differentia.

# INDEX


Aſchere alic-min.
Aſcônas.
Aſèlli.
Aſicàth.
Aſiccàn.
Aſidà.
Aſpèctus.
Aſſabe.
Aſſànge, Arnig.
Aſſub. Aſtucus.
Aſter. Aſtiro.
Aſtrabiſter.
Aſtræa.
Aſtroôcynos.
Aſtròlabium,
Aſtrologia,
Aſtron.
Aſtrothêmata.
Aſtrothêſia.
Aſtrum, ſeu Aſteriſmus.
Aſymetrîa.
Atàbulus.
Atazír.
Atèmbui.
Aterêchinis.
Atín Eltaùr.
Athlantides.
Athale.
Athorâye, ſeu Altorich.
Atteſtatiònes.
Atmoſphæra.
Auctus lumine.
Auct⁹ numero
Auellàr.
Auis.
Auis Paradiſiaca.
Aulàx.
Augentes fortunam.
Aura.
Aùrea regula.
Aùreus numerus.
Auriga.
Aurora
Aurora Cometes.
Auſter.
Autômata.
Autùmnus.
Aux.
Axis.
Azèlfage.
Azèmena.
Azimèch.
Azimùth.
Azôni.
Azòrum inſulæ
Azùbenè.

B.

Baculus Aſtronomicus.
Balêna.
Bàltheus.
Baſiliſcus.
Batà κάγτος.
Bèd Algenſe.
Bellàtrix.
Beibêniæ.
Bennenàx.
Berenices Comæ,
Bérthas.
Béſtia Centauri
Bicorpòrrea ſigna,
Biothânatos.
Biquintilis.
Biſſèxtus, & Biſſextilis.
Biûmbres.
Bòlides.
Boôtes.
Bóreas.
Borrhapeliotes
Borrholibicus.
Bridemiſ.
Brinèch, vel Brinèti.
Bruma.
Brùltho.
Bubûlcus.

C.
Cabàllus.
Cacodæmon.
Càdens.
Cæcias.
Cænàculum,
Calbèz.
Calculàtor.
Calippica Periodus.
Càmmarus.
Cancer.
Canis maior.
Canis minor.
Canopus.
Capèlla.
Caper.
Caput draconis.
Caput & cauda draconis.
Caput Apollo.
Caput Hèrculis.
Caput ſeu ſectio Equi.
Caput Meduſæ
Caput Ophiuci
Carcinos.
Carpèncum.
Caſmòn.
Caſſiopêa.
Catabibazon.
Catægis.
Cataphoræ.
Cathàlze.
Catogæum.
Cachêtus incidentiæ.
Cathetus reflexionis.
Catôptrice.
Caſus.
Caſtor.
Cauda Capricorni.
Cauda Cygni.
Cauda Ceti.
Cauda draconis ſideris.
Cauda delphini.
Cauda leonis.
Cauda Vrſæ maioris.
Cauda Vrſæ minoris.
Càzimi.
Ceginus.
Centilòquium.
Centra domorum.
Cèpheus.
Ceràtias.
Cèrados.
Cetus.
Chakitichi.
Chamæleo
Cháſma.
Chélæ.
Chélis.
Cheleùb.
Chelidònius.
Chenèn.
Chìron.
Chórda.
Chorèutæ.
Chorographîa.
Chriſeus.
Chrónicus.
Chronocrâtor.
Cingulus orionis.
Cignus.
Cìrcius Ventus.
Circitòtes.
Cìrculus.
Circulꝰ rectus
Circulus obliquus.
Circuli altitudinum.
Circuli horarij.
Circuli poſitionum.
Circuli verticàles.
Circumferentia.
Circũuallàtio.

Cirnecìr.
Clìma.
Climactéricus.
Cælum.
Coitus.
Colubramèt.
Colùmba.
Colûri.
Coma Berenices.
Combùſtus.
Combuſta via.
Cométa.
Commìxtio.
Communia ſigna.
Competèntes gradus.
Complemètum arcus.
Còncauum.
Concéntricum
Conditionàrium.
Confinium.
Congreſſus.
Conôdromus.
Conſtellàtio.
Contàctus.
Contàratos.
Contrantiſcia.
Conuèrſa directio.
Conuèxum.
Cónus.
Cor cæli.
Cor hydræ.
Cor leonis.
Cor ſcorpij.
in Corde ſolis.
Coróna Auſtrina.
Coróna Septentrionalis.
Corónæ.
Corónæ Meteoron.
Córpus.
Córus.
Coruus.
Cóſmicus.
Coſmographia
Còzimon.
Cràter.
Crepùſculum.
Critici dies.
Cròtus.
Crux.
Cùbus.
Cùlmen.
Curſu vacuus.
Curſu velox.
Cruilìneum.
Cùſpis.
Cyclus.
Cyclus ſolaris.
Cycluus lunatis.
Cyclus aurei numeri.
Cyclus Epactarum.
Cygnus.
Cylinder.
Cynoſûra.

D.

Dapha Alchia.
Dàpha aredìr.
Dæmon Meridianus.
Daſim.
Dath Elkàrſi.
Dàulo.
Decàni.
Decuriônes.
Declinatio.
Decùbitus figura.
Dèferens.
Delàpſus.
Delphìnus.
Dèlteton.
Denèb.
Deſcenſio.
Detrimèntum.
Diagònius.
Diagràmma.
Diameter.
Diasàccora.

Dichòtomos.
Diepòn.
Dies.
Differèntia Aſcenſcionalis.
Dìgitus Eclipticus.
Dìgnitas.
Dimantàrcoris.
Dimètiens.
Diôptra.
Dirèctio.
Dirèctus.
Diſcus.
Diſceus.
Diuìſor.
Diùrnus.
Dòcus.
Dodecaêdrum.
Dodecatemorîon.
Domicilium.
Dòmus.
Dominus anni.
Dominus genituræ.
Dominus Orbis.
Dominus Horæ.
Dominus ràdiorum.
Dominus tèmporis.
Doryphorîa.
Doza Almogiza.
Dràco.
Draconis lunæ caput & cauda.
Draco volans.
Dabhè.
Dùctio.
Ductoria.
Duodenària Planetarum.
Dyſis.

E

Evèntricus.
Eclipſis.
Ecliptica.
Ecnèphias.
Ecptôſis.
Edèlen.
Edùb.
Effluxus.
Elàthi.
Eldegiagùl.
Eleiet.
Electiònes Aſtrologicæ.
Elemèntum.
Elementa Geometrica.
Eleuàtio.
Elhabòr.
Elhamnèl.
Elhaùt.
Elgèdi.
Elκaùs.
Elκèrd.
Elkleiſchèmal.
Ellipſis.
Eltanin.
Eluàrad.
Elzegiàle.
Emboliſmus.
Emboliſmica lunatio.
Empireum.
Engonâſis.
Enif alferàts.
Eniochus.
Ennàgone.
Enneàtici dies.
Eòſphorus.
Epàcta.
Ephèmeris.
Epicatàphora.
Epicyclus.
Epigius.
Epima.
Epitrion.
Epocha.
Eptàgonum.
Equiculus.
Equus alàtus.
Erègbuo.

Ericthônius.
Erîdanus.
Erigone.
Errâticæ ſtellæ
Eteſiæ.
Eterôſcij.
Eudâmon.
Euchens.
Eugònius.
Eugrâmmas.
Eurus.
Exàgonum.
Exaltàtio.
Exàſteron.
Exalàtio.
Exhàlma.
Excetra.
Exerèſimus.

F.

FAcies.
Falco.
Familiàritas.
Fauònius.
Fèra.
Feralia.
Feralis.
Ferdàriæ.
Ficares.
Fidiculæ.
Figùra.
Figùræ iſoperimêtræ.
Figura ſexdecim laterum.
Fines.
Finetes.
Firmamèntum.
Fixa ſigna.
Fixa ſtella.
Flammiger.
Foca.
Fumixinum.
Fortùna.
Fortùnæ pars.
Fóuea.
Fractiònes.
Fridàrio.
Fruſtràcio.
Fulxio.

G.

GAdio.
Garalcebol.
Galaicèn.
Galàſcia.
Galgàl.
Galina.
Garbinus.
Gaùdium.
Gèmini.
Géneſis.
Genethliacum.
Geniculàtor.
Génna.
Gènyahar.
Geodàſia.
Geographia.
Geometria.
Globus.
Gnaſch, Gnomon, Gnomē, Geometricū.
Gnomònica.
Gnòſtia corona.
Gorgónis caput.
Gradus.
Græcus.
Grus.

H

HAdrònitho.
Haia, ſeu Hachàia.
Halon.
Hàlyſis.
Hàmmel.
Haùt.
Hayz.
Hæadi.
Heliàcus.
Hèlice.
Helleſpònticu
Hemicyclus.
Hemiſphærium
Heptàgonus.
Hèrcides.
Hèrcules.

Ocùlus Tauri.
Olor.
Ophiucus.
Opora.
Oporinum ſidus.
Oppoſitio.
Optica.
Orbis.
Orbita.
Oricrâtor.
Oriens.
Orientàles domus,
Orientàlis Planeta.
Orion.
Orizon.
Ornîthias.
Oroàſer.
Orthogònius.
Ortographiæ.
Ortus,& occàſus ſideum.
Oſtènſor.
Os piſcis.
Ouàlis figura.
Oxygòmum.

P.

PAlilitium.
Palmà ſerpentarij.
Panſèlene.
Paràbola.
Paradiſus terreſtris.
Paràllaſe.
Parallàxis.
Parallèli.
Parallelo grãmum.
Parallelo peura.
Parallelo pipêdum.
Parètia.
Paraſèlene.
Párma.
Pars fortunæ.
Partes aliæ.
Partilis radicis.
Paſſer.
Pauo.
Pàtera.
Pegàſus.
Pentàgonus.
Peregrinus.
Perigæum.
Perimêtrum.
Periæci.
Periodus.
Peripheria.
Periſcij.
Perpendiculũ.
Pèrſeus.
Perſòna.
Perſpectiua.
Pèrtica.
Perſebre.
Pharmàz.
Phàſes.
Phænice.
Phænix ventus
Phænix ſidus.
Phænicoptêrus.
Phænômena.
Phænon.
Phæton.
Phòſphoros.
Pholèx.
Phthinûſa.
Phuoniſie.
Pica braſilica.
Picatàphora.
Pinnæ.
Pinacin.
Piothânatos.
Piſcis.
Piſcis notius.
Piſcis volans.
Piſtria.
Pithètes.
Planètæ.
Planiſphærium.
Plánum.
Pláticus aſpectus.
Pláuſtrum ſi-

L

Labanach.
Lactea via.
Lælaps.
Làmpas.
Làmpades.
Lancea.
Lar.
Larpitio.
Làtérculus.
Laterônes.
Làtio.
Latitùdo apud Aſtronomos.
Latitùdo apud Geographos.
Latidùdo ortiua.
Lèlaps.
Leo.
Lepus.
Leſath.
Leucònoti.
Leuis.
Libànotus.
Liberàlitas.
Libra.
Limbus
Limbus SS. Patrum.
Linda.
Linea.
Linea incidentiæ.
Linea medij motus.
Linea veri motus.
Logarìthnica.
Logarithmi.
Logiſtica.
Lõgitùdo apud Aſtronomos.
Lõgitudo apud Geographos.
Lùcifer.
Lumen.
Luminaria.
In ſuo Lumine.
Luna.
Lunæ menſiones.
Lupus.
Lux.
Lybicus.
Lybànotos.
Lyra.

M

Magía.
Magiſtralis ventus.
Maleuentum.
Malèficæ.
Malfelcare.
Mamarèth.
Mandèbula ceti.
Manipulus ſpicarum.
Manna.
Manucodiata.
Mappæ.
Marat Muſalſclèth.
Marchàb.
Marchèb.
Marc.
Marfet.
Mars.
Màſathe.
Màſcula conditio.
Maſuròth.
Mater.
Mathemàtica.
Matutini.
Mediàtio.
Mediceæ ſtellæ.
Mediclinium.
Medium cæli.
Meclèf.
Meduſæ caput.
Mel.
Meneſciàth.
Menchàr.
Menòides.

Mercùrius.
Meridiànus.
Mèrops.
Meſanguo.
Meſcimàch.
Mèſen.
Meſaquelo, &c
Metèora.
Metònicus annus.
Micromèſa, Muros cetàratos.
Miles.
Minùtum.
Miràch.
Mixta.
Mobilia ſigna.
Moderatòres.
Monomeniæ. Ægyptiorum.
Moſclèk.
Motus.
Primum Mobile.
Secundi Mobiles.
Mòrlatum.
Moznàin.
Mundus.
Mumir.
Muſatòr.
Muſca.
Mùſcida equi.
Mùſica.
Muta ſigna.
Mutàtil.
Mùtutlum.
Mutilàta ſigna.

N.

NAblòn.
Naáſch,
Laczèr.
Nadir.
Nahar.Alcharnèr.
Naris ceti.
Natiuitas.
Natùra.
Nauis.
Nabolaſſid.
Nebulòſæ ſtellæ.
Nemèr.
Neomànum.
Nèpa.
Neſchèr.
Nigeàr.
Nigra.
Nitàch.
Nitùra.
Noctùrnum.
Nodi.
Nona ſphæra.
Notapeliotes.
Notolybicus.
Nòtus.
Nòtius piſcis.
Nouenàriæ.
Nouilùnium.
Nox.
Nubes.
Nùmerus.

O.

OBediẽntia ſigna.
Obiaculàri.
Obliqus Angulus.
Obliquus Circulus
Obliqua ſigna.
Obliquatio.
Obſcuræ ſtellæ.
Obſeſſio.
Obtuſus angulus.
Occidens.
Occidentàles domus.
Occidentàlis Planeta.
Occurſàntes.
Occànus.
Octuèdum.
Octùagulus.
Octàuaſphæra.

Hermìppus.
Hèſperus.
Heteròſcij.
Hexàgonum.
Hinniculus.
Hièrezim.
Hircus.
Hircus Meteoron.
Hircus æquoris.
Holomêtrum.
Homocentricũ.
Homòch.
Homôzena.
Hóra.
Horària tempora.
Horinæum.
Hórizon.
Horòſcopus.
Horòſcopus lunaris.
Horoſcòpium.
Humàna ſigna.
Huzìmethon.
Hydra.
Hydrus.
Hydrographia.
Hyems.
Hylig.
Hylegialia loca.
Hypaùgus.
Hypogæum.
Hypothenûſa.
Hyppeus.

I

Iacha.
Iàculum.
Iàculum Meteoron.
Iàpeos.
Iapix.
Icnographîa.
Icoſaêdrum.
Iđeſal.
Ignis.
Ignis fatuus.
Ignis lámbens.
Ignea ſigna.
Imàgines cæleſtes.
Imàgines Aſtronomicæ.
Imum Cæli.
Inathedes.
Inconiùncta ſigna.
Imperantia ſigna.
Intuẽtia ſigna.
Indictio.
Indus.
Infernus.
Infortùna.
Ingenìculus.
Ingrèſſus.
Interlunium.
Intèrrogatiônes Aſtrologicæ.
Inuena:iſ.
Iris, irina.
Iſaiichmi.
Iſigònius.
Iſoperimêtræ figuræ.
Iſomæùnos.
Iſis.
Iſòſceles.
Iùgula.
Iùgulas.
Iugum.
Iùpiter.
Ixiònis rota.

K

Kabàr.
Kchitichì.
Kàlb.
Kaytos.
Kaluròps.
Kènen.
Kèrtho:
Keſil.
Ketpholt.
Kimàch.
Kollàſmenon.
Kûs.

dus,
Pléiades.
Plenilùnium.
Plíathis.
Pogoniàs.
Pollux.
Polus.
Polichrônium.
Poliêdum.
Poligònius.
Polygrâmmus.
Ponderòſus.
Præſèpe.
Præſter.
Præuentionâlis.
Primum mobile.
Principàtus.
Priſma.
Procèlla.
Pròcyon.
Profectiònes.
Prohibitio luminis.
Promiſsòres.
Proportionàlitas.
Pròpus.
Prorogatòres.
Proſcàtheron.
Proſthaphæreſis
Prothànatos.
Protrigêtes.
Pſeudoſtèllæ.
Pulſàtio.
Punctum.
Pùteus.
Puteàles gradus.
Pyràmis.
Pyroys.
Pychètes.
Python.

Q.

Quadra.
Quadrâtal.
Quadràngulus.
QuadransGeometricus.
Quadràntes.
Quadràtus.
Quadratùra Circuli.
Quadripartitum.
Quàlitas.
Quàntitas.
quæſtiònes aſtrologicæ.
Quintilis radius.
Quòtiens.

R.

Rabdæ.
Ràdius.
Radius apud Aſtronomos.
Radius apud Geometras.
Ràdius Aſtronomicus.
Radius ſatinus.
Ràdix.
Ramphètes.
Ras.
Rationàlia ſigna.
Rationàlis quantitas.
Rationalis via.
Rectum.
Rectàngulum.
Rectilineum.
Rectitùdo.
Redditus luminis.
Rèditus.
Refractiònes.
Refranàtio.
Règiæ,ſtellæ, ſigna,&c.
Règula.
Règula aurea
Règula harmonica.

Regulares ſiguræ.
Régulus.
Remuneràtio.
Réte.
Retrògradus.
Reuolùtio.
Rhòmbus.
Rhomboides.
Riſóritas dúnnatu.
Régel.
Ros
Roſa Cometes.
Róſch Hallilich.
Rota Ixiònis.
Rubail.
Ruuabàh.
Ruminàntia ſigna.
Rythmus.

S.

SAclàteni.
Sacrarium.
Sàgen.
Sagàtta ſidus.
Sagitta ſinus.
Sagittàrius.
Salchadài.
Saltàtor.
Samèh.
Sartài Meſarthia.
Sartàn.
Satellitium,
Satèllites.
Satùrnus.
Scalênua.
Scheàt.
Schedèr.
Schedír.
Sciographia.
Sciothèrium.
Scintillàtio.
Sciron.
Scorpio.
Scotomènia.
Scyphônes.
Sécans.
Sector Circuli.
Segmèntum circuli.
Sectio equi.
Secundi mobiles.
Sedùlli.
Sèlas.
Semicirculus.
Semilunium.
Semiquadràtus
Sénacher.
Sencinèr.
Sentacèr.
Separàtio.
Sephìna.
Septangulus.
Septentriones.
Septentrionale.
Septentrio vétus.
Serpens.
Serpentàrius.
Sertū pupillæ.
Serucuth.
Seſquiquadràtus.
Sexàngulus.
Sexagenària diuiſio.
Sextans Aſtronomicus.
Sextilis radius.
Sidus.
Sidera diſcurentia.
Sideràtio.
Silens luna.
Signa.
Signifer.
Significatòres
Simphaſis.
Sinaphia.
Sinus.
Sinus Abrahæ.
Sirius.
Sithacèr.
Soail ſamuni.

Sol.
Solicitium.
Solicitùdo planetæ.
Siretæ.
Solidum.
Sòlidus numerus.
Solſtitium.
Sors.
Sòſſos.
Sòchis.
Sotia.
Sothiaca periodus.
Sphæniſcus.
Sphæra.
Sphæra materialis.
Sphæra lucis.
Spica Virginis.
Spicarum manipulus.
Spiræ.
Splendor.
Spòrades.
Statio.
Stationarius Planeta.
Stella.
Stereometrîa.
Stilpon.
Stilpòntes.
Stipatòres.
Stròbilus.
Sublunària.
Subſòlanus.
Succèdens.
Sùhel.
Superficies.
Superiòres.
Sydus. Syderatio.
Symmetria.
Sympathia.
Symphaſis.
Synehon.
Synodus.
Syrius.
Syròccus.
Syſtêma.
Syth.
Syzigiæ.

T.

TAbdìl.
Tàngens.
Tanin.
Taraopòz.
Taurus.
Teleſcòpium.
Telum.
Temperamentum.
Tempus.
Tenàculum.
Tenebròſi padus.
Tepiſatòſoa.
Tepiſa cràs.
Tepiſtuch.
Termini.
Ternuèlles.
Terra.
Terrèlla.
Terræmòtus.
Térrea ſigna.
Teſtudo.
Tetraêdrum.
Tetràgonus.
Teù Vazàzene.
Thàmyris.
Tharmigoleth
Theà.
Théos.
Théma.
Thèmeſo.
Theſogàr.
Thopibici.
Thopitus.
Thràſcias.
Thrònum.
Thùimis.
Thùimis.
Thuribulum.
Thyèlla.
Tonitruum.
Torquetum.
Toucàn.
Trabis.
Traiectione.
Trapoidis.

Tranſitus.
Tranſlàtio luminis.
Trapèziæ.
Trapezòides.
Triada.
Triches.
Trigonum.
Trigonocràtor
Trigonometria.
Triràterum.
Trimôrion.
Trinus radius.
Tríquetrum.
Tríquetum Ptolemæi.
Tropæi recti.
Trópici.
Trùtina Hermetis.
Tſamàngadu.
Tuberòni.
Turbo.
Turbo ventus.
Tympana.
Typhon.

V.

Vacuus curſu.
Vagiàh.
Velzàgora.
Vagor.
Vazalzene.
Vectox.
Velox curſu.
Véter draconis
Ventus.
Venus.
Ver. Vera.
Veràſua.
Vergiliæ.
Vertex.
Veſpèrta.
Veſpertilio.
Veſpertinus.
Veſperùgo.
Via combuſta.
Via lactea.
Vigiles.
Vindimiàtor.
Violenta ſigna.
Virgæ.
Virgo.
Viroaſo.
Vmbilicus Andromedæ.
Vociferator.
Voluellum.
Vortex.
Vraniſcos.
Vrna.
Vrſa.
Vvèga.
Vultur cædens.
Vultur volans.
Vulturnus.

X.

Xiphias Cometes.
Xíphias ſidas.

Y

Ypàſricus.

Z.

Zamoctàr.
Zàdaron.
Zenith.
Zèphirus.
Zigeàtus.
Zodiacus.
Zonæ.
Zoodòtes.
Zophomènia.
Zozàicus.
Zubeneſchèmali.


FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I-3.